BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XLIX
H
22

XLIX
H
22

ANNALES MINORUM

AUCTORE

A. R. P. F. LUCA WADDINGO

HIBERNO

Ejuſdem Ordinis Chronologo.



ANNALES MINORUM

SEU

TRIUM ORDINUM

A S. FRANCISCO INSTITUTORUM

AUCTORE

A.R.P. LUCA WADDINGO HIBERNO

S. T. Lectore Jubilato, & Ordinis Chronologo.

TOMUS XIII.

Editio ſecunda, locupletior, & accuratior

OPERA, ET STUDIO

R.mi P. JOSEPHI MARIÆ FONSECA AB EBORA

Ord. Min. Scriptoris & Ex-Generalis, S.& U. Inquiſ. Conſultoris, S.C. Conſiſtor. Vot. Epiſcop. Examinat. Regiæ Academiæ Luſitanæ Socii, in Romana Sapientia Cenſoris, atque in Ciſmontana Familia Viſitat. & Reformat. Apoſt. &c.

ROMÆ Typis Rochi Bernabò MDCCXXXV. ✠ *Superiorum permiſſu.*

CUM PRIVILEGIO SUMMI PONTIFICIS.

NAPOLI

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

FR. JOSEPHUS MARIA FONSECA EBORENSIS
Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia
FELICITATEM

I verbis multis, & illuſtribus Tibi pro eo, quod in me nuper contuliſti, beneficio gratias agere vellem, verendum mihi arbitrarer, BEATISSIME PATER,

ne in ea oratione nimium inſiſtens de me ipſo aliquid dicerem, quo non tam officio ſatisfeciſſe, quam parum pudenter, & ambitioſe velificatus laudibus eſſe meis exiſtimarer. Quippe tertio ab hinc anno cum ad regendam Minorum familiam auſpicio Tuo, ac voluntate vocatus eſſem, eamque provinciam, labores Te meos non mediocriter comprobante, toto triennio ſuſtinuiſſem, id orando, inſtandoque ſum a Te ipſo conſequutus, ut, depoſito magiſtratu, ab his domeſticis curis, & jactationibus conquieſcerem, animumque negotiis publicis impeditum onere gravi, ac ſupervacuo relevarem. In quo mihi dando beneficio non tam optimi parentis indulgentia quædam, quam honorificum Principis Maximi de me judicium perſpicuum fuit. Nam & quos mihi præfectos Ordinis ſubſtitueres, ex meo teſtimonio libentiſſime delegiſti, & eorum virtute perſpecta, aſſenſu Tuo graviſſimo comprobaſti in eo fidem teſtimonii mei. Apud quos etiam immortali

me

me præconio commendatum voluiſti, palam profeſſus, valde meam in cunctis operam, aſſiduitatem, induſtriam probatam Tibi, atque exploratam fuiſſe. Ita ſi mihi beneficium amantiſſimi Pontificis quæſitum eſt, nihil fieri potuit beneficentius erga me, quam a SANCTITATE TUA *factum eſt; ſi judicium, atque honor, nihil ego expectare potui honoratius. Sed tamen ex eo vides,* BEATISSIME PATER, *quam difficili in loco verſetur oratio mea: qui ſi verbis ejuſmodi utar, quæ apta ſunt ad gratiam meritam commemorandam, modeſtiæ fines prætergredi nonnullis videbor, nec ſatis pudentem animum ad beneficium prædicandum afferre. Utcumque erit, juvabit tamen litteris prodere, cum antea multis, & numquam extricabilibus vinculis Tibi fuerim obligatus, hoc etiam nomine arctius obſtrictum me eſſe, atque in eorum numero perpetuo fore, qui* SANCTITATIS TUÆ *amplitudini, & laudi omni animi ſtudio ſunt dediti. Deus omnipotens omnia & cœpta,*

& con-

& conſulta SANCTITATIS TUÆ *ad optatum finem, & eundem ſibi gratum, acceptumque perducat.*

ERU-

ERUDITO LECTORI.

Quo magis accedimus ad noſtra tempora, creſcit hujus operis dignitas, ſive rerum varietatem, & complectentis exotica facta hiſtoriæ ſeriem conſideres, ſive illuſtres viros, ac fœminas, quibus Ordo Divi Francisci ſæculo iſto quintodecimo inſigniter floruit. Qui hæc leges, candide Lector, ſingularem Dei erga hunc Ordinem indulgentiam, & benignitatem agnoſces, qui ex eo clariſſima lumina, velut ex alta ſpecula, per id tempus extulerit, & ad virtutis, ac ſapientiæ imitationem toti Eccleſiæ propoſuerit. Vale.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſsimo Patri ſacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanenſis Vicesgerens.

REIMPRIMATUR

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum ſacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

ANNALES MINORUM.

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 250.
1457.	anno 3.	anno 18.	

ARGUMENTUM.

Joannis Capistrani jacturam suppleturus mittitur in Hungariam Jacobus Picenus, ubi gloriam sui promovet consodalis. Multos Sedis Apostolicæ Nuncios & Collectores Minoritas Calixtus ad varias Provincias amandat. Alphonsus de Palenzuela mittitur ad Henricum Regem Castellæ, Nicolaus Sibinicus ad Stephanum Regem Bosnæ, Ludovicus Bononiensis ad Constantinum Regem Æthiopum. Celebrantur Comitia Generalia. Paulo post moritur Generalis Minister, vicesque subit Minister Aragoniæ. Decedit etiam uterque Vicarius Observantum. Turbas Parisiis in Mendicantes excitatas Papa compescit. Moritur Seraphina Romana. In Corsicam mittuntur rectæ fidei Magistri. Creantur Episcopi. Construuntur Cœnobia.

I. SPARSO rumore de Joannis Capistrani morte, quæ sub anni præteriti finem contigit, boni omnes ingemiscebant ad tantam rei Christianæ & Religionis jacturam. Sed uti dicitur: *Tarda fides magnis rebus ineſſe ſolet*, quod nolebant Fratres, difficile credebant, & tantum virum, insigne sui Ordinis ornamentum, dum perdidisse dolent, suo indulgentes animo adhuc supersesse confingunt. At Vicarius Generalis Baptista Levantinus per peculiarem destinatum Nuncium certior effectus, litteras has ad universos misit Vicarios Provinciales. *Ovid. epist. 16.*

Vicarius Generalis denunciat omnibus mortē Capistrani.

Reverende in Christo Pater &c.

II. *VEhementer doleo, quod tibi dolendi litteræ meæ materiam ministrabunt, gravis enim & tristis tibi nuncius sum, dicturus quæ nec ego narrare, nec tu velles audire. At oportet, ut dicam, & te certissimum reddam, nostri Ordinis coronam & gloriam,* R. P. *fratrem Joannem de Capistrano novissimis temporibus ex hac vita migrasse, seu placide in Domino* *Ex Reg. Ord.*

requieviſſe, quemadmodum ab ipſis ejus ſociis accepi. Ejus ſacratiſſimum corpus in Huilaeb Hungariæ Civitate apertiſſime conſtat fuiſſe depoſitum, ſub quinque ſeris aut clavibus diligenter munitum. Die autem XXIII. *Octobris deceſſit. Te itaque moneo & inſtantiſſime doprecor, ut a cunctis Fratribus, Sororibus, ac Dominabus in tua Provincia degentibus, ejus exequiarum officium ſolemne facias diligentiſſime celebrari. Hæc autem tibi adeo ſerio commendo, non quia putaverim eum hujuſmodi ſuffragiis aut auxilio indigere, ſed ut ea, quæ ad nos ſpectant, fideliter exequamur. Vale ex loco ſanctæ Mariæ de Angelis extra Mediolanum Nonis Februarii* MCCCCLVII.

Jubet Pontifex reſtitui ſupellectilem Capiſtrani.

III. Dolebat etiam Pontifex ſibi præreptum fidum operarium, ſolertiſſimum Sedis Apoſtolicæ Mioiſtrum, & rogantibus Provinciæ ſancti Bernardini Fratribus, præcepit uoiverſis ut ſi quæ haberent apud ſe piiſſimi Viri libros, reliquias, regiſtra, bullas, aut alia hujuſmodi, quæ ex licentia Sedis Apoſtolicæ retinebat, & ſub mortem declaravit ad eamdem Provinciam ſpectare, & deferri debere, conſignarent Fratribus, quos in hoc ipſum colligendi munus deſtinabat in Germaniam & Hungariam. Huic Pontificis præcepto, etiam litteris Apoſtolicis intimato, Fratrumque diligentiæ oos debemus omnem, quam hucuſque exhibuimus Capiſtrani rerum notitiam, acceptis ſcilicet, quod alias diximus, omnibus, quas hi reportarunt, ſchedis & monumentis ex archivo Capiſtrani.

B. Jacobus Picenus amandatur in Hungariam.

IV. Ne vero deeſſet Vir pius & prudens, qui Capiſtrani vices in Hungaria ſuppleret, Joanni Cardioali Sedis Apoſtolicæ Legato aſſiſteret, & in augendis Chriſtianorum copiis contra Turcarum poteotiam collaboraret, deſtinandum duxit Capiſtrani conſodalem, fidum amicum, & egregium cooperarium Jacobum Picenum, in rebus Hungaricis optime verſatum. Ad ſe itaque in Urbem vocatum, ſacris mooitis ad arduâ capeſſenda, tædioſumque iter ſubeundum frequenter excitatum, his litteris commendatum, a ſe tenere benedictum die XVII. Maii ex Urbe dimiſit.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia &c.

Ex originali.

V. *Quia laudabilis vitæ tuæ merita, & virtus Evangelici ſermonis, qua te Altiſſimus decoravit, nos inducunt, ut te inpræſentiarum ad partes regnorum Hungariæ, Boemiæ & alias tranſmittamus, ad cohortandos & exhortandos Chriſtifideles ad ſanctiſſimam * impriſiam Cruciatæ contra Turcas & infideles, ut ea commodius & habiliùs exequi poſſis, quæ ad hoc divinum opus exequendum occurrent, omnes & ſingulas bullas ſeu facultates olim contra hæreticos devotioni tuæ per ſel: record. Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum conceſſas, quas hic, cujuſcumque tenoris & generis exiſtant, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, ac ſi de eis de verbo ad verbum mentio facta eſſet, quatenus honorem Dei, augmentum fidei, honorem noſtrum & Apoſtolicæ Sedis, animarumque ſalutem concernunt, ratificamus, approbamus & confirmamus, ac de novo tibi harum ſerie concedimus: dantes, & harum ſerie concedentes, ut omnes & ſingulas facultates habeas, & eas exequi poſſis, quæ in ipſis bullis, & earum qualibet latius expreſſæ ſunt, quas etiam nos eadem ſerie concedimus & elargimur. Perge igitur cum benedictione noſtra, & quæ tibi commiſimus, vigilanti ſtudio & virili animo exequaris. Nationes illas tua efficaci perſuaſione, tuis ſalutiferis adhortationibus incites, animes & induças, ita ut ex bona opera tua ſentiamus fructum aliquem in auxilium fidei proveniſſe. Dat. & c. die* XVII. *Maii* MCCCCLVII.

* 1. expeditionem.

Ei-

EIDEM.

VI. *CUm pro nonnullis noſtris & Religionis Chriſtianæ arduis negotiis, & præſertim ſanctæ Cruciatæ ad partes Hungariæ & Boemiæ, & aliàs in præſentiarum mandato noſtro te conferas, ut ea, quæ ad honorem & exaltationem ipſius Religionis cedunt, eo efficaciùs facere & exequi poſſis, quo ampliori a nobis & Sede Apoſtolica fueris facultate ſuffultus, tenore præſentium concedimus tibi facultatem & poteſtatem tam in dictis Regnis, quam alibi, ubi tibi neceſſarium eſſe videbitur, in quoſcumque hæreticos inquirendi, & contra eos procedendi, incarcerandique, ac pœnis & ſententiis condignis afficiendi, eoſque ſi ad cor redire voluerint, & ad veram cognitionem fidei converti, abjurata hæreſi, abſolvendi, & etiam eum eis ſuper irregularitatibus inde contractis diſpenſandi, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes. Et quid propter hujuſmodi commiſſiones noſtras varios te oportebit ſubire labores, ad eos levandum concedimus tibi, ut de Ordine tuo eligere poſſis eum numerum Fratrum, qui tibi neceſſarii fore videbuntur, ut ad partes, ad quas proficiſceris, te ſequantur, mandatiſque tuis in omnibus pareant & obtemperent: mandantes harum tenore eis & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, ut cum primum a te fuerint requiſiti, ſine dilatione ſe ad iter tecum accingant, & tuas ordinationes & mandata obedienter in cunctis exequantur. Datum ut ſupra.* Ex Originali.

Cariſſimo in Chriſto filio Regi Hungariæ Illuſtri.

VII. *CUm omnis noſtra cogitatio, & omne conſilium ad opus ſanctiſſimæ expeditionis in Turcos, & in perditionem infidelium concitata ſint, & in horas creſcat ſalutaris cura in corde noſtro, non definimus omnia tentare & aggredi, per quæ incredibile deſiderium noſtrum feliciter exequi valeamus. Quæ hactenus egerimus ad reprimendum furorem immaniſſimi hoſtis, ſuperfluum putamus Serenitati tuæ replicare, quia notiſſimum eſſe ſcimus, quanta in difficultate rerum claſſem inſtruxerimus, Legatum cum ea in Orientem miſerimus, omni denique ratione Chriſtianum orbem ad ſuccurrendum labenti fidei tum Legatis & Nunciis, tum maxime continuis literis & obſecrationibus commonuerimus, quorum Regnum tuum non fuit expers, cum continuum ibi noſtram Legatum teneamus. Ob quæ non remollitus eſt animus noſter, imo magis ac magis inflammatus eſt, nec quieſcere poterit, quoad voti compos, oppreſſum ſenſerit impium Turcorum tyrannum, & fidei ſacroſanctæ, extinctis infidelium conatibus, pacem & quietem reſtitutam. Hæc cura ſtabilem in mente noſtra ſedem ſibi fecit, hæretque ſtimulus quidam igneus noſtris ſenſibus, qui inde evelli numquam poterit, quouſque vitales auras duxerimus. Et quoniam ſæpe vidimus inefficaces eſſe humanos omnes conatus, niſi brachio dirigantur divino, expertique ſumus, quid ſuperiore anno valuerunt ſanctæ orationes, quas ad Deum noſtri hic fecimus, & per univerſum fieri ordinavimus, optimum exiſtimamus mortalibus armis divina adjungere ſubſidia. En igitur mittimus illuc dilectum filium noſtrum fratrem Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum profeſſorem, ſervum Dei & militem Chriſti ardentiſſimum, cujus tum doctrina & ſanctimonia vitæ, tum fervore & caritate recreabuntur animi Chriſti fidelium. Nam cum ſuperiore anno, acerba quidem, ſed glorioſa ſibi, mors nobis eripuerit fratrem Joannem de Capiſtrano, hic erit operum ſanctorum Illius, & glorioſi laboris ſucceſſor, qui divino fervore exuſtus caritatis, animam ſuam, quam Deo dicavit, conſtian-* Ex Originali. Laudatur à Pontifice Jacobus. Et Capiſtranus.

ſtanter exponere paratus advenit. Eidem fratri Jacobo confirmavimus omnes bullas, quas dudum fel. record. Eugenius prædeceſſor noſter ei conteſſerat, dum alias contra hæreticos profectus eſt; aliiſque facultatibus eum munivimus, quatenus honorem Dei, augmentum fidei, honorem noſtrum & Apoſtolicæ Sedis, animarumque ſalutem concernunt, quibus Chriſtifideles inducere poſſit ad ſanctam militiam Crucis capeſſendam. Supereſt ut tua Sereuitas virum iſtum, cujus adventum tibi carum fore non dubitamus, commendatum in omnibus ſuſcipiat, etque faveat opportune. Cum autem tempus inſtet prodeundi in hoſtem, hortamur Serenitatem tuam, ut ſe ad divinum & inclytum certamen totis viribus accingat, ſpemque concipiat certiſſimam, futurum, ut Deus omnipoteas non minorem victoriam de barbaris populo ſuo præſtet hoc anna, quam ſuperiori conceſſit. Datum ut ſupra.

Venerabilibus Fratribus Epiſcopis Hungariæ & Boemiæ.

Ex Autographo. VIII. *Venerabiles Fratres. Mittimus ad partes iſtas dilectum filium fratrem Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum, ſervum Dei, qui in corde ſculptam gerit crucem & paſſionem Redemptoris noſtri, & qui cum fervore caritatis, & zelo fidei Orthodoxæ nullum laborem fugere decrevit; venit iſtuc ut Chriſtifideles animet ad inſurgendum contra inimicos Chriſti, & in virtute divini verbi eos excitet ad ſanctiſſimam militiam Cruciatæ capeſſendam. A nobis autem munitus eſt opportunis facultatibus, quia ultra alia confirmavimus eidem omnes bullas, quas a fel. record. Eugenio Papa IV. prædeceſſore noſtro olim habuit, dum contra hæreticos, alias in Hungariam & ad partes illas profectus eſt. Ipſum itaque fratrem Jacobum fraternitati veſtræ ex animo commendamus, ut in omnibus, quæ ei opportuna erunt pro executione hujus præclari operis, faveatis & aſſiſtatis, & vos pro virilitate veſtra excitetis una cum aliis Chriſtifidelibus ad impugnationem barbarorum, & inimicorum Chriſti. Datum ut ſupra.*

Dilecto filio Cardinali ſancti Angeli, Legato noſtro.

Ex Autographo. IX. *Ad recreandum animos Chriſtifidelium & Cruciferorum mittimus ad eas partes dilectum filium fratrem Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum, virum ſingulari devotione, & zelo fidei Chriſtianæ, & præſtanti ſanctimonia vitæ præditum, qui paratus eſt, & cum maximo animi fervore advenit, ut divinis admonitionibus & prædicationibus populum Dei cohortetur ad invadendum hoſtes Crucis. Ut autem poſſit efficacius exequi, quæ ſibi commiſimus, & ad quæ aggredienda ipſe ultro paratus advenit, omnes bullas, quas contra hæreticos & alias olim a fel. record. Eugenio Papa IV. habuerat, quatenus honorem Dei, augmentum fidei, honorem noſtrum & Apoſtolicæ Sedis, animarumque ſalutem concernunt, ea confirmavimus. Non autem dubitamus hujuſmodi adventum circumſpectioni tuæ fore gratiſſimum; ſcis enim quantum adjumentum in ſimilibus conferant tales viri, quorum vita bonorum operum exemplis decora, & evangelizatione divini verbi illuſtrata, mirum in modum commoverit animos populorum. Quare ſtudeas diligenter, ut ipſi fratri Jacobo a cariſſimo in Chriſto filio Rege Hungariæ, & aliis Priucipibus & Prælatis opportuni favoreis in cunctis exhibeantur, tuque cum benigne ſuſcipias, & ei aſſiſtas, quemadmodum opus erit, & de tua circumſpectione confidimus ac ſperamus. Datum ut ſupra.*

X. Ja-

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Faiderici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

X. Jacobus nihil moratus, celeriter in Hungariam perrexit, ubi non minore honore, quam Capiſtranus exceptus, ſtatim manum ſuam miſit ad ſortia, gentes convocare, Principes hortari, populos ad arma verbis, conſiliis, quotidianis concionibus excitare. Ladislaus Rex cariſſimum habuit, & in arduis conſiliarium. Ubi Budæ privatis & publicis exhortationibus Procerum animos in Regni Comitiis ad belli proſecutionem confœderavit, Villachum excurrit optimi conſodalis Capiſtrani ſepulcrum veneraturus. Magna & quotidiana illic fieri prodigia conſpicatus, ſed ſcribendis & rite examinandis vehementer adverſari Cardinalem Legatum admonitus, quibus potuit modis, conſtituit hominis duritiem emollire. Budam reverſus percepit illic ſub omnium oculos verſari puellam, quæ a nativitate cæca, anno ætatis quartodecimo Capiſtrani attactu lumen aſpexit. Hanc ſub finem ſolemniſſimæ concionis coram Rege, Legato, Regni Proceribus habitæ publice interrogavit, an ab ipſo ortu cæcitatis vitio laboraverit, & Capiſtrani beneficio cœperit videre? Reſpondit: *Ego cæca & clauda nata ſum, & frater Joannes de Capiſtrano tetigit oculos meos, & ſtatim vidi, & præ gaudio cœpi lachrymari, & ſimiliter crure male habentem & claudicantem ſanavit.* Id ipſum teſtificati ſunt multi, qui aderant, & qui a nativitate cæcam & claudam cognoverunt. Notarium Archiepiſcopi Strigonienſis tunc præſentem rogavit, ut verba puellæ ſcriptis exciperet, & denuo coram Archiepiſcopo, deinde coram Legato juridice examinaret. Ita factum, & tertio interrogata coram Regni Baronibus conſtanter eadem repetivit. Tot circumſtantiis inſigne miraculum, Notarii actis authenticum miſit Jacobus ad Pontificem per fratrem Alexandrum Raguſinum, rogans, ut tot miraculorum, quæ paſſim tanti Viri meritis Deus operabatur, examen aliquibus Prælatis Apoſtolicæ Sedis auctoritate committeret. Miſſum gratiſſime Pontifex excepit, illuſtre dixit miraculum, & reliquorum examen ſe ipſi Jacobo adjuncto aliquo Antiſtite traditurum, libenterque ſe Capiſtranum virum optimum, probe ſibi ex virtute cognitum, cathalogo Sanctorum adſcripturum. Remiſſius, quam oporteret, circa hæc agente Alexandro, interim tranſverſim actis rebus Hungaricis, Jacobus, adverſante ſibi regionis temperie, infirmus rediit in Italiam. Subſtituit Pontifex Joannem de Taliacotio ſacerdotem, & Michaelem de Tuſſicino laicum, Legato valde commendatos, a quo etiam benigne admiſſi, & ſæpe ad menſam, ſæpiuſque ad colloquium vocati numquam potuerunt Capiſtrani gloriæ reddere propitium. Collegerunt tamen annis duobus per Hungariam, Boemiam & Germaniam innumera miracula, optimis documentis comprobata, quæ dum in Urbem referunt, Calixtum deceſſiſſe comperiunt, iterumque ſub Pio ſucceſſore negotium oportuit adoriri.

Jacobus honorifice in Hungaria ſuſceptus magna operatur.

Gloriam promovet Capiſtrani.

Inſigne Capiſtrani miraculum.

Multa miracula per eum fieri ſcribit Jacobus ad Calixtum.

Redit in Italiam. Subſtituitur Joannes de Taliacotio.

XI. His fortaſſis vel aliis diſtractus occupationibus, vel non ſcripſit ad Pontificem, vel ille litteras non recepit. Quare admiratus Calixtus has illi honorificas, & fiducia plenas miſit, res graviſſimas ejus curæ committens.

Calixtus honorifice ſcribit Jacobo.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum profeſſori, Nuncio noſtro.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Poſteaquam a nobis receſſiſti, & te in Hungariam incolumem perveniſſe audivimus, quod nos plurimum delectavit, nullas a tua caritate litteras habuimus: quæ certe jucundæ nobis & gratæ fuiſſent, ut ex te, cujus caritas ardens & magna eſt in negotiis ſanctiſſimæ Cruciatæ, quomodo ſeſe iſtic negotia habeant, in-

Ex Originali.

intelligeremus. In quibus non dubitamus, quin pro virili multa facias, nec opus eſt te hortari, cum te incitatum circa ea plurimum ſciamus. Nos vero etſi putabamus fieri non poſſe, cum in proſecutione maximum ſemper habuerimus animum, in dies tamen ardentiores circa hæc efficimur, ongitque animum noſtrum cura quotidiana, quod ceteros, ad quos etiam pertinet, non noſtri animi ſectatores, ſed negligentes & pigros, & invicem ad guerram proclives videmus. Hortati ſumus omnes, ſæpe monuimus, & fere accuſavimus, ut in hoc negotio Chriſti, a quo potentias habent, auxilia darent opportuna; ſed nihil adhuc (quod cum dolore dicimus) effici potuit. Itaque revolventes ſæpenumero in animo noſtro hujuſmodi rem, cum venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus deliberavimus univerſis, Imperatori, Regibus, Prineipibus & Communitatibus potentum populorum, aliiſque Dominiis Chriſtianitatis ſcribere, ut ad diem per nos eorum ſingulis aſſignatum huc ad nos ſuos mitcant Oratores ideneos, ſuffultos plena poteſtate, ut ſimul cum eis pro exigentia & celeritate negotiorum fidei conſilium & auxilium, quod cito exequi poſſit, capiamus. Itaque, fili dilecte, ſollicitabis eumdem Imperatorem, Reges Hungariæ, Boſnæ, Poloniæ & Datiæ, Electoreſque Imperii, & quibus ſcribimus, ſi eos potes commode adire, ut ſuos ad nos ad diem aſſignatum mittant Oratores, hocque opportune & importune inſtare non deſinas. Ceterum ex multiplici fama, litteriſque & relatu fide dignorum intelleximus, per Electores Imperii, & quoſdam eorum ſequaces, non cogitantes quantum Sedi Apoſtolicæ, a qua gratias & beneficia ſuſceperunt, debeant, nonnulla tractata fuiſſe in præjudicium & læſionem auctoritatis noſtræ & Sedis Apoſtolicæ; in eis tamen neque aſſenſum neque auctoritatem Imperatoris interveniſſe. Scribimus ſuper hoc Legato noſtro & plurimis aliis, quos noſtri & Sedis Apoſtolicæ devotos putamus, ut efficiant, quod Imperator, & ſi qui alii erunt, non ſolum non aſſentiat tractatis prædictis, quemadmodum eum minime deceret, ſed etiam illis contraveniat, eaque repellat. Erit nobis gratum ut ſuper his adeas Legatum noſtrum, & prout eidem & tibi videbitur, malignitatibus hujuſmodi occurratur, & temerarii conatus fruſtrentur, maxime nobis indefeſſe intendentibus in eorum ſecuritate contra Turcas & alios infideles, & ſine culpa contra nos inſurgere. Caveant ab ira Dei; Nos enim officium noſtrum exercere non ceſſabimus opportune, eſtque officium noſtrum, ut loquamur cum beato Ambroſio, nulli nocere, omnibus velle prodeſſe, poſſe ſolius Dei eſt. Clama, ne ceſſes, & ſciat ſenem iſtum paratum pro defenſione Evangelii & fide Catholica pati, utinam martyrium, ſi ſit opus: ecce completum deſiderium tuum nobis aliquando perſuaſum, de convocando Italicos & alios contra Turcam & infideles ad tantum incendium extinguendum. Et ſic viriliter age, & confortetur cor tuum etiam ad Boemos, & alios devios a fide reducendos. Scis enim, quod omnia expoſuimus & exponimus in his, vix nobis vitæ neceſſariis remanentibus. Et qui nobiſcum non eſt, profanus eſt, non Chriſti, ſed Antichriſti eſt. Et ſcribere nobis aliquando non differas ad ſalvum. Habet etiam in præmiſſis curam a nobis ſpecialem dilectus filius Laurentius Rovarella Subdiaconus noſter. Facias ſimul cum his & ſine eis, quæ de tua caritate confidimus & ſperamus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXV. *Octobris* MCCCCLVII. *Pontificeatus noſtri anno* III.

Amb. lib. 3. de offic. c. 4.

B. Jacobus conſuluit Calix. bellum contra Turcas.

Scribit Aſculanis.

XII. Dum vero Jacobus Budæ hæreret, ſui erga Aſculanos cives, ſibi ſemper gratiſſimos, amoris ſpecimen exhibuit. Quos præſens frequentes docuit, & tenere dilexit, abſens ſuis litteris ſalutavit, & ſalutaribus inſtruxit diſciplinis: *Cupiebat ut diſcipuli non ſolum præſente Magiſtro mentem,*

Chryſoſt. in c. 4. ad Galat.

tem, quam oportet, obtineant, verum etiam abſente. Vere oſtendit paterna viſcera, oſtendit anxietatem Apoſtolo dignam. Illinc miſſam epiſtolam ego hic tranſcribo.

Magnificis Dominis Antianis; & conſilio almæ Civitatis Eſculi, ſibi in Chriſto devotiſſimis & cordialiſſimis.

Devotiſſimi, magnifici, in Chriſto filii cariſſimi, gratia & pax Domini noſtri Jeſu Chriſti nunc & ſemper in illa alma Civitate multiplicetur, ut unanimes uno ore glorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſitis in vinculo pacis & caritatis Dei, & det vobis id ipſum ſapere in plenitudine cognitionis ejus, ut inveniamini purificati & ſanctificati in adventu ipſius Chriſti benedicti. Nunquid, dilectiſſimi cordis mei, poteſt mater oblivisci filii ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego ſenex non obliviſcar illius populi, cujus filios & filias a juventute mea uſque ad ſenium in Chriſto parturivi. Certe cariſſimi & mihi amantiſſimi, recolo ſudores laboreſque multos, prædicationes innumeras, vigilias & lacrymas in multitudine ſinceræ caritatis, quas in Chriſto Jeſu pro illo populo habui. Ecce ſineere dicam coram Domino, genua mea ſine intermiſſione coram Patre Domini noſtri Jeſu Chriſti pro conſervatione illius populi curvata & flexa ſunt, orationes indefeſſas pro illa Civitate coram Chriſto Jeſu corde & ore multiplico, quamvis me minimum & peccatorem exiſtimem, & me indignum judicem; attamen gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti, in virtute Spiritus ſancti, peccatoris orationes exaudivit. Multa pericula, nimiamque ruinam, inſidiaſque innumerabiles, proditiones inextimabiles in ſpiritu meo contra Civitatem illam aſpexi, in impetuque & in furore populum ad nihilum devenire: ſed pietas manus Chriſti benedicti ex bonorum orationibus ſe oppoſuit & defenſavit. Quare omni ſupplicatione exoro, ſupplico & exhortor, ut non ingrati coram Domino inveniamini, ſed ipſum ſapite, & de tantis beneficiis ſibi gratias exhibete. Quare igitur, amantiſſimi filii, amodo ponatur finis tantorum periculorum, & renovamini in novitate ſpiritus, & unione ſinceræ caritatis; dimittatis odia, injuriæ & inimicitiæ coram Chriſto Jeſu remittantur, pacem & dilectionem inter voſmetipſos habentes, non ſit inter vos jurgium, non partialitas, non litigium, non venenoſæ ſectæ, ſed uniti, pacifici, honeſti & mauſueti in omni veritate & caritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, alter alterutrum invicem ſupportantes, & alter alterutrum dimittentes injurias, & perſecutiones ab alterutro devitantes, tamquam acceptabiles & amobiles coram Chriſto Jeſu Domino noſtro. Vobis, filii & filiæ, mitto benedictionem: parentibus veſtris obediatis, hæc eſt enim voluntas Chriſti Domini noſtri: vobis, patres & matres omnes, cordiales & infinitas benedictiones mando; curam filiorum habeatis, ut Dominum timeant, & ab omni labe & turpitudine divinæ offenſionis eos ſervetis; ſacerdotes & religioſos honorificetis; Eccleſias & Divina officia ſanctificetis. Cum circumvicinis veſtris pacem & dilectionem habete, ac benignitate & humanitate ad benevolentiam Civitatis attrahite; hæc eſt enim voluntas Dei, cum omnibus caritatem & benevolentiam habere. Quantum ex vobis eſt, ab omni injuria avertatis ſubditos veſtros cum omni benignitate ac humanitate, & in eos benevolentiam exhibeatis, ut Deus glorificetur in vobis, & ſitis ante throuum ſuæ Divinæ majeſtatis, & ſanctificetis, & gratificetis in plenitudine cognitionis Chriſti, qui ſit inter vos benedictus in ſecula. Mementote mei ſenis, veſtri oratoris, ut participes ſim orationum veſtrarum in

Ex originali.

Quos valde dilexit.

Et à multis malis liberavit.

Pacificare ſtudet.

in omni caritate & dilectione Domini noſtri Jeſu Chriſti. Inſuper mando benedictionem pio Collegio Tertii Ordinis, ac devotæ Confraternitati ſancti Hieronymi & ſancti Franciſci, quam piiſſima manus Dei plantavit in illa almæ Civitate, quam omnipotens Deus conſervet & defendat in omni plenitudine gratiarum in Chriſto Jeſu Domino noſtro, in cujus virtute & clementia ſitis accepti in adventu ejus. Iterum valete, & pro me Deum exorate. Datum Budæ die VII. *Octobris* MCCCCLVII. *O utinam antequam anima mea demigraret de tabernaculo hoc ſenili, vos mererer iterum videre. Denuo valete cum Divina benedictione.*

V. D. Orator frater Jacobus de Marchia, Ordinis Minorum.

Calixtus multos erexit Nuncios Minoritas.

XIII. Immenſis ſumptibus collecti exercitus, & paratæ claſſis adverſus Turcas oppreſſus Calixtus, diverſarum gentium imploraturus auxilia, plurimorum Minoritarum, quorum nomina, & commiſſionum dabimus inſtrumenta, hoc anno uſus eſt opera, eoſque Sedis Apoſtolicæ Nuncios, & Cameræ Romanæ Collectores ad diverſos Principes & gentes deſtinavit.

Marianus de Senis mittitur ad Dalmatas.

Marianum de Senis, regularis Obſervantiæ profeſſorem, & inſignem verbi Dei præconem, miſit in Provinciam Dalmatiæ & Civitatem Raguſinam, declaratis ejus Nunciaturæ terminis, ab Antibari ſcilicet incluſive uſque ad Trieſtem, includendo Croatiam cum Iſtria univerſa. Ita ille ſe diligentem exhibuit operarium, ut a Pontifice laudari meruerit, aliaſque terras ac regna, ut ſtatim dicemus, ſuæ fidei committi. Hujus Nunciaturæ damus inſtrumenta.

Dilecto filio Mariano de Senis, Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſori.

Ex l. 11. bullar. de cruc. fol. 333.

XIV. *Ad ea, quæ fidei noſtræ augmentum, & perfidorum Turcarum profligationem concernunt, totis deſideriis intendentes, ac de perſona ac probitate tua, quam ex fide digna relatione cognovimus, ad plenum in Domino confidentes, tibi auctoritate Apoſtolica committimus, & ſtricte præcipiendo mandamus, quod quam primum poteris, in Provinciam Dalmatiæ, ac præcipue ad Civitatem Raguſii debeas perſonaliter te conferre, & tam in Civitate prædicta, quam etiam in quibuſcumque aliis dictæ Provinciæ terris & locis, Communitates, populos & homines, cujuſcumque ſtatus, Ordinis, ſexus, etatis vel conditionis exiſtant, ad contribuendum huic operi ſanctiſſimo vel pecuniarium vel perſonale ſubſidium, tam publicis prædicationibus, quam privatis exhortationibus inducas, annunciando & affirmando, quod claſſis noſtra jam eſt in mari apparata ad hanc piiſſimam expeditionem, quodque nihil penitus aliud, quam reliquorum Principum præſidia & ſubventiones fidelium expectamus. Volumus etiam, & ita tibi eadem auctoritate concedimus, quod univerſis & ſingulis, qui zelo fidei, ac fervore tuendæ religionis accenſi, in hoc pio apparatu, & in hac cauſa cunctis Chriſtianis communi, manus porrexerint adjutrices, eaſdem gratias, Indulgentias, immunitates & exemptiones conferre poſſis, quæ in litteris noſtræ Cruciatæ continentur &c. Mandantes præterea tibi, ut omnes pecunias ex cauſa prædictæ Cruciatæ quomodocumque colligendas, in capſa ad hæc idonea, & in loco tuto ſervanda, deponi facias, cujus duæ ſint claves, quarum altera ab Ordinario loci vel ejus Vicario, altera vero ab aliquo fideli & Deum metuente, ac ſecuro cive, arbitrio tuo eligendo, retineantur. Alia vero bona quæcumque mobilia ſimiliter in aliqua domo, aut alio loco tuto ſub prædictorum*

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 250.
1457.	anno 3.	anno 18.	

rum cuſtodia conſerventur, qui de receptis clarum comput um fideliter ac diligenter teneant. Et quia ſcimus, quod pro hujuſmodi commiſſionis noſtræ executione aliorum Confratrum tuorum ſocietate ſæpius indigebis, concedimus tibi, quod, cum iis opus habueris, duos vel tres ſocios in tua ſocietate habere valeas, non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus. Concedimus præterea tibi, quod qui animo & intentione in hanc piam expeditionem proficiſcendi cruce ſignari voluerint, quoſque in tali re aptos & idoneos eſſe cognoveris, Crucem ipſam, ut moris eſt, auctoritate noſtra imprimere valeas, eiſque omnes & ſingulos favores Apoſtolicos impertiri, de quibus in prædictæ Cruciatæ litteris habetur mentio ſpecialis. Ut autem facilius ſic ea, quæ tibi nunc committimus, executioni mandare valeas, univerſis & ſingulis tam in prædicta Civitate Raguſii, quam in aliis Dalmatiæ terris & locis exiſtentibus Eccleſiarum Prælatis, necnon ceteris quibuſcumque tam Regularibus, quam Eccleſiaſtici Ordinis viris, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut quoties ad eas perveneris, benigne te favorabiliterque ſuſcipiant, & in prædicationibus ceteriſque quibuſcumque rebus pro hoc ſancto opere peragendis, opportunis favoribus & adjumentis proſequantur. Si qui vero tibi auſu temerario adverſari, aut negotia per te gerenda turbare præſumpſerint, illos declaramus & nunciamus ipſo facto excommunicationis ſententiam incurriſſe. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVI. XXVI. *Januarii, Pontificatus noſtri anno* II.

Dilecto filio fratri Mariano, Ordinis Minorum, Nuncio & Collectori noſtro.

XV. *Perſpectum eſt devotioni tuæ quantis undique anguſtiis circumſepti ſumus ob intolerabiles ſumptus, quos pro defenſione fidei Chriſtianæ, & extirpatione infidelium ſubire compellimur; deſideramus enim plusquam cuique credibile ſit, ire obviam peſſimo Turcæ, & claſſem noſtram inſtruere & augere omni ratione. Hic namque quaſi abſolutæ ſunt triremes, quas fabricari fecimus, & eas propediem optime munitas ad Legatum noſtrum in Oriente mittemus, nunque unam galeatiam noſtram inſignem cum nonnullis aliis navigiis, frumento, victualibus, pecuniis, aliiſque onuſtam emiſimus. Et quoniam his ſumptibus noſtræ facultates non ſufficiunt, neceſſe eſt ut ad Chriſtifidelium auxilia confugiamus. Quare audientes, opera & induſtria tua in partibus illis jam bonam pecuniæ quantitatem collectam eſſe, quæ dicitur penes dilectos filios Communitatem & homines Civitatis Raguſii ſub tua cuſtodia debite præſervari, volumus, & tibi præſentium tenore mandamus, ut omnes collectas ſeu depoſitas pecunias prædictas abſque mora, viſis præſentibus, ſeu per te ſeu per ipſos Raguſinos, quibus ſuper hoc aliud breve noſtrum dirigimus, & ſimiliter per te in poſterum colligendas vel deponendas, tradi & conſignari facias dilecto filio Martino Clarini mercatori Florentino, Raguſii commoranti, uc recipienti pro ſocietate dilecti filii Petri & Jacobi de Paziis de Curia, nobis in prædictis opportune ſuccurrentium, abſque quod ad te vel alios ſuper hoc expediat amplius reſcribere; ita quod ab eodem Martino de conſignatis pecuniarum quantitatibus tria recipiantur ejuſdem tenoris publica inſtrumenta, quorum Raguſini unum, tu aliud penes te pro tui cautela, tertium vero ad nos & Apoſtolicam Cameram quantocius poteris, tranſmittere procurabis. Datum &c.* XXVII. *Aprilis* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

Ex lib. Brevium Calix. fol. 87.

EIDEM.

Ibid. fol. 62.

XVI. *CUm deſtinatus fueris in Provincia Dalmatiæ &c. Quia hæſitatum eſt ab aliquibus, qui ſint termini tuæ commiſſionis, declaramus quod Provincia Dalmatiæ tibi commiſſa eſt, ſcilicet ab Antibari inclusive uſque ad Trieſtem cum pertinentiis ſuis, includendo Croatiam cum tota Iſtria. Quia etiam, ut intelleximus, ex nimio fervore hominum Provinciæ illius, plures crucem ſuſceperunt inhabiles & inepti, committimus diſcretioni tuæ, ut talibus & quibuſcumque dictam Crucem auferre poſſis, ſub aliqua commutatione temporali vel ſpirituali, prout tibi melius viſum fuerit. Datum &c. III. Februarii MCCCCLVII. &c. anno II.*

Marianus diligentem ſe exhibuit operarium.

XVII. Poſtquam vero laudabiliter in hac Nunciatura ſe geſſit Marianus, translatus eſt ad aliam, in regnis Hungariæ, Boſnæ & Serviæ peragendam. Eam adhibuit ille induſtriam, ut Joanni Navarro Pontificis ſcutifero, conſignaverit decem millia ducatorum computanda mercatoribus de Paziis, aliaſque non contemnendas ſummas ex Pontificis præſcripto diſtribuerit inter Reges Hungariæ, & Boſnæ, & nobilem virum Scanderbech Dominum Albaniæ, ſtrenue adverſus Turcas agentem.

Dilecto filio fratri Mariano de Senis &c.

Ibid. fol. 111.

Mittitur ad alias provincias.

XVIII. *DEvotionis tuæ fervor in actis fidei, & religionis Chriſtianæ hactenus multipliciter oſtenſus, prudentia quoque tua per longam experientiam nobis nota exigit, ut ea tibi confidenter committamus, quæ in arduis fidei Catholicæ pertractandis negotiis per diverſas regiones & provincias his temporibus occurrunt. Cum igitur in noſtra felici expeditione, quam, Domino inſpirante, contra immanes barbaros, Dei & nominis Chriſtiani hoſtes Turcos ſuſcepimus, per regna, regiones & loca Hungariæ, Boſnæ, Serviæ, & partium aliarum, ipſis barbaris vicinarum, multa fieri oporteat, ad quæ idoneus judicaris, devotioni tuæ infraſcriptas facultates duximus concedendas. Primum enim ut per loca omnia regnorum Hungariæ, Boſnæ ac Serviæ, & in quibuſcumque aliis terris & locis Chriſtianorum, Turcis vicinis, Cruciatam prædicare, & gratias concedere, quas de noſtra commiſſione per Dalmatiam conceſſiſti; prius tamen ſuper hoc a dilecto filio Joanne ſancti Angeli Diacono Cardinali Legato noſtro, quoad terras ſuæ legationis impetrato conſenſu: Et in omnibus prædictis regnis & locis, de conſenſu Legati, ut præmittitur, eleemoſynas pro Cruciata congregatas, & in poſterum congregandas colligere per te ipſum, aut alios a te ſubſtituendos, conſtringendo ac omnimode compellendo collegia, Communitates, Civitates, terras, & perſonas quaſcumque tam ſeculares, quam eccleſiaſticas, privilegiatas ſive exemptas & non exemptas, & maxime illos, qui eleemoſynas acceperunt, ut ad Cruciatam irent, & nondum iverunt, per cenſuras eccleſiaſticas, invocato, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Cumque omnibus in locis tu perſonaliter eſſe non poſſis, ut alios prædicatores in ſupradictis regnis & locis ad prædicta in tuum locum cum gratiis & facultatibus tibi conceſſis, vel minoribus, ut videbitur, ſubſtituere; quodque ad tuæ perſonæ & agendorum auxilium, ac pro prædictis a te ſubſtituendis & deputandis, quoſcumque tui Ordinis Fratres, & alios clericos ſive laicos ſemel & pluries, prout neceſſarium fuerit, & opportunum videbitur, & maxime fratrem Paulum de Raguſio ſacerdotem, & fratrem Nicolaum de Sibenico capere & retinere, finitaque hac Cruciatæ commiſſione, ut ex dictis Fratribus tres tecum retinere, quoties opus fue-*

fuerit permutandos, itemque pro colligendis & capiendis Cruciatæ pecuniis in prædictis omnibus regnis, terris & locis instituere & deputare. Et quando acciderit, ut in exercitu nostro præsens sis, ut Ecclesiastica sacramenta ministrare, & confitentes a quibuscumque peccatis & delictis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, per te ipsum, ac substituendos a te Ordinis tui Fratres, & alios sacerdotes absolvere possis & valeas, facultatem potestatemque, auctoritate Apostolica concedimus per præsentes, usque ad nostrum beneplacitum volituras; salva tamen in & super præmissis voluntate Legati nostri de latere supradicti, ad quem te remittimus, ut ejus pareas jussioni. Quia vero carissimus in Christo filius noster Rex Bosnæ illustris pro fide Catholica adversus prædictos Turcos viriliter pugnat, ut id audentius commodiusque facere possit, volumus & tibi committimus, ut omnes prædictas eleemosynas prædictæ Cruciatæ collectas, & in futurum colligendas, eidem Regi consignes, ac jubeas a suis substitutis consignari, juxta formam & seriem litterarum a nobis concessarum. Datum &c. XVIII. Julii MCCCCLVII. anno III.

Carissimo in Christo filio nostro Stephano Thomæ, Regi Bosnæ illustri.

XIX. *Referentibus nobis dilectis filiis Moriano de Senis, & Paulo de Ragusio Fratribus Ordinis beati Francisci de Observantia nuncupati, intelleximus tuam Celsitudinem adversus perfidos Christi hostes Turcos continuo bellum gerere, ac dispositum esse ad principium mensis Septembris proxime futuri in campum & castra contra prædictos exire. Laudamus, carissime fili, tuæ Excellentiæ fervorem fidei ac animi magnitudinem, hortamurque ut in proposito persistere ac perseverare velis. Nam aderit tibi adjutor Dominus exercituum, cui nulla esse poterit resistentia, & nos pro posse opem in cunctis necessariam afferemus; nunc que incipientes, ecce commisimus dicto fratri Mariano, ut nonnullas, non tamen paucas pecuniarum quantitates, quas ipse & nonnulli Religiosi cum auctoritate nostra missi per Dalmatiam collegerunt ex eleemosynis in auxilium Christianorum datis, tuæ Serenitati consignent; scripsimusque dilectis filiis Dominio Venetorum, ut ipsas pecunias extrabi, dictoque fratri Mariano faciant consignari ad tuam Celsitudinem perferendas. Ducent etiam ad tuum exercitum dictus frater Marianus & socii multos Christianos, qui ob devotionem ad nostræ Cruciatæ prædicationem, accepto vivificæ Crucis signo contra Turcos militare deliberaruut. Exurge igitur miles Christi, & in barbaros viriliter pugna, de quibus stragem videbis, victoriamque, dante Domino, gloriosissimam reportabis; nec velis Kalendas Septembris expectare; quin potius debebis, quamprimum istas acceperis, cum Dei, nostro auxilio, & nostra benedictione in eductione exercitus properare. Datum &c. IV. Kal. Augusti &c. anno III.* Ibid. fol. 118.

XX. Ad supradictum Principem Scanderbechium feliciter contra Turcas pugnantem misit Pontifex hoc anno ejusdem gentis hominem, circa res graves moniturum. Missionis do instrumentum. Mittit Fr. Joan. ad Scanderbech.

Dilecto filio fratri Joanni de Albania, Ordinis Minorum de Observantia.

Cum te pro nonnullis negotiis, statum S.R. Ecclesiæ, & augmentum fidei Catholicæ concernentibus, ad partes Albaniæ impræsentiarum transmittamus, & cupiamus, quod ea, quæ tibi commisimus, laudabiliter, celeriter & votive executioni demandare possis, concedimus tibi tenore præsentium auctoritatem & facultatem eligendi tibi duos Fratres tui Ordinis voluntarios, Ex lib. 15. bullar. de Curia fol. 123.

riot, qui in his, quæ tibi commiſimus, ſocietatem tibi faciant, auxilia mque præſtent & favorem circa ea, quæ augmentum fidei Catholicæ concernunt. Concedimus inſuper tibi & prædictis duobus ſociis, quos tibi idoneos elegeris, facultatem eligendi vobis confeſſorem idoneum cujuſvis Ordinis, qui auctoritate noſtra quemlibet veſtrum de omnibus delictis, criminibus per vos confeſſis in vita, quatenus opus fuerit, debitam abſolutionem cum debita pœnitentiæ ſatisfactione impendat, & in mortis articulo plenam remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum, auctoritate Apoſtolica vobis & cuilibet veſtrum tribuat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. *pridie Kal. Januarii &c. anno* III.

Et Fr. Eugenius. *An.* 1451. *n.* 47.

XXI. Ad eamdem etiam Albaniæ regionem alterum remiſit Albanum, Eugenium de Somma, quem alias ibidem impigrè laboraſſe narravimus, multis munitum privilegiis, quæ hoc diplomate continentur.

Dilecto filio fratri Eugenio de Albania, Ordinis Minorum &c.

Ex lib. Brevium fol. 87.

Religionis tuæ & devotionis integritas, ac fidelis conſtantia in bene gerendis rebus, & præſertim in Catholicæ fidei ac Chriſtianæ religionis favorem, in quibus te laudabiliter geſſiſſe experientia perpendimus, non indigne promerentur, ut ea tibi favorabiliter committamus, quæ pro Chriſtifidelium ſalute, & Chriſtianæ fidei augmento fore conſpicimus opportuna. Devotioni tuæ, qui ad Albaniæ partes, in quibus prædicando, & verbum Domini populis denunciando per annos plurimos fuiſti, te conferre, & in illis ſimiliter verbum Dei prædicare intendis, ut Chriſtianos, ſeu res alias quaſcumque Turcis, & Chriſtiani nominis inimicis vendentes, comburentesque, & effodientes ſuperſtitione quadam mortuorum cadavera, ſemel dumtaxat abſolvere, illiſque pœnitentiam ſalutarem injungere; necnon Fratres nonnullos tui Ordinis ad hoc idoneos, qui tibi in prædicando, orando & alia in fidei favorem proſequendo aſſiſtant & adjuvent, & quos duxeris eligendos, tecum ad Albaniæ partes conducere, Fratribus dumtaxat Albanenſibus quibuſcumque ubicumque degentibus mandantes, ut quandocumque a te requiſiti fuerint, perſonaliter ſe conferant ad partes illas, libere liciteque poſſis & valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus, pariter & indulgemus. Sperantes quod, gratia Domini tibi aſſiſtente propitia, ea, quæ tibi duxerimus committenda, cum benedictione & devotione noſtra per tuæ provinciæ laudabile ſtudium officioſiſſime exequeris. Rurſus ut unuſquiſque Epiſcopus ſeu loci Ordinarius, quem pro tuis neceſſitatibus requiſiveris, omnia tibi ac religioſis prædictis neceſſaria, in religioſorum prædictorum Eccleſiis conſecrare & benedicere poſſit & valeat, eadem auctoritate licentiam impertimur. Et inſuper omnes & ſingulas gratias & facultates in genere & in ſpecie per ſel. record. Nicolaum Papam V. prædeceſſorem noſtrum tibi conceſſas, quas præſentibus pro expreſſis haberi volumus, tenore præſentium, ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Datum &c. die XXVII. *Aprilis* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

Robertus de Licio mittitur Nuncius.

XXII. Robertum de Licio, quem ſæpe ab inſigni dote prædicandi alias laudavimus, miſit Pontifex Nuncium ad omnia loca dominii Franciſci Sfortiæ Vice-comitis Ducis Mediolani, & Ludovici Marchionis Montiſerrati, cujus ſolertiam magna collecta ſumma pecuniæ Pontifex commendat.

Dile-

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 350.
1457.	anno 3.	anno 18.	

Dilecto filio Roberto de Licio, Theologiæ, atque Ordinis Minorum profeſſori, ad Civitates, terras & loca in dominiis dilectorum filiorum nobilium virorum Franciſci Sfortiæ Vicecomitis Ducis Mediolani, ac Ludovici Marchionis Montisferruti conſiſtentiu, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Nuncio.

DUdum, ut liberarentur ab impietate Turcarum fideles populi, quibus grave ab eis, vicinumque periculum impendebat, utque fides Catholica, quam profitemur & in qua ſalvamur, paulatim, ſicut jam cœperat, ex iis locis non deleretur, ad quæ ſe furor eorum vertebat, alios ad provincias ulias atque dominia, dilectum autem filium Jacobum de Mozanica, Ordinis prædicti Generalem Miniſtrum, ad Civitates, terras & loca prædicta miſimus Nuncium, ut quandoquidem ad hoc ſanctiſſimum opus fidelium ſuffragiis opus exiſteret, unam integram decimam, ipſorumque fidelium pias oblationes, juxtu formam litterarum ſuæ commiſſionis exigeret atque colligerec. Quarum quidem litterarum tenor ſequitur, & eſt talis: Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio Jacobo de Mozanica Theologiæ profeſſori, atque Ordinis Minorum Miniſtro Generali, ad Civitates, terras & loca in dominiis dilectorum filiorum nobilium virorum Franciſci Sfortiæ Vicecomitis, Ducis Mediolani, ac Ludovici Marchionis Montisferrati &c. (ut habetur regiſtrata in libro XI. bullarum de Curia Calixti Papæ folio 247.) *Cum itaque in congregandis ducendiſque exercitibus contra infideles prædictos, necnon paranda claſſe, ſolvendoque eis ſtipendio conſamptu ſit non mediocris ſumma pecuniæ, cujus fructum, Deo laus, ex proxima victoria totus Orbis intelligit, & ad illam continuandam ampliorisopus eſſe noſcatur; Nos enim omnes expenſas ex noſtris & Romanæ Eccleſiæ facultatibus ſufferre nequaquam volentes, quippe qui ob ipſam, conſumptis ceteris, quidquid auri atque argenti, & pretioſæ ſuppellectilis fuerat per prædeceſſores noſtros nobis relictum, magno animo expendimus, & partem patrimonii Eccleſiæ in hunc uſum alienare jam cœpimus, ac neceſſario ipſos fideles tum Eccleſiaſticos quam ſeculares rurſum fatigare compulſi, quibus ſi poſſemus, libenter in talibus parceremus, te, de cujus integritate & ferventi zelo præcipuam in Domino fiduciam obtinemus, ad imponendam & colligendam ſecundam integram decimam, juxtu præmiſſas litteras, ac alia agenda & exigenda, quæ in eiſdem continentur, velut ſi tibi eſſent directæ, noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium ad Civitates, terras, caſtra & loca in dominiis antedictis conſiſtentia, ſpecialem, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio facimus, conſtituimus & deputamus, ac perſonaliter mittimus: devotionem tuam exhortantes in Domino, ut in hoc fideli & certo neceſſario opere ita te habeas, ut præmium pii laboris tui a Deo bonorum omnium retributore, nobiſque ſuo in terris Vicario copioſe poſſis recipere. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno* MCCCCLVII. III. *Idus Februarii &c. anno* II.

Ex lib. 2. bullar. de Curia fol. 43.

Miſſus etiam Jacobus de Mozanica Miniſter Generalis.

EIDEM.

XXIII. *GRatum nobis admodum fuit, quod (ut ex tuis litteris intelleximus) ex pecuniis decimæ & Cruciatæ per te collectis, in bonum illorum de Paziis tria millia, & illorum de Mirabellis quatuor millia ducatorum dediſti & conſignaſti. Quare nihil gratius nobis facere potuiſti; nam tot nobis neceſſitates, & præſertim proſequendæ impriſiæ contra Turcum occurrunt, ut cogamur expenſas facere incredibiles. Itaque diligentiam tuam plurimum in Domino commendantes, hortamur ut perſeveres in omni diligen-*

Ex lib. Brevium fol. 107.

ligentiu, cura, ſtudio & labore, ut quantas poteris mittas nobis pecunias. Et, ut per nliud breve tuæ dilectioni ſignificavimus, ut omnes pecunias dictæ decimæ & Cruciatæ conſignares ſeu conſignari faceres ſocietati illorum de Pazzis, ut ita omnino facias, iterato tibi ſignificamus, volumus & mandamus. Laborum autem tuorum & meritorum non erimus immemores, ſed in tempore te gratiis & favoribus ac honoribus proſequemur. Per dilectum filium Blaſium de Rexatis militem recepimus litteras tuas, & ſigillum illud nuremm cum ſerpentinu, ipſumque plene audivimus. Datum &c. VI. *Julii* MCCCCLVII.

Fr. Antonius a Monte-Falcone Nuncius. *Ex l.* 11. *bullar. de Curia fol.* 293. *Infra. hoc anno.* Item Franciſcus a Viterbio.

XXIV. Ad Ducatum Spoletanum, ad Epiſcopatus Fulginatenſem, Tudertinum, Peruſinum, Aſſiſiatem, Nucerinum, Civitatis Caſtellæ, & Eugubinum, Nuncium deſtinavit & collectorem, fratrem Antonium de Monte-Falcone, paulo poſt, uti dicemus, electum Vicarium Generalem Obſervantum familiæ Ciſmontanæ. Ad Provinciam Patrimonii in Tuſcia, ad Epiſcopatus Urbevetan. Civitatis Caſtellanæ, & Ortanum fratrem Franciſcum de Viterbio, ad quem peculiares miſſas litteras lectori exhibemus.

Dilecto filio fratri Franciſco de Viterbio, Ordinis Minorum, Nuncio noſtro &c.

Ex lib. Brevium fol. 115.

XXV. *CUm per litteras Apoſtolicas te deputaverimus Nuncium & Commiſſarium noſtrum in negotiis Cruciatæ in noſtra Provincia Patrimonii, tuque bona fide facultatem tibi conceſſam miniſtraveris in locis Paliciani & Soriani, quæ quidem a nonnullis revocantur in dubium, an ſint in dicta Provincia Patrimonii. Nos igitur ad tollendam omnem ambiguitatem, tenore præſentium, ex certa ſcientia declaramus, dicta loca in eadem Provincia contineri tamquam confinia, & omnes gratias ſeu Induigentias plenarias per te in dictis locis ſeu eaſtris, & ubique conceſſas & miniſtratas, vigore commiſſionis tibi factæ, ac in poſterum faciendas & miniſtrandas bona fide, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica confirmamus & approbamus, non obſtantibus quibuſcumque. Adjicientes etiam & concedentes, ut remittere valeas loco veſtro ſancti Franciſci de Civitate noſtra Tuſcanellæ omnem decimam eidem impoſitum vel imponendam pro bonis immobilibus, quæ poſſidet, pro fabrica & libraria, quæ ibi ordinatur; quam remiſſionem ſeu exemptionem volumus & mandamus in poſterum ab omnibus obſervari. Datum &c. die* XXII. *Auguſti &c. anno* III.

EIDEM.

Ibidem:

XXVI. *CUm dilecto filio Angelo de Bolſena, Ordinis Minorum profeſſori commiſerimus per litteras Apoſtolicas, ab omnibus Officialibus ſecularibus Provinciæ noſtræ Patrimonii, de eorum ſalariis decimas exigere, & ipſe in mandatis dederit Communitatibus Civitatum & locorum prædictæ Provinciæ, prædictas decimas continere, pro quo mandato Communitates ſubſeripſerunt in eo, & intelligamus prædictas decimas in magna parte non fuiſſe ſolutas, tenore præſentium tibi præcipimus & mandamus, quatenus ab omnibus Communitatibus, ad quas prædictum mandatum devenit, decimas ſalariorum dictorum officialium exigas; & quos inobedientes ad ſolvendum inveneris, per cenſuram Eccleſiaſticam cogas, & alia opportuna remedia &c. Datum &c.* XXVII. *Auguſti* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

XXVII. Ad Provincias Marchiæ Anconitanæ & Maſſæ Trebariæ miſſus Nuncius Franciſcus de Carbonibus Romanus, ita prudenter & ſollicite ſe geſſit, ut quantumvis contradictores habuerit, & qui commiſſum munus variis

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Friderici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

riis modis impedire tentarent, ut ex ſubjectis litteris patebit, nihilominu laudes plurimas & gratias a Pontifice conſecutus, anno ſequenti miſſionem petiit, ut liberius pietati animæque curandæ vacaret.

Dilecto filio Franciſco de Carbonibus ab Urbe, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in noſtris Marchiæ Anconitanæ, & Maſſæ Trebariæ Provinciis, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

Meditatio cordis noſtri aſſidua ad id ſummopere invigilat & intendit, ut hoſtes Chriſtiani nominis, quibus tot injuriis atque damnis laceſſita eſt fides noſtra, procul a noſtrarum regionum finibus arceamus, & capta per eos Chriſtianorum loca recuperemus. Unde pro ipſo opere peragendo convenit, ut meſſoribus, quos in agrum Dominicum ad colligenda pia ſuffragia deſtinavimus, Prælati favores impendant, & ipſis eadem ſuffragia poſtulantibus, ceteri quæſtus fileant, ut tota tam pia meſſis in tam neceſſarium & ſanctum opus ſalubriter convertatur. Dudum ſiquidem te in noſtris Marchiæ Anconitanæ, & Maſſæ Trebariæ Provinciis noſtrum & Apoſtolicæ Sedis Nuncium ad imponendam & colligendam ſecundam decimam omnium fructuum Eccleſiaſticorum pro ſubſidio terreſtris exercitus, & claſſis maritimæ, quos contra Turcos deſtinavimus, necnon ad prædicandum litteras, Indulgentias & remiſſiones Cruciatæ, & alia noſtra tunc expreſſa facienda cum variis facultatibus & commiſſionibus deſtinavimus, ac ſibi inter cetera contra quoſlumque pecuniarum quæſtores, ſive clerici ſive Religioſi quorumvis Ordinum etiam exemptorum, aut laici forent, requirendi, & eos perſonaliter vocandi, apprehendi, capiendi & carcerari faciendi, ne in poſterum quæſtus hujuſmodi facere præſumpſerint, eis diſtrictius inhibendi, ac alia tunc expreſſa faciendi conceſſimus facultatem, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem nuper nos dilecto filio noſtro Roderico ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, in eadem Provincia Marchiæ Anconitanæ Apoſtolicæ Sedis Legato, tum ſtero ejuſdem Provinciæ Marchiæ, noſtro & Cameræ Apoſtolicæ nomine ſuper eadem ſexanda decima componendi dederimus facultatem, ipſe ſuper eadem dicto nomine compoſuerit: Et ſicut ex tua nuper relatione accepimus, licet tu quæſtoribus in eadem Provincia Marchiæ, juxta dictarum litterarum ſeriem inhibueris, ne ipſi in illa quæſtus facere quomodolibet præſumant, tamen quamplures ex eiſdem quæſtoribus partim pro Monaſterio ſancti Antonii Ordinis ſancti Auguſtini, Viennen. diœceſis, partim pro aliis Monaſteriis, hoſpitalibus atque locis quæſtus hujuſmodi facientes, quorumdam tam noſtrorum, quam aliorum Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, eis & dictis Monaſteriis atque locis, ut ipſi aſſerunt, conceſſorum privilegiorum, Indulgentiarum & aliarum litterarum Apoſtolicarum obtentu, contra inhibitionem tuam hujuſmodi, per eamdem Provinciam mendicare, & piam mercedem tam operis ſancti Cruciatæ multipliciter perturbare præſumpſerunt hactenus & præſumunt. Nos igitur, qui prædictam decimam, quæ eccleſiaſticos dumtaxat concernit, & ſecularium fidelium in hoc opere pia ſuffragia requirimus, & illos ad ea imponenda noſtro nomine volumus adhortari, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus reliqua omnia & ſingula, præter eamdem decimam, per nos tibi juxta earumdem litterarum ſeriem demandata & commiſſa, fideliter & diligenter in eiſdem Provinciis ſtudeas exequi & adimplere; Nos enim omnes & ſingulos locorum Ordinarios ſub virtute ſanctæ obedientiæ monemus & hortamur, neuon aliis inferioribus Eccleſiaſticis ſub excommuni-

Ex t. 14. bullar. fol. 140.

nicationis pœna diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus te & ſocios & conductores tuos ad prædicandum Cruciatam hujuſmodi, & pia fidelium ſuffragia poſtulanda in eorum Civitatibus, diœceſibus atque locis benigne recipiant & admittant, ac tibi in omnibus & ſingulis tibi per nos commiſſis conſilio & auxilio aſſiſtant. Reliquis vero prædicatoribus tam ſecularibus, quam Ordinum quorumcumque Regularibus ſub eadem pœna præcipimus & mandamus, quatenus te in quovis Civitate, caſtro vel loco hujuſmodi Cruciatam prædicare volente, ab officio prædicationis pro ea die, & prout tibi rationabiliter viſum fuerit, omnino deſiſtant. Et inſuper tibi quoſcumque quæſtuarios tam pro dicto ſancti Antonii, quam pro aliis Monaſteriis, hoſpitalibus atque locis quibuslibet quæſtus facientes capiendi, ſeu capi, arreſtari, carcerari & careeribus detineri faciendi, ac omnes & ſingulas pecuniarum ſummas, & alias res ab eis quæſitas ipſis auferendi, & in uſus dictæ Cruciatæ applicandi & appropriandi, necnon omnia & ſingula circa hæc neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi, ac officialium ſecularium quorumcumque ad præmiſſa auxilium implorandi & invocandi; quibus nos, ut illud tibi præbeant & impendant, ſub eadem excommunicationis pœna per hæc ſcripta diſtrictius injungimus; contradictores quoque per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & tam præmiſſis, quam quibuſvis aliis tam per nos, quam per eoſdem prædeceſſores noſtros Monaſterio ſancti Antonii, hoſpitalibus, locis & Ordinibus prædictis, ac perſonis eorum ſuper quæſtus hujuſmodi per eos & eorum quæſtuarios ubilibet, etiam dicta non obſtante Cruciata, faciendos forſan conceſſis privilegiis, indulgentiis & litteris generalibus, quorumcumque tenorum exiſtant, quibus omnibus & eorum ſingulis, etiamſi de illis, & eorum ſingulis totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa mentio facienda foret, quoad hoc, illis alias in ſuos extra dictas provincias, ubi ſimilis inhibitio facta non fuerit, & poſt tempus ſuſpenſionis hujuſmodi, in ſuo robore permanſuris, derogamus expreſſe, illaque pro ſuſpenſis haberi volumus, ac eorumdem Monaſteriorum, hoſpitalium, locorum & Ordinum ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nulli ergo &c. noſtræ requiſitionis, voluntatis, commiſſionis, mandati, monitionis &c. infringere. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. XIV. Kal. Januarii &c. anno III.

EIDEM.

Ex lib. Brevium fol. 100.

XXVIII. *INtelleximus quæ ſcripſiſti ad dilectum filium Coſmam de Monte-Serrato, Datarium & Confeſſorem noſtrum de negotiis Cruciatæ, pro quibus iſtuc te miſimus. Diligentiam tuam ſuper executione tibi commiſſorum plurimum in Domino commendamus, ſperantes, quod quemadmodum cœpiſti, ita diligenter perſeverabis. Pecunias autem & omnia alia bona, ratione Cruciatæ ex decimis de eleemoſynis collecta & colligenda, volumus, & ita tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna præcipimus & mandamus ut conſignes & tradas theſaurario provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ. De decima vero cleri, quam de conſenſu Legati noſtri uſque ad menſem Auguſti prorogaſti, placet nobis; volumus tamen quod interca*

terea tuis prædicationibus & adhortationibus ſtudeas inducere populos & clerum ad exhibendum & contribuendum huic ſancto & neceſſario operi noſtro, quod univerſam Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem & defenſionem concernit. Ceterum licet per bullam commiſſionis per nos tibi factæ, in executione commiſſorum certa tibi videatur eſſe ſervanda forma, ut in mittendis prædicatoribus, & aliis hominibus pro officio Cruciatæ deputandis, de conſilio unius cujuſque Epiſcopi, & in deputatione capſæ in unaquaque Civitate, & multis aliis; tamen quia hæc pro conditione temporum executionem hujus ſancti negotii poſſent retardare; ideo volumus & præſentium tenore tibi committimus, ut non obſtantibus quibuſvis clauſulis in bulla noſtra contentis de modo eligendi & mittendi prædicatores, ac alia faciendi, poſſis ea & omnia alia aliter, & prout celerius ad Cruciatæ utilitatem tibi expediri poſſe videbuntur, tuam ſuper eis conſcientiam onerantes, exequi & expedire. Non obſtantibus clauſulis, ſive aliis commiſſionibus tibi per bullas, aut oraculo vivæ vocis per nos, aut alia quavis auctoritate factis. Quod autem abs te maxime cupimus eſt, ut celeriter in hoc opere labores, & ſæpe nobis ſignifices, quid peractum fuerit, ut ex proceſſu rerum & tuæ operationis, conſolationem & auxilium ſuſcipiamus. Scribimus fratri Joanni de Carte, ut te nullo modo impediat; curabis, ut breve ei præſentetur. Vale. Datum &c. XVI. *Junii* MCCCCLVII. *anno* III.

EIDEM.

XXIX. *INtelleximus per litteras, quas huc ſcripſiſti, quæ in facto Cruciatæ hactenus per te acta fuerunt, quemadmodum pecunias illas ex Cruciata collectas, theſaurario noſtræ provinciæ conſignaſti: Ex qua re te plurimum in Domino commendamus. Quod autem murmuretur, quod ipſæ pecuniæ theſaurario aſſignentur, poteſtis & huic rei per prudentiam veſtram occurrere, ne in vulgum exeat, quo mittantur pecuniæ, quamquam ſcit mundus totus, quemadmodum omnem theſaurum noſtrum pro defenſione & exaltatione fidei Catholicæ expoſuimus & exponimus, & exponere animus eſt. De Fratribus ſancti Chryſogoni reſpondemus nos eis conceſſiſſe, ut per perſonas idoneas quæſtam ſuam faciant. De reſiſtentia Epiſcopi Venſauri, & fratris Joannis de Carte murmuratione, miramur, quod idem Joannes bullas contra officium Cruciatæ legeret, quoniam nullas a nobis impetravit, tamen ſcribimus eis, quod nullo modo officium tuum impediant, ſed adjuvent & faveant, alioquin ſentient quantum periculi ſit mandatis Apoſtolicis contradicere. Agas igitur diligenter officium tuum, nec cures de verbis malignantium; obſerves tenorem bullarum Apoſtolicarum Cruciatæ, & ita exhorteris & moneas ſubcollectores tuos, ut potius humanitate & ingenio officium exerceant, quam violenter; exponant populis neceſſitatem reipublicæ religionis Chriſtianæ, & periculum fidei noſtræ, cui niſi cum auxilio Chriſtianorum ſuccurramus, neceſſe erit, ut claſſis noſtra Orientalis, ex qua quamplurimæ Chriſtianis utilitates in dies proveniunt, & quotidie plura commoda provenient, deſtituatur: quod abſque magna nominis Chriſtiani labe fieri non poterit, nec hoc pati poſſemus, quamdiu vita nobis ſuperſtes fuerit, imo ad extremum uſque diem honori nominis Chriſtiani providere curabimus. Datum &c.* XXIV. *Septembris* MCCCCLVII. *anno* III. *Ibid. fol. 125.*

EIDEM.

XXX. *EX litteris, quas proxime ad dilectum filium Coſmam de Monteferrato, Datarium & Confeſſorem noſtrum ſcripſiſti, intellexi-* *Ibid. fol. 112.*

mus quanta ſit induſtria & ſolertia tua in exequendis omnibus, quæ uſui ſunt huic divino operi ſanctæ Cruciatæ; ex quo tuam ferventem devotionem plurimum in eo commendamus, qui pro temporaneis & brevibus laboribus, quos ſuſtines, præmium vitæ æternæ tibi dabit. Et quia perſeverantia complet opus, inſiſte & incumbe omni ſtudio & actione, ut quemadmodum polliceris, fructum, quem ſperamus, ex illa noſtra provincia ſentiamus. Pecunias vero, quas hactenus tam ex decimis, quam eleemoſynis collegiſti, dilecto filio theſaurario ipſius noſtræ provinciæ Marchiæ Anconitanæ conſigne, prout alias tibi ſcripſimus. In exigendis decimis adhibe optimam curam; facultatem habes cogendi renitentes. Itaque viriliter uge, ut decimæ ipſæ ubique colligantur. Inſuper ut poſſis officium tuum exercere, tenore præſentium tibi concedimus facultatem, ut ex teſtamentis Chriſtifidelium relicta & legata incerta pro male ablatis incertis, pro ipſa Cruciatu exigere poſſis, accedente ad id hæredum, vel fidei commiſſorum voluntate, qui ſi relictu hujuſmodi erogare voluerint pro Cruciata, ea Ordinariis minime ſolvere teneantur. Ceterum intelleximus, quæ ſcripſiſti ſuper Caſtris noſtris Belfortis, & Caldarolæ, Camerin. diœceſis, quæ alias dilectorum filiorum Vicariorum ipſius noſtræ civitatis Camerini fuiſſe dicuntur, & nunc ipſi Vicarii ea rehabere a nobis cuperent cum certa ſolutione, de qua ad dictam Datarium & Confeſſorem noſtrum ſcripſiſti. Super qua re habebimus opportunam rationem & deliberationem, ipſiſque Vicariis noſtris, quantum cum Deo poterimus, conabimur complacere. Ad dilectum filium Fridericum Comitem, & Civitatis noſtræ Urbini etiam Vicarium, ſcribimus ſatis ardenter, ut permittat Cruciatam ſine uliquo impedimento in locis & terris juriſdictionis ſuæ publicari, & credimus quod ita fiet. Reliquum eſt, ut tu viriliter, mature, & cum omni diligentia & ſtudio hoc laudabile opus proſequaris; Nos de profectibus, quos feceris, & ſucceſſibus operum tuorum continue facias certiores. Datum &c. XXVI. *Julii* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

EIDEM.

Ibid. fol. 117. XXXI. *IN dies videmus majora experimenta prudentiæ & ſolertiæ tuæ, & clarius perſpicimus optimum animum, quem geris in hoc divino opere Cruciatæ, quam nobis tantopere eſſe cordi dignoſcis. Vidimus litteras, quas ad dilectos filios Datarium & Secretarium noſtros prudentiſſime ſcripſiſti, tuamque diligentiam & circumſpectionem plurimum in Domino commendamus. Bene enim & ſapienter feciſti refellere inſolentiam cleri illius noſtræ Civitatis Anconæ, & non admittere frivolam eorum appellationem ſuper decimis, quas ſolvere ſubterfugiunt; quia intentionis noſtræ eſt, & ſic tibi ſtricte harum ſerie mandamus, ut tam in dicta Civitate, quam in toto reliqua provincia decimæ exigantur, & ita fac, opportunis remediis & cenſuris compellendo renitentes; nec ullo modo credas allegationibus eorum, qui contendunt, nos aliis clericis decimas remiſiſſe; nam nequaquum id verum eſt. Utinam res fidei Chriſtianæ eum in locum adductæ eſſent, ut non eſſet opus ſolutione decimarum! Sed quoniam impriſiam hanc ita complexi ſumus, ut niſi recuperata Conſtantinopoli, & oppreſſis infidelibus dimiſſuri numquam ſumus, quod divino numine a certo nos aſſecuturos arbitrumur, quomodo decimas remittere poſſumus, cum pro ſuſtinenda mole tot impenſarum fortificandæ & ungendæ claſſi noſtræ, ad quod omni conatu laboramus, intolerabilibus pene ſumptibus gravati ſimus? Quare ad exactionem decimarum hujuſmodi omni cura & ſtudio incumbe, uppellationibus & tergiverſationibus recuſantium*

pe-

penitus rejectis & annullatis, quas etiam nos harum ſerie inutiles & inanes eſſe decernimus. Datum &c. ultima Auguſti MCCCCLVII. *&c. anno* III.

EIDEM.

XXXII. *QUamquam ſcimus, te pro tua ſingulari devotione ſingularem adhibere diligentiam, ut pecunias, res & bona per te, & ſubſtitutos tuos ratione decimæ & Cruciatæ collectas, tradas & conſignes theſaurario noſtro Marchiæ, quemadmodum tibi per breve noſtrum mandavimus, ut claſſi noſtræ per viam ipſam Anconæ ſubventionem opportunam facere valeamus; tamen quia id magnopere quam citiſſime fieri optamus, te hortamur, ut id omni cura, ſtudio & diligentia facias, prout latius etiam tibi dicet dilectus filius Ch. Vila familiaris noſter, & dictæ claſſis ſcriba rationis, quem hac pro re iſtuc mittimus, cui tamquam nobis fidem habebis. Datum &c.* XXVIII. *Aprilis* MCCCCLVIII. *anno* IV. *Ibid. fol. 161.*

EIDEM.

XXXIII. *CUm hactenus officium hujus ſanctæ Cruciatæ per nos tibi commiſſum in noſtris Marchiæ Anconitanæ, & Maſſæ Trebariæ provinciis diligenter & integerrime exercueris, & pro tua prudentia & fide fructus uberrimos huic pio & neceſſario operi reportaveris, nunc autem demandato tibi munere pene perfecto, cupias ad ſolitudinem, & ad proprium ovile reverti, ibique ſecundum tui Ordinis inſtituta, ac animi tui votum in quiete & pace Altiſſimo famulari, ſupplicaſti* ~~*nobis humiliter*~~*, ut huic honeſto deſiderio tuo ſatisfacere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur licet perſonam tuam circa dicti officii adminiſtrationem re ipſa valde utilem & idoneam fuiſſe & eſſe cognoverimus ob circumſpectionem, integritatem, religionem & fidem, aliaſque complures egregias dotes, quibus eam Altiſſimus inſignivit, adeo ut illa non ſine magno incommodo in hoc negotio, quod nobis maximum eſt, carere poſſimus; tamen ad tuum laudabile propoſitum attendentes, tuiſque in hac parte ſupplicationibus inclinati, te a dicto officio ejuſque exercitio, tenore præſentium abſolvimus, eximimus, ac penitus liberamus, tibique ad Conventum tuum redeundi, & alia faciendi ſecundum regulam Ordinis tui, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem. Habentes nihilominus grata, rata & firma omnia & ſingula per te uſque in præſentem diem in dicto officio geſta, cum ſciamus ea bene, fideliter & diligenter geſta, quæ omnia auctoritate prædicta, & ex certa noſtra ſcientia approbamus, confirmamus & ratificamus, nullamque tibi illarum occaſione a quovis quavis auctoritate moleſtiam fieri poſſe per præſentes decernimus & declaramus. Et inſuper de omnibus, quæ ad manus tuas dicti officii occaſione pervenerunt, tibi plenam & liberam finem & quitantiam facimus, ſcientes ea omnia ſecundum juſſum & voluntatem noſtram diſtributa fuiſſe. Datum &c.* MCCCCLVIII. *&c. anno* IV. *Ibid. fol. 177.*

XXXIV. Anno præterito diximus huic etiam muneri Nuncii & Collectoris deſtinatum fratrem Angelum de Bolſena in provinciæ Patrimonii beati Petri locis variis & Civitatibus. Hoc anno comperio egregie ſuo functum munere, magnopere a Pontifice fuiſſe commendatum, eique datam curam perferendi claſſi maritimæ ad partes Orientales neceſſarium ſubſidium, & demum honorifice abſolutum a reddendis rationibus dati aut accepti. Frater Angelus a Bolſena gravi deſtinatur nuncii in Orientem.

Dilecto filio fratri Angelo de Bolsena, Ordinis Fratrum Minorum &c.

Ex lib. Brevium fol. 64.

Attendentes magnos & diuturnos labores tuos, cum diligentia, integritate & fidelitate proximis temporibus adhibitos in perquirendis secundum Cruciatæ per nos datæ tenorem subsidiis populo, & fidei Christianæ adversus impios fidei Christianæ hostes Turcos, dignum censemus & multorum salutî animarum profuturum, ut tuæ devotioni facultatem concedamus, per quam Christifidelibus spirituali indigentibus patrocinio te possis reddere gratiosum. Itaque tibi, quamdiu de nostro processerit beneplacito voluntatis, & in quocumque loco te esse contigerit, absolvendi quoscumque in foro conscientia dumtaxat, de omnibus casibus Diœcesanis reservatis facultatem, auctoritate Apostolica, tenore præsentium elargimur. Datum &c. die XIII. *Februari* MCCCCLVII. *&c. anno* II.

EIDEM.

Ibid. fol. 78.

XXXV. *Devotionem & diligentiam tuam plurimum in Domino commendamus. Scivimus etiam subsidia, quæ ad classem nostram misisti, & quoniam magna inflat & urget necessitas, ut eidem classi nostræ pro defensione fidei Orthodoxæ apud partes Orientales contra perfidos & impiissimos Turcos, Crucis & Christiani nominis inimicos acerrimos existenti, & pugnanti succurramus, & subsidia nostra mittamus, nostræque facultates ad sustinendas hujusmodi graves impensas non sufficiant, & apud te nonnullas pecunias, res & bona, per te, ratione Cruciatæ, cum multa cura & diligentia, ob quam plurimum te commendamus, collecta esse sciamus, minimeque dubitemus, te in prosecutione negotiorum Cruciatæ ardentissimum esse; volumus, & præsentium tenore, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus dictas pecunias, res & bona, & quidquid ex Cruciata habes, & habere potes, tu, de cujus fide & devotione plurimum in Domino confidimus, ad dictam classem nostram deferas in galeatia, quam illuc misimus pro onerando frumento, & nonnullis aliis victualium provisionibus, ut inde recta via ad dictam Classem nostram naviget. Quod si, ut permaxime cupimus, in dicta galeatia ire non posses, volumus, & ita tibi in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pœna mandamus, ut dicta bona des, & cum effectu assignes dilecto filio Joanni Pons scutifero, & familiari nostro, vel alii, cui tibi videbitur; quem Joannem in dicta galeatia & nonnullis aliis fecimus Commissarium nostrum generalem. Non obstantibus quibusvis brevibus vel mandatis a nobis in contrarium emanatis. Datum &c. ultima Martii* MCCCCLVII. *anno* II.

EIDEM.

Ibid. fol. 110.

XXXVI. *Ex relatione tam gentium Cameræ Apostolicæ, quam plurium aliarum manifeste didicimus, te in negotio collectæ decimarum & oblationum, pro hoc sancto Cruciatæ opere dudum per nos tibi injuncto, laudabiliter versatam esse, omniaque & singula, quæ a nobis in commissis habueras, debitæ executioni mandasse, ita ut munus tuum perfecte impleveris, ut nostra hæc sancta contra Turcos expeditio satis validum subsidium fuerit exinde consecuta. In qua re diligentiam & fidelem operam tuam merito in Domino commendantes, tibi veluti cooperatori nostro in vinea Domini Sabaoth pro hujusmodi tuis bonis operibus gratias referimus per præsentes. Datum &c. die* XIII. *Julii* MCCCCLVII. *anno* III.

Ei-

EIDEM.

XXXVII. *Etſi omnium bonorum operum præmia in cœlis ſint appetenda, digne tamen fideliter operanti etiam in terris apud homines condigna laus, & claritas bonæ famæ impenditur, quæ virtutem ſequitur, velut umbra corpus. Igitur exemplo illius, qui Sanctos ſuos in cœlis & in terris efficit glorioſos, volentes tibi pro meritis in Domino providere, ne quid fraudis aut mendacii de te a quocumque hominum valeat opinari; attendentes magnos & diutarnos labores tuos cum diligentia, fidelitate & integritate proximis temporibus adhibitos, & quos adhibere non deſinis in perqairendis, ſecundum Cruciatæ per nos datæ tenorem, ſubſidiis populo & fidei Chriſtianæ adverſùs impios hoſtes ejuſdem fidei, tenore præſentium atteſtamur, multa & maxima generaliter & ſpecialiter in foro conſcientiæ per nos tibi fuiſſe conceſſa vivæ vocis oraculo, quæ etiam de novo concedimus, & quoad vixeris, & ubique ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ confirmamus etiam per præſentes, una cum omnibus per te geſtis, indultis & operatis bona fide, & in poſterum operandis atque gerendis dumtaxat in foro conſcientiæ; & in his omnibus & aliis negotiis Cruciatæ volumus & mandamus, tibi ab univerſis & ſingulis fidem indubiam adhiberi, & nihil falſum aut indignum ex te a quoquam volumus ſuſpicari vel judicari, ſub pœna indignationis noſtræ & Apoſtolicæ Sedis, cujus commiſſa & mandata peragis viriliter cum multarum animarum ſalute. Adjicientes inſuper, ut quoties tibi fuerit opportunum, confeſſor, quem duxeris eligendum, te abſolvere valeat eadem auctoritate, qua tu alios abſolvere vales, & durante tibi officio Cruciatæ Fratres Ordinis tui, & præſertim Obſervantiæ regularis, in iis quæ ad dictum officium & Guardianatum tuum ſpectare videntur, in omnibus obedire teneantur ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, ſicut etiam ab omnibus tam Clericis quam laicis in ipſo officio tibi volumus obediri. Volumus & præſentium tibi tenore præcipimus & mandamus, quatenus omnes pecunias, & alia bona per te collecta & depoſita ac colligenda ubique, dilecto filio Joanni Montpalier Commiſſario noſtro ſpecialiter deputato, viſis præſentibus, quantocyus facias aſſignari. Datum &c. die* XX. *Auguſti* MCCCCLVII. *&c. anno* III. Ibid. fol. 114.

EIDEM.

XXXVIII. *Experientia ipſa teſte cognovimus, quanta ſollicitudine & prudentia officium ſanctiſſimæ Cruciatæ per nos tibi commiſſum tam in noſtra provincia Patrimonii, quam etiam in aliis Civitatibus, terris, caſtris & locis hactenus exercueris, quantaque integritate & fide mandatorum noſtrorum tam per litteras & brevia noſtra, quam etiam vivæ vocis oraculo tibi factorum, fines & formam ſervaveris, cum in exigendis decimis per nos impoſitis, & aliis fidelium oblationibus, tum etiam in illis diſtribuendis, & ſecundum voluntatem noſtram diſpenſandis. Quare integritatem, devotionem & obedientiam, aliaſque complures egregias virtutes, quibus perſonam tuam Altiſſimus inſignivit, plurimum in Domino commendantes, ac de omnibus & ſingulis per te circa dictas commiſſiones noſtras, & negotium dictæ Cruciatæ hactenus adminiſtratis, factis & geſtis, tam in colligendis & exigendis, quam in adminiſtrandis & diſpenſandis pecuniis, bonis & rebus aliis, quæ ratione tui officii ad tuas manus quomodolibet pervenerunt, plenam ac indubitatam notitiam & cognitionem habentes; ſcienteſque in præmiſſis omnimodam voluntatem noſtram perfecte impleviſſe, necnon ea omnia auctoritate Apoſtolica approbantes, confirmantes & ratificantes, tibi au-* Ibid. fol. 177.

auctoritate prædicta, & ex certa ſcientia de dictis pecuniis, bonis & rebus per te hactenus receptis, adminiſtratis & diſpenſatis, & præſertim in ſubſidium Generalis Capituli Ordinis tui nuper in hac Alma Urbe celebrati, vel alias quomodocumque, & in quamcumque cauſam, tenore præſentium liberamus, & generalem finem, remiſſionem, abſolutionem & quietationem facimus, teque a prædictis, ac quacumque alia reddenda ratione abſolvimus, liberamus & quietamus, teque plene abſolutum, quietatum & liberum declaramus, ac fore Nobis per te de omnibus prædictis plene & integre ſatisfactum, omniaque prædicta ſecundum voluntatem & mandatum noſtrum diſpenſata & diſtributa fuiſſe. Mandantes nihilominus omnibus & ſingulis officialibus Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, & aliis quibuſcumque tam præſentibus, quam futuris, ne tibi ullo unquam tempore aliquam moleſtiam vel jacturam, præmiſſorum occaſione inferre præſumant, ſed hanc noſtram quietationem in omnibus & per omnia obſervent, & ab aliis faciunt inviolabiliter obſervari. Datum &c. die XXVIII. *Junii* MCCCCLVIII. *anno* IV.

Cherubinus de Spoleto Cruciatæ cooperatur. *Tom.* 12. *anno* 1455. *n.* 76. *An.* 1484.

XXXIX. Antonio de Montefalcone in Ducatu Spoletano, variiſque Epiſcopatibus, uti diximus, Nuncio deſignato Pontifex adjunxit cooperarium Cherubinum de Spoleto, hominem probum & doctum, de quo diffuſius alias dicemus. Suæ Nunciaturæ profero documenta.

Dilecto filio Cherubino de Spoleto, Ordinis Minorum &c.

Ex lib. Brevium fol. 90.

QUia fecimus commiſſionem de prædicanda ſanctiſſima Cruciata, ac recolligendis decimis in Ducatu Spoletano, & aliis terris, ut in litteris noſtris continetur, dilecto filio Antonio de Montefalcone, Ordinis Minorum profeſſori, & cum ipſe tali materiæ plene vacare nequeat, volumus & ordinamus per præſentes, ut tu juxta gratiam tibi a Domino conceſſam, in dicta commiſſione te exerceas, adhibeas omnem auctoritatem & facultatem dicto fratri Antonio in litteris noſtris eidem conceſſam, adjicientes quod omnes tam prælati, quam ſubditi, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares tibi in omnibus deferant in dicta materia, prout ipſi fratri Antonio, & ſi litteræ ipſæ exhibitæ tibi & perſonæ tuæ eſſent directæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum die XII. *Maii* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

Dilectis filiis fratri Antonio de Montefalcone, & fratri Cherubino de Spoleto, vel alteri eorum, Ordinis Minorum &c.

Ibidem;

XL. *QUoniam per nos vobis commiſſa eſt exactio decimarum, & prædicatio ſanctiſſimæ Cruciatæ in territorio illo noſtro Ducatus Spoletani, & in aliquibus aliis terris, prout in litteris noſtris clare manifeſtatur, vobis exhibitis; ut melius ac facilius omnia per vos fiant, volumus ac per præſentes mandamus, ut omnes tam Prælati, quam ſubditi, tam Eccleſiaſtici, quam ſeculares, per vos nominandi ſeu requirendi, nominationi veſtræ aſſentiant ac faveant in omnibus, prout ipſius ſanctiſſimæ Cruciatæ materia vobis exigere videbitur. Mandantes omnibus Epiſcopis & eorum Vicariis, ſeu vices gerentibus, ut ad omnem veſtram, ac commiſſariorum veſtrorum requiſitionem, ab omnibus ſibi ſubditis teneantur & debeant ſollicite exigere, & integraliter ſolvi facere omnem decimam ab eiſdem juxta tenorem dictæ commiſſionis vobis factæ, compeſcendo etiam ipſos ſubditos, ſi opportunum ipſis Epiſcopis, & aliis vices gerentibus videbitur, per cenſuram Eccleſiaſticam, vel alias pœnas, facta tamen ſolutione in manu depoſitariorum,*

juxta

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 250.
1457.	anno 3.	anno 18.	

juxta formam in litteris noſtris ordinatam. Quod ut melius per vos fiat, declaramus ac volumus, quod per vos eum plena auctoritate alii in locum veſtrum ubilibet deputari poſſint, prout melius vobis videbitur. Datum ut ſupra.

Dilecto filio Cherubino de Spoleto &c.

XLI. *Accepimus litteras tuas Peruſii datas, per quas intelleximus progreſſum & diligentiam per te adhibitam circa negotia ſanctiſſimæ Cruciatæ. Exinde devotionem & diligentiam tuam plurimum in Domino commendamus, exhortantes ut quemadmodum cœpiſti, ita fideliter & mature proſequi velis, nec te pigeat ſubire labores & clamores pro tam ſancto opere. Placet nobis valde, quod tuis prædicationibus induxeris populos ad ſolvendam decimam, & contribuendam huic ſancto operi, quod defenſionem, exaltationem & augmentum fidei Catholicæ concernit. Mercedem autem laborum tuorum, ubi nos perſolvere non poſſumus, perſolvet ille ſummus Deus, qui nullum bonum opus irremuneratum eſſe ſinit, & ad cujus laudem hæc tam ſancta res ſuſcipitur. Si qui autem detrahunt aut calumniantur tibi carpentes benefacta tua, eos parvi facias, & cogitatum in Domino jacta, qui te enutriet. Ceterum quia petis a nobis declarari tibi, an ab hoſpitalitatibus & fraternitatibus decimam exigere debeas, declaramus tibi per præſentes, noſtræ voluntatis & intentionis exiſtere, quod decima exigatur ab hoſpitalibus & fraternitatibus, & omnibus aliis piis & ſacris locis, quocumque nomine appellentur, & nullum excipias, quoniam hæc res concernit univerſum genus Chriſtianorum. Accelera ut fructum aliquem ex partibus illis, & ex operibus tuis ſentiamus. Datum &c. IV. Julii MCCCCLVII. &c.* Ibid. fol. 107.

XLII. Alphonſum de Palenzuela in Hiſpaniam Calixtus amandavit tum pro ſubſidio colligendo, tum pro rebus magni ponderis cum Henrico Caſtellæ & Legionis Rege tractandis. Vir doctus & magnæ inter Hiſpanos æſtimationis, hoc accepit ſuæ poteſtatis teſtimonium. Alphonſus de Palenzuela deſtinatur ad Regem Caſtellæ.

Dilecto filio Alphonſo de Palenzuela, Ordinis Fratrum Minorum &c.

Cum perſonam tuam, quam multiplicum virtutum meritis Altiſſimus decoravit, pro plurimis arduis negotiis pertractandis, Nos & Sedem Apoſtolicam concernentibus, præſentibus & futuris, utilem ac commodam & perneceſſariam cognoſcamus, & præſertim eum pro facto ſubſidii colligendi in regnis & dominiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Caſtellæ & Legionis Regis illuſtris, & aliis in Hiſpaniæ magnis peragendis negotiis, noſtrum & dictæ Sedis Nuncium ad præſens, Deo auctore, deſtinamus & tranſmittimus, volentes ut tanto efficacius illis intendere valeas, quanto ab omnibus obſtaculis & impedimentis liberior fueris, ac cupientes eamdem tuam honorare perſonam, te ac ſocium ejuſdem Ordinis, quem toties quoties elegeris, in noſtros & Apoſtolicæ Sedis ſpeciales & immediatos filios, et ſub ſinguiari noſtra protectione recipimus, teque noſtrum et Sedis ejuſdem Capellanum facimus et conſtituimus, & tenore præſentium ordinamus, & in talem harum ſerie recipimus. Volentes inſuper, ut omnibus et ſingulis exemptionibus, privilegiis &c. ceteris eapellanis noſtris &c. in genere vel in ſpecie &c. uti et gaudere poſſis et valeas. Et nihilominus ut quo volueris ire et peregrinari, necnon in Romana Curia vel extra eam, etiam in Curiis quorumeumque Regum et Principum, Prælatorum, vel dominorum, quam vel quas elegeris, aut in quibuſvis Civitatibus, caſtris & locis ad tuæ voluntatis libitum commorari, mancre Ex lib. 1. officiorum. fol. 143.

vel

vel habitare, quando, quoties, & quanto tempore tibi placuerit, etiam extra Monaſteriorum ejuſdem Ordinis ſepta, ſine Generalis aut Provincialis Miniſtrorum ſeu Cuſtodis, aut alterius cujuſvis Prælati Ordinis licentia, quam minime petere nec requirere tenearis, tibi auctoritate Apoſtolica, ex noſtra certa ſcientia concedimus & indulgemus: Inhibentes ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna omnibus & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis Prælatis, necnon Ducibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, & militaribus, ac aliis quibuſvis laicis, ac etiam omnibus & ſingulis Generalibus Miniſtris, Provincialibus, Cuſtodibus, & quibuſvis aliis Prælatis Ordinis prædicti, ne te ac ſocium prædictum ad manendum intra Moneſterii alicujus limites quovis modo cogant, arctent, aut alias quovis quæſito colore compellant; nec te ſuper quibuſvis cauſis temporalibus, necnon criminibus & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, per te forſan commiſſis aut committendis, aut alia quavis cauſa, directe vel indirecte citare, monere, accuſare, aut judicare audeant, a quorum omnimoda juriſdictione plenarie, eadem ſcientia & auctoritate eximimus & liberamus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ejuſdem Ordinis ſtabilimentis &c. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVI. X. *Kal. Martii &c. anno* II.

Fr. Laurentius Panormitanus ſubſidium fert claſſi Pontificiæ.

XLIII. Laurentium Panormitanum narravimus anno præcedenti in Siciliam amandatum, hoc anno ejus virtuti & animo virili confiſus Pontifex his litteris commendat, ut paratis aliquot triremibus, aliiſve navigiis incrementum ferat & ſubſidium claſſi Pontificiæ.

Dilecto filio fratri Laurentio de Panormo, Ordinis Minorum &c.

Ex l. Brevium fol. 75.

NUper te cum litteris Apoſtolicis ad partes Siciliæ ultra Farum deſtinavimus, ut populos a via Dei devios ad lamenta pœnitentiæ revocares, & ſuis eleemoſynis Chriſtianum populum tam per mare, quam per terram juvarent, &, ut intelleximus, fideliter & ſollicite hæc omnia peregiſti. Idcirco volumus, & expreſſe committimus diſcretioni tuæ, quatenus armare poſſis unam galeram, vel unum balanerium aut plures, prout Deus concedet tibi ſuam gratiam, ex eleemoſynis per te acquiſitis aut acquirendis, & ire verſus Orientem, & accedens te armatæ noſtræ, & dilecto filio Legato Apoſtolico ibidem contra inimicos Chriſti infideles viriliter præliari. Contradictores & rebelles per cenſuras &c. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum &c. XXVI. *Martii* MCCCCLVII. *anno* II.

EIDEM.

Ibid. fol. 78.

XLIV. *QUoniam magna inſtat & urget neceſſitas &c. Numerus galearum, fuſtarum, & navigiorum præfatæ noſtræ claſſi in præſentiarum ſatis magnus eſt, & adeo ut noſtræ facultates ad eas ſuſtentandum, ut decet, non ſufficiant, & ea pro re auxilia undique petere non ceſſamus. Faciat igitur ut te de prompta obedientia & devotione commendare valeamus. Hoc dicimus, quia ſi commode fieri poſſet & ſine nota, eſt melius ſuſtinere galeas & fuſtas jam factas, quam de novo emere ſeu fabricare, uti ſcripſiſti te velle facere. Datum &c.* XXII. *Aprilis* MCCCCLVII.

Fr. Nicolaus a Sibinico excitavit Regem Boſnæ contra Turcam.

XLV. Miſerat anno ſuperiori Pontifex fratrem Nicolaum de Sibinico ad Stephanum Thomæ, Boſnæ Regem, ut ad auxiliare bellum contra Turcas hortaretur. Hoc anno a ſua legatione reverſus litteras Regis dedit Pontifi-

tifici, quibus ſe ad arma paratum reſcribebat. Gratulaturus pio propoſito, animumque firmaturus Calixtus hoc ei miſit diploma.

Cariſſimo filio noſtro Stephano Boſnæ Regi illuſtri &c.

REdiit ad nos dilectus filius frater Nicolaus de Sibinico, Ordinis Minorum, quem ſuperiori anno ad partes illas pro certis negotiis noſtris miſeramus, & litteras tuas nobis reddidit, per quas, & ipſo etiam plenius referente, plane intelleximus ſanctum, pium & devotum propoſitum tuum, quod habere videris pro ſancta fide Catholica ad procedendum adverſus Turcorum impetus, eamdem fidem ſupprimere ſatagentes. Certe Celſitudini Regiæ conveniens, & dignum Principe Catholico propoſitum obtines, & illam tuam laudabilem voluntatem, divinum animum, commendabilemque intentionem miris laudibus approbamus, laudamus & commendamus, exhortantes Serenitatem tuam ut in tam laudabili, pio & ſancto propoſito perſeverare velis, & quemadmodum intendere videris, ad perditionem & perſecutionem perditiſſimorum hoſtium vivificæ Crucis, regnum iſtud tuum totis viribus convertere adnitaris, ad quam rem etſi ſatis intelligamus te inclinatum pro tua in Deum pietate, & bonitate Regia, reducimus tamen ad memoriam, quod in nulla re clariorem famam, aut magis celebre nomen vendicare tibi poteris, quam pro fide Chriſti adverſus hoſtes viriliter pugnare, & pro exaltatione fidei Orthodoxæ facultates tuas exponere. De cruce autem, auxilio, ac vexillo Cruciatæ a nobis tibi dando, volumus, quod cum dilecto filio noſtro Joanne, tituli ſancti Angeli Diacono Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato colloquaris; eidem enim ſcribimus, ut Celſitudini tuæ ea auctoritate noſtra concedat, quæ & honorem noſtrum concernunt, dignitati tuæ conveniunt, & toti patriæ iſtius tui regni conducant. De omnibus igitur cum circumſpectione ſua communicabis, eam enim ita providam, prudentem & circumſpectam cognoſcimus, ut ea, quæ a nobis petit, facile conceſſurum tibi minime diffidamus. Scribimus etiam ei nonnulla Celſitudini tuæ noſtra parte referenda, ſuper quibus eidem tamquam perſonæ noſtræ plenam fidem adhibebit tua Serenitas. Datum die XIII. *Aprilis* MCCCCLVII. Ex l. Brevium fol. 27.

XLVI. Ad hunc Regem miſerat Pontifex Junium de Gradis Militem Raguſinum, quædam negotia Sedis Apoſtolicæ tractaturum. Incidit in potentem quemdam Regis ſubditum, qui rebus omnibus ſpoliatum conjecit in vincula. Scribit Pontifex Philippo Raguſino, Boſnenſium Fratrum Vicario, eoque abſente, Nicolao Apulo, ut liberari reſtitutis ablatis ſolerter procurent. Vicarius Boſnæ liberat miſſam Apoſtolicum.

Dilecto filio fratri Philippo de Raguſio, Ordinis Minorum in Regno Boſnæ Vicario, ac in ejus abſentia fratri Nicolao de Apulia.

QUoniam intelleximus, dilectum filium Junium de Gradis, Militem Raguſinum, cui nonnulla negotia noſtra, Sedis Apoſtolicæ & fidei Chriſtianæ tractanda commiſeramus, a quodam Turcone Stancith ſubdito cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Boſnæ captivatum, ac ſpoliatum eſſe, & in vinculis cum maxima miſeria & crudelitate detineri, tenore præſentium devotioni tuæ, de cujus prudentia & induſtria plurimum confidimus, in virtute ſanctæ obedientiæ committimus & mandamus, ut receptis præſentibus, ſi commode poteris facere, te perſonaliter conferas ad dictum Turconem, & ubicumque fuerit, eidem nomine noſtro, & auctoritate Apoſtolica ſub ſententiis, Ibid. fol. 66.

cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, de quibus tibi videbitur, injungas & mandes, ut dictum Junium liberet & relaxet, & omnia ſibi ablata integre, & ſine diminutione reſtituat. Ita igitur circa relaxationem prædicti Junii diligenter & ſollicite te habeas, & ita hanc noſtram commiſſionem exequi ſtudeas, ut apud nos merito venias commendandus. Datum XXI. *Aprilis* MCCCCLVII. *&c. anno* III.

Tomo 12. anno 1456. n. 127. Et Ludovicus Bononien. remittitur in Æthiopiam.

XLVII. Ludovicum Bononienſem a legatione Æthiopica, Perſica, Tartarica hoc anno, uti præcedenti inſinuavimus, reverſum iterum ad partes Æthiopiæ, ad quas prius non poterat penetrare, remiſit, ut Conſtantinum Regem contra Turcas concitaret. Multa per illas regiones a ſe perluſtratas laudabiliter feciſſe narrat Pontifex, eique varia confert privilegia, & Bartholomæum Fulginatem a Ludovico commendatum, multis annis in Oriente hærentem, multis gratiis ad ſacros labores cohoneſtat.

Dilecto filio Ludovico de Bononia, fratri Ordinis beati Franciſci de Obſervantia regulari, Nuncio noſtro.

Ex lib. 15. Bullar. de Curia, fol. 122.

Exigit fervor devotionis tuæ, in rebus bonorem Dei, & fidei Chriſtianæ amplitudinem concernentibus, certo experimento comprobatus, ut majora quæcumque abſque aliqua hæſitatione aut diffidentia committere audeamus, & gratias quaſcumque ad ea pro viribus exequenda neceſſarias liberaliter concedamus. Cum itaque tu anno nunc ſecundo ad partes Orientales a nobis miſſus, ut ſi quo fieri poſſet modo, ad cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Conſtantinum Zara-Jacob regni Æthiopiæ Regem illuſtrem, Chriſtianum accederes, auxilia ab eo & favores contra barbaros & infideles ſpurciſſimos Mahumetanos impetrares, etſi abſque culpa tua ad dictum Regem pervenire non potuiſti, ad propinqua tamen Perſarum, & alia Regna acceſſeris, multoſque illorum Reges, Principes & populos Chriſtianos, gratiſſimas nobis, & ſicut in Deo confidimus, utiliſſimas nomini Chriſtiano feceris relationes, perlatis etiam ad nos nonnullorum ex dictis Principibus litteris plurimi faciendis, & demum octo religioſos Æthiopes in Ægypti regione repertos, cupientes ad Sedem Apoſtolicam, inviſendaque Apoſtolorum limina venire, tecum duxeris, qui a nobis honore affecti tecum redire, & te ad ſupradictum Regem Conſtantinum ducere contentantur, atque promittunt. Nos attenta utilitate maxima, quam tuus hujuſmodi acceſſus non ſolum apud prædictum Regem Æthiopum, ſed apud diverſos Principes & populos aliarum provinciarum & regionum, quas eundo & redeundo peragrabis, concedente Domino, facere poteris, devotioni tuæ omnes & ſingulas gratias, commiſſiones & facultates tibi alias per nos conceſſas, & quibus in prima peregrinatione prædicta es uſus, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica confirmamus. Inſuper volentes, ut litteras noſtras Cruciatæ tecum deferens, eis in omnibus & per omnia ubique in partibus fidelium & infidelium, & pariter gratiis omnibus & ſingulis per nos conceſſis Fratribus tui Ordinis apud Hierusalem & Montem Syon habitantibus, cum tuis ſociis Fratribus tui Ordinis uti poſſis & valeas. Et ut tanta, tamque varia & periculoſa itinera peragere, & factas tibi commiſſiones commodius implere & exequi valeas, quo majorem & meliorem tuorum ſocietatem habebis, eidem devotioni tuæ, ut Fratribus tui Ordinis ubique in Italia & extra repertis præcipere etiam noſtro nomine poſſis, ut pro tuo auxilio in prædictis, ea faciant & operentur, quæ tu eis duxeris ordinanda, quodque omnes cupientes & petentes, Ordinis tui habitu in partibus Orientalibus, ad quas te confers, poſſis induere, & loca etiam dicti Ordinis tui

tui in dictis partibus, & præsertim in Indiæ & Æthiopiæ terris, capere, ædificare, & Fratribus necessariis fulcire valeas pariter tenore & auctoritate prædictis concedimus potestatem: Declaramusque, ac præsenti tenore mandamus hujusmodi litteras firmas & validas esse, nisi per similes litteras Apostolicas cum præsentium insertione revocentur. Unde omnes & singulos, quacumque præfulgeant dignitate, & cujuscumque conditionis in partibus Orientalibus sæpe dictis existant, qui (quod absit) tibi in executione præmissorum contradixerit, nisi postquam a te de abstinendo monitus fuerit, desistat, excommunicationem ipso facto incurrere declaramus. Quocirca omnes & singulos Reges, Principes & populos, ad quorum loca te pervenire contigerit, in Domino Jesu Christo hortamur, requirimus & precamur, ut tam in eundo & redeundo, quam in exequendo prædicta, favoribus semper opportunis tibi & tuis sociis assistant, benedictionem inde Omnipotentis Dei & nostram, ac gratiam & benevolentiam pro munere habituri. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. III. *Kalend. Januarii &c. anno* III.

Dilectis filiis Populis, & Universitatibus Christianorum, qui franchi *appellantur, in regnis Persiæ & Giorgianiæ constitutis.*

XLVIII. *Reversus ad nos dilectus filius Ludovicus de Bononia, frater Ordinis beati Francisci, Nuncius noster, qui apud vos anno præterito fuit, nobis retulit vos populos numero multos, fidem Christianam Catholice tenentes, Sedi Apostolicæ, cujus locum, licet immeriti, tenemus, devotissimos esse, & fidei Catholicæ ritus tenere & observare, quos Fratres prædicti Ordinis dudum edocuerunt, adeo ut a traditionibus & institutis Romanæ Ecclesiæ nullatenus devietis. Quæ quidem audita nobis summe placuerunt, & Deum benediximus, qui vobis dedit, ut in tanta barbarorum infidelium, a quibus undique circumvallati estis, multitudine viam veritatis & salutis æternæ & acceperitis, & constanter retineatis. Unum vero a vobis desiderari dixit idem Nuncius noster, in quo vobis duximus complacendum, ut quempiam ex nostris, vel vestris virum probum, & institutis, ritibus moribusque Christianis bene instructum, in vestrum omnium caput, & directorem eligere possitis, cujus electionem a vobis factam, cum nobis præsentabitur, confirmabimus ea conditione, ut quamprimum commode fieri poterit, ipse ad visitandum Sedem Apostolicam, & limina beatorum Apostolorum Petri & Pauli, cum aliquot ex vestris veniat, qui omnes profecto melius instructi, ædificati, ac de nomine et fide Christiana contenti in patriam ad vos redibunt. Ceterum commendamus vobis prædictum fratrem Ludovicum Nuncium nostrum, qui pro causis fidei Christianæ ad diversas partes accessurus est, ut vestro consilio, favore et auxilio commissiones sibi factas per nos exequi possit. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVII. XIV. *Kalendas Januarii &c. anno* III.

Ex l. 14. bullar. de Curia fol. 167.

Dilecto filio Bartholomæo de Fulgineo, Ordinis beati Francisci de Observantia regulari.

XLIX. *Referente nobis dilecto filio Ludovico de Bononia, Fratre tui Ordinis, Nuncio nostro, intelleximus, te in partibus Orientis, & inter varias nationes barbaras diu conversatum, nullis laboribus, nullis peperciſſe periculis, ut partim per te solum, partim simul cum ipso Nun-*

Ex l. 15. bullar. de Curia fol. 160.

Nuncio noſtro multa faceres, & operareris ad Divinum honorem, nominisque Chriſtiani exaltationem, propagationemque facientia, tamdemque magno & laudabili cum fervore, ac fidei ardore voluiſſe remanere in dictis partibus Orientis, quo Chriſtianos illarum partium per tuam præſentiam, tuaſque exhortationes, & vitæ exemplum conſoleris ac ædifices, & barbaros circumſtantes per oblatas occaſiones, & commoditates ad Chriſti fidem convertere valeas. Hæc vero nobis fuere gratiſſima, ex quibus Deo noſtro, a quo ſunt, gratias egimus, & noſtram tibi benedictionem nunciavimus. Cumque idem frater Ludovicus Nuncius noſter ad eaſdem partes ſit rediturus, te ad meliora in dies patranda per infraſcriptarum facultatum, & gratiarum auxilia communiendum duximus; tibi enim ubicumque eris, in partibus illis Orientalibus Divinum verbum prædicandi, & quorumcumque confeſſiones audiendi, Eccleſiaſtica quoque ſacramenta conferendi, in caſibus quibuſcumque etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvendi, exceptis excipi ſolitis, Baptiſmatis quoque lavacrum quibuſcumque petentibus, & accipere volentibus in forma Eccleſiæ impendendi, & voluntarios quoſcumque ad tui Ordinis habitum profeſſionemque recipiendi, & ut gratiis omnibus per Sedem Apoſtolicam habitantibus Jeroſolymis, & ad Montem Calvariæ Fratribus tui Ordinis conceſſis, uti & gaudere valeas, concedimus auctoritate Apoſtolica per præſentes. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. IV. *Non. Decembris &c. anno* III.

Miniſter Generalis abſolvitur a munere Cruciatæ.

L. Jacobus de Mozanica, Generalis Miniſter etiam Cruciatæ promovendæ, & decimarum collectioni a Pontifice præfectus, negotia Religionis attentius curaturus, & Capitulo Generali tunc imminenti neceſſaria præparaturus, ab illo munere, etſi honorifico, abſulvi petiit, eumque benigne exauditum hoc diploma demonſtrat.

Dilecto filio Jacobo de Mozanica, Theologiæ profeſſori, Ordinis Minorum Miniſtro Generali.

Ex t. 101 bullar. fol. 316.

EX relatione tam gentium Cameræ Apoſtolicæ, quam aliorum quamplurium manifeſte didicimus, te in negotio collectæ decimarum, & obtionum pro hoc ſancto Cruciatæ opere, dudum per nos tibi injuncto, laudabiliter verſatum eſſe, omniaque & ſingula, quæ a nobis in commiſſis habueras, debitæ executioni mandaſſe, ita ut munus tuum perfecte impleveris, & noſtra hæc ſancta contra Turcos expeditio ſatis validum ſubſidium fuerit exinde conſecuta. In qua re diligentiam, & fidelem operam tuam merito in Domino commendantes, tibique velut cooperatori noſtro in vinea Domini Sabaoth pro hujuſmodi tuis bonis operibus regratiantes, te ab omnibus tibi in dicta cauſa commiſſis abſolvimus, & ab hujuſmodi per nos tibi dudum injuncta commiſſione per præſentes liberamus. Cum vero, ſicut aſſeris, tempus celebrandi Generalis Capituli Ordinis tui jam inſtet, & in diverſis Orbis partibus pro ejuſdem Ordinis profectu, multa tibi neceſſario peragenda etiam incumbant; Nos ſtatui illius conſulere volentes, devotioni tuæ ex hac Alma Urbe, & Curia noſtra recedendi, & quocumque pro negotiis prædicti Ordinis, prout contigerit, accedendi, quotieſcumque & quandocumque tibi videbitur & placebit, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam concedimus pariter & facultatem. Commiſſionibus noſtris tam Cruciatæ, quam rerum aliarum tibi hactenus factis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCLVII. IX. *Kal. Martii &c. anno* II.

LI. Ad-

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Friderici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

LI. Advenerat jam tempus celebrandi Comitia Generalia, Mediolani indicta; ſed cum multis in locis Italiæ peſtis ſæviret, Franciſcus Sforcia Dux ægre conventum hunc ex omnibus Provinciis cogendum admittebat, timens ne contagionem convenientes adveherent. Tamdem Miniſtri Generalis, aliorumque precibus victus aſſenſit, monens ne indiſcriminatim quoſque, ſed neceſſarios dumtaxat admitterent. Baptiſta de Levanto omnibus ſuæ familiæ Vicariis, ut adeſſent, præcepit, miſſoque nuncio rogavit Vicarium Ultramontanum Joannem de Quieſdeber, ut cum ſuis etiam conveniret; ſic enim conatibus, ſi qui forent, adverſis fortius potuiſſent uniti reſiſtere. Celebravit ille feria tertia hebdomadæ ſanctæ die XIII. Aprilis, acceptis litteris in Conventu Fontiniaci Comitis, Congregationem Generalem, in qua nulla facta eſt electio, reſervata rerum diſpoſitione uſque ad Capitulum Generale, ſecundum bullas Calixtinas. Mirum in impreſſione Italica Marci Ulyſſiponenſis affirmari generalem hunc cœtum coactum fuiſſe Palentiolæ in Caſtella, novumque tunc electum Vicarium Generalem, dum nihil horum habeatur in impreſſione Hiſpanica. Pauculæ conſtitutiones hic factæ ſuo loco apponentur.

Capitulum generale ſeptimum Ultramontanum Obſervantum.

Marc. 3. p. l. 4. c. 25.

LII. Pontifex interim Fratribus immenſo numero congregandis ſubſidium, & Generali Capitulo advecturus honorem, ampliſſimas illas Indulgentias Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſiatis, *de Portiuncula* nuncupatas, viſitantibus templum Minorum Conventualium Mediolanenſe per diem unum communicavit. Chronica Boſſiana hujus conceſſionis ita renovant memoriam: *An. Dom.* MCCCCLVII. *die quarto & quinto Junii Jubilæus plenarius Mediolani in ſancto Franciſco celebratus eſt, in quo tantas fuit advenarum concurſus, ut vix urbs multitudinem caperet. Ferunt fuiſſe centum millia hominum de exteris dumtaxat. Collifi ſunt inter mares fœminaſque a comprimente multitudine in ipſo veſtibulo templi numero quindecim.* Septemdecim enumerat Marianus, aſſeritque tot tantaſque fuiſſe fidelium oblationes, ut aureorum decem millia tranſcenderint. Conceſſionis tenorem exhibeo.

Indulgentiæ magnæ conceſſæ pro celebratione Capituli generalis.

Boſſian. ad hunc annum.

Marian. lib. 5. c. 31.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

LIII. *Conſiderantes noſtræ mortalitatis fragilitatem, humani conditionem generis, & ſtricti ſeveritatem judicii, bonis Chriſtifideles cupimas judicium ipſum operibus prævenire, ac eorum peccamina piis eleemoſynis abolere, ut juxta ſpem æterna beatitudine facilius potiantur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Jacobus de Mozanica, in ſacra Theologia Magiſter, Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter, in feſto Pentecoſtes proxime futuro, Generale Capitulum Fratrum dicti Ordinis in Civitate Mediolani, & domo Eccleſiæ ſancti Franciſci dicti Ordinis, ejuſdem Civitatis, ſecundum regularia Inſtitata prædicti Ordinis, ſtatuerit celebrandum, nos attendentes paupertatem prædictæ domus, ac multitudinem Fratrum in eodem Capitulo congregandorum, quorum eſt expreſſa profeſſio paupertatis, conſiderantes; zelo inſuper ſalutis animarum inducti, ut fidelium mentes eo ferventius ad opera pietatis & caritatis incitentur, ac eleemoſynas & alia caritativa ſubſidia Fratribus ad dictum Capitulum iturit erogent, quo ex hoc dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui a primis Veſperis in vigilia Pentecoſtes proxime futura inchoandis, uſque ad alias Veſperas*

Ex l. 12. bullar. fol. 115.

ras diei ſubſequentis, Eccleſiam prædictam ſancti Franciſci devote viſitaverint, & dictis Fratribus plas eleemoſynas ac ſubſidia hujuſmodi erogaverint, necnon etiam Fratribus dicti Ordinis in Veſperis, & tempore Capituli hujuſmodi Eccleſiam memoratam viſitantibus, illam Indulgentiam & remiſſionem peccaminum, hac vice dumtaxat concedimus, quam viſitantes Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Portiuncula, dictam de Angelis *extra muros Aſſiſinates, primo & ſecundo die menſis Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVI. VI. *Idus Februarii &c. anno* 11.

Capitulum generale tocini Ordinis 88.

LIV. Ut facilius convenirent circa acta Capitularia Obſervantes cum Conventualibus, ſtatuit Miniſter Generalis, ut omnes in domum unam ſancti Franciſci convenirent, neque quidquam ciborum provideretur pro Obſervantibus Capitularibus in domo eorumdem. Nihilominus devoti Cives abundantiſſime omnia mittebant, curribus & plauſtris frequenter advecta. Illi ut plurimum ad ſancti Franciſci Cœnobium tranſvehebant, ubi etiam manducabant. Quando ad acta perventum eſt capitularia, excluſi ſunt Obſervantes contra Calixtinæ conſtitutionis diſpoſitionem, de quo conqueſti Vicarii Ciſmontanus & Ultramontanus, Notarii publici teſtimonio repulſam voluerunt declaratam. Illis recedentibus in domum ſuam, Conventuales proſecuti ſunt Comitia, quorum acta perierunt. Locus celebrandi proximi Capituli Generalis deſignatus eſt Conventus Venetiarum.

Capitulum generale Obſervátum Ciſmontan. ſeptimum. Vicarius Generalis Ultramontanus Theoduricus Aurigæ. Ciſmontan. Antonius de Monſefalco.

LV. Obſervantes in domo ſancti Angeli aliud celebrarunt Capitulum, & prout Calixtus conſtituit, tres viros dignos, ex quibus deligi poſſet Vicarius Ciſmontanus, & totidem pro Ultramontano præſcripſerunt. Hunc dixit Miniſter Generalis Theodoricum Aurigæ, alias hoc munere perfunctum, illum Antonium Monteſalcenſem, virum venerabilem, inſignem Eccleſiaſten, inter Prælatos & magnates non mediocris auctoritatis, de quo alias ſumus præfati. Quæ hic ſtatuta ſunt, in alium locum reſervo. Communi totius Ordinis decreto ſancti Bernardini nomini magnificando præceptum eſt, ut Provincia Pennenſis, in qua Viri ſancti corpus jacebat, non eo nomine deinceps audiret, ſed *ſancti Bernardini* appellaretur. Ejuſdem Sancti officium peculiare, incipiens: *Bernardinus vir Catholicus, & præco Evangelicus*, a quodam Minorita Averſano Provinciæ Terræ-laboris compactum, ut recitaretur admiſſum: ſed diligentius diſcuſſum paulo poſt diſplicere cœpit, & in Conventu ſanctæ Mariæ de Angelis a Miniſtro Generali ſubſequente in cœtu doctorum hominum, quorumdam Miniſtrorum Provincialium, & Vicarii Generalis Obſervantum fuit abrogatum. Egerunt Fratres Boſnenſes cum Miniſtro Generali, ut ab obedientia Vicarii Generalis Obſervantum eos transferret ad juriſdictionem Miniſtrorum, a quibus ſperabant quædam ſibi circa Conventus Dalmatinos, & alia conferenda, quæ Vicarius denegabat. His acquieſcere non potuit propter rigoroſas Calixti prohibitiones. Plurimum tamen circa hunc tranſitum poſtea laborarunt, & modo hos, modo illos impetrantes ſuperiores, cum aliorum tædio inconſtanter ſe geſſerunt.

Supra hoc anno n. 14. & Tom. 12. an. 1449. n. 53.

Pruvincia ſancti Bernardini. Officium propium ejuſdem.

Poſtea abrogatum.

Boſnenſes cupiunt tranſire ad regimen Miniſtrorum.

LVI. Utraque Comitia tam Conventualium, quam Obſervantum benefice proſecutus eſt prædictus Dux Franciſcus Sforcia. Ad Conventuales ſæpe declinabat, & ſumptus exhibuit fere univerſos. In cubiculo Miniſtri Generalis familiariter converſatus, præſentibus Gabriele de Licio Provinciæ Januæ Miniſtro, Gabriele altero Miniſtro Terræ Sanctæ Ducis Confeſſario, & Roberto Licienſi, propter concionum excellentiam eidem cariſſimo, affectuoſis verbis dixit ſe Religioni ſemper addictiſſimum, ſed multo ma-

Dux Mediolanan. vidit corpus S. Franciſci.

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 250.
1457.	anno 3.	anno 18.	

magis ab eo tempore, quo ſe vidiſſe aſſeruit corpus ſancti Franciſci. Id porro ſe conſpexiſſe dixit eo tempore, quo in Piceno diuturnum illud & varium gerebat bellum, eaque prævaluiſſe apud Guardianum Aſſiſienſem, etſi valde reluctantem, auctoritate, ut nocte intempeſta ad Eccleſiam ſubterraneam ſecreto cuniculo duxerit, & ad beneplacitum corpus permiſerit venerandum. *Vide Tom. 2. an. 1230. n. 4.*

Erga Comitia Obſervantum ea dilectionis exhibuit indicia, ut convivium eis præparaverit in ſancti Angeli Cœnobio, ſtratis in horti nemore menſis, factus ipſe conviva, comedente etiam Ducilla Blanca cum multis Dominabus, in horti angulo honeſtiſſime ſequeſtratis. Subiit deſiderium, uti mos eſt fœminabus, Fratres omnes diſcumbentes aſpicere, obtentaque licentia, cum aliquot matronis per ſingulas menſas tranſeundi, ſinguli accedenti aſſurrexerunt; atqui ex toto cœtu non fuit, qui in faciem aſpiceret, ſed demiſſo capite religioſam præferentes modeſtiam, oculos a curioſo temperarunt aſpectu. Perfectam exactamque in omnibus oculorum admirata cuſtodiam, dixit marito ſuo ſe fraudatam deſiderio, dum inclinata tantum vidit capita, ex facie nullum potuit cognoſcere, neque ab ullo cognoſci. Parat cõvivium Obſervantibus. Illorum modeſtia.

LVII. Paulo poſt abſoluta Comitia deceſſit in Conventu Mediolanenſi Jacobus Generalis Miniſter, quem repentina morte ætatis anno XL. die VI. Julii in octava ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſublatum ſcribit Marianus; ſed acutiſſimo morbo ætatis anno L. die IX. Julii Rodulphus affirmat: cui concordat quod ipſe exſcripſit epitaphium. Moritur Miniſter Generalis. *Marian. lib. 5. c. 12. Rodul. fol. 193.*

Jacobo de Mozanica Minorum Generali Miniſtro, Theologo, liberalium diſciplinarum peritiſſimo, Fratres hoc monumentum fecerunt. Vixit annis quinquaginta. Obiit anno MCCCCLVII. *die* IX. *Julii.*

Hac Jacobus humo tegitur Mozanica frater,
Ingenio Salomon, integritate Cato.
Hic fratrum Princeps, hic gloria ſumma Minorum,
Hic fuerat ſanctæ relligionis honos.

LVIII. Statim ubi Pontifex Miniſtrum Generalem deceſſiſſe percepit, Vicarium inſtituit Generalem Jacobum de Sarzuela (quem perperam Marianus & Marcus Joannem appellant) Provinciæ Aragoniæ Miniſtrum, genere Catalanum, hoc dato inſtitutionis inſtrumento. Jacobus Sarzuela Vicarius Generalis. *Marian. citat. Marc. 1. p. l. 4. c. 26.*

Dilecto filio Jacobo Sarzuela, Ordinis Fratrum Minorum, & ſacræ Theologiæ profeſſori, Provinciæ Aragoniæ Miniſtro, ac totius ejuſdem Ordinis Vicario Generali &c.

Relligionis zelus, litterarum ſcientia, vitæ integritas, aliaque eximia virtutum dona, quibus perſonam tuam novimus inſignitam, ſpem nobis indubiam pollicentur, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, cum ſumma diligentia & prudentia exequeris. Cum itaque, ſicut accepimus, Generalatus officium dicti Ordinis, cui quondam Jacobus de Mozanica, dum viveret, præſidebat, per ipſius Jacobi obitum ſit Generalis Miniſtri regimine deſtitutum: Nos animadvertentes uberes fructus, quos idem Ordo in agro militantis Eccleſiæ, in propagationem Religionis & fidei Catholicæ produxit hactenus, & producit aſſidue, ad ea libenter paternis & ſalutaribus ſtudiis intendentes, quæ ipſius Ordinis, & ejus profeſſorum pacem, ſtatumque tranquillum, ac ſuarum concernunt ſalutem animarum, & propterea de perſona utili *Ex l. 25. bullar. fol. 219.*

utili & idonea, quæ hanc intentionem noſtram exequi valeat, providere volentes, te, quem etiam doctrina, & rerum experientia illuſtratum eſſe cognovimus, Vicarium Generalem prædicti Ordinis uſque ad Generale Capitulum ejuſdem Ordinis, in loco per te ſtatuendo celebrandum, inclusive, motu proprio & ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie facimus, conſtituimus ac etiam deputamus. Tibi nihilominus dictum Ordinem ac omnes & ſingulas perſonas & loca tam mulierum, quam virorum ipſius Ordinis ubilibet conſiſtentia, juxta morem & ſtatuta ejaſdem Ordinis regendi & gubernandi, ac eos, eas & ea tam in capitibus, quam in membris ſuis ſingulis publice & private viſitandi, monendi, corrigendi, carcerandi, & a carceribus liberandi, citandi, ſuſpendendi & privandi, electioneſque Provincialium Miniſtrorum, & Abbatiſſarum Ordinis ſanctæ Claræ tenendi, eoſque confirmandi, & Miniſtros ac Abbatiſſas hujuſmodi, & quoſcumque alios Officiales prædictorum Ordinum inſtituendi & deſtituendi, & excommunicatos abſolvendi, multandi, & juxta ſuos exceſſus puniendi, omniaque alia & ſingula faciendi, quæ correctionis & reformationis officio noveris indigere: necnon in futuro Generali Capitulo prædicto per te indicendo præſidendi, & futuri Generalis Miniſtri electionem retinendi, voceſque defelentium Provincialium Miniſtrorum & Cuſtodum in electione futuri Generalis Miniſtri in dicto Capitulo, eadem auctoritate ſupplendi, inſtituendi & incorporandi, ac quemlibet Fratrum ipſius Ordinis ad ea, quæ videris neceſſaria & opportuna, in quibus perſonaliter intereſſe non poteris, tuo loco ſubſtituendi, regiſtro quoque & ſigillo dicti Ordinis utendi, ac omnia alia & ſingula agendi, ordinandi, mandandi, diſponendi & exequendi, quæ pro ipſius Ordinis ſtatu, ac felici regimine noveris profutura, & quæ Generales Miniſtri dicti Ordinis, qui pro tempore fuerint, facere potuerunt ſeu etiam debuerunt: Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam &c. ac ſuper his, quoties opus fuerit, auxilium brachii ſeecularis invocandi, plenam, tenore præſentium, eadem auctoritate concedimus facultatem ac etiam poteſtatem. Non obſtantibus conſtitutionibus dictorum Ordinum &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Mandantes ex nunc in virtute ſanctæ obedientiæ dilectis filiis univerſis & ſingulis Miniſtris Provincialibus, Cuſtodibus, Guardianis, ceteriſque Officialibus, Magiſtris, & Fratribus dicti Ordinis profeſſoribus tam Conventualibus, quam de Obſervantia nuncupatis, cujuſcumque officii exiſtant, & Ordinum ſanctæ Claræ, & ſancti Damiani, & Minoriſſarum Sororibus ubilibet conſtitutis, quatenus tibi in præmiſſis omnibus, juxta præſentem poteſtatem per nos tibi conceſſam, & a te deputandis, humiliter & fideliter pareant & intendant, ac ſtudeant in omnibus, quæ ipſis injunxeris & mandaveris, efficaciter obedire, alioquin ſententias ſive pœnas, quas per te vel alium rite tuleris, ſive ſtatueris in rebelles, ratas & gratas habebimus, illaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Tu igitur ex conceſſis tibi dono cœleſti virtutibus ſic in præmiſſis te geras laudabiliter & prudenter, quod ſperati fructus proveniant ex actionibus tuis, tuque ultra noſtram & Sedis Apoſtolicæ benedictionem & gratiam, apud Deum creſcas meritis, & Ordo ipſe per tuæ diligentiæ ſtudium continuis proficiat incrementis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. XIV. *Kal. Auguſti &c. anno* III.

Moritur uterque Vicarius Obſervantum.

LIX. Obierunt etiam ambo Vicarii Generales regularis Obſervantiæ eodem anno; Ultramontanus Theodoricus Auriga ad urbem Aquilæ in ipſo ſancti Bernardini cubiculo, ut ejus videret reliquias illuc profectus. Ciſmontanus Antonius a Montefalco Romæ in Conventu Aracœlitano. In-

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Friderici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

Indictio Capituli Generalis celebrandi in Cœnobio Veneto revocata eſt, jubente Pontifice, ut Romæ haberetur, ea, uti dicebatur, cauſa, quia facilius judicabat, ipſo præſente, eligi poſſe in Miniſtrum Generalem prædictum Vicarium ſibi probe notum & familiarem, virum Hiſpanum. Capitulum generale Romæ indicitur.

LX. Anno præterito Guillelmus Riveti, Rector Univerſitatis Pariſienſis, magnam excitavit turbam contra quatuor Ordines Mendicantes propter publicatam Nicolai V. bullam, qua alteram ſui prædeceſſoris Eugenii IV. circa liberam peccatorum confeſſionem a quibuſcumque fidelibus eiſdem Mendicantibus faciendam confirmavit. Deinde convocatis aliis, & in ſuam tractis ſententiam, multa ſtatuit contra dictos Ordines, quæ tamen irrita, & nullius roboris hoc emiſſo graviſſimo diplomate Calixtus declaravit. Magnæ turbæ Pariſiis contra Mendicantes. Sopiuntur a Pontifice.

Ad futuram rei memoriam.

INter cetera, quæ noſtræ paſtorali curæ competunt, ea ipſa proculdubio eſſe potiſſima decernimus, quibus Chriſtifideles, cunctis propulſis erroribus, in unitate fidei, & pacis quiete, gloriam conſequi beatam conſpleimus. Sed & acceptabile Deo multum etiam eſſe non ambigimus, quod religioſæ perſonæ Chriſto famulantes, noſtræ vigilantiæ miniſterio, & juſtitiæ favore, privilegiis eiſdem a Sede Apoſtolica matura cum deliberatione conceſſis, nullo colore impediri, ſed libere frui intuemur. Nuper ſiquidem, non ſine quadam animi diſplicentia, ex relatibus plurimorum fide dignorum percepimus, quod per quamdam fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, in ſua quæ incipit: Super Cathedram, *conſtitutionem, ſive decretalem, quam poſtmodum pie mem. Clemens Papa V. etiam prædeceſſor noſter in Concilio Viennenſi innovavit, & quæ ſubſequenter ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera ſtatuerit & ordinaverit, quod in ſingulis Civitatibus & diœceſibus, in quibus Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent, ac in locis ipſis vicinis, in quibus loca hujuſmodi non haberentur, Magiſtri & Priores Provinciales Prædicatorum, aut eorum Vicarii Generales, ac Provinciales Miniſtri, necnon Cuſtodes Minorum Ordinum prædictorum, ad præſentiam Prælatorum ibidem ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, humiliter petituri, ut Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus & diœceſibus confeſſiones ſuorum ſubditorum confiteri ſibi volentium audire libere valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundum Deum expedire cognoſcerent, pœnitentias imponere ſalutares, ac beneficium abſolutionis impendere de licentia, gratia & beneplacito eorumdem; prædictique Magiſtri, Priores & Miniſtri ſtuderent eligere perſonas idoneas & ſufficientes, vitæ probatæ, diſcretas, modeſtas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium & officium exercendum, quas ſic electas Prælatis ipſis præſentarent, vel facerent præſentari, ut de illorum licentia, gratia & beneplacito, in Civitatibus & diœceſibus eorumdem, perſonæ ſic electæ hujuſmodi confeſſiones ſibi confiteri volentium audirent, & eis imponerent pœnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent: Ac etiam bo. me. Joannes Papa XXII. prædeceſſor noſter certos errores damnaverit & reprobaverit de aſſenſu Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, necnon celebris rec. Eugenius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter errores ipſos pro falſis, erroneis, & adverſantibus ſacris Canonibus damnatos, reprobatoſque declaraverit eum quibuſdam aliis, atque decreverit, & ſubſequenter pie* Ex l. 22. bullar. fol. 289.

memoriæ Nicolaus Papa V. ſimiliter prædeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, dicti Eugenii prædeceſſoris litteras in omnibus & per omnia approbaverit & confirmaverit, prout in ſingulis Eugenii, & Nicolai prædeceſſorum litteris hujuſmodi, quarum quidem tenor ſequitur & eſt talis, plenius continetur. Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Univerſis & ſingulis venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Electis, & Abbatibus ubilibet conſiſtentibus, ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem &c. Proviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ea, quæ a bo.mem. Prædeceſſoribus noſtris in religionis augmentum utiliter geſta ſunt, illæſa permaneant, & ab omnibus inviolabiliter obſerventur. Hinc eſt quod nos tenores quarumdam litterarum fel.rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri in ipſius regiſtro repertarum, de regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & præſentibus annotari feeimus, qui ſunt tales. Eugenius Epiſcopus &c. Univerſis & ſingulis venerabilibua fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis &c. Gregis nobis crediti curam gerentes pervigilem, ſtudiis efficere conamur aſſiduis, ut, pro quorum ſalute languores humanos Altiſſimi Filius perpeti voluit, fideles execrandis non involvantur erroribus, ſed noſtri directione miniſterii, prout ſuperna gratia contulerit, a noxiis ac diſpendiis jugiter præſerventur. Et ut etiam vos in partem ſollicitudinis vocati pro dictis extirpandis erroribus opem & operam ferventius impendatis, vos pro injuncto nobis officio excitamus. Dudum ſiquidem ſel.rec. Boniſacius Papa VIII. prædeceſſor noſter, in ſua, quæ incipit: *Super cathedram*, conſtitutione, ſive decretali, quam poſtea piæ mem. Clemens Papa V. etiam prædeceſſor noſter in Viennenſi Concilio innovavit, & quæ ſubſequenter ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit, inter cetera ſtatuit & ordinavit, quod in ſingulis Civitatibus & diœceſibus, in quibus Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratrum loca conſiſterent &c. *uti ſuperius uſque ad* beneficium abſolutionis impenderent, prout in ipſa conſtitutione ſive decretali plenius continetur. Et licet poſtmodum ad piæ rec. Joannis Papæ XXII. etiam predeceſſoris noſtri notitiam deducto, quod quondam Joannes de Polliaco, Magiſter in Theologia ſequentes articulos tenuerat, propter quod decreverat, videlicet, quod confeſſi Fratribus, licentiam generalem confeſſiones audiendi habentibus, eadem peccata, quæ confeſſi fuerant, iterum proprio ſacerdoti confiteri tenerentur; ac ſtante ſtatuto *Omnis utriuſque ſexus* in Concilio generali, nec Deus, nec Romanus Pontifex facere poſſet, quod parochiani non tenerentur omnia peccata ſua ſemel in anno, proprio ſacerdoti, videlicet parochiali Curato confiteri, quodque non poſſet Papa generalem dare poteſtatem audiendi confeſſiones, imo nec Deus, quin confeſſus generalem habenti licentiam teneretur eadem iterum proprio ſacerdoti, veluti parochiali Curato confiteri; dictus Joannes prædeceſſor, a verbis, *Vas electionis protulit*, exordium ſumens, habita inde per plures ſacræ paginæ profeſſores examinatione diligenti, necnon de venerabilium fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, prædictos articulos tamquam falſos & erroneos, & a ſancta doctrina devios auctoritate Apoſtolica damnaverit & reprobaverit; ipſeque Joannes de Polliaco veris rationibus opinioni, quam dudum habuerat, contrariis, & quibus reſpondere non poterat, demonſtratis, eoſdem articulos non eſſe veros affirmans, illos in Conſiſtorio publico, necnon ipſorum Joannis Papæ, & Cardinalium præſentia revocaverit. Tamen, ſicuti nuper Fratrum Ordinum eorumdem lamentabili qucrela ad noſtrum, non ſine diſplicentia gravi, per-

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Fideraici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

pervenit auditum, plures Eccleſiaſticæ, necnon aliæ utriuſque ſexus perſonæ, improbos ſuperſtitioſoſque articulos hujuſmodi amplexantes, fideliumque animos inficere, ac eos ut Fratribus Ordinum hujuſmodi non confiteantur, & ab illorum devotione retrahere molientes, nedum prædictos, ſed alios etiam ſacris Canonibus omnino contrarios articulos aſtruere publice non verentur; videlicet quod confeſſio Fratribus ſic electis ac admiſſis facta, dubitabilis ſit & incerta, unde tenentur omnes dimittere incertum, & ſic ſolum confiteri ſuis ſacerdotibus curam animarum habentibus, ſub pœna peccati mortalis. Ac quamvis ipſi Fratres admiſſi auctoritatem habeant confeſſiones audiendi, & abſolvendi, tamen ad eos accedendi populus ſubjectus ſine licentia proprii ſacerdotis non habet poteſtatem. Fratres quoque privilegia pro confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis petentes, in peccato mortali, & Romani Pontifices illa Mendicantibus concedentes, ſive confirmantes, etiam in ſimili peccato, & excommunicati ſunt, & dicti Fratres Mendicantes non paſtores, ſed fures, latrones & lupi cenſentur. Sacerdos autem Curatus Mendicantibus confeſſiones audiendi licentiam dans, magis ſuper iſto ſtatuto *Omnis utriuſque ſexus* diſpenſat, quam Papa Fratribus licentiam tribuens juxta formam decretalis antedictæ. Nos igitur animarum, & alia, quæ præmiſſorum articulorum occaſione, niſi prodeuntes inde confutarentur errores, ſuccedere poſſent, pericula trepidantes, ac illis, quantum in nobis fuerit, obviare cupientes, omnes articulos prædictos, una cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus mature inſpeximus, & per diverſos in Jure Canonico Doctores, & ſacræ paginæ profeſſores diligenter examinari fecimus; & quia protinus illos falſos & erroneos, ac eiſdem Canonibus adverſos fore reperimus, illos de dictorum noſtrorum fratrum S. R. E. Cardinalium conſilio pariter & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica pro falſis & erroneis, ac adverſantibus ſacris Canonibus damnatos reprobatoſque declaramus atque decernimus. Quocirca Univerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli veſtrum, quando ſuper iis a quoquam prædictorum Ordinum Prædicatorum, Minorum, & aliorum Mendicantium ſuper præmiſſis privilegiatorum, Magiſtro Generali, ac Provinciali Miniſtro, Vicario, vel alio gerente officium, fueritis requiſiti, ad confutandos ac reprimendos, ac penitus tollendos hujuſmodi errores, prout in prædictis decretali ſive conſtitutione *Super cathedram*, ac extravagante *Vas electionis* continetur, diligenti ſtudio, atque cura provideatis ac intendatis, prædictaſque conſtitutiones integre reſervantes, faciatis ab omnibus inviolabiliter obſervari. Et ſi quis forſan hujuſmodi damnatos, ut præfertur, articulos, aut aliquem ſeu aliquos eorum pertinaciter aſſerere vel tenere ſeu prædicare invenietis, contra illos communiter vel diviſim, tamquam contra hæreticos, & de Catholica fide ſuſpectos procedere, necnon ipſos & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram eccleſiaſticam, & alia opportuna Juris remedia, auctoritate prædicta compeſcere ſtudeatis. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ declarationis & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXLVI. XVII. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno XVI. Ceterum ut earumdem litterarum tenores majoris roboris & efficaciæ cenſeantur, nos de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu, eaſdem prædeceſſoris noſtri litteras in omnibus & per omnia innovantes approbamus, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. noſtræ innovationis, approbationis, confirmatio-

mationis & communitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXLVIII. III. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno II. *Verum dum pridem in vigilia Pentecoſtes proxime præterita præfatæ litteræ Nicolai prædeceſſoris noſtri Venerabili fratri noſtro Epiſcopo Pariſienſi, ſeu in ejus Epiſcopali Curia præſentatæ forent, dilectus filius Guillelmus Riveti, pro tunc Rector Univerſitatis Pariſienſis, eaſdem impediri fecit, aſſerens dicti Nicolai prædeceſſoris litteras de falſo plurimum ſuſpectas, pacis in eadem Univerſitate ſolemniter juratæ, & ſtatus hierarchici in Eccleſia ſancta Dei plurimum turbativas, ſcandaloſas, & adverſas juri communi, ſanctionibus ſacris, & progmaticæ ſanctioni, & quod ſuper illis renunciondo, & illarum revocatoria impetrando, Religioſi quatuor Ordinum Mendicantium fuerunt attentius intimati, quod quia facere renuerunt & diſtulerunt, per ſuas potentes litteras univerſi notum fecit, quod ex cauſis præmiſſis, & aliis rationabilibus, de mandato oc ſpeciali & matura deliberatione & concluſone dictæ Univerſitatis, omnes & ſinguli illius jurati de dictis quatuor Mendicantium Ordinibus a gremio prædictæ Univerſitatis erant perpetuo privati. Jurati autem ab ejuſdem Univerſitatis conſortio, & graduum in eodem ſuſceptione ſimiliter reſervantur; ſi tamen dictis ſuis obtemperarent concluſionibus cum effectu, eadem Univerſitas cum eiſdem miſericorditer agere intendebat: & etiam cum in ſtatutis & privilegiis dictæ Univerſitatis, & præcipue ſel. rec. Alexandri IV. inter cetera contineri dicatur, quod ſi forte Magiſtris & ſcholaribus dictæ Univerſitatis hoſpitiorum ſubtrahatur taxatio, aut eis vel alicui ipſorum injuria, vel exceſſus inferrentur enormes, utpote mortis, vel membri mutilatio, niſi congrua monitione præmiſſa, infra quindecim dies foret ſatisfactum, liceret eiſdem Magiſtris & ſcholaribus uſque ad ſatisfactionem condignam ſuſpendere lectiones, & ſi aliquem eorum indebite incarcerari contingeret, fas eſſet ipſis, niſi monitione præhabita, ceſſaret injuria, ſtatim a lectione ceſſare, quodque ſi aliqua ex cauſis in inſtitutione piæ mem. Gregorii Papæ IX. contentis, eadem Univerſitas lectiones duceret ſuſpendendas, omnes Magiſtri tam Regulares, quam ſeculares ipſas ſuſpendere tenerentur, eas niſi cum Univerſitate minime reſumpturi. Evenitque interdum, ut ex cauſis præmiſſis ab hujuſmodi lectionibus ceſſatio fieret, Rector & Univerſitas Religioſos prædictos (ut de aliis taceamus) non ſolum a lectionibus hujuſmodi, verum etiam a prædicationibus verbi Dei ceſſare compellant, in Sedis Apoſtolicæ irreverentiam, fidei Chriſtianæ diſpendium, ac perturbationem dictorum Religioſorum, necnon malum exemplum & ſcandalum plurimorum. Quare pro parte dictorum Religioſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, paterna diligentia curaremus. Nos igitur, ad quos ex officio nobis commiſſo pertinet in præmiſſis vigilantiæ noſtræ curas adhibere, ſcientes quod prædictæ Nicolai prædeceſſoris litteræ matura cum deliberatione proceſſerunt, & quod nullo capite reputandæ ſunt de falſitate aut ſubreptione, vel obreptione ſuſpectæ, nec ſtatus hierarchici in Eccleſia Dei turbativæ, vel ſcandaloſæ, neque ſacris Canonibus adverſantes, ſed potius conſonæ, & ſaluti animarum Chriſtifidelium plurimum profuturæ, eas, de venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium conſilio & aſſenſu innovamus, confirmamus & approbamus, ſerie cum præſenti, mandantes illas, ac omnia & ſingula in eis, necnon Eugenii prædeceſſoris hujuſmodi litteris contenta, ſub excommunicationis, & aliis diverſis ſententiis, cenſuris & pœnis firmiter obſervari. Quodque idem Rector prædictos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres, pro eo quod determinationibus S. R. E. in materia fidei renunciare noluerunt, reſecatos atque privatos, ut præfertur, notificavit, ſtatutum quo-*

que

que & privilegium Alexandri IV. hujuſmodi ſolum de ceſſatione a lectionibus, & non a prædicationibus mentionem facit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ne tam celebres Ordines, quorum præclara ſuppoſita illam Univerſitatem, Franciæque regnum, ac univerſalem Eccleſiam ſuis doctrinis & exemplis decoraverunt atque decorant, tam ſubito tamque repente fuerint ab eadem Univerſitate, remaneant, & ſine illa cenſeantur quoquo modo reſecati, quinimo ibidem perpetuo vigeant, & notabilia facultatis ſacræ Theologiæ membra fuerint & exiſtant, privationem, reſecationem & litteras Rectoris hujuſmodi, necnon in eis contenta, & inde ſecuta quæcumque, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium revocamus, caſſamus & irritamus ac annullamus, nulliuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe decernimus, ipſoſque quatuor Ordinum Mendicantium Fratres in priſtinum, & in eum ſtatum, in quo ante notificationem, privationem & reſecationem prædictas exiſtebant, reſtituimus & reponimus, eoſque in aliquo caſuum, niſi hoc in ipſis litteris Alexandri & ſtatutis antedictis caveatur expreſſe, ad ceſſandum a prædicationibus verbi Dei, necnon ad id per Rectorem pro tempore dictæ Univerſitatis ſeu quemcumque alium aut alios compelli non poſſe, declaramus, ſed ipſos quatuor Ordinum Mendicantium Fratres tam juratos, quam non juratos, & alios Prælatos ſeu Doctores & Rectores Eccleſiarum, ad quos ſpectat, verbum Dei in ſuis Eccleſiis & aliis locis, ubi fuerint requiſiti, prædicare libere & licite poſſe & debere in omnibus & per omnia, perinde ac ſi hujuſmodi ceſſatio non foret, in caſibus antedictis, & ita litteras Alexandri, & ſtatuta hujuſmodi, ut juri conſona debere intelligi declaramus. Nihilominus omnibus & ſingulis Fratribus quatuor Ordinum Mendicantium prædictorum, qui in dicta Univerſitate debitos & conſuetos curſus in Theologia inceperint, continuaverint & perfecerint, & in futurum incipient, continuabunt & perficient, durante hujuſmodi, aut ſimili reſecatione, ut Licentiæ gradus & Doctoratus inſignia, Cancellarius dictæ Univerſitatis pro tempore, ut moris eſt, ſibi impendat, & ſi forſitan idem Cancellarius ad id requiſitus, gradus licentiæ & magiſterii inſignia eis impendere contradiceret, ex tunc liceat antiquiori Magiſtro in Theologia prædictorum quatuor Ordinum, vel uni ad hoc deputato ab eorumdem quatuor Ordinum Magiſtris, illis, qui dictos curſus perfecerint, gradus & inſignia hujuſmodi, prout, ſervatis aliis ſolemnitatibus & examine conſuetis, meruerint, abſque alicujus ſpiritualis vel temporalis pœnæ incurſu libere impendere; quodque Fratres ſic per eoſdem Magiſtros promoti, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, indultis & immunitatibus gaudeant & utantur, ac uti & gaudere poſſint, ſicut illi, quibus idem Cancellarius hujuſmodi gradus & inſignia, juxta ſtatuta & conſuetudines dictæ Univerſitatis impendit, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi gradus & inſignia prædicta ab eodem Cancellario cepiſſent, eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus. Præterea quia prætextu privilegiorum dictæ Univerſitatis, occaſione, ſeu ex cauſis prædictis, quidam Fratres prædictorum Ordinum citati fuerunt atque moleſtati, durante hujuſmodi reſecatione, prædicto & pro tempore exiſtenti Rectori, Conſervatoribus, necnon Magiſtris & ſcholaribus dictæ Univerſitatis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, a qua niſi in mortis articulo per alium, quam per Romanum Pontificem abſolvi non poſſint, ſi ſecus egerint, promulgamus, ne prætextu ſupradictorum privilegiorum, occaſione ſeu ex cauſa prædictis, ipſos Fratres, vel aliquem ipſorum, niſi apud Sedem Apoſtolicam dumtaxat, directe vel indirecte, ſub alio quovis quæſito colore per ſe vel

alium

alium ſeu alios, tam ſuper refectatione, ceſſatione a prædicatione, quam gradas impenſione, quam alia occaſione ſeu ex cauſa prædictis moleſtare, vexare ſeu perturbare præſumant, eadem auctoritate diſtricte inhibemus: Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrarum innovationis, confirmationis, approbationis, mandati, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, conſtitutionis, reſtitutionis, repoſitionis, declarationis, conceſſionis, indulti, promulgationis, inhibitionis & decreti infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud S. Petrum anno &c. MCCCCLVI. x. *Kal. Aprilis &c. anno* II.

Oblationes Aſſiſ. qualiter diſtribuendæ.

LXI. Ex oblationibus, quæ fiebant, pinguibus pecuniæ & ceræ in Conventu Portiunculæ apud Aſſiſium, potiorem partem adjudicavit Pontifex Cœnobio magno Conventualium, in quo ſancti Patriarchæ corpus requieſcit, declarata in hunc modum diſtributione.

Ad futuram rei memoriam.

Ex l. 14. bullar. fol. 203.

Decet & convenit noſtræ proviſionis ſtadio prævenire, ut Eccleſia ſancti Franciſci Aſſiſinaten. Ordinis Fratrum Minorum, in qua glorioſum Corpus ejuſdem Sancti requieſcit, ſumptuoſo opere fabricata, una cum Conventu, & aliis adjacentibus ædificiis, in ſtructuris & ædificiis ipſis nullo modo defectum patiatur, ſed continua reparationis, manutentionis & conſervationis remedia ac incrementa ſuſcipiat. Conſiderantes igitur quod ad præmiſſa dictæ Eccleſiæ, ac dilectorum filiorum Fratrum ejuſdem Conventus propter defectum facultatis.... ac attendentes, quod ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Portiuncula, Ordinis prædicti de Obſervantia, Aſſiſinatenſis diœceſis, devotionis cauſa, magna Chriſtifidelium utriuſque ſexus confluit multitudo, ex cujus ſuffragiis & piis largitionibus circa alias neceſſitates ædificiorum & domorum memorata Eccleſia ſancti Franciſci juvari & ſuſtentari poteſt. Nos opportune providere volentes, matu proprio, & ex certa ſcientia volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod omnes & ſingulæ pecuniariæ cujuſcumque generis monetarum oblationes, quas deinceps in dicta Eccleſia de Portiuncula pro tempore fieri contigerit, cedere & applicari debeant fabricæ & reparationi prædictæ Eccleſiæ ſancti Franciſci, eæque Procuratori pro tempore exiſtenti Fratrum & Conventus prædictorum per eum, de Cuſtodis etiam pro tempore exiſtentis domus ac Fratrum & Conventus eorumdem conſilia, in fabricam & reparationem, manutentionem & conſervationem ipſius Eccleſiæ & ædificiorum prædictarum tantum fideliter convertendæ, realiter & cum effectu aſſignentur: qui quidem Procurator oblationes ipſas ſibi aſſignatas in id opus integre exponere, necnon de receptis & expoſitis hujuſmodi, ſicut de aliis introitibus dictorum Eccleſiæ & Conventus, ad ejus manus pro tempore pervenientibus, facere conſuevit, rationem & computum ſingulis annis reddere debeat ac etiam teneatur; quodque de pecuniariis oblationibus hujuſmodi præſentis anni MCCCCLVII. *in feſto Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis proxime præterito inceptæ, & ut continuo ſequitur finiendi, eidem procuratori pro dicto tempore, ut præfertur, aſſignandis, detrahi & retineri debeant quadraginta ducati pro hac vice dumtaxat in uſus & utilitatem prædictæ Eccleſiæ de Portiuncula convertendi; quos quidem quadraginta ducatos ex prædictis oblationibus pecuniariis jam perventis, & apud Petrum Bartholomæi, civem Aſſiſinaten depoſitis, procuratori dictorum Fratrum & Conventus de Portiuncula ad omnem eorumdem Guardiani requiſitionem*

nem volumus & mandamus per prædictum depoſitarium aſſignari. Ceterum ne pecuniariæ oblationes hujuſmodi diſtrahi aut diſſipari, aut minus debite conſervari, aut negligentia vel defectus committi quoquo modo in eis poſſint, dilecto filio Miniſtro Provinciæ dicti Ordinis, ac prædicto Cuſtodi pro tempore exiſtentibus, harum ſerie præcipiendo committimus & mandamus, quatenus aliquem Tertii Ordinis, aut alium Religioſum aut ſecularem virum comprobatæ integritatis & vitæ, eligere & deputare auctoritate noſtra procurent, qui oblationes eaſdem pecuniarias in foveam quidem fideliter coadunare, juxta laudabilem hactenus approbatum morem debeat: quas pecunias ſic collectas Cuſtos pro tempore dictorum Fratrum & Conventus, quando ſibi videbitur, per procuratorem eorumdem inde libere levari faciat, ut præmittitur convertendas, cui ſuper hoc Guardianus pro tempore exiſtens prædictæ Eccleſiæ de Portiuncula aſſiſtere ac favere teneatur. De cera vero, quæ per Chriſtifideles ſupradictos in eadem Eccleſia de Portiuncula ſingulis Indulgentiarum, ac prædictæ Aſſumptionis & aliarum feſtivitatum diebus, anno quolibet pro tempore offeretur, quantitas ducentarum ſexaginta, videlicet centum & ſexaginta in Aſſumptionis prædictæ, & reliquarum centum librarum Annunciationis ejuſdem beatæ Mariæ Virginis feſtivitatibus per Fratres, qui tunc ibi morabuntur, prædicto Cuſtodi, in uſus & utilitatem dictæ Eccleſiæ ſancti Franciſci ſimiliter convertenda, debeat realiter & cum effectu tradi & etiam aſſignari. Quæ omnia & ſingula ſic, ut præmittitur, fieri, & adimpleri volumus, ac in virtute ſanctæ obedientiæ ab omnibus inviolabiliter obſervari mandamus. Non obſtantibus conſtitutionibus, ac eidem Eccleſiæ de Portiuncula ejuſque domus Conventui, ac Fratribus ab Apoſtolica Sede, vel ejus Legatis ſen quibuſvis aliis, quavis auctoritate conceſſis privilegiis, indultis & literis Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa præſentibus eſſet mentio facienda, ceteriſque contrariis quibuſcumque; quibus omnibus in hac parte expreſſe derogamus, eis alias in ſuo robore permanſuris. Nulli ergo &c. noſtræ voluntatis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, mandati & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. *Idibus Septembris &c. anno* III.

LXII. Hoc anno die XX. Octobris, vel ut aliis placet, XIII. Martii obiit Seraphina nobilis Clariſſa. Hoc Inſtitutum profeſſa Romæ in Monaſterio ſanctorum Coſmæ & Damiani, in regione Tranſtyberina, ea fulſit virtutis excellentia, ut omnium ſuffragiis electa ſit Abbatiſſa. Chriſti paſſionem aſſidue meditabatur, & frequenti proſequebatur lacrymarum profluvio. Die Veneris aliquid deguſtatura Chriſti pœnarum, ſel abſque temperatura, alias aceto mixtum ſorbebat. Aſpero cilicio, crebris verberibus corpuſculum cruciabat, miroſque modos excogitabat pœnitentiæ. Timens ne lacrymarum rivuli capiti aut cerebro nocerent, rogavit ſui Monaſterii titulares, medicinæ Principes, vellent eſſe propitii. At illi & ſuo conſpectu, & promiſſo patrocinio orantem recrearunt. Aliquando plus ſolito tribulata, intenſis precibus Dei invocabat auxilium; viſaque eſt ad Divinæ Majeſtatis thronum elevari, & Deiparam dicentem excipere: *Exaudita ſunt orationes tuæ.* Cui illa: *Quod tibi pro tanto beneficio per te accepto, Virgo ſanctiſſima, petero præſtare obſequium?* Reſpondens inquit: *Texe mihi quotidie coronam repetitæ ſalutationis Angelicæ.* Illa libenter obſequuta, reliquo vitæ tempore juſſa complevit. Paulo ante mortem a Chriſto præmonita ſui tranſitus, germano fratri valedixit, ultimum dicens illud fore

Jacobil. de SS. Fulgin. fol. 298. Marian. de SS. Clariſſ. c. ult. Gallon. de Virginib. Roman. fol. 340.

Moritur B. Seraphina. Ejus virtutes.

fore colloquium, & utrumque brevi infra menſem unum deceſſurum. Infra paucos dies illa præceſſit, quarto poſt die ille ſecutus.

Foliet. l. 10. hiſtor. Genuen. ad an. 1451.
Bizar. l. 12. hiſtor. Genuen. & tract. de ſtatu & adminiſt. reipub. Genuen.
Magiſtratus ſancti Georgii Genuæ inſtitutus.
Reipub. labenti ſuccurrit.
Ex regiſt. Ordinis.
Petit mitti doctos Minoritas in Corſicam.

LXIII. Magiſtratus ſancti Georgii ſub hoc tempus in urbe Genuenſi inſtitutus, ita res civiles & politicas regebat, ut inter civilium bellorum turbines publica vectigalia pacatiſſime curaret, eaque auctoritate, & unitorum civium concordia, ut ſpreta diſſidentium nobilium poteſtate, labanti Reipublicæ humeros manuſque ſuppoſuerit, in ſuum ſinum privatas publicaſque facultates, factionum rapinis expoſitas collegerit, & demum inſulæ Corſicanæ in ſe translatum regimen prudenter adminiſtrarit. Ita paulatim crevit, ut ſummum ſibi ferme adſciverit imperium, atque in una urbe duæ eſſent Civitates, atque in uno Principatu duæ viderentur reſpublicæ. Admiſſo porro Corſicæ gubernio, nihil prius cogitavit, quam de purganda inſula, multis erroribus corrupta, & ſtabilienda veræ fidei doctrina. Miſſo itaque Deodato cive ad Baptiſtam Vicarium Generalem Obſervantum, Clavari gravi ſtomachi dolore decumbentem, obnixe rogarunt, ut e ſuo cœtu viros doctos, & pios mitteret, *ad evellendos* (inquiunt) *errores nonnullos a vero dogmate diſcrepantes; exiſtimamus enim dictam inſulam eo magis in dies felicibus augmentandam ſucceſſibus, quo magis ejuſdem incolæ in vera petra, quæ Chriſtus eſt, fuerint doctrinæ veritate conſolidati.* Promiſit Baptiſta die VIII. Januarii hujus anni ſe quamprimum idoneos miſſurum operarios, & eruditos fidei magiſtros, pauciores tamen quam vellet, deſtinatis ex Pontificio præcepto plurimis & potiſſimis concionatoribus Cruciatæ contra Turcas prædicandæ. Dedit tamen extempore litteras ad eos, qui in inſula commorabantur, Conſodales, ut populum exhortarentur ad opportunum ferendum Reipublicæ ſubſidium contra Alphonſum Regem Aragonium, Liguſticam ditionem ac Provincias infeſtis armis divexantem.

Ibidem; Fr. Franciſcus Spada.

LXIV. Erat hoc tempore deſtinatus rebus Hieroſolymorum procurandis frater Franciſcus Spada, vir prudens & rebus agendis idoneus, cui Baptiſta Vicarius Generalis gravia quædam negotia hoc anno per litteras commiſit. Joannes Cardinalis ſancti Angeli, in Hungaria Sedis Apoſtolicæ Legatus, hoc anno valde commendat induſtriam & doctrinam fratris Stephani de Baſſan, Provinciæ Hungariæ Vicarii Obſervantum, ſecumque tamquam fidei negotio promovendo neceſſarium apud ſe retinuit, ſubmiſſo ejus loco ad Capitulum Generale fratre Michaele Tranſilvaniæ Cuſtode. In eodem Capitulo commiſſa eſt cura Vicariæ Orientalis fratri Paulo de Albingana; & procuratio locorum Conſtantinopolis & Caſæ Jacobo Primaditio, & paulo poſt Comitia Generalia in eadem urbe Mediolanenſi electus eſt in Capitulo provinciali Obſervantum Vicarius Bonaventura de Plantanidis, de quo alias dictum eſt, qui confirmationem a Gabriele Licienſi ejuſdem Provinciæ Miniſtro ſecundum Calixti conſtitutionem accepit.

Fr. Stephanus de Baſſan.

To. 12. an. 1451. num. 13. & anno 1451. n. 52.
Fr. Raymundus Epiſc. Vaſaten.
Fr. Joan. Libarien.
Fr. Janue. Turtibulen.
Fr. Joan. Moldavien.
Fr. Joan. Salonen.
Fr. Stephanus Bethlehemitan.

LXV. Aſſumpti ſunt ad Epiſcopatus frater Raymundus de Torculari ſacræ Theologiæ profeſſor ad Vaſaten. in Gallia, ſub Archiep. Auxitano, per obitum alterius Raymundi, Kalendis Aprilis. Frater Joannes de Derthe-rem ſacræ Theologiæ lector ad Libarien. titularem in Helleſponto, ſub Archiep. Cyziceno, a longo tempore vacantem, V. Kal. Maii. Frater Januccius de Lavello, in Theologia baccalaureus, ad Turtibulen. in regno Neapolitano, ſub Archiep. Beneventano, per obitum Donati, XIII. Kal. Junii. Frater Joannes Keminer ad Moldavien. in Polonia, ſub Archiep. Leopolien. per obitum Joannis, XVII. Kal. Auguſti. Frater Joannes Freyn ad Salonen. titularem, ſub Archiep. Naupacten. per obitum Joannis Stenterbich, IV. Kal. Septembris. Frater Stephanus Pilerandus ſacræ Theologiæ Magi-

Anno Christi 1457.	Calixti III. anno 3.	Friderici III. Imp. anno 18.	Religionis Minorum anno 250.

giſter ad Bethlehemitanum in Judæa, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, per obitum Arnulphi Guillelmi, Nonis Octobris. Obiiſſe hoc anno fratrem Joannem Schlechter, Theologum inſignem, Archiepiſcopi Colonienſis Suffraganeum, Gaſpar Bruſchius enarrat. *Bruſch. in Catal. Archiep. Colon. n. 66.*

LXVI. In tractu Brixienſi extra oppidum Clarenſe hoc anno, procurante fratre Bonaventura de Plantanidis, Mediolanenſi Vicario, fabricatum hoc anno Conventum ex facultate Nicolai V. aſſerit Gonzaga. Reliqua cohærent, ſed quod de Nicolai facultate ſcribit, ſubſiſtere non poteſt, niſi fortaſſe prius, ſeu ante annum MCCCCLV. quo Nicolaus deceſſit, hanc conceſſerit licentiam. Sterile eſt ſolum, milio potius quam tritico abundans. Conv. Claren. *Gonz. in Prov. Brixiæ Conv. 13.*

LXVII. In inſula Rhodiorum circa hunc annum Jacobum Milium, Militiæ ſancti Joannis Magiſtrum dediſſe Fratribus Obſervantibus habitaculum, habent ejuſdem Ordinis chronica, idque factum, deprecante fratre Angelo de Santia ejuſdem Inſtituti. Donavit eis Eccleſiam ſancti Marci & ſancti Bernardini, cum omnibus juriſdictionibus, reditibus, hortis & viridariis croci fertiliſſimis, ut inibi Conventum ædificarent, quod illi brevi præſtiterunt. *Funes l. 3. hiſtor. Rhod. c. 11.* Conv. Rhodiorum.

LXVIII. Extra oppidum Trajectenſe ſupra Moſam hoc tempore ejuſdem Inſtituti viri, ex licentia & conſenſu Joannis Epiſcopi Leodienſis, ac Magiſtratus Trajectenſis, poſuerunt ſibi domicilium ſub titulo Eremitorii. Hoc anno ſui incolatus confirmationem receperunt a Pontifice. Per aliquot annos ibi hæſerunt, donec introducta reformatione in Conventualium Cœnobium, illuc translati ſunt. De illo Conventu alias egimus diffuſius. Subeſt nunc hæreticis oppidum, & Conventus ruinæ. In Eccleſia & ambitu fuerunt multorum nobilium ſarcophagi & ſepulturæ. Inter alios erat Nicolai Harlaeri ante aram ſacelli majoris, & Virginis Deiparæ, de cujus miraculoſo ſimulachro integrum libellum ſcripſiſſe diximus Henricum Sedulium. Traditio eſt hunc imaginem iſtam illic poſuiſſe. Factus poſtea Frater Minor, illic accepit ſepulcrum, ubi Virginis cultum erexit, hoc inciſo epitaphio: *An. Dom.* MCCCCLXXIV. *menſis Maii die* XXV. *obiit nobilis Dominus & frater Nicolaus de Harlaer Miles, ætatis centum & unius annorum, conſiliarius & primus Magiſter hoſpitii Domini Ludovici de Borbon, Epiſcopi Leodienſis, cui propitietur miſericors Deus. Amen.* Claruit etiam illic frater Adrianus Holſtadius, qui multis annis concionibus ſuis oppidum colluſtravit. Sepultus etiam erat in choro magnus ille vir Joannes Goropius Becanus, cujus ingenium & ſcripta docti quique commendant. Supra januam veſtiarii hoc ejus legebatur epitaphium: *D. O. M. Joanni Goropio Becano, divinarum atque humanarum rerum, bonarumque artium peritiſſimo, Catharina de Cordis uxor, & filiolæ duæ conjugi, ac parenti dulciſſimo cum lachrymis poſuerunt; Levino Torrentio, & Gaſpare Burchio procurantibus, quibus ille res ſuas moriens commendavit. Vixit annos* LIII. *obiit* IV. *Kal. Julii anno* M. D. LXVII. *Ex Arch. inſer. lib. 18. fol. 111.* Conv. Moſæ Trajectens. *Tom. 3. an. 1240. n. 25.* *Ibidem.*

LXIX. Hoc anno extructum Cœnobium in Friſiæ inferioris ſeu Occidentalis urbe Leovardia, Senatu conſilii Provinciæ cohoneſtata. Anno MDLXXX. die II. Februarii Geuzii urbe potiti & arce, illud miſere diripuerunt, & Fratres reculis ſuis ſpoliatos ignominioſe pepulerunt. Laurentius Surius illic ait fuiſſe patris ſui, olim illius urbis medici, monumentum. Spectabat aliquando hic Conventus ad Provinciam Colonienſem ex decreto Capituli Generalis anno MDXXXII. celebrati, poſtea acceſſit Provinciæ Germaniæ inferioris. Conv. Leovardiæ. *Sur. in comment.*

LXX. In Delphinatu & Charreriarum pago, diœc. Viennenſis, hoc anno humile obtinuerunt domicilium Fratres Obſervantes, in prioratu Or- Conv. Charreriarum.

Fodere. & Picquet. in Prov. S. Benav. Gonz. ibid. Conv. 40.

dinis Cluniacenſis, accedente Antonii Archiepiſcopi Viennenſis, Alani Cardinalis in Francia & Delphinatu Legati, Ludovici Principis Delphini, Caroli VII. Regis primogeniti aſſenſu. Fundator fuit Fulco de Montecanuto Miles, Dominus Caſtri-Novi, ſive de Galabriis, qui etiam lites ſopierat Prioris Mantelæ, & Curati Caſtri-Novi, Fratribus adverſantium. Situs æſtivo tempore amœnus, in hyeme exundante fluviolo Galabro, redditur injucundus, & Caſtri incolis frequenter inacceſſibilis. Eccleſiæ ſatis exiguæ dedicatio ſub invocatione ſancti Petri die XVIII. Maii quotannis celebratur. Circumcirca ingens eſt numerus nobilium Catholicorum, erga Fratres liberalium; neque tamen Calviniſtarum furias reprimere potuerunt, quin anno MDLXV. locum hoſtiliter invaderent, & anno MOLXVII. magna ex parte cremarent. Fugientibus Fratribus, Guardianus Joannes de Tellio Moratium proficiſcens, a Cœnobii famulo traditur, & ab hæreticis crudeliſſime necatur. Joannis de Monte-canuto & aliorum beneficentia & ſubſidio, frater Michael Laubepinus locum reſtituit. Durante illo hæreticorum turbine, contemptis injuriis & opprobriis illic perſtitit frater Claudius Gerardus, ſolus dejectæ & deſtitutæ domus incola; in eorum conſpectu officium quotidie recitabat in templo, cujus virtutem & ſenectutem etiam illi venerabantur. Orationibus ſemper intentus, ante Fratrum reditum abſque prævia infirmitate placide obdormivit in Domino.

Reformantur Conventus Peronæ, & Belvæ. *Ex l. 14. bullar. fol. 49.*

LXXI. Hoc anno Conventus Peronæ, dioec. Noviomen. rogante Joanne de Burgundia, Comite de Stampis, reformationem admiſit, jubente Calixto, executore Epiſcopo Cameracenſi; necnon Conventus Belvæ, Eduen. dioec. executore Joanne tituli ſancti Stephani in Cœlio Monte Cardinale.

LXXII. Gabriel Veronenſis, præcipuus beati Joannis Capiſtrani ſocius, virtutis & zeli particeps, hoc anno magno incremento trium Conventuum, Religionem per Poloniam majorem propagavit. Primum accepit in majoris Poloniæ urbe præcipua Poſnania, fundum largiente devoto cive Matthia Czarnio, Eccleſiam conſtruente Andrea Epiſcopo, clauſtrum & reliquum ædificium civibus diverſis. Primum quidem ex aſſeribus, deinde ex coctilibus firmiſque muris domus compacta. Erat ille locus ante Fratrum adventum ſcelerum ſentina, copioſumque inde lucrum diabolus reportabat. Dolens itaque, dirutis ibidem domunculis, ſublataque peccandi commoditate, Fratrum virtute & doctrina cives ad meliora chariſmata provocari, miris artibus laboravit vitam maculare, ut conſequenter doctrina contemneretur. Plurimas inde paſſi contumelias & improperia, gravius quiddam audierunt, unum ex Fratribus ad mulieres prope Conventum lavantes acceſſiſſe, & ad rem Veneream turpiſſimis modis ſollicitaſſe. Dum id ſecundo & tertio accidiſſet, & lotrices apud ædis præfectum de Fratris inverecundia conquererentur, advocavit Religioſos univerſos, inter quos dum nullum huic ſimilem agnoſcerent mulierculæ, confidenter dixit Guardianus: *ſi impudicus hic nebulo ad vos redierit, apprehenſum mihi renunciate, & ſi ex meo cœtu fuerit, pœnas tanto crimine dignas perſolvet.* Porro iterum revertitur, eademque repetit nefanda. Ubi vero lotrices manus injiciunt, ut capiant, in aſinum converſus, cum maximo cachino, fœtore, & contuentium ſtupore proximis aquis inſiliit, ſtatimque diſparuit. Re miranda undique diffuſa, Fratribus reintegrato honore, deinceps optime audierunt.

Conv. Poſnanien. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 3. Chron. MSS. ejuſd. Prov.*

Dæmonis artes contra Fratres.

Sed eluſæ.

LXXIII. Habet hic Conventus Eccleſias duas, unam majorem columnis octo ſuffultam, Deo ſub invocatione ſancti Bernardini dicatam; alteram ſub titulo SS. Annæ & Franciſci. Numeroſæ hic ſunt duæ Confraternitates

ſan-

ſanctæ Annæ, & Chordigerorum, magno pietatis incremento. Senatus anno MDCXIX. amplam conceſſit Fratribus aream Conventui contiguam, in hortum convertendam; muro cinxit frater Bernardinus Bydgoſtianus Guardianus & Theologiæ profeſſor. Cœnobium eſt inſigne, Fratrum ſexaginta, in eoque requieſcunt Nicolaus a Coſtie, diſertiſſimus prædicator, poſt mortem clarus miraculis, primum in horto prope antiquum ſanctæ Annæ ſacellum ſepultus, deinde ad Eccleſiam decenti loco translatus. Michael Cantor, qui mortis diem multo ante prædixit. Ludovicus *Laudate* cognominatus, quod Dominum aſſidue laudarit, & alios ad laudandum frequenti hoc verbo *Laudate* excitarit. Gabriel Czernievien bis Miniſteriatus officio functus, humilitate, vitæ innocentia, modeſtia & patientia inſignis, exercitatiſſimus paſſionis Dominicæ contemplator, prope latus dextrum Altaris in choro ſepultus. Hieronymus Przybinus fervidus prædicator, doctrina clarus & Principibus cariſſimus. Petrus Tilicius Epiſcopus Cracovienſis ſummo habuit in pretio.

Fr. Nicolaus a Coſtia.

Fr. Michael Cantor.

Frater Gabriel Czernievien.

Fr. Hieronymus Przybinus.

LXXIV. Eodem ferme tempore ſecundum admiſit Veronenſis Conventum in ſuburbio Civitatis Coſtenii, conceſſa anno præcedenti ab urbis Conſulibus area Cœnobio conſtruendo. Id conſtat ex his Notarii publici fragmentis: *In nomine Domini, ſub anno a nativitate Chriſti* MCCCCLVI. *Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri D. Calixti divina providentia Papæ* III. *anno* II. *Ind.* IV. *in noſtri notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum præſentia conſtituti perſonaliter providi & prudentes viri DD. Albertus Volla Proconſul, Petrus Herman, Laurentius, Adam &c. Conſules hoc præcipue permoti reſpectu, ad laudem Omnipotentis Dei, ac in memoriam glorioſiſſimæ ac intemeratæ Virginis matris ejus Mariæ, necnon ſanctorum Franciſci & Bernardini Confeſſorum, præfatam aream ſive locum ad tantum ſpatium latum & longum pro conſtituenda Eccleſia, & Monaſterio verſus Orientem fundando, ad inhabitandum Fratribus Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia juxta eorum ritus, obſervationes, conſuetudines & privilegia &c. Quam quidem donationem taliter factam P. R. Gabriel de Verona, ejuſdem Ordinis ſancti Franciſci, ac in Provinciis Auſtriæ, Styriæ, Poloniæ, Boemiæ, Sileſiæ quoad Fratres de Obſervantia nuncupatos Vicarius acceptavit &c.* Per multa tempora Cœnobium hoc ligneum fuit, tamdem anno MDCIV. opera & ſtudio duorum Patrum memoratu dignorum, Leonardi Fabczinii, & Auguſtini Pbilionii ex eleemoſynis benefactorum, de latere cocto Eccleſia cum Conventu, inſigni artificio, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis ædificata eſt. In ea requieſcit venerabilis Pater Bernardinus celebris concionator, ob vitæ ſanctimoniam dæmonibus formidabilis, quorum plurimos ab obſeſſis pepulit corporibus.

Conv. Coſtenii. *Indic. Conv. 4. Monum. MSS.*

Fr. Bernardinus Polonus.

LXXV. Tunc etiam in urbe Frauſtatii ſeu Urſchovii in eadem Polonia majori alter conceſſus Conventus, in quo multo tempore viguit regularis Obſervantia, ſed inopinato caſu in favillas redactus, longo tempore caruit habitatore. Demum circa annum MDCXXVIII. inſtaurari & inhabitari cœpit poſt diviſionem Provinciæ Poloniæ Majoris a Minori.

Conv. Urſchovii. *Indic. Conv. 5. Monum. MSS.*

LXXVI. His admiſſis Conventibus, exactoque ſui Vicariatus triennio, ceſſit officio Gabriel Veronenſis, ſuffectuſque eſt hoc anno frater Bernardinus Ingolſtadienſis, ante ſuſceptum habitum Magiſter Artium Viennenſis, vir religioſus, ſed in rebus Ordinis inexpertus, quippe qui integrum quinquennium non abſolverat in Religione. Paupertatis ultra modum zelator, pretioſa quæque ac curioſa tanto ſtudio eliminabat, ut etiam ex libris choralibus imagunculas deauratas ſive miniatas eradi aut ſcindi præceperit, &

Chron. MSS. Polon. Bernardinus Ingolſtadien. Vicarius Poloniæ.

cum Magiſtratibus urbium egerit, ne adeo abundanter Fratribus eleemoſynas porrigerent. Varſaviæ Guardiano Stanislao Gouczynio præcepit, ut carnem, quam ipſe in culina viderat, neceſſitati Fratrum ſuperabundantem, inter pauperes diſtribueret in platea; dicens, illis dari, vel benefactoribus reddi debere, quidquid Fratrum ſtrictam ſuperabat indigentiam.

Ex l. 25. bullar. fol. 50. Conv. Garani. Ex donationis diplomate.

LXXVII. Nobilis vir Uladislaus Dux Gleſiæ, in Toſſodera, ac in majori Polonia, facultatem obtinuit ædificandi Minoritis domum in oppido Garano, diœc. Wratislavien. ſub invocatione ſancti Franciſci. An vero ædificaverit, non comperio.

Tom. 12. anno 1449. n. 10. Fabriani magna donatur Minoribus ſtructura.

LXXVIII. Eo tempore quo Nicolaus V. Fabriani, uti narravimus, commoratus eſt, majori oppidi ornamento & foro ampliando demoliri fecit nonnullas domunculas; extructiſque amplis fornicibus ſub templo ſancti Franciſci multas fecit fabricari apothecas. Abeunte Pontifice, remanſit opus imperfectum. Ne ruinam pateretur, petierunt Fabrianenſes, quod fabricatum erat, Minoribus donari, qui tum oppidi ornatui, tum ſuo commodo reliquum adjicerent. Annuit Pontifex diplomate ad ſuum nepotem Rodericum Borgia Cardinalem, in Marchia Sedis Apoſtolicæ Legatum, tranſmiſſo.

Tom. 12. anno 1445. n. 18. Monaſterio Clariſſarum Valentino applicantur reditus.

LXXIX. Diximus alias conſtructum a Maria Regina Aragonum, Alphonſi Regis conjuge, Monaſterium Clariſſarum prope Civitatem Valentiæ ſub nomine ſanctiſſimæ Trinitatis. Hoc anno non erat adhuc perfectum, neque ſufficienter dotatum. Rogante itaque fundatrice, Alphonſus eidem applicavit ſeptem millia ſolidorum, quæ Maria, Martini quondam Regis Aragonum uxor legavit annuæ Cœnobio ſancti Spiritus Muri-Veteris prope Saguntum, Ordinis Minorum, a ſe, ut alias diximus, ædificato; hæc etenim poſſidere & quotannis recipere, ſuo ſtatui contrarium decrevere Fratres in

Tom. 9. an. 1402. n. 14. Quibus a ſe ableganti Minoritæ.

Capitulo Barcinone ſub Joanne Quedesber Vicario Generali celebrato, miſſiſque ſupplicibus libellis ad Calixtum Pontificem, & Alphonſum Regem Neapoli degentem, rogarunt a ſe transferri hujuſmodi reditus perpetuos. Omnia voluit confirmata Pontifex hoc anno, inſertis ſuo diplomati religioſa certe prudentique Fratrum determinatione, & Regis proviſione: *In domo Domini.* XII. Kal. Julii. Digna eſt, quæ legatur, & quam alii Conventus, ſi quos habent hujuſmodi reditus, diligenter imitentur; hæc Fratrum reſolutio. Porro Calixtus conceſſis eidem Monaſterio variis indulgentiis, illud regimini ſubjecit Fratrum regularis Obſervantiæ: *Tuæ devotionis*, eodem die.

Monaſt. Gabennen.

LXXX. Conceſſit hoc anno Pontifex facultatem, ut nobilis mulier Anna de Cypro, Ludovici Sabaudiæ Ducis uxor, Monaſterium Clariſſarum in urbe Gebennenſi in loco de Inſula, qui ab antiquo propter certas differentias erat interdictus, & alterum ſeu hoſpitale peregrinorum in alio loco infra ſui conjugis dominium poſſet ædificare: *Pii Chriſtifidelium.* XV. Kal. Octobris. An vero id fecerit, minime conſtat, ea in urbe deletis omnibus Romanæ Religionis veſtigiis. Conſtat tamen in Conventu Fratrum Minorum ejuſdem urbis, ſacellum beatæ Mariæ Virginis hoc anno *ſumptuoſo & mirifico opere*, uti loquitur Pontifex, eam inchoaſſe, cujus intuitu ampliſſimas conceſſit Indulgentias pro omnibus beatæ Mariæ feſtivitatibus; quas ejus ſucceſſor Pius anno MCCCCLIX. confirmavit & auxit.

* *al.* Moncada, Monaſt. Meſſanen.

LXXXI. Meſſanæ degebant piæ mulieres Macauda * de Calafatis, tertii Ordinis ſancti Franciſci, & Mita ejus nata, aſpirabantque ad perfectiorem vitam in Monaſterio Ordinis ſanctæ Claræ a ſe fundando. Ita faciendi impetrarunt hoc anno facultatem a Pontifice, qui ſcriptis ad Archiepiſcopum

pum (Jacobum de Tudiſchis) litteris juſſit, ut etiam ex domo ſanctæ Mariæ de Baſilico ejuſdem Ordinis primas daret diſciplinæ regularis magiſtras, Sorsborgiam *, aliaſque tres vel quatuor Moniales ad arbitrium eligendas, & viſitationi ſubjiceret Fratrum domus beatæ Mariæ de Jeſu, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ: *Piis fidelium votis*. Hoc illud Monaſterium eſt, quod Montis Virginum appellatur. Anno ſequenti reperio aliud ejuſdem Pontificis diploma, quo præfatum jubet Archiepiſcopum, ut prædictis Sororibus concedat hoſpitale Aſcenſionis, olim a Juliano de Jordano, cive Meſſanenſi fundatum, nunc ruinæ proximum, ut in Monaſterium convertant.

* al. Sorſtagiam, vel Euſtochium.

LXXXII. Atrebati in Comitatu Artheſiæ ædificandi Clariſſarum Monaſterium facultatem impetrarunt hoc anno nobilis vir Philippus Saveuſius Ballioli-Montis &c. Toparcha, Philippi Burgundiæ Ducis conſiliarius, ejuſque conjux Maria de Lully: *Piis fidelium votis*. III. Idus Aprilis. Inſigne & religioſum hoc nuncupat Monaſterium Gonzaga. Omnium prima illic emiſit profeſſionem Clara de Longeval, prima fuit Abbatiſſa Catarina Colonnenſis, reliquas dabit Ferreolus Locrius in ſuo Chronico Belgico.

Monaſt. Atrebaten.

Gonz. in Prov. S. Andr. in fine.

Locr. ad hunc annum.

LXXXIII. In oppido Bargæ de Garfagnana, Lucanæ diœceſis, conceſſa eſt licentia ædificandi Monaſterium ſui Inſtituti quibuſdam piis fœminis Tertii Ordinis ſancti Franciſci: *Piis votis fidelium*. XV. Kalend. Februarii. Fratribus & Sororibus ejuſdem Ordinis in Hibernia, quorum multa erant ibidem domicilia, deputatus eſt in Viſitatorem Generalem, accedente tamen prius conſenſu Miniſtri Generalis Ordinis Minorum, Thomas Ornayn presbyter ejuſdem Inſtituti, cui etiam primariæ & famoſæ domus ejuſdem Ordinis beatæ Mariæ de Killavabrenaynd, Tuamen. diœc. cura commiſſa eſt perpetua: *Diſpoſitione Divina*. IX. Kal. Aprilis. Hoc tempore in urbe Cornetana aliquot piæ Tertiariæ ſibi domicilium poſuerunt. Summis precibus rogavit Epiſcopus Vicarium Generalem Baptiſtam de Levanto, ut curam & regimen earumdem ſuis Fratribus Obſervantinis commendaret. Qua potuit efficacia rogavit ille Antiſtitem, ut ſe excuſatum haberet; neque enim judicavit expedire hujuſmodi periculoſis curis ſuos ſubditos implicare, probe noſcens, quanto ſecurius ſit ab omni fœminarum, etſi Deo conſecratarum, conſortio abſtinere.

Domus Bargen. Sororum Tertii Ordinis.

Viſitator Tertii Ordinis in Hibernia.

Domus Sororum Cornetana.

Vicarius Generalis egre admittit curam Monialium.

LXXXIV. Mediolani ſub hoc tempus domum habuiſſe Fratres Tertii Ordinis in Parochia ſancti Benedicti, conſtat ex tabulis teſtamenti Joannis de Morigiis civis Mediolanenſis, qui eiſdem bona quædam legavit. Nobile ſacellum beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia Minorum Bruxellenſi, pretioſis reliquiis inſigne, magnis Indulgentiis hoc anno Pontifex cohoneſtavit.

Domus Mediolanen. Fratrum Tertii Ordinis.

LXXXV. Sub hujus anni initium Pontifex beato Jacobo Piceno, antequam in Hungariam abiret, conceſſit ampliſſimas Indulgentias pro viſitantibus Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gratiis, Conventus Ordinis Minorum in oppido Montis-Prandoni, in quo natus eſt, conſtructi. Singulare & honorificum eſt Breve Pontificium, cui aliud ſimile huc uſque non vidi, neque a Pontificibus legi adeo manifeſte quempiam, dum viveret, etiam de vitæ ſanctimonia laudari. Ipſum ex autographo hic tranſcribo inſtrumentum.

Conceduntur magnæ Indulg. Eccleſiæ Montis-Prandoni.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia, Ordinis beati Franciſci de Obſervantia regulari.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

EXigit noſtra ad beatum Franciſcum devotio, & nota nobis, ac certo judicio comprobata vitæ tuæ ſanctimonia promeretur, ut Deum in dicto Sancto,

Commendatur B. Jacobus a Marchia.

ſto, & ejus Ordinem, cujus profeſſionis præſtans profeſſor exiſtis, pro viribus honoremus. Cum itaque fel. record. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter tuis precibus & amore, ſaluti animarum conſulere volens, Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Gratia, poſitæ juxta Caſtrum Montis-Prandoni, Provinciæ noſtræ Marchiæ Anconitanæ, unde oriundus exiſtis, conceſſerit omnibus Chriſtifidelibus dictam Eccleſiam viſitantibus in ſingulis diebus feſtivitatum gloriosæ Virginis Dei Genitricis, & omnium feſtorum Ordinis beati Franciſci, Indulgentiam quinque annorum & totidem quadragenarum pro quolibet ipſorum feſtorum, prout in litteris Apoſtolicis ſuperinde confectis latius continetur. Et quia, memorante prudenti bonitate, intelleximus populos circa prædictam Eccleſiam habitantes, & alios circumvicinos raro aut numquam ad illam niſi in feſto beatæ Virginis prædictæ Aſſumptionis confluere, adeo ut ceteræ Indulgentiæ in aliis diebus ſuperflue videantur conceſſæ; tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, eaſdem Indulgentias omnes omnium dierum beatæ Virginis, & omnium feſtorum Ordinis beati Franciſci ad prædictam diem unicam Aſſumptionis beatæ Virginis, quæ in menſe Auguſti celebratur, reducimus, unimus & copulamus, ut quidquid in prædictis aliis diebus per totum annum Viſitatoribus dictæ Eccleſiæ indulgebatur, in hoc unico Aſſumptionis die copulari indulgerique intelligatur. Et nihilominus ut perſonæ tuæ, de nobis, & univerſo populo Chriſtiano per vitam exemplarem, & prædicationem aſſiduam, & aliter benemeritæ, honorem in animarum ſalute afferamus, eaſdem Indulgentias a prædeceſſore noſtro conceſſas & a nobis, ut præfertur, in dictam diem unicam redactas, nos etiam auctoritate Apoſtolica confirmamus, ac totidem Indulgentias in dictam diem unicam auctoritate prædicta de novo concedimus, perpetuis temporibus duraturas. Datum Romæ apud ſanctam Petrum ſub annulo Piſcatoris die XXIV. *Januarii* MCCCCLVI. *Pontificatus noſtri anno* II.

Variis conceduntur a Pontifice privilegia.

LXXXVI. Conſiderans Angelus a Bulſeno, Procurator Ciſmontanæ Familiæ Obſervantum, plurimos ex utraque familia in Urbem adventare, nimioque numero Conventus Aræ-cœli, & ſancti Franciſci Tranſtyberinum aggravari, ductos ſcilicet variis conſcientiarum ſcrupulis, a quibus nonniſi Pontificia auctoritate abſolvi poſſe putabant, oravit ſub finem hujus anni Calixtum Pontificem, ut pro tollendis tot diſcurſibus placeret abſolvendi auctoritatem ampliorem ſuperioribus concedere, & circa Regulæ obſervantiam dubia aliquot declarare. Omnia, prout in regiſtro Ordinis ipſe his verbis adnotari curavit, exſcribam.

Supplicat Sanctitati Veſtræ frater Angelus de Bulſeno Procurator Ciſmontanus regularis Obſervantiæ: Primo, ad tollendos diſcurſus Fratrum, & pro exonerandis Conventibus Ara-cœli, & ſancti Franciſci trans-Tyberim dignetur Sanctitas veſtra concedere omnimodam auctoritatem & poteſtatem tam ſibi ut Procuratori, quam etiam Vicariorum Vicariis, videlicet Ciſmontano & Ultramontano, omnibus etiam & ſingulis Vicariis Provinciarum citra & ultra montes, abſolvendi a quibuſcumque reſervatis Sedi Apoſtolicæ, ſive per jus commune, ſive per quaſcumque extravagantes, vel Apoſtolicas litteras generales, particulares ſeu locales, etiamſi tales eſſent, quod de eis deberet fieri mentio ſpecialis; ac etiam diſpenſare ſuper quibuſcumque irregularitatibus a Fratribus ſibi ſubditis contractis tam in ſeculo, quam in Religione, exceptis dumtaxat homicidii advertenter commiſſi, mutilationis membrorum, & bigamiæ. Reſpondit: Fiat, excepto, *inquit*, homicidio voluntario, vel commiſſo ex conſilio.

Secundo, ut dignaretur dimittere omnem exceſſum in paramentis factis in Familia Obſervantiæ, & permittere uſum illorum, quæ facta ſunt. Conceſſit

ceſſit ſuſpirans, & dixit, quod providerem in futurum, & ego dixi, quod intendimus, & volumus nos reſtringere.

Tertio, ut liceret ex licentia Vicariorum caute & ſine ſcandalo eleemoſynas datas vel legatas in certos & determinatos uſus, in alios magis neceſſarios commutare vel diſpenſare, onerando tamen conſcientias Vicariorum. Conceſſit liberaliter.

Quarto, quando videbitur eis opportunum, liceat revidere computum ſeu rationes, & adminiſtrationem quorumcumque Procuratorum Conventuum. Conceſſit; ſed ego, qui hæc impetravi proteſtor & rogo, ne hoc ſine maxima cauſa fiat, & ſimiliter de aliis, quæ derogant puritati regulæ, & quod unuſquiſque teneatur proſe rationem reddere in judicio, quia non impetravi, ut Fratres relaxentur, ſed potius ut in occurrentibus neceſſitatibus, quæ prævideri nequeant, juſtificari poſſint.

Supradicta mihi conceſſa fuerunt die XIV. *Decembris anno* MCCCCLVII. *de ſero circa ſecundam horam noctis, præſentibus fratre Franciſco de Carbonibus, & fratre Joanne de Aragonia conſanguineo Regis, qui ſedebat ad pedes lectuli, in quo Dominus noſter jacebat.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. Alte puduit Mahometem ſe vapulaſſe a Chriſtianis, quando ſolo
„ terrore ſui nominis omnem Pannoniam ſuo ſubjugare Imperio
„ credebat, & pudore in majus odium converſo, in perniciem totalem
„ Hungarici Regni juravit; quamobrem majorem exercitum collegit, &
„ egregie bellicis viribus inſtructus, jam jam imminebat; at petentibus
„ Legatis Uſſunchaſſani Regis Perſarum, liberam & in pace dimiſſam Ca-
„ padociam, in dotem ejus Conjugi a Calojanne patre, Trapezuntis Impe-
„ ratore conſtitutam, furorem vertit in Perſam, in quem effuſis copiis,
„ audacis poſtulati vindictam ſumere parabat; at eo latitante, & manus
„ conſerere detrectante, in Galatiam deſcendit, omnemque eam regionem
„ vaſtavit, ſibique ſubegit. Galatia vero, quæ & Gallo-Græcia dicitur,
„ mutuato nomine a Gallis, Græciſque, qui quondam mixti ſimul, inter
„ Pontum & Capadociam loca ad Euxinum habitabant, regio eſt vaſta ni-
„ mis. Urbes habet Ancyram, quæ nunc Anguri appellatur; celebris pan-
„ nis undulatis, qui ex Caprarum villis eo loco texuntur. Sinope, Mithri-
„ datis patria, Amiſus, quæ nunc Simiſo appellatur. Eſt etiam in hac
„ regione Paphlagonia, quam hodie Roni vocant. Capadocia autem
„ (nunc Amaſia) quam pro Rege Perſiæ Legati liberam, & in pace dimiſ-
„ ſam a Mahumete petebant, a præfata Galatia ad Antitaurum extenditur,
„ ad Meridiem Cilicia eſt, ad Septentrionem Pontus Euxinus, ejuſque lon-
„ gitudo eſt amplius CCCCL. M. P. Fluvioſque habet, Halym, Irim, Ther-
„ modoontem, ad quem in Campis Themiſtyriis Amazonum olim Regna
„ fuere. Urbes in ea ſunt Trapezus, Imperii caput; Amaſia Strabonis Pa-
„ tria; Iconium, & Maza. Montem etiam habet Argæum, e quo Mare Iſſi-
„ cum, & Pontus Euxinus conſpici poſſunt. Mortuo Capiſtrano, licet
„ ejus partibus Beato & ſtrenuo viro Jacobo de Marchia ſuppletis, Ponti-
„ fex vigilaret operoſus Eccleſiæ negotio, & fidelium omnium ſaluti inſi-
„ ſteret: viſi ſunt omnes ad quos ſpectabat, quod ululatus Aſiatici procul
„ eſſent, in utramque aurem obdormire; & nihilominus tunc tempus labo-
„ ris erat. Vaſtata ergo regione univerſa, & capta Trapezunte, Conſtan-
„ tinopolim victor, & ovans rediit Mahometes, ductis ſecum captivis

Mahometus movet caſtra in Perſam. *Degl. cit. fol. 447.*

Galatia vaſtatur. *P. Bertius in deſcript. Aſiæ min. fol. 541. & 545.*

Mahometus victor.

Co-

Colojanne cum pluribus Principibus, atque Dynaſtis, quos barbare trucidavit; & ſubito fere Lesbum, quæ & Mitylene, vulgo *Metelin*, dicitur, ſubjugavit, incolarum ejus bona parte Conſtantinopolim translata. Eſt autem Lesbos Inſula Maris Ægæi, Æolidi, quæ eſt Aſiæ propriæ dictæ regio, contra Cene promontorium, & Caici fluminis oſtia, necnon Adramitium Civitatem adjacens, & a dicto promontorio VII. dumtaxat M. P. in Occidentem diſſidens. Octo urbibus conſtabat, quarum Mitylene Archiepiſcopalis in ora Orientali cum Portu ſatis tuto & capaci ſedet.

Ex Topogr. Ferr.

II. Ferentinum, Italis *Fiorentino*, ſeu *Ferrentino* Civitas Epiſcopalis Hernicorum in Latio antiqua, Anagniæ, quæ caput eſt Hernicorum, ad V. M. P. vicina in colle arduo conſtructa, a Fruſino totidem milliar. diſtans, antiqua Romanorum Colonia, hoc anno facultatem conſtruendi Conventum pro Minoritis obtinuit: *Regimini univerſalis &c.* IV. Kal. Martii. Hujus vero Cœnobii Fratribus conceſſum fuiſſe Eremitorium ſancti Cataldi in territorio oppidi Patriæ ut Fratres illuc ad populi obſequia declinantes religioſe divertere poſſent, decem fere poſt annis notavit Haroldus. Kalendis Martii fratre Ludovico de Fagivano poſſe eligere Confeſſorem Calixtus indulſit: *Devotionis tuæ &c.* & fratri Angelo de Auximo beneficium contulit: *Religionis zelus &c.* Idibus ejuſdem menſis. IV. Nonas Aprilis Fratribus Tertii Ordinis Franciſcani ſancti Benedicti Mediolanen. pro quibuſdam bonis expedivit breve: *Humilibus ſupplicum &c.* & Nonis ejuſdem Sorori Catarinæ Clariſſæ Tornacenſi poſſe eligere Confeſſorem conceſſit: *Devotionis tuæ &c.* confirmavitque ſubinde litteras pro Concordia Religionis: *Illius cujus in pace &c.* Et: *Conditor Orbis &c.* VIII. Kal. Maii; & Kalendis ejuſdem fratri Antonio de Turribus beneficio conceſſo: *Religionis zelus &c.* & XV. Nonas electo in Epiſcopum Maldanenſem fratre Joanne Cheminet: *Summi diſpoſitione &c.* & Nonis collato beneficio fratri Joanni de Papia: *Religionis zelus &c.* Fratribus oppidi Priani in Cuſtodia Iſtriæ Provinciæ Dalmatinæ circa modum vivendi ſcripſit: *Super gregem &c.* pridie Kalend. ejuſdem menſis, XIII. Kal. Auguſti Iſabellæ Moniali ſancti Laurentii Salerni conceſſo Confeſſario: *Devotionis tuæ &c.* Kal. Septembris beneficium fratri Joanni de Janpicolo elargitus eſt: *Religionis zelus &c.* & VIII. Idus ejuſdem pro Fratribus domus ſancti Nicolai de terra Curati in Provincia Apuliæ, & Cuſtodia Barenſi, circa ædificationem alterius Cœnobii expedivit breve: *Ea, quæ pro &c.* & V. Kal. Octobris beneficium indulſit fratri Joanni Franciſco Corradi: *Religionis zelus &c.* die III. Novembris fratri Alphonſo de Olmido, Valliſoletanæ Diœceſis expedivit indultum: *Religionis zelus &c.* IX. Kal. Decembris conceſſo Eremitorio Fabrianì cuidam juveni Tertii Ordinis de Brejo, Ajetenſis Diœceſis: *Increato Patri &c.* III. Nonas ejuſdem indulgentiis elargitis pro Conventu Bruxellenſi: *Dum præcelſa &c.* eodem tempore nonnullas gratias Agnetæ Sorori Tertii Ordinis Viterbii: *Piis votis &c.* ac tandem beneficium fratri Joanni Bertino conceſſit: *Religionis zelus &c.*

Litteræ Pontificiæ.

Indic. ex Vatic.

Harold. ad ann. 1476. n. 13.

Ex Archiv. SS. Apoſt. & Originib. in S. Iſidoro.

III. Hoc anno in Conventu Fontaniaci, Comitis Provinciæ Turoniæ duodecima die menſis Aprilis celebratum eſt Generale Capitulum Fratrum Familiæ Ultramontanæ de Obſervantia, ut Annaliſta innuit, ſub fratre Joanne *Quieſdeber* Vicario Generali, Miniſtro totius Ordinis exiſtente fratre Jacobo de Mozanica; in eoque Capitulo renunciatio officii Vicariatus Generalis, & Succeſſoris, & electio reſervatæ fuerunt pro Capitulo Generali totius Ordinis, celebrando Mediolani ſecundum ordi-

Capitulum Familiæ Ultramon.

Ex Specul. fol. 71.

Electio Vicarii Gener. reſervata ad Capit. generale.

» ordinationem, & novam Bullam Calixti: *Illius cujus in pace &c.* ad importunitatem Conventualium conceſſam, & plura ordinata ſunt, quæ hic » referre non piget.

» 1. *Primo, ordinatum eſt, quod nullus Frater poſſit nec debeat Crucem aſſumere ſine licentia ſui Provincialis petita & obtenta, ſecundum Regulam noſtram ſanctiſſimam, de hac materia in capite duodecimo mentionem facientem: cum etiam in Bullis Cruciatæ principalibus tam a Domino quondam Nicolaa V. quam a Domino noſtro Calixto moderna emanatis, nulla ſuper hoc nobis licentia bene intuenti concedatur; licet bene in eiſdem innuatur ſeu ſupponatur, quod aliqui etiam de noſtris ſint eamdem Crucem accepturi, modo tamen licito, & noſtræ profeſſioni congruo, a cujus obedientia & limitibus per hujuſmodi ſanctas Bullas nullatenus eximuntur, niſi in ſpeciali hoc eiſdem noſtris Fratribus in poſteram forſitan a Domino Papa concederetur, ita quod de hoc legitime & indubitanter conſtaret.*

» 2. *Item, cum principalis & quaſi totalis cauſa multarum exorbitationum & relaxationum ſit defectus ſanctæ orationis privatæ, & recollectionis internæ: hortamur & obſecramus in Domino, ut Fratres omnes in ſingulis Provinciis per eorum Superiores ab exterioribus evagationibus, & inutilibus occupationibus cum ſummo ſtadio retrabantur; & ad interiora, quantum erit poſſibile, ut de Deo & de ſpiritualibus, ac de ſui ſtatus ſublimiſſima perfectione, cum omni bonitate ſentiant, verbis & exemplis diligentiſſime reducantur, ut Divino Officio devote, & cum multa diligentia perſoluta, tempus etiam aliquod eaptent, in quo ſpiritum Domini, & mentem beatiſſimi Patris Franciſci imbibere valeant, Chriſti unctione & gratia ſe eis dulcius infundente.*

» 3. *Item, ordinatum eſt, quod officium Vicariorum Provincialium, ad plus de cetero nonniſi ad triennium extendatur; ita quod in fine triennii hujuſmodi Vicarii Provinciales ſuo officio renuntient, qua renunciatione facta, ad aliorum electionem canonice procedatur.*

» 4. *Item, ordinatum eſt, quod recipiendi ad Ordinem, ſecundum Evangelium & Regulam, & ſecundum beatiſſimi Patris noſtri uſum & praxim, ante induitionem ſe expropriare debeant de omnibus bonis ſuis; ſi tamen id facere poſſint bono modo. Moneantur tamen quod per hanc expropriationem non erit Ordo eis obligatus, ut ipſi ſe per firmum propoſitum ante expreſſum profeſſionem obligare intendant: imo de hoc, propter periculum profeſſionis tacitæ, cautius informentur, ut ſcilicet, tantum probare, & nullatenus ſe Ordini in genere vel in ſpecie obligare proponant, & ſi ante induitionem ex cauſis neceſſariis vel rationabilibus hoc facere non poſſent, ſaltem ante ſuam profeſſionem ſint expropriati omnino. Nec informentur per Fratres hujuſmodi indaendi, vel jam Novitii de Breviariis, vel aliis pro ſe, vel etiam pro Conventu dandis vel emendis: ſed dicatur eis ab iis, qui auctoritatem habent eos recipiendi, quod vadant & vendant omnia bona ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare, ſecundum Regulam; ita quod de bonis ſuis, vel de conſilio eis dando Fratres nullatenus ſe intromittant: & niſi ita propria voluntate & ſponte, non Fratrum informatione, pannum pro ſua prima induitione portaverint, concedantur eis panni probationis a Fratribus; & non ſic indifferenter & inexaminate recipiantur habitum petentes; & qui recipiendi erunt, cum ſumma diligentia inſtruantur, ac in humilitate & ſanctæ orationis ſtudio per Magiſtros idoneos ſibi deputandos probentur & exerceantur; ita quod hujuſmodi Magiſter in*

„ *aliis non occupetur, ſecundum ordinationem Capituli Generalis.*

„ 5. *Item, & præſertim Superiores diligenter attendant differentiam* „ *ſecundum jura, & quatuor Magiſtros, inter denarios & pecuniam, quæ* „ *duo in Regula noſtra expreſſe prohibentur, ut ſcilicet nihil recipiant con-* „ *tra declarationem Domini Nicolai III. cauſa diſtrahendi vel vendendi; &* „ *a commutationibus & aliis diſtractionibus periculoſis & illicitis caveant* „ *diligenter: idcirco nihil recipiant niſi cujus uſus eſt eis neceſſarius, cum* „ *ſicut nulla curioſitas in ædificiis & aliis, ita nec ulla ſuperfluitas in quo-* „ *cumque, etiam parvis, poſſit, ſecundum declarationem Domini Clementis* „ *Papæ V. noſtro ſtatui convenire; quocirca non debent Fratres procurare ea,* „ *quæ apud eos interdum magis abundant, ut piſces & ſimilia, ad dandum* „ *aliis Conventibus & locis, aut etiam perſonis extra Ordinem, a quibus* „ *alia, ut oleum, & hujuſmodi, in recompenſam & quaſi in ſolutionem re-* „ *cipiant ullo modo.*

„ 6. *Item, cum exacta diligentia, ex quo periculum eſt in mora, expro-* „ *prientur Conventus omnes & loca, in quibus aliqua proprietas, ut in* „ *cenſibus & reditibus, domibus, vineis, aivearibus apum, & hujuſmodi for-* „ *ſitan invenitur; & nedum in talibus, ſed etiam in veſtibus, victualibus,* „ *libris, necnon & in iis etiam, quæ ad Divinum cultum pertinent, ut in* „ *paramentis, vaſis Eccleſiaſticis, picturis, & aliis ſancta paupertas, vili-* „ *tas & ſimplicitas luculenter apparent, prout ex noſtra profeſſione certius* „ *obligamur: & caveant Fratres nedum ab exteriori proprietate, ſed etiam* „ *ab interiori & intrinſeca rerum quarumcumque proprietaria detentione,* „ *quod cum ſcilicet Fratres aliqui nolunt libros, vel alias res ſuo uſui conceſ-* „ *ſas alteri Fratri concedere, vel non permitterent, niſi renitentes & inviti,* „ *res hujuſmodi ſibi a Prælatis auferri timerent.*

Conventus Ypotegien. perfectus.

„ IV. Yporenſium Civium encomia, feſtina & fervida Cœnobii pro noſtris Obſervantiæ Fratribus conſtructio, anno MCCCCLV. Septembris „ quarta decima die a fundamentis cœpta, & hoc anno MCCCCLVII. Januarii vigeſima ſecunda conſummata, dum exagerat, eorumdem vividam „ pietatem in Deum, & devotionem in ſanctum Patrem Franciſcum, ejuſ- „ que filios, omnibus & poſteris ad ſingulare exemplum commendat. Et „ quidem ab urbe meridiem verſus ad trecentos paſſus circum, ubi Croxæ „ nomen eſt, in ampla & amœna planitie, vinetis, pratis, & opacis nemo- „ ribus circumdata, colliculiſque pulcherrime virentibus coronata, aſceti- „ cæ vitæ ducendæ percommoda, jacta fundamenta novi ædificii, ut dice- „ bamus, non lente, ut perperam quidam ſcripſit, ſed propere, & ad

Mamm. MSS. Provincia. Britii de eo Conven. fol. 191.

„ miraculum, feliciſſime incrementa ſumpſere, ita ut jam in juſtam & re- „ gularem domum, nempe (ut loquuntur publica & legitima donationis ejuſ- „ dem &c.) cum magna capella, dormitorio cooperto, infirmaria, foraſte- „ riis, & aliis ſuis ædificiis, caſamentis & officinis evaſerit; ita ut turpe & „ iniquum ſit adeo pie fervidos in opere Cives negligentiæ inſimulaſſe, & „ illatam injuriam, tarda ædium magnificentia deliniſſe. Verumtamen quia „ Scriptorum menda radices alte apud credulos defigere ſolent, & difficil- „ lime, niſi meridiana luce clarior illuceſcat veritas, eradicari queunt; ex „ ipſo inſtrumento miſſionis in poſſeſſionem, rei veritatis copiam facere „ non gravamur, & mox ſequitur.

Inſtrumentum, quo Conventus traditur Obſervantibus.

„ V. *In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate ejuſdem* MCCCCLVII. „ *Indictione* V. *die* XXII. *menſis Januarii, actum in finibus Yporegiæ, vi-* „ *delicet in loco ſeu domo ſancti Bernardini, præſentibus venerabili Domino* „ *Joanne de Taliendis, Priore ſancti Laurentii, & egregiis viris Legum*

Do-

„ *Doctoribus, Domino Georgio de Gromis, Dominico Tapatini, Magiſtro Bartholomæo de Lebaldis de Meſſerano Phyſico, nobili Ludovico de Florano, nobili Ugolino ſa Domini Jacomoti de Solerio, nobili Innocentio Droy Turrineto Joannis Turrineti, & Georgio de Monte-Grando Speciario, omnibus Civibus Tporegien. teſtibus ad hæc vocatis, ibique cum alias Communitas & homines Tporegien. donationem fecerint venerabili fratri Bonaventuræ de Plantanidis de Mediolano, Ordinis Minorum Provinciæ Mediolanenſis, quoad Fratres ipſius Ordinis de Obſervantia nuncupatos Vicario ſeu Cuſtodi, recipienti nomine & vice ipſorum Fratrum Minorum, & Ordinis Minorum de Obſervantia dictæ Provinciæ Mediolanenſis, de petia una terræ, cum Capella magna, Dormitorio cooperto, foraſteriis & aliis ædificiis, muris, caſiamentis, & officinis in ea ſuperſtantibus, jacentibus in finibus Tporegiæ, cui cohærent &c. pro uſu & habitatione perpetuis ipſorum Fratrum ſeu aliquorum eorum, ut de ipſa donatione conſtat in inſtrumento publico, per me Notarium infraſcriptum recepto ſub anno, & indictione præſentibus die* XV. *menſis Junii, ad quod relatio habeatur: & ex abundanti, & ad cautelam requireret præfatus venerandus Dominus Vicarius & Cuſtos, nomine quo ſupra, Dominos Petrum Placii Juriſperitum, Jacobum de Gratiis, alias de Sandigliano, & nobilem Bonifacium* de la Strya *Procuratores hominum & Communitatis Tporegiæ; ac nobilem Jacobum de Alice Syndicum, & ſyndicario nomine dictæ Communitatis, de dicto ſyndicatu conſtante inſtrumento publico, recepto per Ferrandum de Ferrandis Notarium publicum Tporegiæ, ut ipſum Dominum Vicarium, nomine dicti Ordinis, & Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, introducerent in corporalem & actualem ac realem poſſeſſionem dictæ petiæ terræ & ædificiorum in ea ſuperſtantium, cum omnibus ſuis aliis juribus & pertinentiis.*

„ *Hinc eſt, quod dicti Procuratores & Syndicus, nomine & vice dictæ Communitatis Tporegiæ, introduxerunt eumdem præfatum Dominum Vicarium in realem & actualem poſſeſſionem dictæ petiæ terræ, & ædificiorum in ipſa ſuperſtantium, eum omnibus ſuis juribus & pertinentiis; ponendo & tradendo in gremio ipſius Domini Vicarii de terra dictæ petiæ terræ donatæ, claudendo oſtia & aperiendo, qui quidem Dominus Vicarius ſeu Cuſtos, ut ſupra, dictam petiam terræ, cum dictis ædificiis, apprehendit & acceptavit, recepit ac recipit, ſeu apprehendit, acceptat ac recipit pro perpetuis uſu & habitatione prædictorum Fratrum prædictæ Provinciæ, vigore litterarum Apoſtolicarum felicis recordationis Domini Nicolai Papæ V. de quibus in prædicto inſtrumento donationis fit mentio, de quibus omnibus ipſe Dominus Vicarius, Procuratores & Syndicus præceperunt per me Notarium infraſcriptum, ſi opus fuerit, unum & plura publica inſtrumenta dictamine ſapientis fieri.*

„ *Et ego Ludovicus fu Baldaſſerus de Alice, Civis Tporegienſis, primus Imperiali auctoritate Notarius, ac Curiæ Ducalis Sabaudiæ Juratus, nuncque Scriba Curiæ Civitatis prædictæ Tporegiæ, præmiſſis omnibus & ſingulis, dum ſic, ut præmittitur, agerentur, interfui, & ſubſcriptas chartas, rogatus recepi, tradidi, ſcripſi, & me ſubſcripſi, ſigno & nomine meo appoſitis conſuetis in veritatis teſtimonium omnium præmiſſorum & ſingulorum.*

„ VI. Hæc autem veritatis amore, ac ad tollenda ſcrupula exſcripſiſſe ſufficiat. Paucis poſt diebus, ideſt III. Nonas Februarii, præfata magna Capella, quæ ſcilicet (ut moris erat) comprehendebat Altare majus, ac

Eccleſia conſecratur ſub titulo S. Bernardini.

„ ante eum Presbyterium, ſive Chorum, ab eodem Illuſtriſſimo Antiſtite
„ Joanne de Parella ſub titulo ſancti Bernardini conſecrata fuit, cum coe-
„ meterio eidem Capellæ contiguo, ut ad perpetuam memoriam inſcriptus
„ lapis marmoreus caracteribus antiquis, & ſiniſtro ingredientibus parieti
„ Eccleſiæ infixus publice docet; verum Capella hæc magna in amplam
„ Baſilicam brevi tempore excrevit, ut ſuo loco dicetur. Interim admone-
Vide ſupra ad annum 1455. & inf. ad an. 1465. „ mus, Pontificium Breve Nicolai Papæ V. de quo hic fit mentio, eſſe illud,
„ quo fratri Chriſtophoro de Modoetia Obſervantum Provinciæ Mediola-
„ ni Vicario, quatuor Cœnobia recipiendi licentia concedebatur, incipit:
„ *Inter cetera deſiderabilia cordis noſtri &c.* Datum Romæ apud ſanctum
„ Petrum MCCCCXLVII. VII. Idus Junii anno I. & habetur apud Wad-
„ dingum.

F. Ritæ floret. „ VII. Tertii Ordinis S. P. Franciſci interea Ritta virgo a Monte-
„ Brandone clarens, omni virtutum genere ornata, ibidem in Marchia
„ Anconitana migravit ad Dominum anno MCCCCLVII. Nicolao de An-
„ tiſſa teſte.

ARGUMENTUM.

Calixtus Pontifex Minorum opera utitur ad colligendas vires contra Turcarum potentiam. Hungari recedunt ab Obſervantum regimine. Hieroſolymitanis multa conceduntur privilegia. Coacto Capitulo Generali, Jacobus de Sarzuela fit Miniſter Generalis. Moritur Calixtus Pontifex, ſuccedit Pius ſecundus. Mittit Ludovicum Bononienſem ad varios Principes Ultramarinos, & Miniſtri Burgundiæ auctoritatem Inquiſitores inſtituendi confirmat. Moritur Cardinalis Firmanus, Ordinis Protector, ſubſtituitur Cardinalis Nicenus. Magna habita conſultatione circa revocandam bullam Calixtinam, jubet Pontifex obſervari Eugenianam. Circa Fratres reformationis beatæ Coletæ quædam ſtatuuntur. Multiplicantur domicilia & conceduntur privilegia.

Fr. Franciſcus a Carbonibus Nuncius Apoſtolicus.

I. ETIAM hoc anno ſuæ vitæ extremo, Calixtus omni, qua potuit cura, rem Chriſtianam promovere & Turcarum vires infringere non deſtitit. Franciſcum de Carbonibus Romanum ſæpius a nobis annis ſuperioribus nominatum, ab eo Nuncium & Collectorem deſignatum, hoc anno novis additis facultatibus in eodem munere confirmavit, ut ex ſequentibus litteris conſtabit. Cui etiam vivæ vocis oraculo auctoritatem magnam conceſſam circa Fratres Provinciæ Marchiæ, eorumque conſanguineos pro abſolvendis caſibus reſervatis, & impertienda plenaria peccatorum remiſſione in mortis articulo reperio in aliquot inſtrumentis.

Dilecto filio fratri Franciſco de Carbonibus de Urbe, Ordinis Minorum profeſſori, in noſtris Marchiæ Anconitanæ & Maſſæ Trabariæ Provinciis, noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

Ex lib. 15. bullar. fol. 246.

SPei noſtræ ſublimitas tuæ non penitus incognita coritati, quam non modo de propulſandis, ſed etiam conculcandis ſacræ Religionis hoſtium viribus per auctorem materiarum omnium Chriſtum Jeſum in mente noſtra concepimus, paſſim fidelium ſuffragia poſtulat & requirit, ut quos ad nanciſcendum tantam palmam, terra marique tranſmiſimus, compugili & coadjutori noſtro Chri-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

Chriſtianæ fidei defenſori vitam ſanctio bello conſervare, quod noſtris viribus non poſſemus, eiſdem adjuti ſuffragiis valeamus. Dudum ſiquidem tibi ſuper adhortandis Chriſtifidelibus, ut ad ſanctum opus hujuſmodi Cruciatæ de bonis ſibi a Deo collatis pias eleemoſynas largirentur, etiam cum variis poteſtatibus Indulgentias auctoritate noſtra concedendi, ubſolutionum a delictis & votis, ac aliis tunc expreſſis beneficia impendendi, & alia tunc expreſſa faciendi, varias in noſtræ Marchiæ Anconitanæ, & Maſſæ Trebariæ Provinciis commiſſiones dedimus, prout in noſtris inde confectis litteris plenius continetur. Cum autem ex tua ſignificatione nuper intellexerimus, in diverſis locis dictarum Provinciarum varia bona ex piis oblationibus fidelium collecta, apud diverſas perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares conſiſtere, quorum pars commodius inibi diſtrabi, & pretium inde proveniens exponendum in ſuſtentationem claſſis vel exercitus terreſtris in pecunia numerata tranſmitti poſſet; Nos quaſcumque commiſſiones quibuſvis aliis præterquam tibi ſuper exigendis oblationibus per te vel coadjutores tuos nomine Cruciatæ, partis & acquiſitis, ac aliis infraſcriptis, in eiſdem Provinciis vel earum aliqua per nos vel de mandato noſtro aut alios quoſcumque, quavis auctoritate factas, harum ſerie revocantes, & Apoſtolicas aut alias litteras deſuper expeditas, quorumcumque tenorum exiſtant, caſſantes, irritantes & viribus vacuantes, ac omnia & ſinguia per te, & deputatos a te ſeu coadjutores tuos in eiſdem Provinciis circa conceſſionem Indulgentiarum, & collectionem oblationum hujuſmodi conceſſa, geſta & facta, rata & grata habentes, & auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia confirmantes & approbantes, necnon viribus ſubſiſtere decernentes, ac de tua induſtria, probitate, fide & in rebus gerendis experientia in hujuſmodi negotiis comprobatu multifariam plenam in Domino fiduciam obtinentes, diſcretionem tuam hortamur in Domino, & ſub virtute ſanctæ obedientiæ tibi præcipimus & mandamus, quatenus incæpto per te opere viriliter pergens, fideles eoſdem ad contribuendum ad tam ſanctum opus juxta formam commiſſionum alias tibi factarum, in eiſdem Provinciis exhortari non deſiſtas; necnon de bonis oblatis prædictis, apud quoſcumque illa conſiſtant, prout tibi utilius & commodius videbitur faciendum, ordines & diſponas. Nos enim tibi univerſas & ſingulas oblationes prædictas, & bona pro Cruciata quomodolibet tradita & collecta in Provinciis untedictis, u qnibuſcumque Prælatis, Capitulis, Univerſitatibus ſingularibuſque perſonis, apud quos depoſitæ fuerint, & enjuſcumque ſpeciei ſeu generis bona ipſa ſint, noſtro & Cumeræ Apoſtolicæ nominibus petendi & exigendi, illaque capiendi, & ad portum Aneonæ in opus claſſis noſtræ maritimæ contra Tureas convertenda mittendi & deſtinundi, aut alias de illis, prout tibi commodius & utilius pro dicta Cruciata videbitur, diſponendi, ordinandi & exequendi; necnon Prælatos, Capitula, Univerſitates & perſonas, a quibus illa receperis, de receptis tantummodo quietandi, ac ad præmiſſa & quodlibet præmiſſorum exequenda, uni vel pluribus, etium ſecularibus probis & idoneis viris, prout opportunum fuerit, vices tuas cum facultate ſimili committendi & demandandi, ac alia & ſingula circa hæc neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna, etiamſi ſpecialius mandatum vel commiſſionem exigerent, faciendi, gerendi & exequendi: Et inſuper tum tibi, quam illis Eccleſiaſticis quibus præmiſſa vel eorum aliqua exequenda demandaveris, ut præfertur, renitentes & recuſantes pecunias, res & bona oblata hujuſmodi tibi vel illis conſignare & tradere, ad id per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compellendi, ad præmiſſa quoque auxilium brachii ſecularis, ſi, & quoties opportunum fuerit, implorandi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium con-

concedimus facultatem. Volumus autem, quod tu vel illi, quibus præmissa demandaveris, de iis, quæ receperis seu receperint, unam quietantiam singulis, qui tibi vel illis ea consignaverint, pro eorum cautela facere tenearis. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus, quæ in litteris concessionum earumdem voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus communiter vel divisim ab Apostolica sit sede indultum, quod interdici &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum &c. MCCCCLVII. *pridie Nonas Martii &c. anno* III.

Concedit Vicario facultas coercendi Nuncios Cruciatæ.

II. Dolebat Vicarium Generalem Baptistam de Levanto, quod his muneribus a Pontifice destinati, rigorem suæ regulæ attenuarent, & officii dignitatem cum status humilitate non ita temperarent, ut aliquando viderentur præscriptos a suo Institutore limites transilire. Rogavit Pontificem, ut sibi liceret excedentes cohibere, & officii administrationem cum regulæ formulis componere. Annuit Pontifex hoc dato rescripto.

Dilecto filio fratri Baptistæ de Levanto, Ordinis beati Francisci de Observantia regulari, Generalis Ministri Vicario Citramontano.

Ex autographo.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Pro nostra spe & fiducia, quam habemus amplam in Fratribus familiæ tibi commissæ, nonnullis eorum per tempora retroacta multas magnasque concessiones ac commissiones fecimus, ut nostros labores adjuvarent, ad fidei Catholicæ & Cruciatæ per nos datæ negotia expedienda. Quo in negotio Fratres ipsi fere omnes nostris mandatis diligentissime paruerunt, adeo ut nostra in vestram familiam benevolentia & caritas plurimum sit adaucta. Scimus vero posse contingere, ut aliqui ex antedictis Fratribus, dum nostris mandatis obedire, & suo debito satisfacere quærunt ac enituntur, aliqualiter a regulæ vestræ rigida observatione præter suam intentionem, aut aliter per ignorantiam inconsiderationemque devient & avertantur. Quare eorumdem animarum saluti, & simul vestræ familiæ constitutionum conservationi, paterna & grata intentione providere cupientes, tibi & pariter omnibus Vicariis per Provincias ubique locorum constitutis, vestræ familiæ omnes & singulos ex hujusmodi Fratribus, commissiones & concessiones a nobis quomodocumque habentibus, qui in executione mandatorum nostrorum eis quomodolibet facultatum, a vestris constitutionibus, & a regulæ præceptis ordinationibusque aliqualiter discederent, admonendi, corripiendi, & in viam debitam dirigendi, ita & taliter quod eum obedientia & observatione ac executione mandatorum nostrorum honor Dei, regulæ observantia, & prælatorum Ordinis obedientia simul fiant, auctoritate Apostolica, præsentium tenore concedimus facultatem. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die VI. *Junii* MCCCCLVIII. *Pontificatus nostri anno* IV.

Ann. 1457. n. 55. Vicaria Hungariæ subjicitur Ministro Generali.

III. Obtinuerunt Fratres Provinciæ Hungariæ, quod etiam de Fratribus Bosneosibus anno superiori insinuavimus, a Vicarii Generalis Observantum jurisdictione ad obedientiam Ministri Generalis transferri, vel illud ægre ferentes, quod a se electos Vicarios Provinciales oporteret, quod antea non fiebat, confirmationem expetere, vel quod strictiori fortassis coercerentur sub Vicariis disciplina. Translati regiminis ecce instrumentum, quod demum ipsis petentibus revocatum est.

Ad perpetuam rei memoriam.

Regimini univerſalis Eccleſiæ, diſponente Domino, præſidentes, inter cetera, quæ commiſſo nobis Apoſtolicæ ſervitutis incumbunt officio, hoc præcipuum arbitramur, ut opem & operam, quantum nobis ex alto conceditur, adhibere curemus efficaces, quod ii, qui abdicato ſeculo, ſacræ Religionis obſervantiæ & ſtudio piæ vitæ ſe dederunt, a quarumlibet perturbationum moleſtiis, diſcurſibus & periculis præſervati, votivæ pacis & quietis amœnitate jugiter in Domino gratulentur. Sane pro parte dilectorum filiorum univerſorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in domibus & locis regni Hungariæ & partium circumjacentium conſtitutis, ſub Vicariatu Hungariæ degentium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet olim ab earumdem domorum inſtitutionibus, ſub Sedis Apoſtolicæ, & Generalis Miniſtri Ordinis Fratrum Minorum obedientia dumtaxat conſtituti vixiſſent, & immediate ſubjacerent tantummodo eiſdem, ita quod ab omnium aliorum prælatorum poteſtate, ſuperioritate & juriſdictione, ex Apoſtolico & aliquorum Conciliorum Generalium indulto penitus eſſent exempti; ac ille quem dicti Vicariatus Fratres, occurrente Vicariatus officii vacatione, eligebant, eo facto, abſque alia Apoſtolica vel Miniſtri Generalis confirmatione cenſeretur confirmatus; tamen a tempore ſel. recor. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, nonnulli alii Fratres ejuſdem Minorum Ordinis profeſſores, de Obſervantia nuncupati, aſſerentes ſibi olim quaſdam litteras ab eodem prædeceſſore conceſſas fuiſſe, & per illas ſe ipſorumque domos & loca, ac familiam ſub certis modo & formis a Generali Miniſtro exemptos, ſuiſque Ultramontano & Citramontano Vicariis, ac illorum Commiſſariis dumtaxat fore ſubjectos, necnon quoſcumque Fratres de Obſervantia nuncupatos, in Generalis Miniſtri obedientia perſiſtentes, cum eorum domibus, Eremitoriis & locis hujuſmodi ſub litteris & exemptionibus prædictis includi, eoſdem dicti Vicariatus Hungariæ Fratres, hujuſmodi litterarum prætextu per eoſdem Citramontanum & Ultramontanum Vicarios, ſeu eorum Commiſſarios, quod eis ſubeſſent & obedirent, quodque a Generalis Miniſtri obedientia, ad quem ex profeſſione propria, & ex regularibus beati Franciſci, aliorumque beatorum Patrum conſtitutionibus ac ſtatutis tenentur, omnino recederent, & ſub excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententiis, aliiſque cenſuris & pœnis compulerunt. Præterea, quamquam etiam tam ex antiquis indulto, conſuetudine & obſervantia eorumdem Hungariæ Fratrum, quam etiam ex conceſſione earumdem dicti prædeceſſoris litterarum, occurrente ſui Vicariatus officii vacatione, liceret eiſdem Vicarium infra limites dicti Vicariatus eligere, qui ſic per eos electus eo ipſo cenſebatur auctoritate Apoſtolica confirmatus; nihilominus tamen ipſi Citramontanus & Ultramontanus pro tempore Vicarii cum eis adhærentibus, prætextu cujuſdam in nonnullis a nobis per eos obtentis litteris appoſitæ clauſulæ, qua inter cetera cavetur, quod Miniſtri Provinciales electioni Vicariorum Provincialium eorum, qui de Obſervantia nuncupantur, intereſſe poſſint, & eorum Vicarios confirmare, quodque eorum Guardiani & alii Officiales in certa tabula diffinitionis deſcribi, & ab eiſdem Miniſtris Provincialibus confirmari debeant, facere conantur, quo minus ipſi Hungariæ Fratres dicta antiqua eorum conſuetudine hactenus laudabiliter obſervata, ſuper eorumdem electione Vicarii & Guardianorum, & aliorum officialium inſtitutione pacifice fruantur & gaudeant, in eorumdem Hungariæ Fratrum,

Ex lib. 17. Bullar. fol. 307.

trum, domorumque & Eremiteriorum, ac locorum eorumdem non modicam pacis & quietis perturbationem. Quare pro parte dictorum Vicariatus Hungariæ Fratrum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſorum Fratrum ſupplicantium animarum quieti, ac omnis eorum diſcurſus evitationi in præmiſſis & circa ea opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter cunctorum fidelium, potiſſime ſacræ Religioni vacantium pacis & quietis commoda procuramus, ac ſcandalis & periculis eorumque diſcurſibus, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, hujuſmodi expoſitis & narratis tamquam informationi veridicæ plenam fidem adhibentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictos Vicariatus Hungariæ Fratres, ac prædictas eorum domos & Eremitoria atque loca, ab eorumdem Citramontani & Ultramontani & quorumcumque ſubalternorum Vicariorum, Cuſtodum & Officialium eorumdem juriſdictione, obedientia & ſubjectione totaliter eximimus, exemptoſque eſſe decernimus, & ſub noſtra & Sedis Apoſtolicæ protectione, necnon Miniſtri Generalis totius Ordinis ſancti Franciſci obedientia dumtaxat reponimus, reſtituimus & ſubjicimus: ac tenore præſentium declaramus eoſdem Fratres Hungariæ ipſius Ordinis unico Generali, & nulli alteri inferiori ab eodem, ſubjectos eſſe, nec ab eis prætextu dicti prædeceſſoris, vel aliarum etiam Apoſtolicarum noſtrarum litterarum interdici, ſuſpendi vel excommunicari poſſe, ſed prout, antequam ipſe Citramontanus & Ultramontanus Vicarii vel officiales ſui, prætextu earumdem Apoſtolicarum litterarum juriſdictionem vel ſuperioritatem in eos prætenderent, degebant, aliaſque hactenus degere conſueverunt, vivere & degere poſſe; & inſuper eiſdem prædictæ Vicariæ Fratribus, ut proprium Vicarium provincialem, qui per eos electus pro indubitato Vicario, & Apoſtolica auctoritate Sedis Apoſtolicæ & Generalis Miniſtri confirmato, eo ipſo cenſeatur, prout etiam hactenus conſueverunt, alias tamen rite eligere valeant: Qui quidem Vicarius, poſtquam electus fuerit, ſui Vicariatus officiam, officiales creando, eoſdemque confirmando, & alia per eum fieri ſolita faciendo, plenarie exercere valeat, ac ſi ab eodem Generali Miniſtro eſſet ſpecialiter & expreſſe, alias juxta dicti Ordinis inſtituta confirmatus. Et nihilominus Citramontano & Ultramontano Vicariis ac Miniſtro provinciali hujuſmodi, ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, & a qua ab alio quam a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti abſolvi minime valeant, tenore præſentium diſtricte præcipimus, ne de cetera electioni Vicariorum provincialium, eorum qui de Obſervantia nuncupantur, intereſſe, aut alias quomodolibet ſe de eiſdem impedire audeant: decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus vel in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus ejuſdem prædeceſſoris atque noſtris ac aliis litteris, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, quibus quoad hæc dumtaxat derogamus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ac aliis ejuſdem Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, ſeu quacumque firmitate alia roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtrarum exemptionis, conſtitutionis, repoſitionis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVIII. IX. *Kalend. Junii &c. anno* IV.

Fratribus Paleſtinæ conceduntur privilegia.

IV. Fratribus in locis ſanctis Paleſtinæ præſertim in urbe Hieroſolymitana commorantibus, multaque a Saracenis conſtanter paſſis, Calixtus compatiens, multa eis hoc anno conceſſit privilegia, & vetera confirmavit, dato hoc honorifico conceſſionum inſtrumento.

Di-

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus ſacri loci Montis Syon, & aliorum locorum Terræ ſanctæ, Ordinis beati Franciſci.

Devotionis veſtræ ardor, a quo provenit ut dum ſacratiſſimis D. N. Jeſu Chriſti pedibus calcatam terram inhabitare gaudetis, nec ruinas nec incommoda, neque etiam verbera formidetis, quæ a barbaris infidelibus ſæpenumero inferuntur, promeretur, ut ea vobis libenter concedamus, per quæ animarum veſtrarum, & apud vos converſantium Chriſtianorum ſaluti, commodiſque & neceſſitatibus perſonarum, ac locorum veſtrorum conſervationi pro honore Dei & Chriſtiani nominis gloria conſulatur. In primis, ut præter regulæ veſtræ, quam conſtanter & ſimul laudabiliter obſervare nitimini, formam & tenorem, eleemoſynas vobis a Chriſtifidelibus pie datas, in domo retinere poſſitis & capſa, in qua conſervabuntur. Guardianus vel alius aut alii Fratres ab eo deputati quaſcumque neceſſarias res emere aut emi facere poſſint, & eam dictarum rerum partem, quam minime neceſſariam intelligent, vendere & alienare valeant, ita tamen quod nullus veſtrum pecunias in prædictis emptionibus & venditionibus manu propria contrectet aut tangat. Inſuper, cum in veſtræ regulæ declarationibus Apoſtolicis caveatur, quod a nemine computum exigere debeatis, quod ipſis declarationibus non obſtantibus, ab illis, qui ſupradictas tractabunt & facient emptiones & venditiones, computa exigere, petere & videre poſſitis. Quando etiam Fratres aliqui ex veſtris ad Provincias & loca infidelium mittuntur, ſi forte inter eos non fuerint ſacerdotes, ut aliis quorumcumque Ordinum Fratribus aut presbyteris ſecularibus confiteri valeant. Et quando aut pro cuſtodia locorum a latrouibus aliiſque invaſoribus, aut pro veſtrorum corporum tuitione & defenſione contingeret, vos aut vulnerare aut mutilare, aut etiam quovis modo interficere quemquam infidelium & barbarorum, ut propterea irregularitatem non incurratis. Quia etiam aliquando contingere dicitis, ut multitudini peregrinorum ad Terram ſanctam venientium, vos in audiendis confeſſionibus ſufficere nequeatis, tibi Guardiano, & qui pro tempore fuerit, concedendi ſacerdotibus Catholicis ſive religioſis cum peregrinis exiſtentibus, ut ipſi confeſſiones ipſorum, ſicut vos audire, & conceſſiones per ſummos Pontifices vobis factas habere poſſint, concedendi. Et inſuper quod per te aut alios a te deputatos confeſſores tui Ordinis, poſſis & valeas cum clericis & ſecularibus ſacerdotibus, vel aliis religioſis quibuſcumque ibi peregrinantibus & exiſtentibus diſpenſare in omnibus caſibus, præterquam bigamiæ, mutilationis membrorum & homicidii voluntarii. Et quod omnes ſacerdotes in Terra ſancta, ſive reſidentes, ſive peregrini etiam religioſi quorumcumque Ordinum, ſive ſeculares ſint, a media nocte uſque ad horam nonam, ſi neceſſitas urgebit, valeant celebrare. Item, quod Guardianus ſive ejus locumtenens, poſſit quoſcumque recipere, & indaere habitu Tertii Ordinis, & inſtituere inter illos Miniſtrum ſive Miniſtram juxta morem regulæ Tertii Ordinis ibi in partibus Hieroſolymitanis. Demum, quod nullus ſacerdos ſecularis ſive religioſus cujuſcumque Ordinis, poſſit manere in partibus Sarracenorum contra voluntatem veſtram, niſi habeat ſpecificam a Sede Apoſtolica facultatem, concedimus auctoritate Apoſtolica per præſentes; volumuſque pariter & vobis elargimur, omnes gratias omniaque privilegia, veſtro Ordini, & ejus religioſis inter infideles commorantibus a Sede Apoſtolica hucuſque conceſſa, tenore & auctoritate prædictis confirmata eſſe, & pro talibus reputari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVII. *pridie Nonas Februarii &c. anno* III.

Ex l. 2. bullar. fol. 305.

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 251.
1458.	anno 4.	anno 19.	

Capitulum generale totius Ordinis 89.

V. Celebratum eſt hoc anno die XIX. Maii Capitulum Generale in Conventu Aracœli, ita volente Calixto Pontifice, ut facilius & ſecurius ad regiminis apicem Jacobum de Sarzuela provinciæ Aragoniæ Miniſtrum, anno præterito a ſe inſtitutum Vicarium Generalem, promoveret. Octo diebus abunde ſumptus miniſtravit, & Præſides Capituli inſtituit Rodericum Cardinalem de Borgia ſuum nepotem, S. R. E. Vicecancellarium, & Dominicum de Capranica, Ordinis Protectorem. Putaverunt Obſervantes, ſe juxta tenorem bullæ Calixtinæ convocandos ad ſuffragia ferenda; ſed in ipſo electionis limine, lecto per Rodericum Cardinalem Brevi Pontificio, ſignificatum eſt, quibuſdam de cauſis placuiſſe ſanctiſſimo Domino, ut pro illa vice ſuffragia non ferrent in Miniſtri Generalis electione, ſed ſeparatim unaquæque Obſervantiæ familia ſuos procrearet Vicarios, reliquis bullæ Calixtinæ in ſuo robore permanentibus. Securiori, quem volebat, hominis Aragonii promotioni ita judicavit expedire; neque enim adeo facile huc flectendos putabat Obſervantes. Erravit prorſus Marcus dicens, Obſervantes in hac electione fuiſſe ſuffragatos. His e conclavi excluſis, omnium ſuffragiis Sarzuela creatus eſt Generalis Miniſter, applaudente Pontifice, qui cum ſuis conterraneis feliciter actum dicebat; quippe ex eadem ferme gente, eodemque tempore prodierunt Pontifex Romanus, Rex Siciliæ, Eccleſiæ Vicecancellarius, ejuſdem Capitaneus Generalis, & Ordinis Minorum Generalis Miniſter. Porro Obſervantes in adyto ſeu ſacrario diverſis ſcrutiniis ſuos delegerunt Vicarios, Ciſmontani Baptiſtam de Levanto, ante annum laudabiliter eo munere functum, Ultramontani Joannem Mogini provinciæ.... Unaquæque pars idoneas ſuæ genti edidit conſtitutiones, confirmatis prius Vicariis a Miniſtro Generali ſub hoc tenore verborum.

Marc. 1. p. l. 4. c. 26.

Jacob. Sarzuela Generalis Miniſter.

Vicarius Ciſmontanus Baptiſta de Levanto.

Ultramontanus Joannes Mogini.

In Chriſto ſibi cariſſimo reverendoque P. fratri Baptiſtæ de Levanto, Ordinis Minorum provinciæ Januenſis: frater Jacobus de Sarzuela ſacræ Theologiæ Magiſter, ac totius ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

Ex regiſt. Ordinis.

VI. *Cum pridem tertiodecimo videlicet Kalendas Junias de voluntate, auctoritate & ſpeciali commiſſione ſanctiſſimi Domini noſtri Calixti III. in Capitulo Generali in hoc ſacro Conventu celebrato, a Patribus Vicariis ſeu Cuſtodibus Provincialibus, & eorum diſcretis Ciſmontanis canonice in Vicarium Vicariorum Ciſmontanum electus fueris, hinc eſt quod tenore præſentium, ex voluntate ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri te ſic electum in Vicarium Vicariorum Ciſmontanum confirmo, confirmatumque denuncio per præſentes; committens tibi plenarie vices meas, tradenſque omnimodam auctoritatem & poteſtatem in Fratres de Obſervantia nuncupatos, ſub obedientia Vicariorum viventes, ſicut hactenus tui prædeceſſores habuerunt, omnibus via, modo, jure & forma quibus poſſum & debeo. Valc, & ora pro me. Ex ſacro Conventu Aracœli in Roma die* XXIX. *Maii* MCCCCLVIII.

Duo Conventus Caſſæ traduntur Conventualibus.

VII. Decretum fuit in his Comitiis, duo loca urbis Caſſæ, quæ poſſidebant Obſervantes, Patribus Conventualibus dimittere, & Miniſtro Generali tradere; non enim poterant ſine magnis expenſis & pecuniarum ſubſidiis confervari, eo præſertim tempore, quo Turcis bellum Pontifex inferebat. Scriptis itaque litteris die V. Junii, præcepit Vicarius Generalis illorum locorum Superioribus, ut confectis rerum inventariis coram legitimis teſtibus, ea Miniſtri Generalis Commiſſario conſignarent. Die ſequenti lo-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

locorum Montis Sion & Terræ ſanctæ Commiſſarium & Viſitatorem inſtituit Bartholomæum de Colle, Candiæ ſive Cretenſis inſulæ Vicarium.

VIII. Abſolutis Comitiis, quatuor ex utraque familia Obſervantum a Pontifice in conſpectum admiſſi, humiliter gratias pro receptis beneficiis habuerunt, & multa impetrarunt. Reliquis ad propria redeuntibus, Vicarius Ciſmontanus in Curia ſecum detinuit Marcum Bononienſem, & Bernardinum de Foſſa; non enim prius electus eſt in Miniſtrum Generalem Sarzuela, quam cogitaverit de infirmanda & revocanda bulla Calixtina. Ubi apud Pontificem de hac re ſermonem habuit, juſſus eſt acquieſcere: *Ferme*, inquit Calixtus, *in conficiendis his litteris ſanguinem ſudavimus, multo labore, ſtudio & patientia ſuperandæ erant Fratrum diſcordiæ: non adeo facile revocandam cenſemus, neque expedire, ut nos in ſimiles rejiciamus anguſtias. Ipſi inter vos inite concordiam, pacifice rem componite, & quod omnium votis probabitur, noſtro firmabitur conſiſtuto.* Egit itaque modis omnibus Miniſter cum Vicario, ut bulla mutaretur, oblatiſque quibuſdam articulis dixit, ut quos placeret, admitteret, qui diſpliceret, reprobaret, & omnia ad ſuum ſenſum componeret. Vicarius cum ſuis conſiliariis Bononienſi & Foſſano ad tam liberales oblationes & verba ſpecioſa fluctuantes, parum aberat, quin conſentirent. Conſulendum duxerunt Cardinalem Protectorem, qui plane dixit incautos & ſimplices in decipulas abduci; quod ſi res ſuas ſalvas cuperent, monuit intactas ſervarent Calixtinas; ſi quid enim mutari permitterent, amplam prædicebat portam aperiri multis controverſiis.

Miniſter Generalis rogat Pontificem ut revocet Bullam Calixtinam. Rejicitur.

IX. Paulo poſt videlicet XXVII. Junii deceſſit Alphonſus Aragonius & Siculus Rex, revera magnus & prudens, clariſſimorum ſcriptorum encomiis illuſtris. In habitu Minorum, quibus erat addictiſſimus, ſepultus in ſacrario Prædicatorum Neapoli, filium reliquit nothum Ferdinandum, cui regnum adjudicavit Neapolitanum, relicto Aragonio Joanni proli legitimæ. Sed Calixtus Alphonſi teſtamentum reſcindens, pati non poterat Ferdinandi in florentiſſimo regno ſucceſſionem. Armis igitur & cenſuris thronum ſibi ſtabilientem deturbare tentat: ſed dum exercitum Terracinam verſus, & ad Regni movet confinia, ſenio confectus, & ingenti ſarcina proſequendi contra Turcas belli oppreſſus, obiit VIII. Idus Auguſti in die feſti Transfigurationis, quod ipſe, uti diximus, inſtituit, Pontificatus anno III. menſe IV. relictis in bellicos uſus centum & quindecim millibus nummûm aureorum. Vir fuit omnium calculis vitæ integerrimæ, tuendæ & propagandæ fidei Chriſtianæ, quod primum & potiſſimum munus eſt Pontificium, zelantiſſimus, erga Principes munificus, erga pauperes liberalis, erga Religioſos valde propenſus. Id ei vitio datum, quod nimium ſe permiſerit Roderico Lenzolio Borgiæ Cardinali, ex ſorore nepoti, neque Catalanorum ubique licentioſe nimis graſſantium inſolentiam compreſſerit, quod illis ultimi excidii in Urbe cauſa fuit, Pontifice defuncto.

Moritur Alphonſus Rex Aragonia.

Et Calixtus Pontifex.

Tom. 12. ann. 1456. n. 68. ſeq.

X. Celebratis exequiis, Calixto ſuffectus eſt XIV. Kalend. Septembris Æneas Sylvius Picolomineus, Cardinalis tituli ſanctæ Sabinæ, in villa agri Senenſis Corſiniana, patre Sylvio, matre Victoria natus, de quo ſæpe nos ſermonem protraximus, poſt varias vitæ tranſmutationes a Calixto III. in purpuratorum Patrum collegium adſcitus. Aſſumpto Pii II. nomine, III. Non. Septem. ante fores Baſilicæ Vaticanæ, a Proſpero Columna, S. R. E. Archidiacono ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit; ſtatimque ſe ad res magnas, exactamque Reipublicæ Chriſtianæ curam convertit. Inchoatum a prædeceſſore bellum contra Turcas proſequi conſtituit, probe ſciens ipſa

Creatur Pius II.

rerum experientia, & longa apud Cæſarem rerum Germanicarum adminiſtratione, quanta Chriſtianis imminebat clades, niſi Turcarum infringeretur potentia. Ludovicum Bononienſem Minoritam, toties ab aliis Pontificibus, uti diximus, ad Orientales Principes in belli ſubſidium convocandos, Legatum, ſtatim a ſua coronatione ad reliquos Occidentalium regionum Principes & nationes, datis his inſtrumentis, aliisque quæ perierunt, deſtinavit.

Fr. Ludovicum Bononien. mittit Nuncium ad Principes.

Dilecto filio Ludovico de Bononia, fratri Ordinis beati Franciſci de Obſervantia regulari, Nuncio Apoſtolico.

Ex lib. v. bullar. de cur. fol. 46.

XI. *Fide digna relatione accepimus, te a fel. record. Nicolao V. & Calixto III. Pontificibus Romanis prædeceſſoribus noſtris ad partes Septentrionales Orientaleſque miſſum pro cauſis fidei Chriſtianæ, & Sedis Apoſtolicæ honorem concernentibus, multos Prælatos, plurimoſque Principes & Populos Chriſtianos ex iis, qui inter infidelet vivunt, adiiſſe, viſitaſſe, & ad fidei perſeverantiam modis tibi poſſibilibus animaſſe, adeo ut ad prædictum fel. record. Calixtum nonnullorum ex prædictis gratas reſponſiones reportaſſe dicaris, ex quibus appareat multos adhuc eſſe Principes & populos, qui catholice Chriſtiani Romanam revereantur Eccleſiam, & Romanum Pontificem dicant, ſentiant, prædicent Chriſti Vicarium eſſe in terris, & beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſorem: inter quos Patriarchæ ſunt Antiochenus Græcis in Oriente, ac alter Patriarcha Antiochenus Maronitis præpoſiti, Patriarchaque Alexandrinus Jacobitis, Hieroſolymitanus item Græcis, Antiochenuſque alter Armenis, Babyloniis, Chaldæis præpoſiti, & Catholicon Giorgianis: Rex Perſarum, Rex Giorgianiæ, Rex Mengarbiæ, Imperator Trapezuntinus, & quidam populi ex Perſis, ritibus Eccleſiæ & dogmatibus inhærentes, a quibus beati Franciſci Fratres conſervari foverique aſſeris: de qua re vel ſolo auditu nobis gratiſſima tuam devotionem plurimum commendantes, & pro noſtro ad fidei Catholicæ conſervationem ampliationemque ingenti deſiderio ea facere capientes, per quæ dictorum Prælatorum & Principum ac populorum omnis devotio & affectio ad fidem Catholicam augeatur, te ad caſdem partes, regiones & Provincias, ad coſdemque & alios Prælatos, Principes & populos tranſmittere intendentes, omnia & ſingula gratias, indulgentias, privilegia, conceſſiones & induita, per prædictos prædeceſſores noſtros tibi quomodolibet conceſſa, & in vim illorum per te facta, tenore præſentium confirmamus & de novo concedimus: Volentes ut iiſdem in futurum ſicut temporibus retroactis, uti poſſit & valeat. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVIII. IV. *Nonas Octobris &c. anno* I.

Dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, fratri Ordinis beati Franciſci de Obſervantia regulari, Vicario Generali Citramontano.

Ex autographo.

XII. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Mittimus ad partes Orientales dilectum filium fratrem Ludovicum de Bononia tui Ordinis, Nuncium Apoſtolicum pro cauſis fidem Chriſtianam & bonorem noſtrum plurimum concernentibus. Quare tibi mandamus, ut eidem favores præſtes opportunos, tam in accipiendis ſocüs veſtri Ordinis, quam in ceteris quomodolibet occurrentibus, quo facilius tibi per nos commiſſiones facilius*

Anno Christi	Calixti III.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 251.
1458.	anno 4.	anno 19.	

cilius & celerius exequi poſſit. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſtatoris die 11. *Octobris* MCCCCLVIII. *Pontificatus noſtri anno* 1.

XIII. Conceſſerat olim Clemens IV. Miniſtro provinciæ Burgundiæ auctoritatem inſtituendi deſtituendique Inquiſitores intra fines ſuæ jurisdictionis. Poteſtatem hanc vel abolitam vel revocatam, Pius hoc anno ampliſſime reſtituit, dato diplomate ſequenti. Conceditur Miniſtro Burgundiæ auctoritas inſtituendi Inquiſitores.

Ad futuram rei memoriam.

EX ſuperna diſpoſitionis arbitrio, licet inſufficientibus meritis, univerſalis Eccleſiæ regimini præſidentes, ad hoc cordis noſtri longe lateque diffundimus cogitatus, quod fides Catholica, ſine qua nemo proficit ad ſalutem, continuum ſuſcipiat incrementum, & quæ pro illorum cohibendis auſibus, qui illam deprimere, aut pravis mendacibuſque commentis pervertere & denigrare moliuntur, provida Anteceſſorum noſtrorum ſunt ordinatione diſpoſita, ut continuis proficiant incrementis, partes noſtri miniſterii & operam impendimus efficaces. Dudum ſiquidem fel. rec. Clemens Papa IV. prædeceſſor noſter contra doloſam nonnullorum aſtutiam, qui fidem ipſam Catholicam damnabilibus reprehenſionibus depravare, aut detractionibus et abrogabilibus derogare, commentiſque eamdem mendacibus pervertere fatagentium conſternenda molimina tota mente aſpirans, & ne diffuſius hujuſmodi ſerperet morbus, remedium adhibere cupiens opportunum, Miniſtro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum in adminiſtratione Burgundiæ conſtituto, ejus proprio nomine non expreſſo, per ſuas dedit litteras in mandatis, ut de conſilio diſcretorum Fratrum ſui Ordinis tres eligeret de Fratribus ipſius Ordinis ſuæ Provinciæ Fratres idoneos ad inquiſitionis hæreticæ pravitatis officium exequendum, eiſque in virtute Obedientiæ diſtricte, auctoritate Apoſtolica præciperet, ut Inquiſitionis officium in Lugdunen. Viennen. Bellicen. Gratianopolitan. Murianen. Vivarien. Valentin. Tarentaſien. & Auguſten. Civitatibus & diœceſibus contra hæreticos, credentes, fautores, defenſores & receptatores eorum, juxta formam in dictis certis aliis ipſius prædeceſſoris litteris expreſſam, quam Fratribus dicti Ordinis Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis in eiſdem locis deputatis, eadem auctoritate & in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus, ſuper exequendo dicto inquiſitionis officio deſtinaverat, ſtuderent exequi diligenter. Et nihilominus idem prædeceſſor dictos tres Fratres, quos Miniſter prædictus ad hoc duceret eligendos, & quemlibet ipſorum prædictum officium exequi juxta formam in ipſis aliis litteris expreſſam, ac ipſos illam poteſtatem & auctoritatem plenarie habere voluit, quæ continebatur in eiſdem litteris antedictis. Si vero idem Miniſter, vel ſuus, eo abſente, Vicarius aliquem Inquiſitorum eorumdem ex aliqua forte cauſa nonnumquam fore conſpiceret amovendum, ipſum amoveret, & loco ejus alium, quem ſimilem poteſtatem & auctoritatem habere volvit, quoties eis, deliberatione cum aliquibus diſcretis Fratribus dicti Ordinis prahabita, hoc fore videretur faciendum, ſubſtitueret, & ſi aliquem vel aliquos Inquiſitorum ipſorum decedere forte contingeret, ſubſtituendi cum conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum Ordinis antedicti alium vel alios loco illius vel illorum, qui deceſſiſſent, ita quod hujuſmodi ſubſtituti eiſdem omnino auctoritate & poteſtate fungerentur, Miniſtro & Vicario prædictis, ſi ipſe Miniſter abeſſet, plenam & liberam conceſſit per ntraſque litteras faculatem, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii moderni Miniſtri Ex l. 2. majori Bullar. fol. 301.

ſtri Provinciæ Burgundiæ, ſecundum morem dicti Ordinis, petitio continebat, quia a nonnullis poſſet veriſimiliter hæſitari, an litteræ prædeceſſoris hujuſmodi ad ſucceſſores tunc exiſtentis Miniſtri ſe extendant, cum propter longi temporis decurſum nonnulli in diverſis Provinciis, Civitatibus & diœceſibus officium Inquiſitionis hujuſmodi perſonaliter vel eorum vita durante, & ex eis quidam pro certo tunc expreſſa tempore, a Sede Apoſtolica impetrarint, seu alias pro ſuo libito voluntatis in illius adminiſtrationem ſe ingerere præſumpſerint, quorum exceſſus, prætextu ipſius, quæ fungebantur officii, Miniſter vel Fratres prædicti corrigere nequiverunt, neque poſſunt etiam de præſenti, in eorum & dicti Ordinis opprobrium, pernicioſum exemplum & ſcandalum plurimorum: pro parte ejuſdem Miniſtri fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis omnibus debita conſideratione attentis, ad hæreticorum facilius deſtruendos & extirpandos errores, ac in dicto officio ſe ingerentium abuſus deinceps commodius corrigendos, litteris prædictis robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac alias ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque ad hujuſmodi peſtiferæ pravitatis penitus extirpanda molimina totis niſibus aſſurgentes, ut Inquiſitionis officium hujuſmodi eo efficacius adimpleri valeat, & virus peſtiferum de fidelium medio ſubmoveri, prædeceſſoris hujuſmodi veſtigiis inhærentes, litteras Miniſtro directas prædictas, auctoritate prædicta, tenore præſentium, ex certa ſcientia approbamus ac confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Et nihilominus dilectis filiis Generali, ejuſdemque Provinciæ Miniſtris modernis, & qui erunt pro tempore, & ipſorum cuilibet, ac in eorum abſentia eorumdem Vicariis, quod tres idoneos Fratres, alias juxta litterarum Miniſtro directarum earumdem continentiam & tenorem, eligere, & ad Inquiſitionis hujuſmodi officium deputare, eoſque, ut præfertur, amovere, & ipſorum loco alios ſubſtituere, ac etiam quoſcumque alios ſe in dicto officio quavis auctoritate ingerentes, etiamſi ad illud eorum vita durante vel ad certum tempus deputati forent, quemadmodum Generali & Provinciali Miniſtris prædictis viſum fuerit opportunum, auctoritate Apoſtolica deſtituere & amovere; quodque omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus &c. per eumdem prædeceſſorem conceſſis, tam Fratres deputandi & ſubſtituendi, quam alii eorum loco ſubrogandi prædicti perpetuis futuris temporibus libere & licite uti & gaudere valeant, auctoritate prædicta, tenore præſentium concedimus ac pariter indulgemus. Non obſtantibus quibuſcumque aliis ſpecialibus vel generalibus conceſſionibus, facultatibus, indultis, per nos vel Sedem Apoſtolicam quibuſvis aliis perſonis ſub quacumque verborum forma vel expreſſione in Provincia memorata ſuper officio Inquiſitionis conceſſis prædictis, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus habenda eſſet mentio ſpecialis, quæ omnia & ſingula ſcientia & auctoritate ſimilibus revocamus, caſſamus & irritamus, eaque pro nullis, caſſis & infectis haberi decernimus; necnon conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtrarum approbationis, confirmationis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVIII. pridie Idus Octobris &c. anno 1.

Ex l. 10. de exhibitis fol. 105.
Berardus Tremoſii Inquiſitor Lugdunen.

XIV. Locum tenebat Inquiſitoris in urbe & diœceſi Lugdunenſi Berardus Tremoſii, qui dum ſuas partes ſtrenue exequeretur, multorum contra ſe concitavit invidiam. Eouſque proceſſum eſt, ut facta in eum plurimorum conſpiratione, carceri tradiderint. Inde ereptum Cardinalis Alanus, in illis partibus Sedis Apoſtolicæ Legatus, in ſuam tutelam ſuſcepit, & Pius Pontifex adverſatiorum compreſſit inſolentiam.

XV. De-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

XV. Deceſſit hoc anno XIX. Kalendas Septembris Dominicus a Capranica Cardinalis Firmanus, major Pœnitentiarius, Ordinis Protector, ingentis animi vir, a rerum agendarum peritia, ſingulari doctrina, legationibus & muneribus Eccleſiaſticis præclare peractis, digne commendandus. Rogavit Miniſter Generalis Pium Pontificem, alium ſubſtitui Ordinis Protectorem, accepitque X. Septembris Beſſarionem Trapezuntium, Græcum ſancti Baſilii Monachum, Cardinalem Nicænum communiter appellatum, qui ſummo ſtudio invigilavit Ordinis incremento, & Regularem Obſervantiam promovit. Vicarium Generalem ad Pontificem introduxit, atque ut benigne audiretur, obtinuit. Expoſuit ille, novas inferri Obſervantibus moleſtias, nolentibus Conventualibus obſervare bullam Calixti Pontificis, per quam revocari curaverunt Eugenianam; ſe proinde ſuoſque miſere fluctuare, & quam ſibi præſcribant normam vivendi, penitus ignorare; rogavitque ut pro ſua paterna ſollicitudine remedium adhiberet. Id ſe facturum placide promiſit, commiſitque cauſæ diſcuſſionem Domino Nicæno. Ille vero Pontificem rogavit, ut in re ardua multiſque annis controverſa, alios adjungeret, qui diſcordiarum cauſas exciperent, & circa remedium cogitarent. Delecti ſunt Guillelmus Cardinalis Rhotomagenſis tituli ſancti Martini in Montibus, Alanus Cardinalis Avenionenſis tituli ſanctæ Praxedis, Angelus Reatinus, & Joannes Barcinonenſis Epiſcopi.

Moritur Cardin. Capranica Ordinis Protector.

Subſtituitur Cardinalis Nicænus.

Vicarius Generalis rogat ut terminetur controverſia cum Conventualibus.

Deſignantur judices controverſiæ.

XVI. Die XXVII. Septembris aſſidentibus prædictis Dominis, Miniſter Generalis, aſſociantibus Magiſtro Joanne Ordinis ſocio, & Magiſtro Michaele Ordinis Procuratore, dixit ſe ante Capituli celebrationem, in ipſo Capitulo & poſt peractum, modis omnibus conciliandæ & firmandæ paci ſtuduiſſe, ſed fruſtra; nullam enim fore concordiam neque unionem in Religione judicabat, perſiſtentibus in ſuo robore ſive Eugeniana ſive bulla Calixtina; illa enim Ordinem ſcindit, hæc electionis tollit libertatem. Vicarius Generalis, aſſiſtentibus Marco Bononienſi Vicario Provinciæ Bononiæ, & Angelo de Bolſeno Obſervantum Procuratore, objecta diſſolvit, aperteque oſtendit omnem, quam ambiebant, pacem Patres Conventuales, eo dumtaxat tendere, ut enervarentur Eugenii & Calixti diplomata, atque ad liberum eorumdem imperium reducerentur Obſervantes. Iſtud vero non expedire, multis ſolidiſque probavit argumentis, deducta breviter rei ſerie ab Obſervantiæ primordiis, relatiſque privilegiis & defenſionum munimentis, quibus Concilia Conſtantienſe & Baſileenſe, Pontifices Martinus V. Eugenius IV. Nicolaus V. & Calixtus III. indemnem, ſartam tectamque voluerunt hanc familiam a Conventualium moleſtiis. Brevi compendio porrectis Nicæno rerum ſummariis, auditiſque Cardinalibus ad concordiam exhortantibus, diſceſſerunt. Ut fraterne convenirent, Vicarius ſæpe rogavit Miniſtrum Generalem, ſed nihil profecit, nonniſi revocatis bullis quidpiam fieri poſſe obtrudente Miniſtro.

XVII. Poſt multas altercationes exactamque ſcriptorum, quæ hinc inde Cardinalibus tradebantur, diſcuſſionem, Pontifex utriuſque partis capita ad ſe vocavit die XI. Octobris, præſentibuſque Judicibus ſupra nominatis, quibus Nicolaum tituli ſancti Petri ad Vincula Cardinalem adjunxit, benigne & patienter audivit, deinde in proximum emiſit cubiculum. Cardinalium & Epiſcoporum longo tempore auditis ſuffragiis, denuo revocavit, indictoque ſilentio, gravi tetricoque vultu dixit, ſe opportuniori tempore concordiæ leges, & uniformem vivendi modum omnibus præſcripturum, & quando id fieri poſſit, Miniſtro Generali prænunciaturum. Interim ne Obſervantes incerto inſtabilique vivendi genere fluctuarent, conſtitutionem obſer-

Pontifex auditis partibus temporaneum adhibuit remedium.

obſervarent Eugenianam. Circa tranſitum præcepit, ne quiſpiam ab Obſervantibus ad Conventuales abiret, qui tranſeundi non obtineret facultatem; qui vero ab his ad illos vellet tranſmigrare, licentiam tantum peteret etſi non impetraret; diſcriminiſque rationem adjunxit, a Conventualibus diſcedentes ad arctiorem vitam tranſire. Prohibuit ne Fratrum Conventus, vel Sororum Monaſteria Conventualibus ſubjecta Obſervantes admitterent, & ne circa id genus Obſervantum, qui Miniſtro parebant Generali, aut Miniſtris ſuberant Provincialibus, quidpiam præciperet Vicarius Generalis, nec illorum ſe ingereret regimini. Poſtremo addidit, in horum a ſe mature conſtitutorum tranſgreſſores ſevere animadvertendum. Reſtituiſſe autem Obſervantes ad priſtinum vitæ genus ſub Eugenianis litteris Pium Pontificem nullus mirabitur, qui ejus epiſtolam ante paucos annos de tuendis eiſdem litteris ad Cardinalem Firmanum ſcriptam conſpexerit.

Vide Tom. 12. an. 1455. n. 39.

XVIII. In controverſiæ principio aderat Jacobus de Marchia, Pontificis carus, qui ſummis precibus ei commendavit ſuorum Conſodalium protectionem, petiitque ut ſub Calixti vel Eugenii conſtitutis foverentur. Miſſus a Pontifice ad alia munia in Piceno peragenda receſſit, monito prius Vicario Generali, ut ſi ſub Calixti bulla vivere permitterentur, id gratum & acceptum haberet, ſin aliter, curaret redintegrari Eugenii conſtitutionem. Ubi tamdem ſuam mentem Pontifex aperuit, ſui muneris judicavit Vicarius ſtatim Jacobum his litteris admonere.

Reverendo Patri fratri Jacobo de Marchia &c.

Ex regiſt. Ordinis. Vicarius generalis monet Jacobum de Marchia determinationis Pontificiæ.

Reverende ac obſervandiſſime Pater, poſt filiales ac debitas commendationes, me iterum ac ſæpius T. Paternitati commendo. Licet Paternitas tua diebus elapſis a nobis abſceſſerit præter vota & deſideria noſtra, eo quod ſub ejus umbra ſperabamus pauperi familiæ proſpere cuncta procedere; non arbitror tamen eam velut paſtorem optimum, qui ſemper gregem ſuum, etſi non corpore, tamen deſiderio ſubſequitur, mente & orationum ſuffragio a nobis longius abfuiſſe; proinde dignum duxi tibi, Pater optatiſſime, ſignificare, quo exitu res noſtræ concluſæ ſint. Poſt longas diſceptationes, poſt multa in ſcriptis hinc inde redacta, poſt maxima ſtudia, quibus inſtantiſſime quærebamus apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum, & apud DD. Cardinales ac Epiſcopos, quibus cauſa conſultanda commiſſa fuerat, ut bulla Calixti nobis illæſa ac intacta perſiſteret, quam tantis anguſtiis tantiſque laboribus pro Dei cultu, pro communi pace, pro tuto ac felici ſtatu gregis pauperculi conſeciſti, ad hoc tamdem res deducta eſt. Duodecima die menſis præſentis Sanctiſſ. D. N. partibus utriſque vocatis, non immemor etiam inſtantiſſimæ commendationis, quam Sanctitati ſuæ pro familia noſtra feceras, præſentibus DD. ſupradictis, necnon & D. Cardinale ſancti Petri ad Vincula, ſententiam in medium adduxit, dicens ſe velle alias ad bonum Ordinis intendere univerſale, & quod interea viveremus ſub bullis Eugenii, ſicut ante vivere conſuevimus. Quæ etiam ut ab utriſque partibus plenius obſervarentur, mandatum ac præceptum adjecit. Animadvertentes igitur, Pater obſervandiſſime, quod bulla tua ſtare non poſſet, quam omni ſtudio, ac ſollicitudine pro utilitate noſtra, pro reverentia tua, pro ſel. mem. Protectoris elapſi contendebamus admitti, eo quod P. Generalis ullo pacto deduci non poſſet, ut voces noſtræ in Generali Capitulo admitterentur, nobiſque opus eras, ut tamquam elingues beſtiolæ eos per longa & incognita itinera ſubſequeremur, ducti etiam ſententia tua, qua conſulebat, ut ſi bulla Calixti ſtare non poſſet, nec aliter præſtaretur, ſa-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

facultas canonicam Vicarii noſtri agere electionem, bullas ſaltem Eugenii impetraremus nobis reſtitui. Tutius ac ſanius judicavimus voeibus nos carere Generalis Capituli, quam Sanctiſſimi D. N. contraire mandatis; ut ſemper pro conſuetudine tui & aliorum Patrum, quibus hactenus pro familia contigit elaboraſſe, nos pariter videamur Apoſtolicæ Sedi ſabeſſe, & eo maxime, cum huic concluſioni atque ſententiæ in primis D. Protector, ceteriquæ præfati Domini omnes unanimiter aſſenſiſſent, ac præter opinionem noſtram ſic fieri concluderent, licet quæ novis Paternitas tua majori ſtudio expectaremus. Quod denique Deo placuit & Apoſtolicæ Sedi, tibi & nobis oportet complacuiſſe. Vale Pater colendiſſime, & venerandæ ſenectutis tuæ filium me eſſe memineris. Ex Urbe, die XIV. *Octobris* MCCCCLVIII.

Mature in his agit Vicarius Generalis.

XIX. Super conficiendis vero litteris Apoſtolicis circa ea, quæ Pontifex coram Cardinalibus & Epiſcopis decreverat, & ſuper addendis tollendiſve quibuſdam clauſulis, acriter diſceptatum eſt inter Miniſtrum & Vicarium coram Cardinale Protectore. Ut cautius & maturius in hac re procederet Vicarius, aſſenſum & vota adhibuit Angeli de Bulſeno Procuratoris familiæ Ciſmontanæ, Marci Bononienſis Provinciæ Bononiæ, Gabrielis Veronenſis Provinciæ Auſtriæ, Jacobi Cornetani Romanæ Vicariorum, & Petri de Anguillaria Cœnobii Ara-cœli Guardiani, quorum ſyngraphis ad omnes Vicarios tranſmiſſis notum voluit non ex ſuo cerebro, ſed ex prudentum & piorum conſilio rem hanc egiſſe & peregiſſe. Ultra hæc, ut potiori abundaret cautela, circa tollendas ad votum Miniſtri Generalis quaſdam clauſulas e diplomatis formula, antequam ederetur, conſulendos voluit doctiſſimos in Curia viros utriuſque Juris peritos, Antonium de Caffarellis, Orlandum de Florentia, Ludovicum de Interamne, Lucam de Roma, Andream a ſancta Cruce, Antonium de Baroncellis, Manſuetum Oratorem Peruſinum. Demum XX. Novembris prodiit infraſcripta bulla inſertis Eugeniana & Calixtina, ſub die illo, quo Pontifex in camera ſupradicta a nobis recenſita decrevit.

Dilectis filiis Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Vicariis ceteriſque Fratribus Ordinis beati Franciſci tam Conventualibus, quam de Obſervantia nuncupatis &c.

Ex l. 2. de curia fol. 107.

XX. *PRo noſtra ad beatum Franciſcum devotione, & pro ea benevolentia & caritate, qua veſtrum complectimur Ordinem, libenter ea facimus & concedimus, quæ ipſius Ordinis & veſtram omnium & ſingulorum pacem, unionem atque concordiam quomodolibet concernere videantur. Sane fel. rec. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter ad eamdem, ut videtur, pacem, unionem & concordiam veſtri Ordinis anhelans, litteras infraſcripti tenoris conceſſit. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ut ſacra Ordinis Minorum Religio, cujus zeli ſinceritas ex ſuis laudabilibus clarens operibus &c.* Ut in tomo XI. anno 1446. num. 2. *Deinde felicis recor. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter aliquot diſcordiis & contentionibus inter vos exortis, & diu agitatis, poſtquam utroſque tam ipſe, quam per commiſſarios ſuos nonnullos Cardinales alioſque Prælatos ſæpenumero, ſicut acceperimus, diligenter audivit, determinationi & ordinationi ſupradictæ ſui & noſtri prædeceſſoris Eugenii acquieſcens, nihil omnino innovavit. Poſtea ſel. rec. Calixtus Papa III. prædeceſſor noſter, cum dicto Nicolao V. ſuceſſiſſet, & contentiones variæ inter vos Conventuales & Obſervantes ſuſcitatæ eſſent, tamdem litteras ipſe etiam dedit infraſcripti tenoris.*

Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Conditor orbis, qui gregem Dominicum de laqueo ſervitutis eripuit, inter alia quæ hujus gregis opera afferunt fructuoſa, vices ſuas nobis licet immeritis committere in terris dignatus eſt, ut circa quorumcumque Religioſorum Ordines, præſertim eorum, qui ſub vita laudabili ac Obſervantia regularem vitam ſibi eligunt, privigilem noſtræ conſiderationis intuitum dirigimus, per quem Religioſi ipſi & quicumque eorumdem ordinum profeſſores, ſublatis quibuſvis turbationum materiis, ne contagione ſerpentina occaſio hæſitandi in eis per amplius convaleſcat, ſub votiva pacis & quietis manſuetudine ſedulo devotiorem Altiſſimo impendere valeant famulatum; & iis quæ propterea noſtrarum litterarum obtentu, pro pacis & quietis hujuſmodi augmento & virtutum incremento multiplici provide acta ſunt, ut firma & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem. Nuper ſiquidem cupientes dilectos filios univerſos Ordinis Fratrum Minorum profeſſores de Obſervantia nuncupatos, negligio calamitatis & deſolationis itinere ad tranquillum pacis & quietis augmentum reducere, litteras conceſſimus tenoris ſubſequentis. Calixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Illius, cujus in pace factus eſt locus, vices quamquam immeriti gerentes in terris &c. ut in tomo XII. anno 1456. num. 129. *Nos igitur ut hujuſmodi noſtræ præinſertæ litteræ omniaque & ſingula in eis contenta, quæ profalubri Ordinis & profeſſorum eorumdem regimine feliciter dirigendo peracta ſunt, roboris obtineant firmitatem, ne de eorum viribus a quoquam in poſterum hæſitetur, ſed perpetuo & inviolabiliter obſerventur, litteras & in eis contenta omnia & ſingula hujuſmodi, ac ſecuta & ſecutura ex eis, cum omnibus ac ſingulis capitulis, ac in illis contentis clauſulis, pœnarum adjectionibus, ſententiarum fulminationibus, & irritantibus decretis, pront ſupraſcriptis prohibentur, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia approbamus & confirmamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus quantumcumque ſubſtantiales, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et nihilominus ne aliqui formidine perpetuæ infelicitatis miſerrime ipſi excæcati, ſuarum mentium diſturbia inquirentes, conceptis per eos ſiniſtris eventibus, litteras prætextas, omnia & ſingula contenta in illis ac ſecuta & ſecutura ex eis hujuſmodi etiam pro aliqua ipſarum parte quæritent quoquo modo moderari, auctoritate & ſcientia ſimilibus omnia & ſingula privilegia & conceſſiones ac indulta quæcumque cum inde ſecutis & ſecuturis, per nos aut Sedem Apoſtolicam, ad quorumcumque perſonarum, aut quorumvis profeſſorum ejuſdem Ordinis & provinciarum quarumlibet inſtantiam ſive ſupplicationem, etiam motu proprio, ex certa ſcientia hactenus conceſſa & inantea concedenda, etiamſi perſonæ ipſæ Regali, ducali, militari, aut quavis Eccleſiaſtica vel mundana præfulgeant dignitate, cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis clauſulis, etiam de præinſertis, & præſentibus noſtris litteris, ſive earum totali effectu expreſſam mentionem facientibus, etiamſi indultis hujuſmodi & conceſſionibus caveatur expreſſe, quod illis, niſi de eorum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis & ſpecifica ac individua mentio præſentibus fieret, derogari non poſſit, ſi & inquantum per ea præteritis & præſentibus noſtris litteris aliquod præjudicium quoquo modo generetur, dummodo privilegia, conceſſiones & indulta ipſa noſtram laudabile propoſitum, quod nuper circa ſanctam Cruciatam, per nos contra ſpurciſſimos Mahometæ ſectæ cultores, nefandiſſimos Chriſti nominis inimicos initam, firmiter oſtendimus, non concernant, eis omnibus & ſingulis ſpecialiter & expreſſe derogamus, & derogatum eſſe volumus, eaque ipſa conceſſa & concedenda privilegia & indulta, ſi quæ*

ſi quæ in ſupplicationum, aut bullarum Apoſtolicarum, ſive noſtræ Cameræ Apoſtolicæ regiſtris, aut alias regiſtrata reperiantur, ab inde auctoritate & ſcientia prædictis caſſamus, irritamus & de medio tollimus, eaque cum inde ſecutis & ſecuturis pro infectis haberi volumus, etiam perinde ac ſi quoad hoc, ut ſupradictis noſtris litteris quoquo modo obvietur, a nobis vel dicta Sede nullatenus emanaſſent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ approbationis, confirmationis, communicionis, ſuppletionis, derogationis, caſſationis, irritationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVI. VIII. *Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno* II. *Quæ quidem litteræ Calixto ipſo anteceſſore noſtro, qui eas conceſſit, vivente minime obſervatæ fuerunt, imo bis, primo in capitulo Mediolanenſi, ſecundo in capitulo Romano, ubi præſens Generalis fuit electus, contra earumdem tenorem proceſſum extitit quoad voces activas Obſervantibus conceſſas, ipſo anteceſſore noſtro tacente, ac ſuas litteras non defendente. Unde nobis paulo poſt veſtrum in Alma Urbe capitulum celebratum ad ſummi Pontificatus apicem aſſumptis utraque pars veſtrum a nobis cum inſtantia & humilitate, Conventuales ut libertas & unitas Ordinis ſervetur, contra quos duæ, ut dicebant, bullæ prædictæ faciebant; Obſervantes vero, ut ſciant ſub qua forma vivant, cum bullæ Eugenii in aliquibus per bullas Calixti modificatæ & alteratæ eſſent, bullæ vero Calixti non haberent obſervantiam, poſtularunt, adeo ut hujuſmodi ſupplicationibus & petitionibus pro noſtro paſtoralis officii debito duxerimus opportune pro viribus providendum. Ea igitur re aliquando cum nonnullis venerabilibus Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus communicata, venerabili Beſſarioni fratri noſtro Epiſcopo Tuſculanenſi, necnon Ordinis ipſius Protectori, & dilectis filiis noſtris Gulielmo tit. ſancti Martini in Montibus Rothomagenſi, ac Alano tit. ſanctæ Praxedis Avenionenſi, necnon Nicolao tituli ſancti Petri ad Vincula, Presbyteris Cardinalibus, & venerabilibus fratribus noſtris Angelo Reatino, & Joanni Barcinonenſi Epiſcopis commiſimus & dedimus in mandatis, ut partibus diligenter auditis, ac utriſque rationibus, juribus & allegationibus intellectis, nobis referre curarent: a quibus omnibus relatione aliquando nobis attentiſſime audientibus facta, & partibus deinde vocatis a nobis, præſentibuſque Commiſſariis antedictis diligenter auditis & examinatis, vidimus atque intelleximus, res ipſas veſtri Ordinis ejus fore conditionis & naturæ, ut neque brevi tempore, neque levi facilique tractatu ſatis dirigi & componi valeant. Et magnis nuper omniumque maximis occupationibus detineri cœpimus, quæ noſtram & noſtrorum omnium operam expoſcunt, ita ut cum omnibus Chriſtiani orbis Imperatore, Regibus, Prælatis, Principibus & Populis conveniendi, ut rem Chriſtianam a Turcorum aliorumque barbarorum invaſionibus periclitantem, adjuvante exercituum Domino, protegamus. Quare veſtram utriuſque partis devotionem in Domino exhortamur, ut veſtræ Religionis decus & fundamentum, humilitatem amplectentes, Salvatoris noſtri exemplo, qui ſeipſum exinanivit pro nobis, mutuam ſervantes caritatem, alteri alteros ſupportetis, ac obſequio in vera humilitate præveniatis. Et nihilominus Nos de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio & aſſenſu antedictorum & Epiſcoporum volumus, decernimus, declaramus, præcipimus & mandamus ſub pœnis in litteris fel. rec. Eugenii IV. prædeceſſoris noſtri contentis, quas contravenientes ipſo facto incurrant, vobis utriuſque partis Fratribus Ordinis beati*

Franciſci, & a vobis quomodolibet dependentibus, omnia inter vos viciſſim facere & ſervare quoad omnes clauſulas earumdem, quæ in prædictis Eugenii IV. prædeceſſoris noſtri litteris continentur, quouſque per nos, dante Domino, aut per Sedem Apoſtolicam, vocatis utriſque qui ſunt vocandi, univerſali totius Ordinis bono aliter providebitur. Ad pacem vero & quietem inter vos interea conſervandam volumus & inhibemus ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam contravenientes ipſo facto incurrant, ne pars una alterius loca, Conventus vel Monialium Monaſteria quovis quæſito colore invadere aut capere audeat, vel aliter perturbare, nec eos, qui hucuſque ex Obſervantibus ad Conventuales vel e converſo diſceſſerunt, aliquo modo moleſtare vel inquietare. Inſuper quia provincia Auſtriæ in pluribus provinciis diffuſa eſt, ab illo Miniſtro declaramus Vicarium illius provinciæ confirmandum, in cujus provincia congregationem provincialem per eumdem Vicarium contigerit celebrari. Non obſtantibus prædicti prædeceſſoris noſtri Calixti, aut aliis Apoſtolicis litteris forſan quomodolibet emanatis quibuſcumque, quas tenore præſentium ſuſpendimus, & quouſque aliter provideatur, pro nullis haberi volumus & mandamus, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque. Ut autem præſentium litterarum notitia facilius haberi poſſit, quarum originale difficile foret ad ſingula loca deferre, decernimus quod ipſarum tranſumptis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Auditeris, aut dicti Ordinis Protectoris, ſeu alicujus Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis Curiæ munitis, tamquam præſcriptis noſtris litteris, ſi originaliter exhiberentur, plena fides adhibeatur & perinde ſtetur, ac ſi originales litteræ exhibitæ forent vel oſtenſæ. Nulli ergo &c. noſtrorum exhortationis, præcepti, declarationis &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVIII. *v. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno* I.

Multi recedunt ab Obſervantibus.

XXI. Monui alias, beatam Coletam multos tam Fratrum, quam Sororum reformaſſe Conventus, & in quibuſdam Ultramontanis provinciis plurimos fuiſſe etiam ab Obſervantia nuncupatos, qui Generali & Provincialibus Miniſtris parebant, neque cum aliis Obſervantibus, præſidio utentibus bullarum Eugenii & Calixti, & ſub Vicariis degebant, conjungi volebant. Aliqui ad eos acceſſerant, ſed hoc anno receſſerunt, impetrato hoc diplomate Pontificio.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex l. 1. de Curia fol. 140.

Religioſam vitam profeſſis, præſertim ſub regulari Obſervantia ſtudio piæ vitæ vacantibus, amnem ſic expedit ſubtrahi inquietudinis & turbationis materiam, quod in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Dudum ſiquidem fel. record. Calixtus Papa III. prædeceſſor noſter attendens, quod poſtquam nonnulli prædeceſſores ſui circa quietem & tranquillum regimen dilectorum filiorum ſingulorum Ordinis Fratrum Minorum profeſſorum multifarie laborarunt, piæ memoriæ Eugenius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter quaſdam inter eos, qui de Obſervantia nuncupantur, & alios dicti Ordinis profeſſores vertentes differentias ſedare & amputare ſatagens, nonnullas certorum tenorum ediderat litteras, per quas plura circa regimen & gubernationem, ac alia ipſos Fratres de Obſervantia nuncupatos contingentia ordinaverat, ſtatuerat & conceſſerat, duos inter cetera perpetuos & Generales, Citramontanum ſcilicet & Ultramontanum Vicarios certo modo aſſumendos, ac per Generalem Miniſtrum dicti Ordinis confirmandos ſeu inſtituendos, ac alios officiarios tunc expreſ-

preſſos, ſub quibus illi de Obſervantia citra & ultra montes reſpective degerent, ordinando; ac etiam conſiderans ipſe Calixtus prædeceſſor, quod differentiæ ipſæ nondum ceſſarant, ſed adhuc tempore ſuo perdurabant, cupiens ipſas diſſenſiones & ſcandala ſuis temporibus terminare, nonnulla de Fratrum ſuorum conſilio, cum quibus ſuper his deliberationem præhabuit, ſtatuta & ordinationes circa decem & octo capitula continentia, quorum aliqua ut pnta primum omnes, aliqua vero ex aliis illos tantum, qui de Obſervantia nuncupantur, Fratres Minores concernere dignoſcuntur, per ſuas ſub data IV. *Nonas Februarii, Pontificatus ſui anno* I. *edidit, fecit & conſtituit, mandans illa ſub gravibus pœnis per dilectos filios Generalem, & Provinciales Miniſtros, ac Cuſtodes & Vicarios ceteroſque dicti Ordinis Fratres & perſonas inviolabiliter obſervari; ac privilegiis & litteris Apoſtolicis, necnon conſuetudinibus dicti Ordinis & Provinciarum ejuſdem, ceteriſque contrariis, quæ pro infectis haberi voluit, derogando prima, & ſubſequenter pro illorum majoris roboris firmitate, idem Calixtus prædeceſſor per alias ſuas litteras, videlicet ſub data* VIII. *Kalendas Maii, Pontificatus ſui anno* II. *auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia priores ſuas litteras ipſas illis inſerendo approbavit & confirmavit: Et nihilominus omnia & ſingula privilegia, conceſſiones & indulta, per eam ant Sedem Apoſtolicam, ad quarumcumque perſonarum, etiam dicti Ordinis profeſſarum vel aliorum ſupplicationem ſeu inſtantiam, etiam motu proprio & ex certa ſcientia in contrarium conceſſa tunc, aut in poſterum concedenda, etiamſi perſonæ ipſæ Regali, Ducali, militari vel alia dignitate perfulgerent, cum quibuſvis derogatoriarum derogatoriis clauſulis, expreſſam de illis mentionem faciendo, Cruciatam tnmen non concernentes, caſſavit, revocavit, irritavit, ac de medio ſuſtulit, illa pro infectis habere volens, ac ſi nullatenus emanaſſent, prout in ipſis poſterioribus ſuis litteris, quarum tenorem, ac ſi præſentibus inſertæ forent, haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur. Verum, ſicut exhibitn nobis nuper pro parte dilectorum Guardianorum, Fratrum & Conventuum nonnullorum locorum, domorum & Eremitoriorum in Burgundiæ, Franciæ, Aquitaniæ, & nliis Ultramontanis partibus conſtitutorum, præſertim Dolæ Bellicii, Cabilonis, Rubeimontani, Nozaret Saleriarum, Biſrati, Don-Jonii, Dethonis, Dallendii, Caſtrarum, Muratl, & Aziliani ſub ejuſdem Ordinis regularibus inſtitutis juxta reformationem ex operatione quondam Coletæ Bochet, olim Sororis Ordinis ſanctæ Claræ, pro illius ac Monaſteriorum per eamdem Coletam fundatorum, ſuarumque Sororum conſervatione factam, pro tempore degentium petitio continebat, licet ipſi ab initio dictæ reformationis, & ſuorum locorum conſtructionis ſub obedientia Generalis & Provincialium Miniſtrorum dicti Ordinis eorumque officiariorum, prout jubere dignoſcitur ſancti Franciſci regula, vixerint, prout vivere intendunt; licet inſuper prædicti ſub reformatione Coletæ hujuſmodi degentes Fratres, ſen quamplures ex eis, qui ſuper hoc ad Apoſtolicam Sedem recurſum habuerunt, tnm a fel. record. Nicolao Papa V. etiam prædeceſſore noſtro, quum eodem Calixto plures litteras Apoſtoliens ſuper eo, quod eorumdem Fratrum de Obſervantia nuncupatorum Vicariis & officiariis nullatenus obedire, ſeu cum eis ſe quomodolibet commiſcere aut impedire haberent, obtinuerint. Tamen quia nonnulli tam Clerici quam laici prædicti ſub reformatione hujuſmodi degentibus Fratribus hoc etiam Obſervantiæ nomen adſcripſerint & adſcribunt, ita ut in foribus ſeu communiter aut vulgariter de Obſervantia nuncupentur, ac ex certis aliis cauſis ab aliquibus prætendi poſſe dubitant, prædictos exponentes Fratres ad obſervationem ordinationum & lit-*

litterarum Calixti prædeceſſoris hujuſmodi quoad ea, quæ fratres de Obſervantia nuncupatos ſub Vicariis degentes concernunt, teneri, & ſub eis comprehendi debere, ab eiſdemque Vicariis ad ſibi parendum & obediendum compelli poſſe, ac nos litteras & Ordinationes hujuſmodi ad eos extendi voluiſſe atque velle, eos a ſolita debitaque Generalis & Provincialium Miniſtrorum obedientia ſubtrahendo ſeu divertendo, & Vicariis ipſis ſuper eorum decretis ſubjiciendo. Quare pro parte Guardianorum & Conventuum hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum ipſi cupiant juxta tenorem & formam Regulæ prænarratæ, necnon eis conceſſorum privilegiorum prædictorum tenores Altiſſimo deſervire, ad ſervandam ſuper hoc ipſorum conſcientiam, eis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum fidelium, præſertim ſacræ Religioni vacantium, pacis & quietis commoda libenter procuramus, omnem dubietatis ac turbationis & inquietudinis materiam inter Fratres ipſos, ut eo devotius Altiſſimo vota ſua reddere valeant, penitus adimere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod illi ex eiſdem Fratribus ſupplicantibus, & ſub reformatione hujuſmodi degentibus præſentibus & futuris, qui a Provincialium Miniſtrorum obedientia recedere ac ſubtrahi, ac Vicariorum obedientiæ ſubjici noluerint, ipſi ad id prætextu earumdem Calixti prædeceſſoris litterarum, ſeu alias a quoquam quavis auctoritate compelli nequeant, nec propterea interdici, ſuſpendi vel excommunicari aut aliis pœnis affici valeant, etiam per præmiſſas vel alias litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de præſentibus mentionem: decernentes litteras ac ordinationes prædictas quoad ea quæ Fratres de Obſervantia nuncupatos ſub Vicariis degentes dumtaxat concernunt, ad eos, qui noluerint, ut præfertur, non extendi voluiſſe atque velle; necnon illos ex eis, qui ſe potius metu pœnarum in prædictis litteris appoſitarum, quam ſponte vel libere a Provincialium obedientia ſubtraxerint, & Vicariorum obedientiæ prætextu litterarum hujuſmodi ſubmiſerint, ad priſtinam obedientiam reverti & remanere poſſe, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper iis a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Præterea omnes & ſingulas, ab eiſdem Fratribus de Obſervantia nuncupatis, ſub Miniſtris & reformatione hujuſmodi degentibus, ſuper obedientia per eos Vicariis & Commiſſariis aliorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum non præſtanda, & ſuper eo quod ſub Generalis & Provincialium Miniſtrorum aliorumque eorum officiariorum obedientia remanere teneantur, tam a Nicolao, quam Calixto prædeceſſoribus noſtris ſupradictas obtentas litteras Apoſtolicas, ratas & gratas habentes, illas, quatenus eis per alias ejuſdem Calixti prædeceſſoris noſtri primodictas, illis de Obſervantia procurantibus emanatas litteras hujuſmodi in aliquo derogatum exiſteret, & quæcumque inde ſecuta, quoad Miniſtrorum obedientiam hujuſmodi dumtaxat, ab omni eorum data in priſtinum ſtatum reponimus, reſtituimus & revalidamus, ac vim vigoremque habere, ſuumque plenarium effectum ſortiri debere decernimus, ac ſi primodictæ Calixti prædeceſſoris noſtri prædicti, aut aliæ ſimilet litteræ Apoſtolicæ hujuſmodi nullatenus emanaſſent, ſeu in poſterum minime emanarent. Non obſtantibus præmiſſis primodictis Calixti litteris & Ordinationibus, quibus quoad hoc dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, illis alias in ſuo robore permanſuris, ac omnibus illis, quæ tam Nicolaus quam Calixtus prædeceſſores noſtri prædicti in ſingulis ſuis litteris prædictis voluerunt non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem quod tranſſum-

ſumpto præſentium litterarum &c. Nulli ergo &c. noſtræ conſtitutionis, repoſitionis &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLVIII. XVII. *Kalend. Novembris &c. anno* 1.

Laxa ſibi procurat privilegia Miniſter Generalis.

XXII. Quantum vero in ſuæ Regulæ obſervantia & paupertate ſectanda diſcreparint Obſervantes a Conventualibus, vel ab ipſo diſces capite, Miniſtro ſcilicet Generali, qui ipſo eodem tempore quo abjectum, humile, pauperculum genus hominum ſuo ſubjici imperio contendit, tot ſibi ſociiſque laxioris & commodioris vitæ privilegia, his litteris contenta procuravit.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex l. 2. majori bullar. fol. 11.

AD exequendum paſtoralis officii debitum ſtudiis intendentes exactis, circa ſingulorum regularium Ordinum & Prælatorum, necnon officialium & perſonarum eorumdem ſtatum ſalubriter dirigendum attentæ conſiderationis dirigimus aciem, ac pro eorum profectibus opem & operam impenpimus efficaces; & ut ea, quæ circa reginen Ordinum & Prælatorum officialiumque & perſonarum prædictarum per Sedem Apoſtolicam provide moderata, declarata & reformata fuere, plenam obtineant firmitatem, volumus ea noſtræ confirmationis munimine roborari. Dadum ſiquidem fel. record. Martinus Papa V. prædeceſſor noſter quaſdam conſtitutiones & ordinationes, antea per bonæ memoriæ Joannem tituli ſancti Petri ad Vincula presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Minorum ſuo tempore Aſſiſii celebrata, pro reformatione dicti Ordinis auctoritate Apoſtolica factas, per ſuas litteras modificavit & declaravit, ac certas illis additiones fecit, prout in ipſis litteris plenius continetur. Et deinde, cum piæ memoriæ Eugenius Papa IV. etiam prædeceſſor noſter modificationes, declarationes & additiones ac litteras hujuſmodi per quaſdam alias revocaſſet, tamdem ipſe Eugenius prædeceſſor ex certis cauſis rationabilibus & legitimis, revocationem hujuſmodi uſque ad proximum Generale Concilium quod ſe in Civitate noſtra Bononienſi celebraturum ſperabat, per certas alias ſuas litteras ſuſpendit, decernens quod interim modificationes, declarationes & additiones prædictæ efficaciam & robur haberent, & in priſtina firmitate manerent, quarum quidem poſterioruin litterarum tenor talis eſt. Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Solet Apoſtolica Sedes circa Religioſorum conditionem & ſtatum plerumque meditari, & ſicut in humanis morte & vita mutari conſueverunt, ita pro Religionis reformatione adjicere, minuere, declarare, modificare, ordinare atque diſponere conſuevit, prout rerum & temporum qualitate penſata, conſpicit in Domino ſalubrius convenire. Cum itaque fel. record. Martinus Papa V. prædeceſſor noſter, videlicet VI. *Kalend. Auguſti, Pontificatus ſui anno* XIII. *pro reformatione Ordinis Fratrum Minorum certas additiones, declarationes & modificationes tradiderit, & fecerit ex tenore quarumdam conſtitutionum, quas dilectus filius Joannes tituli ſancti Petri ab Vincula presbyter Cardinalis, cui tunc de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium conſilio, plene Legationis officium erat commiſſum, edidit in Generali ipſorum Fratrum Capitulo; quarum additionam, declarationum & modificationum tenor ſic continetur. Primo videlicet, quod ubi Fratres particulares dicti Ordinis Monialium & Sororum Ordinis ſanctæ Claræ, ſancti Damiani & Minoriſſarum, ac alia quæcumque Monaſteria ſive loca regularia mulierum per quaſcumque etiam Apoſtolicas litteras ſibi commiſſa ſub certis pœnis obſtringun-*

guntur Miniſtris Provincialibus, ut illorum juriſdictioni ſubſint, prout convenit, reſignare, niſi per illos eis denuo fuerint recommiſſa, adjiciendo decernimus, volumus & mandamus, Sorores & Moniales eaſdem, etiamſi in contrarium habeant quævis privilegia vel indulta, quæ, necnon eiſdem particularibus Fratribus conceſſas litteras hujuſmodi quoad hoc caſſamus, irritamus & annullamus, ad ſubtrahendum ſe a ſubjectione & obedientia ipſorum particularium Fratrum & aliorum quorumcumque, niſi de novo illis recommittatur, ut præfertur, ſeque omnino ipſorum Miniſtrorum, & per eos deputandorum Viſitatorum juriſdictioni & obedientiæ ſubmittendi per eamdem conſtitutionem pari modo adſtringi & pœnis ſimilibus obligari. Præterea decernimus quod (exceptis his, de quibus in conſtitutionibus fel. rec. Benedicti Papæ XII. prædeceſſoris noſtri fit mentio) nulli omnino hominum tam regularium, quam ſecularium, cujuſcumque ſtatus, gradus, præeminentiæ, dignitatis, excellentiæ, nobilitatis & conditionis fuerit, prætextu ſibi deſuper quavis auctoritate conceſſæ cujuſcumque licentiæ, quam ſimiliter caſſamus, irritamus & annullamus, Monaſteria ſive loca Sororum & Monialium hujuſmodi, ſeu aliquod ex eis ingredi, neque etiam Protectori aut Generali Miniſtro dicti Ordinis Minorum pro tempore exiſtentibus, ſeu prædictis Provincialibus Miniſtris & quibuſcumque Viſitatoribus licentiam ſuper ingreſſu hujuſmodi aliis ab exceptis antedictis, inconſulto Romano Pontifice, concedere liceat quoquo modo. Item ubi cavetur de Divino officio ſecundum ordinem dictæ Romanæ Eccleſiæ peragendo, ſtatuimus quod de omnibus commemorationibus & feſtis trium lectionum feſta novem lectionum fieri, & utrumque feſtum ſanctæ Crucis, ſub duplici officio ſine commemorationibus Sanctorum iiſdem diebus occurrentium celebrari, prout a piæ mem. Gregorio Papa XI. prædeceſſore noſtro fuit ordinatum, quodque ſuper rubrica de feſtivitatibus occurrentibus infra octavas, feſta iſta non præcedentibus, ſed infra eaſdem octavas exiſtentibus, ſicut etiam nonnulli alii Romani Pontifices ſimiliter prædeceſſores noſtri declararunt, intelligi debeant. Item ubi prædicto Generali Miniſtro duo ſocii notabiles, unus videlicet Citramontanus & alter Ultramontanus, addito ſocio ſcriptore & alio ſervitore ac uno famulo damtaxat decreti ſunt, adjicimus eidem duos famulos, & unum eleemoſynarium ſecularem vel alterius Religionis; qui quidem eleemoſynarius a Procuratoribus Provinciarum, aut Provincialium Miniſtrorum, Conventuum, domorum & locorum dicti Ordinis Minorum omnia illa, quæ pro victu, veſtitu, equis, famulorum ſalario, & aliis ipſi Generali Miniſtro ejuſque comitivæ neceſſaria & opportuna fuerint, exigere, & exacta pro hujuſmodi neceſſariis exponere habeat, quique de præmiſſis exactis & expoſitis eidem Generali Miniſtro primum, & deinde Capitulo Generali loco & tempore celebrationis ejuſdem, ut inde per totum Ordinem ſecundum Provinciarum numerum dividantur, rationem reddere teneatur. Adjicimus etiam quod ſinguli duorum ſociorum principalium Generalis Miniſtri prædictorum, ſingulos ſervitores Fratres, vel alias, perſonarum ſuarum & equorum ſibi aſſignatorum ſervitiis inſtitutos famulos, quibus ſicut ceteris de familia ejuſdem Generalis Miniſtri provideatur, habere valeant atque poſſint, his tamen & aliis eis ſimilibus ejuſdem Generalis Miniſtri, prout ſecundum loca & tempora, ac longas vel breves moras expedire viderit, moderationi relictis, cujus etiam Generalis Miniſtri, vel per eum ad hoc deputandorum diſcretioni & compulſioni prædictos procuratores, & principales eorum neceſſaria hujuſmodi dicto eleemoſynario forſan ſolvere ſeu exhibere recuſantes, aut ſolutionem hujuſmodi longius debito differentes, ſuper hoc omnino volumus ſubjacere. Item ubi prædicto Generali Miniſtro in-

interdicitur poteſtas licentiandi aliquem ad curſum Magiſterii, niſi præſentatus fuerit a Miniſtro ſuæ Provinciæ, qui neminem audeat præſentare, niſi de conſilio & aſſenſu Capituli Provincialis, modificando declaramus hoc fore intelligendum in illis Provinciis, in quibus ſolet Provinciale Capitulum vel Congregatio habens vim Capituli, annis ſingulis celebrari, alias idem Generalis Miniſter de proborum conſilio ad Magiſterii curſum licentiare valeat atque poſſit. Item ubi dicto Generali Miniſtro pecuniarum exactio prohibetur, declaramus quod pro ſuis neceſſitatibus poſſit eleemoſynas a quibuſcumque recipere, qui ſponte illas ſibi voluerint erogare, dummodo ab exigendo & extorquendo penitus abſtineat, idemque per Provinciales Miniſtros in ſuis Provinciis & Procuratores dicti Ordinis Minorum in Romana Curia, ac alias ipſius Ordinis Fratres tam pro expenſis & aliis neceſſariis, quam pro eleemoſynarum receptionibus volumus obſervari. De veſtimentis autem per Miniſtros & Cuſtodes debita ſecundum regulam exiſtentes prædicti Benedicti prædeceſſoris proviſio obſervetur. Item ubi Generali & Provincialibus Miniſtris, ac Cuſtodibus & Guardianis ceteriſque Fratribus prædictis inhibetur, ne ullatenus quidquam exigant aliquo colore vel cauſa, qui ſi ſecus fecerint, eo ipſo ſuis officiis ſint privati, ſibique eorum ſubditi deinceps obedire minime teneantur; & ſi aliquis Miniſtrorum Generali Miniſtro quidquam contribuere præſumpſerit, ipſo facto ſuo officio ſit privatus; volumus & declaramus contributiones hujuſmodi intelligi debere, ſi in modum exactionum vel extorſionum tam ex parte dantium, quam recipientium factæ fuerint, non autem in modum eleemoſynarum ſupradictarum, quem volumus in ſuo robore permanere: quod ſi forſan taliter obſervatam non extiterit, hujuſmodi privationum, in quocumque dictarum conſtitutionum per eumdem Cardinalem, ut præfertur, editarum loco tangantur, diffinitionem & determinationem ſolum ſpectare ad ſummum Pontificem quoad Miniſtrum Generalem, & ad Generalem Miniſtrum quoad Miniſtros Provinciales, & ad Miniſtros Provinciales quoad alios Fratres antedictos. Quas quidem omnes & ſingulas additiones, declarationes & modificationes per nos, ut præfertur, factas, a quibuſcumque Fratribus dicti Ordinis Minorum & aliis, quorum intererit ſeu intereſſe poterit, perpetuo & irrefragabiliter obſervari volumus & mandamus. Per quas quidem additiones, declarationes & modificationes prædicti Martini prædeceſſoris noſtri, & litteras ejuſdem ſuperinde confectas, dum intelleximus diverſitatem ſublatam renovari, & ex eiſdem unitati Ordinis prædicti præſtari impedimentum, pro ipſorum Fratrum concordia cum omnibus inde ſecutis caſſavimus, irritavimus & annallavimus, ipſas decernentes nullius eſſe roboris vel momenti, ſicut per eaſdem noſtras litteras datas Idibus Martii, Pontificatus noſtri anno primo diſtinctius legitur contineri. Nunc autem comperto, ex prædictis caſſatione, irritatione & annullatione litterarum, nedum diverſitatem ſublatam in dicto Ordine, aut concordiam ſubſecutam, ſed potius emergentes difficultates, ſcandala & multa inconvenientia proveniſſe, ex certis reſpectibus digne moventibus mentem noſtram, habito ſuper his conſilio cum prædicto dilecto filio Joanne tituli ſancti Petri ad Vincula presbytero Cardinale, motu proprio, & non ad alicujus porrectæ nobis petitionis inſtantiam, prædictas litteras noſtras caſſationis, irritationis & annullationis prædictarum, tenore præſentium, Apoſtolica auctoritate ſuſpendimus uſque ad proximum Generale Concilium futurum in Civitate noſtra Bononienſi, cui, dante Domino, perſonaliter præeſſe cupimus, & pro reformatione idonea conſtitutionum, & regularum pertinentium ad Ordinem antedictum debite providere: decernentes quod interim prædictæ additiones,

declarationes & modificationes ejuſdem noſtri prædeceſſoris, quæ ſuperius continentur, efficaciam & robur habeant in priſtinaque permaneant firmitate. Non obſtantibus litteris & conſtitutionibus noſtris in contrarium editis, etiamſi de iis eſſet de verbo ad verbum mentio ſpecialis habenda, & aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCXXXII. IV. *Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno* II. *Nos igitur plene informati, additiones, declarationes & modificationes ſuperius expreſſas, ac eaſdem poſteriores inſertas litteras dicto Ordini fuiſſe & fore plurimum profuetas ac etiam fructuoſas, ipſas additiones, declarationes & modificationes ac ſuperius inſertas dicti Eugenii prædeceſſoris litteras auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium revalidamus, renovamus, confirmamus & approbamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & in perpetuum vigere decernimus per præſentes, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo &c. noſtræ revalidationis, renovationis, confirmationis, approbationis, decreti & ſuppletionis infringere &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c.* MCCCCLVIII. VIII. *Kalendas Decembris &c. anno* I.

Jacobus Piceno mittitur prædicaturus ad Firmanos.

XXIII. Jacobum de Marchia a multis expetitum, & ubique concupitum, ut prædicaret, impetrarunt cives Firmani ſibi mitti venturæ Quadrageſimæ concionatorem. Pius in hunc modum præcepit.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum profeſſori.

Ex autographo.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quia dilecti filii Communitas Civitatis noſtræ Firmanæ plurimum cupiunt, ut tua devotio illuc ſe conferat ad prædicandum, ſperantque ex tuis admonitionibus & ſalutiferis prædicationibus maximum fructum, & ſalutem plurium animarum proventuros: Nos juſtis eorum deſideriis annuere in Domino volentes, eidem devotioni tuæ per præſentes in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut omni excuſatione poſthabita, in proxima Quadrageſima ad ipſam Civitatem te conferas ad prædicandum, ibique per totam ipſam Quadrageſimam prædices, & ſecundum gratiam tibi a Deo datam, verbum Divinum ad ſalutem animarum Chriſtifidelium diligenter evangelizes. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die VIII. *Decembris* MCCCCLVIII. *&c. anno* I.

Tom. 1. an. 1314. n. 32. Moritur B. Paulus Perpinianen. *Gonz. in Prov. Catalon. Conv. 3. Marc. 3. p. l. 3. c. 30.*

XXIV. Fidem alias obſtrinxi me hoc anno relaturum mortem beati Pauli, Perpiniano, comitatus Ruſcilionis oppido, ſepulti. Magiſter erat in ſacra Theologia, ſalutis animarum ſitibundus. Singulari pietate ſacratiſſimam Virginem Mariam venerabatur, quapropter ejuſdem imago illum allocuta & conſolata eſt, quæ deinceps *Imago Divæ Virginis de conſolatione nuncupata*, devote in Cœnobio Fratrum Minorum aſſervatur. Occubuit hoc anno impii hominis gladio, vel quod mulierculæ concubinæ perſuaſerit a peccato recedere, vel quod impœnitenti abſolutionis beneficium denegarit. Vulnus adhuc cernitur in capite, & corpus integrum in magna habetur veneratione.

Fr. Carolus Epiſcop. Aſſiſias.

XXV. Invenio hoc anno Epiſcopum Aſſiſiatem fratrem Carolum de Nepis, eadem urbe nobili ſtirpe oriundum. Cathalogus Antiſtitum inde tranſmiſſus dicit, hoc anno primo Octobris promotum a Pio II. Liber obligationum ſub Nicolao V. & Calixto III. refert dignitatem hanc a Calixto

lixto x vi. Novembris anno mcccclvii. accepiſſe. Aliorum Epiſcoporum memoria hoc anno non occurrit, deperditis libris conſiſtorialibus proviſionum Epiſcoporum a Calixto III. uſque ad Innocentium VIII. Occurrit in regiſtro Ordinis honorifica mentio fratris Mariani de Ciſterna, diſertiſſimi concionatoris, necnon Gabrielis de Verona in Curia pro gravibus Obſervantum negotiis detenti, inſtituto ejus loco Provinciæ Auſtriæ Commiſſario fratre Chriſtopboro de Variſio. Erant Vicarii, Provinciæ ſancti Franciſci Albertus Peruſinus, Marchiæ Dominicus a Lagoniſſa, ſancti Antonii Marinus de Barbo, viri probi & docti.

XXVI. In Italia hoc anno iſtos invenio extructos Conventus. In Umbria bis mille paſſus diſtat ab urbe Interamnenſi devotum Cœnobiolum a ſancta Maria aurea, vulgo *dell' oro* nuncupatum, extructum ſive obtentum hoc anno a beato Bernardino Senenſi, aſſerit Gonzaga, ſed forte error eſt in numerorum notis, & pro anno 1458. ſubſtituendus erat 1438. maxime cum virtute ejuſdem Brevis Eugenii IV. dati anno 1434. cujus tranſumptum authenticum in ejuſdem loci tabellario aſſervatur, domum a Bernardino acquiſitam affirmet. Conventus eſt ſolitarius, & vitæ contemplativæ ſatis opportunus.

Conv. S. Mariæ Aureæ Interamnen.

Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 14.

XXVII. E regione Spediani, oppidi Lunen. diœceſis & ditionis Genuenſis, quod mari Liguſtico alluitur, conſurgit Conventus ſancto Franciſco ſacer, loco amœno, cui conſtruendo facultatem hoc anno conceſſit Pius II. Univerſitati & hominibus ejuſdem oppidi, miſſis litteris ad Abbatem Monaſterii ſancti Venerii de Tiro ejuſdem diœceſis Lunenſis: *Votis fidelium*. Nonis Septembris. In eodem dominio Januenſi, & diœceſi Terdonenſi extra oppidum Novarum, ut perficeretur domus ſancti Franciſci olim inchoata, poteſtatem fecit, orante Joanne Calabriæ & Lotharingiæ Duce, ipſiſque oppidanis: *Ordinis Fratrum Minorum*. xi. Kalendas Decembris. Utriuſque Conventus pro Obſervantibus conſtructi originem prorſus neſciri non immerito queritur Gonzaga. Alium pro Conventualibus ædificatum in diœceſi Sorana, prope Eccleſiam beatæ Mariæ de Campo a Duce Sorano, commiſſamque Epiſcopo hoc anno vi. Idus Septembris facultatem ut fundari permitteret, invenio in quodam vetuſto inſtrumento.

Conv. Spediani.

Idem in Provinc. Januæ Conv. 51 & 52.

Conv. S. Mariæ del Campo.

XXVIII. In Hiſpania hoc anno ad quintum ab urbe Burgenſi lapidem, obtenta Ludovici ab Acunia Epiſcopi licentia, frater Lopetius a Salinis, de quo ſæpe præfati ſumus, humile & pauperculum domicilium prope vetuſtum Eremitorium ſancti Stephani ſuis Conſodalibus regularis Obſervantiæ conſtruxit. Poſt aliquot annos Petrus Gironius Epiſcopi frater, Archidiaconus Valpoſtanus, vir nobilis & pius, cujus ſtudii erga Franciſcanam Religionem plurima extant argumenta, in meliorem formam reduxit, rebus omnibus & locuplete ſuppellectile Eccleſiaſtica abundanter inſtruxit, unde jus patronatus ſibi & hæredibus acquiſivit. Sepultus in pariete ſacelli majoris, loculo ex alabaſtro affabre confecto, hoc habet epitaphium.

Conv. S. Stephani prope Burgum.

Idem in Provinc. Burgen. Conv. 12. Montum. MSS. ejuſd. Provinc.

Petrus Giron.

Hic jacet Reverendus Dom. D. Petrus Giron, Archidiaconus de Valpueſta, in ſancta Eccleſia Burgenſi, filius honorifici equitis Garciæ Sarmenti, nepos Antelati Galiciæ, & Dom. D. Mariæ Emanuelis, patruelis Magiſtrorum Dom. Joannis Pacheco Magiſtri militiæ S. Jacobi, & Dom. Petri Giron Magiſtri Calatravæ: qui hanc fabricavit Eccleſiam, chorum, ſacrarium, valetudinarium, murorum circuitum, ſtagnum, & fontes; reliquit vaſa argentea, paramenta, & aulæa. Rogat Patres ut pro eo Dominum deprecentur. Obiit in die ſabbathi 28. Septembris ann. 1504.

In ſacelli medio, loco omnium præcipuo curavit genitricem ſuam ſepeliri, tumulo item alabaſtrite, aliquantulum e terra elevato, inſculpta ejus effigie, inciſo hoc epitaphio.

Maria Emanuelis.

Hic jacet perquam nobilis domina D. Maria Emanuelis, filia D. Sancii Emanuelis, & D. Ginebræ de Acunia, neptis D. Joannis Sanchez Emanuelis, Proneptis Sancii Emanuelis, abneptis D. Joannis Emanuelis, filii Infantis D. Emanuelis, filii Regis D. Ferdinandi Sancti, mater Ludovici de Acunia Epiſcopi Burgenſis, & Dom. Petri Giron Archidiaconi de Valpueſta, & Antonii Sarmenti.

In eodem ſacello ex latere epiſtolæ in pariete, opere arcuato conſpicitur aliud ſepulcrum, ſuperpoſita duplici ex alabaſtro effigie, adjecta hac inſcriptione.

Antonius Sarmentus.

Hic jacet inſignis, fortis, & magnanimus eques Antonius Sarmentus, Commendatarius militiæ ſancti Jacobi, Prætor urbis Burgenſis, Præfectus vigilum ſub Regibus Catholicis, bujus Conventus Patronus, filius Garciæ Sarmenti, nepos Didaci Sarmenti, pronepos Garciæ Fernandez Sarmenti Antelati Galitiæ, frater illuſtrium dominorum D. Ludovici de Acunia Epiſcopi Burgenſis, & D. Petri de Giron Archid. de Valpueſta, fundatoris hujus Monaſterii, & perquam magnifica domina D. Maria de Mendoza filia illuſtris domini Comitis Montis-acuti. Obiit dictus Antonius Sarmentus die 8. Octobris an. 1524. & prædicta Maria de Mendoza die 30. Octobris an. 1534. Rogant Reverendos PP. ut pro ipſis Deum interpellent.

Succeſſerunt his heroibus in jure patronatus Reverendiſs. Dom. Franciſcus Sarmentus Epiſcopus Giennenſis, ejuſque nepotes filii Antonii Sarmenti. Domus tota perfecto & commodo conſtat ædificio, rebuſque abundat neceſſariis. Patres habet Recollectos, ex quibus non pauci prodierunt virtute illuſtres, præſertim Dominicus Cavalerius, Joannes Hoyanus Sacerdotes, & Bartholomæus Martinez laicus ſive converſus, quorum alias memoria recurret.

Conv. Guadalfagiaræ reformatur.

XXIX. Conventus Guadalfagiaræ, Provinciæ Caſtellæ, diœceſis Toletanæ reformatio nonniſi hoc anno poſt multas altercationes inter Inicum Lupi de Mendoza Marchinonem de Santillana, & Patres Conventuales in eo ſegniter habitantes, & poſt emiſſa quinque vel ſex diplomata Calixti III. ſecundum varias ſibi factas relationes, modo huic, modo illi parti faventis, tandem concluſa eſt, ablata per illos & diſtracta potiori parte ſuppellectilis aureæ, argenteæ, ſericæ, & librorum; quod tamen Calixtus pro bono pacis, & terminandæ litis judicavit condonandum. Bullas omnes etſi ſatis prolixas, e Vaticano regeſto habeo exſcriptas.

Tom. II. ann. 1444. n. 57. Conv. Sullerens. Gonz. in Provin. Majoricen. Con. 5 Duza 4. p. Chronic. l. 3. c. 1.

XXX. Bartholomæus Catanius, de quo alias diximus, propagaturus in inſula Majoricenſi Inſtitutum Regularis Obſervantiæ, in oppido Sullerenſi hoc anno ex publicis facultatibus, annuente Pio Pontifice, domum ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Jeſu fabricari curavit. Locus eſt amœniſſimus, eleganter ædificatus, hortis irriguis & latiſſimis, incolis opportunus. Devotam habet ſpecum, in qua prædictus Catanius orationi & contemplationi vacabat. Legunt ibi Fratres publice grammaticam. Eccleſia conſecrata eſt anno MCCCCXCII. a Joanne de Deo Archiepiſcopo Tavenſi ſub titu-

titulo beatæ Mariæ de Jesu. Ibi in magna veneratione habetur quædam Christi crucifixi effigies, continuis miraculis celeberrima.

XXXI. Alanus * Rohanensium Vicecomes in villa Pontiniaci, dioec. Venetensis in Britannia anno proxime elapso, absque Sedis Apostolicæ licentia ædificare cœpit sub nomine sancti Valentini Fratribus de Observantia Conventum. Ut vero opus prosequi liceret, a Calixto Pontifice (non a Pio II. ut asserit Gonzaga) hoc anno facultatem impetravit: *Pia Deo & Ecclesiæ*. IV. Nonas Maii. Ille idem heros sub hoc tempus alium eisdem construxit Conventum sub titulo sancti Joannis Evangelistæ non procul ab oppido, cui Mons-Relaxus nomen est, nemoroso in loco Cuburium appellato. idque auctoritate cujusdam diplomatis Eugenii IV. qui ante aliquot annos Fratribus Britannis potestatem fecerat quatuordecim Cœnobia construendi. Inde autem constructionis occasionem sumpsisse narrant, quod Fratres in insula *Virgo* dicta maris Britannici, dioecesis Leonensis, ex humili materia Conventum ædificaverint, sed ob rerum inopiam & loci asperitatem paulo post dereliquerint. Illis compassus Alanus hunc Cuburianum reposuit, atque postea Fratres alios duos acquisiverunt Landeriensem, & Landedensem in eadem dioecesi Leonensi sub Rohanensium Vicecomitum auspiciis. Hinc natum est inter Fratres proverbium: *Virgo peperit tres, & postea infirmari cœpit, fuitque derelicta & sterilis*. Peperit enim insula Virgo in terra continenti tres Conventus, & mansit ipsa sicut antea, habitatoribus destituta.

* al. *Marini*.

Conv. sancti Valentini Pontiniaci. *Idem in Provin. Britan. Conv. 4.*

Conv. Montis-Relaxi. *Indid. Conv. 6.*

Conv. Landerien. Conv. Landeden.

XXXII. Diximus alias concessam facultatem Ludovico Duci Sabaudiæ, ut in sua ditione duos ædificaret Fratribus Regularis Observantiæ Conventus. Uni ex his fabricando delegit Ecclesiunculam beatæ Mariæ de Miano, Gratianopolitanæ dioecesis, cumque opus meditaretur, supervenit ex Hispania nobilis vir Jacobus Montis-majoris Comes, qui post peregrinationem Hierosolymitanam & Compostellanam meruit sub Henrico Rege Castellæ in Bæthicæ castris contra Mauros Granatenses, & memor tot periculorum quæ Deus avertit, statuit quod Ludovicus excogitavit, adimplere. Ubi rem aggreditur, opponunt se Rector matricis & parochialis Ecclesiæ Mianensis, cui templum beatæ Mariæ erat unitum, Episcopus & PP. Conventuales: Ille propter emolumenta quæ obveniebant ex oblationibus in dicta Ecclesia frequentibus ob insignem & miraculosam beatæ Mariæ Virginis imaginem; Episcopus propter reditus annuos centum florenorum Ecclesiæ matrici debitos; isti ne Observantum vicinia minuerentur subsidia Conventuum Camberiaci & Gratianopolitani. Rogantibus Duce & Comite, & compensationem offerentibus, Calixtus III. injunxit ante biennium Episcopo, ut eorum votis satisfaceret, nec obtinuit. Scriptis itaque hoc anno litteris ad Priores sancti Laurentii in urbe Gratianopolitana & de Burgeto, ac sancti Petri de Lemeto in eadem dioecesi, incipientibus: *Ex debito pastoralis officii*. IV. Nonas Maii, præcepit ut rescisis controversiis, tamdem liceret opus perficere. Ita factum, pronunciante sententiam nomine Sedis Apostolicæ Amadeo Priore sancti Laurentii, & possessionem tradente quatuor Fratribus ex Bellicensi Cœnobio evocatis. Demum perfecto opere & Fratrum usibus ubique instructo, dicata fuit Ecclesia anno MCCCCLXVI. beatæ Virginis Mariæ Nativitati.

Tom. 12. anno 1454. n. 74. Conv. Miani. *Idem in Provin. S. Bonav. Conv. 46. Foder. & Picq. de eodem, Conv.*

XXXIII. Ceterum Ludovica a Camera Comitis uxor, Francisca soror, Hugo Chalejus Prior sancti Georgii, & Ludovicus Rubodius in Fratres valde benefici, Ecclesiam, affabre sibi elaboratis sepulcris, eleganter adornarunt. Ecclesia duplex est: in inferiori Dei Genitricis imago assiduis mi-

miraculis illuſtris in ſumma veneratione habetur. Fertur, noſtrum inſtitutorem Franciſcum illac in Hiſpaniam abeuntem, ante imaginem genuflexum prædixiſſe ſuorum natorum domicilium illic ædificandum. Cœnobii ambitus prægrandis eſt, viridarium ampliſſimum, horti frugiferi, adeo ut agreſti hoc Cœnobio nihil ſit verno tempore inter Allobroges ſpecioſius. Floruerunt hic viri docti & religioſi, quorum aliqui ſpreta mundi gloria contemptiſque divitiis, ibidem ſua nomina dederunt. Indigito paucos, Jacobum Occantium, Valerium Joſredum, Petrum Grandis, Claudium Muletum, Joannem Baptiſtam de Molis, qui plurimum doctrina, virtute, regimine, & ortus ſplendore Cœnobio profuerunt.

Conv. Bellicen. *Indid. Conv. 45. Fed. & Picq. ibid.*

XXXIV. Quod diximus de primis quatuor Religioſis prædicti Cœnobii Mianenſis evocatis ex Conventu Bellicenſi, probat ante hunc annum iſtum extitiſſe, neque producendum eſſe cum Gonzaga ad an. MCCCCLXXIII. Ludovicus & Anna Allobrogum Duces per facultatem a Nicolao V. conceſſam domos Minoritis ædificandi, ſuadente fratre Baſilio a Bononia ſuo confeſſario, qui primus eam rexit, eductis ex Conventu Dolano Fratribus octo, conſtruxerunt, Eccleſiam & præcipuum altare conſecravit anno MCCCCLXIII. Bartholomæus Elivetius Epiſcopus Nicænus ſub titulo Aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ. Multum contulit ædificio complendo Jacobus ſupradictus Comes Montis-majoris. Conflagravit anno MDLXXXI. die IV. menſis Auguſti circa horam nonam ſerotinam, ſed civium & incolarum liberalitate, & Præfectorum, maxime Petri Decroſi, priſtino ſtatui fuit reſtitutum. Situs eſt amœnus, & ex parte fertilis, qua ſpectat ad meridiem, ex aliis partibus altiſſimis rupibus & montibus convallatur. Floruerunt hic præ aliis tres viri piiſſimi, Petrus de Petra inſignis prædicator, *vitiorum* dictus *flagellum*; Joannes Grangerius miræ auſteritatis & pœnitentiæ; Martinus Petri in oratione & cœleſtium meditatione aſſiduus.

Conv. Jayczæ. *Anno 1478.*

XXXV. In munitiſſimo caſtro Jayczæ regni Boſnenſis, hæreticis & ſchiſmaticis inquinato, de quo alias diximus, hoc tempore Conventum habuerunt Minoritæ ſub nomine ſanctæ Catarinæ, erga quem Catarina Regina, de qua ſuo loco dicemus, magnum gerebat affectum propter ingentem, quem aſſidue Fratres fructum producebant animarum. Multis itaque petiit a Pontifice decorari Indulgentiis & privilegiis, quæ libenter Fratribus bene merentibus conceſſit. Similia ferme conceſſa Fratribus Conventus Bruxellenſis, *in quo* (refert diploma) *multi litterati & graduati in ſacra pagina reſident, & in eo doctæ prædicationes ſemper ad populum fiunt.*

Conv. Bruxellen.

Conv. Bielveld. *Idem in Provin. Colon. Conv. 4.*

XXXVI. In Ducatu Juliacenſi, Senatus Bielveldiæ commodum poſuit hoc anno Fratribus domicilium ex communibus facultatibus, præcedente Apoſtolica auctoritate. Proconſules, Conſules & Univerſitas oppidi Kempii, Miſnen. diœceſis, hoc anno impetrarunt facultatem conſtruendi Minoribus Regularis Obſervantiæ Conventum, ſubjiciendum regimini Vicarii provinciæ Saxoniæ, de quo nihil aliud potui reperire. Puto illum eſſe, quem Gonzaga in recenſu Cœnobiorum Saxoniæ ſanctæ Crucis Kempintenſem appellat.

Conv. Kempii. *Ex l. 2. de Regular. fol. 105.*

Conv. Aveſnæ.

XXXVII. In Belgio ad oppidum Aveſnenſe, diœceſ. Cameracenſis, Nicolaum Franciſci laicum Fratribus regularis Obſervantiæ voluiſſe ædificare Conventum, mihi conſtat ex diplomate Pii, hoc anno III. Nonas Octobris ſcribentis Decano Cameracenſi, ut ſuo nomine ædificandi concederet poteſtatem. Et anno MCCCCLX. Kalend. Decembris invenio eum nobili viro Carolo Comiti de Charoloys, Iſabellæ ejus uxori & Mariæ domicellæ de Pontieure, Cameracen. diœceſis, dediſſe licentiam Conventum ibidem extruen-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

extruendi; & anno MCCCCLXI. XIII. Kalend. Septembris eumdem ſuis litteris invitaſſe fideles, ut ſubſidium ferrent ad conſtructionem *Eccleſiæ ſancti Bernardini Confeſſoris, domus*, inquit, *Fratrum Minorum obſervantiæ Regularis oppidi de Aveſnis, Cameracen. diœceſi, quæ ut accepimus, de novo fundatur &c.* His concordant quæ alias ſub Martino V. diximus de hoc Conventu. *Tom. 10. anno 1429. n. 16.*

XXXVIII. In urbe Brugenſi, tunc oppido diœc. Tornacenſis inſigni, relaxata nimis vita regulari, Joannes de Baeuſt, Philippi Ducis Burgundiæ & in eodem oppido ſupremus Ballivus, cupiens introduci Regularem Obſervantiam, domum ſuam conceſſit & donavit fratri Legero de Huntlaere Guardiano Conventus de Dixmuda, Morinen. diœceſis in Cœnobium Fratrum Regularis Obſervantiæ convertendam & Vicario provinciæ Franciæ ſubjiciendam. Pius Pontifex donationem approbavit, commiſſa rei indagine Præpoſito Monaſterii de Everſam, Morinen. diœceſis: *Piis Chriſtifidelium*. IV. Kalend. Januarii. Poſt aliquot annos reclamantibus quatuor Ordinibus Mendicantibus, qui in oppido domos habebant, & pro eis ſuas preces interponentibus Scabinis, oportuit Obſervantes domo illa, quam jam cœperant, & urbe excedere, aliamque admittere extra oppidum, quam Joannes, Philippi filius, Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ eis obtulerat. Alias ſcripſi, alterum fuiſſe Conventum prope & extra muros Brugenſes præter magnum, qui tunc extabat PP. Conventualium. Fortaſſis reformato & ad Obſervantiam Regularem iſto redacto, ille neglectus eſt. Conv. Brugen. *Vide bullas in regeſto an. 1461.* *To. 10. an. 1423. n. 14.*

XXXIX. Alius ejuſdem Philippi Conſiliarius & Cubicularius Judocus de Crucumghem, & Eliſabeta Swilden conjuges petierunt hoc anno a Pio facultatem, capellam quamdam extra mœnia oppidi Hulſti, diœceſis Trajectenſis, prope quam quinque vel ſex mulieres Begutæ nullius diſciplinæ regularis commorabantur, convertendi in Conventum Minorum Regularis Obſervantiæ, præſertim cum in circuitu quinque leucarum nulla eſſet domus Fratrum Mendicantium. Annuit Pontifex, commiſſa cauſa Epiſcopo Trajectenſi: *Piis ſupplicum votis*. Nonis Octobris. Tamdem illi ædificarunt dedicata Eccleſia ſancto Joanni Baptiſtæ. Dejecta hac domo propter bella, aliam intra oppidum curarunt incolæ ad annum MCCCCLXXXVIII. ædificari, uti patebit ex bulla Innocentii VIII. a nobis ſub illum annum in regeſto producenda. Tamdem invadente Belgicas provincias peſte Geuzica, Fratres hoc loco expulſi ſunt. Conv. Hulſten. *Gonz. in Provin. Flandriæ Con. 11.*

XL. Prope Bruxellas in Silva Ducis Brabantiæ & valle Brotendali hoc anno incohatum Eremitorium Fratrum Minorum in fundo Henrici Hinkart equitis, Ducis Burgundiæ Conſiliarii. In commodam Cœnobii formam poſtea reduxit Iſabella Philippi boni Ducis vidua, & Caroli Pugnacis mater, ſub titulo ſui patroni ſancti Antonii de Padua; erat enim ipſa Luſitana, cui fundum omnem lubens Henricus donavit, adjecitque monticulum valli imminentem, ſilvamque amœniſſimam, inſtituto & moribus Recollectorum, qui modo illic habitant, opportunam. Turbulentiſſima vero illa Belgicarum rerum tempeſtate fugatis Fratribus, Geuzii Cœnobium prorſus vaſtaverunt anno MDLXXIX. ſed iterum cœpit cura primaria R. P. Andreæ a Soto Commiſſarii Generalis Belgicarum Provinciarum, Sereniſſ. Infanti Iſabellæ a ſacris confeſſionibus, reſtaurari, tum etiam diligentia R. P. Balthaſſaris Vincentii, Provinciæ Germaniæ inferioris ſecundum Miniſtri, Archiduce Alberto & Iſabella conjuge largiter eleemoſynas conferentibus. Quin etiam R. P. Joannes Neyen Commiſſarius Generalis valetudinarium Conv. Brotendalenſi. *Idem in Prov. Germaniæ inferi. Conv. 17. Monum. MSS. ejuſdem Prov.*

rium inſtauravit a fundamentis. Ita nunc locus in integrum renovatus, viginti quatuor Fratres Recollectos commode ſuſtentat. Porro Recollectionis Inſtitutum incœpit Mecbliniæ anno MDXCVII. auctore Reverendiſſ. P. Bonaventura a Calatagirona Generali Miniſtro, primo Guardiano Henrico Sedulio, viro pio & docto, atque inde translatum fuit in hunc locum, auctore prædicto Patre a Soto, Guardiano præfato Balthaſſare Vincentio, ſuo Miniſteriatu defuncto.

Conv. Montis-lucis. *Indid. Conv. 18. Monum. MSS. ejuſd. Provinciæ.*

XLI. Prope Moſæ Trajectum in monte, qui a palatio, quod proximum eſt, *Mons lucis* appellatur, ab aliis *Mons divinæ gratiæ* dictus, ante triennium Fratres, aſſentiente Epiſcopo Leodienſi Joanne Heinsbergio & incolis Trajectenſibus, devotum conſtruxerunt Eremitorium, quibus anno præterito Calixtus Pontifex omnes gratias & privilegia, Minorum Cœnobiis conceſſa, communicavit. Hoc anno cœpit ampliari ædificium, quod poſtea Joannes ab Horn Epiſcopus Leodienſis, filius Jacobi primi Comitis de Horn, qui ſe abdicans Comitatu mundumque deſerens, factus eſt Minorita, in commodi Conventus formam an. MCCCCLXXXIX. reduxit. Obiit ipſe anno MDV. & ante ſummam aram hujus Cœnobii in habitu Minoritico ſepultus eſt. Porro Conventus funditus a Geuziis an. MDLXXVIII. eſt everſus: oſſa inde ad Cœnobium urbis Moſæ-Trajecti translata ſunt. Multa hic contulit Minoritis beneficia, quæ in aliquorum Conventuum recenſu narrabuntur.

Fr. Jacobus de Horn.

Conv. Cortracen. *Idem in Prov. S. Andreæ. Conv. 10.*

XLII. In ſuburbio oppidi Cortracenſis, diœceſis Tornaci ad ripam fluminis Liſæ, aſſentiente Nicolao V. domum Fratribus Regul. Obſervantiæ, qui Generali & Provinciali Miniſtris Franciæ parerent, cœpit ante aliquot annos ædificare in honorem ſanctæ Barbaræ nobilis vir Gualterus de Hallewin de Artis, ejuſque conjux Jacoba a Capella; ſed exorta lite inter Capitulum beatæ Mariæ & Rectorem parochialis Eccleſiæ ſancti Martini ejuſdem oppidi ex una parte, & Fratres ex altera ſuper jura parochialia, opus diu ſuſpenſum fuit, & tamdem per arbitros lata ſententia contra Fratres in grave eorumdem præjudicium. Commiſit itaque Calixtus Pontifex hoc anno cauſam examinandam Guillelmo Sareptano Epiſcopo, Tornacenſis ſuffraganeo, juſſitque, impedimentis amotis, prædicti Gualteri votis ſatisfieri: *Humillibus ſupplicationibus*. Kal. Junii. Demum ille opus perfecit, collatis liberaliter ſumptibus, omnique tum ſacra tum profana ſuppellectile. Coadjutores habuit Joannem de Urient & Guillelmum Noppe ejuſdem oppidi viros primarios. Verum in tantæ pietatis monumenta impia deſæviit rabies hæretica in tanto rerum Belgicarum turbine, deſtructo majori ex parte Conventu, direpta ſuppellectile, pulſiſque Religioſis. Plurimi in ea rerum tempeſtate exilium, ærumnas variaſque calamitates perpeſſi; ſed præ omnibus hæreticorum atrocitatem expertus eſt frater Antonius Benault Guardianus & Prædicator inſignis, ſumma perfidia etiam tempore libertatis conceptæ captus, ad pedes ſune ligatus, per platearum ſordes ad carcerem pertractus, in itinere ludibrio puerorum, & militum expoſitus inſolentiæ, luto & ſordibus conſperſus, ſex affectus vulneribus, ſemivivus vix tamdem eo pervenit. Multis incommodis in carcere afflictum, in profundiſſimum horridumque locum projecerunt. Miniſtri deinde Calviniſtæ a Senatu frequenter immiſſi, qui loco argumentorum minas ſuppliciorum, & mortis proponebant, niſi fidem abjuraret Romanam. Ille vero graviſſimis & doctiſſimis rationibus perditos homines confutabat. Recuperato per Hiſpanos oppido, liber evaſit, & reſtitutæ fuerunt ſacræ Reliquiæ brachii ſanctæ Anaſtaſiæ V. & M. & magna pars cranii ſancti Amandi Epiſcopi, Belgarum Apoſtoli. Solus hic Mendicantium in illo oppido Conventus; frequentes proin-

Fr. Anton. Benault.

proinde habent Fratres ad populum ſermones, brevique fecerunt, ut gens hæreſi nimis infecta ad Catholicam reverſa ſit veritatem.

XLIII. Jacobus urbis ſancti Andreæ in Scotia Archiepiſcopus & Regni Primas, hoc anno intra urbis mœnia Fratribus Regul. Obſerv. domum fundavit inſtigatus virtute & precibus fratris Roberti Creythii *, filii Comitis Merchalenſium *, qui humilitatem cum litterarum ſcientia & ſanguinis nobilitate pulchro nexu copulavit. Hic erat adoleſcentum tyrocinium, ſed hæreticorum rabie penitus deletum eſt.

Conv. S. Andreæ in Scotia. *Idem in Prov. Scot. Conv.* 2. Fr. Robert Creythius. * *al.* Kerhil. * *al.* Mariſchalen.

XLIV. Ordinis ſanctæ Claræ aliquot invenio hoc anno vel inſtituta vel reſtituta Monaſteria. Harlemi (quod Auſtralis Hollandiæ oppidum eſt, dioec. Trajectenſis) piæ quædam mulieres tertii Ordinis cupientes Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ ſibi aliiſque conſtruere, interceſſores apud Pontificem adhibuerunt Burgimagiſtros ac Scabinos, quorum votis aſſenſit: *Piis fidelium deſideriis*. VII. Idus Maii. Dono fundum acceperunt a Domina Gisberta de Huiſſen, in quo commodum extruxerunt habitaculum & habitare cœperunt anno MCCCCLXXI. ſed expulſæ ſunt anno MDLXXVII. capto ab hæreticis oppido, ſacriſque locis miſere profanatis & deſtructis.

Mon. Harlemi.

XLV. Panormi in magno Clariſſarum Monaſterio magnæ & ſcandaloſæ exortæ ſunt controverſiæ inter Conſtantiam de Meliſſa Abbatiſſam, & Margaritam de Motta, pridem eodem munere functam, circa regimen ejuſdem Monaſterii. Traxerunt in partes Moniales omnes & ſeculares conſanguineos, nec pacificari poterant, donec auctoritate Nicolai V. Archiepiſcopus Panormitanus, rejecta utraque, ſubintroduxit religioſam prudentemque fœminam Franciſcam de Vintimilliis, & ſub bono capite totum corpus repurgavit, & ad regularem reduxit Obſervantiam. Non potuit plene pro voto opus complere, donec hoc anno a Patribus Conventualibus ad Obſervantes regimen tranſportavit Calixti Pontificis auctoritate. Simili fere de cauſa reformatum Monaſterium Clariſſarum de Wiesbaden. de Claravalle, alias Huencloſter nuncupatum, Moguntinæ diœceſis. Obtinuit hoc anno a Pio Pontifice vir nobilis Joannes de Naſſaw, dicti oppidi Comes, illud transferri ad regimen Obſervantum.

Mon. Panormitanum reformatur.

Et Monaſterium de Wiesbaden.

XLVI. Sub Nicolao V. quædam ſorores Tertii Ordinis urbis Parmenſis, domus ſancti Franciſci in Campania nuncupatæ, cupientes ſub arctiori vita & regula ſanctæ Claræ Domino famulari, magnis expenſis domos ſibi legatas in Monaſterium coaptarunt ſub titulo beatæ Mariæ de Gratiis, uti alias inſinuavimus, & vocatis ex aliis Monaſteriis primis magiſtris, religioſiſſimum inchoarunt tyrocinium. Favit piis cœptis Nicolai ſucceſſor Calixtus, & hoc anno Pius, qui rata voluit quæ facta erant ſub utroque prædeceſſore, eiſque conceſſit omnia privilegia & gratias, quibus gaudebant inſignia & religioſa Monaſteria Mantuanum & Corporis Chriſti Ferrariæ.

Mon. Parmen. B. Mariæ de Gratiis. *Tomo* 11. *An.* 1442. *n.* 27.

XLVII. Similiter Catharina Magiſtri Antonii de Burbaſſis, Franciſchina de Bellaciis, ac nonnullæ aliæ Sorores tertii Ordinis commorantes in oppido Viglevani, diœceſis Novarienſis* domum ſuam ſatis amplam & commodam in Monaſterium ſanctæ Claræ convertere, & ſub ejuſdem regula deinceps vivere cupientes, interceſſorem adhibuerunt apud Pontificem Calixtum, Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanenſem. Aſſenſit precibus Pontifex, commiſſa rei indagine Epiſcopo: *Injunctam nobis*. IV. Non. Martii.

Mon. Viglevani. * *Nunc Civitas Sedem habens Epiſcopalem.*

XLVIII. Domus etiam virorum & mulierum tertii Ordinis nonnullæ hoc anno acceſſerunt. Ante aliquot annos Jacobus Abbas Monaſterii ſancti Juliani extra muros Cumanæ urbis, Ordinis ſancti Benedicti locum, ſive Eremitorium ſancti Donati in monte de Brunate, prope eamdem urbem,

Domus Cumana Fratrum Tertii Ordinis.

ſub quibuſdam conditionibus uſque ad annos viginti quinque, conſenſu præmiſſo Apoſtolico, conceſſit Ambroſio de Gorla, & Andreæ de Lamariola tertii Ordinis profeſſoribus. Illi autem locum anguſtum ſatis & incommodum, in habitaculum ſibi aliiſque Fratribus opportunum reduxerunt, quod Pontifex hoc anno ratum habuit, eiſque in perpetuum confirmavit ſub cenſu annuo Abbati perſolvendo. Domum hanc recenſet Antonius de Sillis inter reliquos Provinciæ Mediolanenſis. Extra muros Montis-politiani Eremitoria duo conferuntur hoc anno Joanni Caroli Sauli, tertii Ordinis profeſſori, ut in domos ſui erigat Inſtituti.

Domus Montis-politiani.

Domus Monſterolii Sororum Tertii Ordinis. *Gonz. in Prov. Franc. Mon.* 10.

XLIX. Monſterolii, quod Viromandorum oppidum eſt, Ambianenſis diœceſis, Joannes Bourſius, in utroque jure licentiatus, Joannes etiam Huoltus & conjux hoc anno pro Sororibus tertii Ordinis domicilium inchoarunt, ſed immatura morte præventi, Eccleſiam abſolvere non potuerunt. Longo ſic tempore imperfecta remanſit, donec anno MDLIX. Nicolaus de Pelve Ambianenſis Epiſcopus ſufficientem perficiendæ tradidit pecuniam.

Domus Metenſis.

L. In Civitate Metenſi communibus votis & facultatibus cupierunt aliud ejuſdem Inſtituti ædificare Joannes de ſancta Ruffina, Joannes de Remis, Joannes le Marchier, eorumque conjuges & alii utriuſque ſexus cives, allecti virtute & bona fama Sororum domus Tornacen. Ut ita facerent, Pius Pontifex hoc anno facultatem conceſſit. Quid vero poſtea actum ſit, ignoro.

Domus Montiſ-politiani.

Domus Civitatis Caſtelli.

LI. Sororibus Terræ Montis-politiani, Aretinæ diœceſis, domum a ſe paulo antea inchoatam perficiendi, poteſtatem hoc anno conceſſit, eique univit hoſpitale ſancti Antonii ejuſdem Terræ tunc Rectore carens, in quo nulla ab aliquot annis exercebatur hoſpitalitas. Sorores Civitatis Caſtelli adeo copioſe creverant, ut intra ſuæ domus anguſtias moleſte nimis continerentur. Rodulphus Epiſcopus egit cum Confraternitate Diſciplinantium, ut Eccleſiam Sanctiſſ. Trinitatis eidem domui contiguam ſatiſque opportunam, ad Confratres ſpectantem, Sororibus traderent, & ab eo viciſſim reciperent alteram beatæ Mariæ de Vigone, ad Monaſterium de Ferneto, Ordinis ſancti Benedicti, Cortonen. diœceſis, quam ille tunc habuit commendatam, pertinentem. Concordi voto omnes a Calixto petierunt, ut hanc fieri permutationem liceret. Annuit, ſed antequam litteras expediret, deceſſit. Factum probavit Pius bullamque conceſſit.

Hoſpitale S. Audomari Ter. Ordinis.

LII. Extra muros Terræ ſancti Audomari tunc Morinen. diœceſis, inſigne erat hoſpitale beatæ Mariæ de Sole, in quo ſub una Magiſtra multæ Sorores tertii Ordinis ſerviebant infirmis, adeoque placuit earum erga omnes quocumque, etiam peſtilenti morbo detentos obſequium, ut aliis multis in locis hujuſmodi hoſpitalia ex Prælatorum licentia conſtruerentur.

Alia pleraque ejuſ. Inſtituti.

Unum erat ſancti Nicolai de Viſebeque, aliud in parochia de Bragellettis, tertium beatæ Mariæ de Sluſis, quartum Dunkerque, quintum de Burbarch, ſextum de Bolonia, ſeptimum ſancti Joannis intra ſanctum Audomarum, octavum ſancti Joannis in Dixmuda, intra fines Epiſcopatuum Cameracen. Tornaeen. & Morinen. Omnia hæc hoſpitalia multis privilegiis hoc anno Pius affecit; Sorores regimini Vicarii Provincialis Fratrum Regularis Obſervantiæ commiſit, utque capitulares congregationes hoſpitalium Magiſtræ celebrarent, indulſit.

Varia privilegia.

LIII. Angelus de Bulſeno Procurator Obſervantum etiam hoc anno varias impetravit gratias a Pontifice, quas ex regiſtro Ordinis exſcribo. *Die* 1. *Januarii anno* MCCCCLVIII. *obtinui remiſſionem generalem pro tota familia de acceptis vel fundatis Eremitoriis vel Conventibus abſque expreſſa Sedis Apoſtolicæ licentia.*

Die

Die XIX. *Februarii, quod Prælati familiæ poſſint reintegrare & reſtituere ad unionem Eccleſiaſticam omnes ſeculares hæreticos* de opinione, *dummodo hæreſes in forma abjuraverint.*

Die ultima Februarii, obtinui plenariam indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum ſemel tantum in vita ad jubileum & majorem ſolemnitatem futuri Capituli Generalis pro Fratribus familiæ tam venientibus, quam remanentibus in locis vel in itinere.

Die XIX. *Aprilis declaravit Sanctiſſimus Dominus, quod Vicarii poſſint committere auctoritatem abſolvendi & diſpenſandi ſibi ab ipſo conceſſam: & quod eadem auctoritas abſolvendi eis conceſſa extendatur ad omnes Moniales, necnon ad Fratres & Sorores tertii Ordinis regimini noſtræ familiæ commiſſos.*

Conceſſit etiam Monialibus & Fratribus ac Sororibus tertii Ordinis noſtræ curæ commiſſi plenariam Indulgentiam pro tempore capituli ſemel in vita, prout Fratribus erat conceſſum; & quod famulæ ſeu ſervientes Monialibus humari poſſint in earumdem ſepulturis.

Die VII. *Junii obtinui, quod modificatio facta per Eugenium Pontificem pro Monialibus primæ regulæ ſanctæ Claræ extenderetur etiam ad ſorores regulæ ſecundæ.*

LIV. Confirmavit Pius Pontifex hoc anno receptionem ſeu fundationem Conventus ſancti Angeli Mediolanenſis tempore ſancti Bernardini factam, eamque narrat eo ferme modo, quo nos ſuo loco deſcripſimus. Bulla dabitur in regeſto. Ratam etiam habuit donationem cujuſdam nemoroſæ poſſeſſionis factam a Joanne Cornario Fratribus Conventus ſancti Franciſci Terviſini. „ Conceſſit auctoritatem, & juriſdictionem Superioribus Ge- „ neralibus quatuor Ordinum Mendicantium ſuper Fratres ſuos ſtudentes „ in Univerſitatibus, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis. *Religio- „ ſarum exeeſſus*. XV. Kalend. Novembris. „ Calixtus etiam varia conceſſit privilegia Sororibus tertii Ordinis in domibus ſanctæ Margaritæ Terræ Gualdi, Nucerinæ diœceſis, ſancti Antonii de Padua urbis Peruſinæ, & ſanctæ Annæ in Civitate Fulginei commorantibus, circa confeſſorum electionem, votorum emiſſionem, & Miniſtræ Generalis auctoritatem. Sed cum hæc infirmo & fragili ſexui minime expedirent, & longa experientia Patres comperirent, diſcurſus triennales ad capitula & congregationes, conceſſaſque a Miniſtra licentias ad loca ſacra Romæ, Aſſiſii, Montis Alverni & ſimilia peregrinandi, offendiculis non caruiſſe, decreverunt ut Vicarii, intra quorum terminoa commorabantur, eis perſuaderent, ut miſſa hæc facerent & abrogari conſentirent, ſin aliter ab eis regendis abſtinerent.

Tom. 10. *Ann.* 1418. n. 37.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

LV. Fratres tertii Ordinis in Italia celebrarunt hoc anno die XX. Aprilia Capitulum Generale in domo ſancti Salvatoria in vico Butani, Cremonen. diœceſis, electuſque fuit Generalis frater Hugo Placentinus.

LVI. Erat Viſitator Generalis a Generali Miniſtro deputatus Sororum reformationis beatæ Coletæ Antonius de Baxo, qui hoc anno impetravit a Pontifice confirmationem regulæ Innocenti IV. quam profitebantur, & ſtatutorum a Guillelmo de Caſali, olim Miniſtro Generali pro eiſdem, ut alias narravimus, compactorum.

Tom. 10. *Ann.* 1435. n. 22.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. CAlixtus Nepotem Borgiam Spoleti & Umbriæ Ducem conſti- „ tuit, & (quod propius noſtris eſt) VI. Idus Januarii datis lit- „ teris: *Speciali gratia &c.* pro Fratribus Caſtri Sancti Chirici Senarum;

Litteræ Pontificiæ:

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

» ad Cardinalem ſanctæ Crucis pro Clariſſis Panormitanis in Sicilia ſcripſit: » *Sub Religionis &c.* Kalendis Februarii; pro Monialibus ſanctæ Annæ » Fulginii aliud breve emanavit: *Devotarum nobis &c.* conceſſa indul» gentia pro reſtauratione Capellæ ſancti Ferreoli de Ardele Tertii Ordi» nis, Morinen. Diœceſis: *Licet is &c.* VII. Idus Martii; pro Monialibus » ſanctæ Claræ Auguſtæ Taurinorum in Pedemontio breve expedivit: *Ad* » *ea, quæ Eccleſiarum &c.* X. Kalendas Aprilis; & Raphaelæ Clariſſæ Me» diolanenſi Confeſſarium approbavit: *Devotionis tuæ &c.* VIII. Kalendas » ejuſdem; pridie Nonas pro Monaſterio ſancti Antonii de Padua Peruſii » Diploma dedit: *Devotarum nobis &c.* ac XIII. Kalendas Maii fratri Be» nedicto de Foroſempronio beneficium contulit: *Religionis zelus &c.* » IX. Kalendas ejuſdem; Indulgentias pro Conventu Bruxellarum: *Ec*» *cleſiarum &c.* ac III. Kalendas pro Fratribus Provinciarum Boſnæ & » Dalmatiæ circa regimen ſcripſit: *Circumſpecta caritas &c.* VII. Idus fra» tri Boncello de Monte Calerio Pedemontano Prioratum; ac III. Kalen» das Junii fratri Bertrando beneficium cum diſpenſatione contulit, ſcriptis » ambobus litteris: *Religionis zelus &c.* Tandem cum ſediſſet annos tres » & menſes quatuor, creatis Cardinalibus novem, VIII. Idus Auguſti » obiit, plene laudatus; vacavitque Petri Solium dies duodecim.

Calixtus III. moritur. *Dogt. cit. ſup.*

Pius II. eligitur & coronatur. *Indic. ex Vatic.*

» II. Calixto III. ſucceſſit in Pontificatu Pius II. Æneas Silvius Pic» colomineus antea dictus, patria Senenſis, vir doctiſſimus, Presbyter » Cardinalis tituli ſanctæ Sabinæ, creatus XIV. Kalendas Septembris, & » coronatus III. Nonas ejuſdem, hoc anno MCCCCLVIII. qui Concilium » Mantuæ indixit; & interim pro Fratribus Tertii Ordinis S. P. Franciſci » Provinciæ Mediolanenſis circa eleemoſynas & Sororibus ejuſdem Inſti» tuti de Domo Paradiſi Civitatis Caſtelli litteras expedivit: *Rationi con*» *gruit &c.* III. Nonas Septembris; & Idibus ejuſdem Fratribus Ambro» ſio & Andreæ etiam Tertiariis Eremitorium ſancti Donati Montis Bruna» tis conceſſit: *Benignitas Sedis &c.* Clariſſis data Regula particulari, & » confirmatis litteris Innocentii IV. *Et ſi ex ſuſcepti &c.* XV. Kalendas » Novembris; fratri Henrico de Agnellis Veronenſi Eremitorii uſum per» miſit: *Admonet nos &c.* XII. Kalendas ejuſdem; & Sororibus Tertiariis » ſancti Audomari Morinenſis Diœceſis circa ſuum regimen reſcripſit: *De*» *votionis veſtræ &c.* pridie Kalendas præfati. Pro Monaſterio Aquilano » ſanctæ Claræ: *Paſtoris æterni &c.* IX. Kalendas Januarii, Ducibus Bur» gundiæ licentiam conſtruendi Cœnobium in Oppido Ximideno dedit; » *Pia Deo &c.* X. Kalendas Januarii, cujus tamen apud noſtros Scriptores » nulla memoria extat.

Fr. Bartholomæus Catanius celebris.

» III. Bartholomæum Catanium, virum in ſacra pagina Magiſtrum, » virtutibus & miraculis, præſertim apud Majoricenſes celebrem, comme» morat Waddingus, verum præter enarrata ab Auctore de tanto Viro, » ſunt quæ poſteritati ad majorem Dei gloriam, de eodem commendemus.

Monum. MSS. Prov. Majoric.

» Præclari hujus venerabilis Servi Jeſu Chriſti temporibus, Majoricæ ubi » verbo & exemplo maxime clarebat, Civium pietas plura Hoſpitalia ad » uſum & commodum pauperum & egenorum variis temporibus conſtru» xerat, quæ initio parva & exilia, temporis lapſu pauperrima, pauperi» bus inutilia erant. Id mali Bartholomæi cor maxime premebat, quamo» brem ad illud ſuperandum totis viribus, ut ea omnia in unum hoſpirale » magnum & generale unirentur, ſolerter adlaboravit non vano labore; » tandem enim res pro voto ſucceſſit, manum præbente Aragoniæ & Ma» joricæ Rege, & Calixto Pontifice approbante, confirmante & roborante;

qui

„ qui his deſuper expedito brevi IV. Nonas Junii hoc anno MCCCCLVIII.
„ Pontificatus ſui IV. illud Hoſpitale magnum ita inſtitutum ab Ordinarii
„ juriſdictione eximens, admodum Reverendo Priori Cartuſiæ Majoricen-
„ ſis, & R.P. Guardiano Conventus Jeſus extra mœnia Civitatis, necnon
„ venerabili P. Bartholomæo Cataneo cuilibet illorum in ſolidum ſubdidit:
„ quod poſtea ſummi Pontifices Pius II. & Paulus II. confirmarunt, quo-
„ rum Diplomata in Archivio Conventus de Jeſu cuſtodiuntur. Ad hæc
„ autem nobiliſſimus & piiſſimus Eques Joannes de Torrella Eccleſiam
„ Collegiatam in eadem Civitate Majoricæ pro Clericis ad Infirmorum
„ curam deſtinatis auctoritate ſummi Pontificis proprio ære erigendam cu-
„ ravit; regimini vero Patris Guardiani præfati Conventus de Jeſu ſubjici
„ ordinavit. Hanc prærogativam multoties Patres Guardiani ſummis Pon-
„ tificibus renunciarunt, qui tamen renunciationem non acceptam habue-
„ runt: ac ita vel ſolo eo munere, etiamſi cuncta ſilerent, Catanei fama
„ perdurat; ad cujus etiam laudes accedit, in Monumentis præfatæ Provin-
„ ciæ Majoricarum cujuſdam ampliſſimi Indulti Apoſtolici ad Virum Dei
„ tranſmiſſum reſcriptum conſervari, in quo ſummus Pontifex Euge-
„ nius IV. omnium peccatorum indulgentiam ei largitur.

„ IV. De Veroladi, ſeu Veloradi Oppidi, Diœceſis Burgenſis in Ca- Monaſter. Veroladi reædificatur.
„ ſtella veteri, a Burgis inter Subſolanum & Wlturnum novem circiter
„ leucis diſſiti, Monaſterio Clariſſarum, cujus primam fundationem ex
„ Gonzaga Waddingus, & poſt eos nos ſuperius retulimus, iterum non-
„ nulla dicere tenemur, cum ejuſdem reædificatio nobis occurrat; cujus
„ cauſa talis perhibetur. Inter Reges Caſtellæ, & Navarræ exorto cruen-
„ tiſſimo bello, Sorores, quæ a prima illius Monaſterii fundatione locum
„ tenebant, abſcederunt, & quid in poſterum de his actum ſit, ignoratur,
„ ſicut etiam latet ubi in iis bellorum diſcriminibus ſeſe receperint: com-
„ poſitis tamdem rebus & pacificatis Regibus, domicilium magna ex parte
„ collapſum, a venerabili & optimo viro fratre Lopetio de Salinis receptum
„ fuiſſe tradit Waddingus, at non quo tempore. Joannes vero Baptiſta
„ *Galarete* Provinciæ Burgenſis in deſcriptione hiſtorica illiuſdem, dicit id
„ contigiſſe anno MCCCCLIX. Nos vero beati viri Lopetii legentes ultimi
„ ſui deſiderii Codicem, Teſtamentum nuncupatum, in cujus fine Domus
„ de Bertonera Comitiſſæ de *Haro* Beatrici *Manriquez* commendatur; con-
„ ſiderante ſque hujuſmodi Teſtamentum ſcriptum fuiſſe die XXX. Martii
„ hujus anni MCCCCLVIII. in Conventu ſancti Antonii ſupra Freſnedam,
„ ipſum vero Lopetium obiiſſe anno MCCCCLIX. die XXIV. Februarii, co-
„ gimur aſſerere, haud hoc anno tardius, ſed vel hujus anni initio vel
„ proxime præteriti præfatum Lopetium obtenta facultate ab Illuſtriſſimo
„ Domino D. Luiſio de Acuna Epiſcopo Burgenſi (nondum enim ad hono-
„ rem Archiepiſcopalis dignitatis aſcenderat ea Sedes) eam derelictam
„ Domum reſtituiſſe, & ſumptibus præfatæ Dominæ (excepto Dormitorio
„ præcipuo, a præfato Antiſtite Burgenſe conſtructo, ut refert citatus *Ga-* Traditur Sororibus Tert. Ord. *Indic. ex Vatic.*
„ *larete*) excitaſſe, ſacriſque Virginibus Tertii Ordinis ſancti Franciſci,
„ quas a Monaſterio de Virvieſca aliarum Magiſtras vocaverat, conſignaſ-
„ ſe: animo tamen, ut ad altiorem ſtatum ſe erigerent, ut ſequenti anno
„ videbimus: ceterum ea, quæ dicimus, vera confirmat breve Pontificium
„ Pii II. *Debitum Paſtoralis officii &c.* XV. Kalendas Maii anni MCCCCLIX.
„ fratri Ludovico *de Saya*, circa Domus a Domina Beatrice *Manriquez*,
„ comeſtabili Caſtellæ uxore, & Lupo de Silva, Mendoſæ, de Salina,
„ qui eſt Lope vel Lopetius de Salinis, directum, & a Petro de Alva &
„ Aſtorga indicatum. V. At

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

Fr. Lopetius ſui Inſtituti zelotes.

„ V. At poſt ubi in venerabilem Virum Servum Dei Lopetium de „ Salinis, Hiſpanis dictus, *Fray Lope de Salinat*, licet ipſum commemo- „ raverit præpropere Annaliſta, placet etiam nobis hic, ex noſtra in eum „ devotione peculiari de eodem brevi calamo ſelectiora perſtringere; „ ejuſque Teſtamentum, ad ſenſum & per compendium, non vero ad lit- „ teram translatum, referre. Fuit Lopetius egregius ſui Inſtituti zelotes, „ diſcipulus ac ſocius alterius non minoris entitatis Viri, venerabilis ſcili- „ cet Patris fratris Petri a Villacretio, qui ambo deplorantes laxitatem „ vitæ in Ordine Franciſcano jam nimium invaleſcentem, præſertim per „ Hiſpaniam, in plurium ruinam, ad Concilium Generale Conſtantiæ an- „ no MCCCCXV. perrexerunt. Lopetius autem in Capitulo Generali Bono- „ nienſi, ſub Miniſtro Generali Jacobo a Mozanica, in quo primus, ut ait „ Annaliſta, Cuſtodiæ ſanctæ Mariæ in Hiſpania erectæ, Cuſtos electus „ fuit anno MCCCCLIV. unde Fundator præcipuus Burgenſis Provinciæ ha- „ betur. Joannes Baptiſta *Galarete* paulo ante citatus, ait per præfatum „ Lopetium eam cuſtodiam anno MCCCXLIV. in Capitulo Generali Bo- „ noniæ electum Cuſtodem, erectam fuiſſe & nominatam. Cuſtodia ſanctæ „ Mariæ Minorum, a Conventu ſanctæ Mariæ a Virvieſca; ſed profecto „ irrepſit error in ciffras. Lopetius vir doctiſſimus, & ſingulari honeſtate „ præditus, diſciplinæ Regularis ac altiſſimæ paupertatis Seraphicæ ama- „ tor, exemplo in primis propriæ vitæ irreprehenſibilis, ſubindeque miris „ documentis ac ingenti caritate regebat: & nihilominus a nonnullis Fra- „ tribus varie divexatus graviaque paſſus, vivum & conſtans patientiæ „ exemplum cunctis ad miraculum, etiam perſecutoribus, irriſoribus & „ diſcolis ſe præbebat: amore ſolitudinis & vitæ contemplativæ, ad Con- „ ventum ſanctæ Mariæ de Linaribus, ſeu potius Eremitoriolum ſe contu- „ lit, in eoque ad ſupremos virtutis Evangelicæ apices totis viribus con- „ tendebat; nec inde, niſi raro & ad luſtrandas ceteras ædes, ſuæ vigilan- „ tiæ Cuſtodiali commiſſas, egrediebatur: quibus vero doctrinis ſuos „ Fratres, quos ardentiſſime in Chriſto diligebat, ſedulo imbueret, ſub- „ ſequens opuſculum, quod hoc anno MCCCCLVIII. ſuæ vitæ penultimo, „ ad ſuorum preces conſcripſit, ac eiſdem ut ſuum Teſtamentum nuncu- „ pavit, apertiſſime conſtat.

TESTAMENTUM.

Venerabilis Patris fratris Lopetii, ſive Lope de Salinis.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Ultimum meum Teſtamentum, quod pauper ego frater Lope facio, eſt ut ſequitur.

De Oratione poſtulata & ſupplicata.

Ejus humilitas.

„ I. *IN primis: genibus flexis omnium Servorum & Famularum Dei,* „ *necnon eorum omnium, qui timent illum & amant in veritate &* „ *æquitate, pedes & manus deoſculans, illos ſupplex enixe rogo, ut audito* „ *mei ex hac lacrymabili vita deceſſu, unum* Pater &c. *cum* Ave Maria &c. „ *Et ſi ipſis placuerit, Dei miſericordiam mihi peccatori propitiam attente* „ *atque devote exorent: Inſuper rogo & exhortor in Domino omnes Fra-* „ *tres, Sorores, Religioſos, Religioſas, amantiſſimos in Chriſto filios meos* „ *& filias, nunc præſentes & in poſterum futuras, Incolas, Servos & Famu-*

las

» *las Domini Noſtri Jeſu Chriſti in hac Cuſtodia ſanctæ Mariæ Fratrum* » *Minorum, quam piiſſimus Comes* de Haro, *D. Petrus Ferraris de Velaſco,* » *cariſſimus filius meus in Domino, & omnium noſtrum Fratrum & Sororum* » *qui ut peregrini in ejus domibus habitamus, Pater, & piiſſima Domina* » *Comitiſſa D. Beatrix* Manriquez *ejus uxor, filia mea in Domino, & om-* » *nium noſtrum Mater, ab anno Domini* MCCCCXXVII. *fundarunt, domus* » *nobis conſtruendo in ſuis terris; ut ex caritate Deum pro anima mea &* » *ipſi exorare velint.*

De Humilitate ſemper ſervanda in ſinceritate Fidei Catholicæ, & obedientia ſanctæ Eccleſiæ.

» 2. *Item, Quantumque poſſum, in Domino rogo & exhortor omnes, ut* » *cum abjectione profundam ſemper cordis humilitatem conſervent, quemad-* » *modum eos erudivi, vivantque in ſinceritate Fidei Catholicæ, & perfecta* » *obedientia ſanctæ Matris Eccleſiæ, quemadmodum ſemper prædicavi; &* » *id ipſum etiam ſuos ſucceſſores omnes docere inſtanter rogo & præcipio:* » *Quod ſi quis, Diabolo ſuggerente, ab hac ſinceritate Fidei & obedientia* » *debita ſuperbiens deviaverit, mando & præcipio, quod ob tam grave &* » *enorme delictum ſevere puniatur, ita ut omnibus præſentibus & futuris* » *ſiat abominationis exemplum.*

Hortatur ad humilitatem & ſinceritatem Fidei.

De unitate Ordinis non ſcindenda, ſed ſub gratiis & limitationibus Apoſtolicis, & Ordinis conſervanda.

» 3. *Item, Rogo & exhortor quam magis poſſum, humiliterque depre-* » *cor omnes filios meos ſemper eſſe & perſeverare ſub juriſdictione & obe-* » *dientia Regulari & ordinaria, in qua eos relinquo; quemadmodum ab* » *initio, & inſtitutione Cuſtodiæ per me fundatæ docui, & ſine ulla ſciſſu-* » *ra conſervavi eam, cum licitis & honeſtis gratiis, favoribus, ordinatio-* » *nibus & limitationibus Apoſtolicis & Ordinis: Mandans propterea eos* » *ita perſeverare in pace ac tranquillitate, abſque alia novitate vel diviſio-* » *ne. Ad hæc humiliter & obnixe ſupplico Domino Papæ, & ſanctæ Sedi* » *Apoſtolicæ, ut id ratum habere & confirmare dignetur: quod idem a Pa-* » *tribus noſtris Miniſtro Generali & Provinciali, necnon ab eorum ſucceſſo-* » *ribus inſtanter peto, ut ſua gratia & religioſis ordinationibus, hujus* » *Cuſtodiæ Fratres, & ſub iis legibus, & bonis moribus, cum quibus eos* » *relinquo, ſinant pacifice vivere in obſervantia noſtræ Regulæ ſecundum* » *voluntatem ſancti Franciſci; ut ita non retrocedant nec ſe relaxent, ſed* » *magis in bono perſeverent atque in Domino proficiant.*

Hortatur ad perſeverandum in ſtatu Regularis Obſervantiæ.

Exhortatio, ut ſua deſideria circa obſervantiam Regulæ ad mentem ſancti Patris Franciſci adimpleantur.

» 4. *Item, Rogo quantum poſſum, & cum lacrymis oculorum & cor-* » *dis exhortor præfatos meos filios & filias, præſentes & futuros iſtius Cu-* » *ſtodiæ, qualis nunc eſt vel erit, quod omnia mea deſideria piaque vota* » *mihi a Deo immiſſa circa ſtrictam ſancti Evangelii obſervantiam ad men-* » *tem ſancti Patris noſtri Franciſci, memoriæ mandent: licet ego mea ma-* » *litia, vel ſollicitudine Fratrum & Sororum, præfatorumque Dominorum* » *Comitis & Comitiſſæ, necnon ob frequentes meas infirmitates (coram Deo,*

Ut ejus vota circa paupertatem ſervent.

„ *Deo, & hominibus fateor*) *plurimum negligens fuerim in iis exequendis,*
„ *ſanam doctrinam opere non adimplens, quemadmodum alios adimplere ore*
„ *docebam.*

Exhortatio ad omnimodam mortificationem intellectus & voluntatis ſub perfecto Paſtore.

Ad mortificationem intellectus & voluntatis proficere.

„ 5. *Item, Rogo & admoneo omnes utriuſque ſexus, ut poſt præfata,*
„ *præcipue ſtudeant ſemper proficere, & in perfecta mortificatione intelle-*
„ *ctus & voluntatis perſeverare, ita ut in cordibus ſuis nullum velle aut nol-*
„ *le, ſeu quodvis judicium inveniatur: ſed judicio & regimini ſui Paſtoris*
„ *ſpiritualis, diſereti fervidique amatoris Dei, necnon zelatoris fructuum*
„ *Pœnitentiæ, eum magno Dei timore ſubſint: nam ita rectam virtutum ſca-*
„ *lam aſcendentes vitia devincent: perfectus enim Paſtor ſuas Oves in Dei*
„ *perfervidum amorem (qui omnium noſtrum præcipuus finis eſſe debet)*
„ *prudenter dediſcet; ac ita eodem ſancto amore æternam gloriam adipiſcen-*
„ *tur, in qua perfecte & complete ſuum verum Amatorem & Creatorem co-*
„ *gnoſcent & amabunt, amandoque ſemper ſine faſtidio deſiderabunt; fo-*
„ *menta nova perenniter eis faciente ipſo Deo, æterni & ſuaviſſimi amoris*
„ *inhexauſto fine.*

Exhortatio ad Paſtorem, & eruditio.

Æquitas Prælatorum, & ſubditorum.

„ 6. *Item, iis, quibus poſſum lacrymis præfatum Paſtorem, Cuſtodem*
„ *ſcilicet, qui nunc eſt ac pro tempore erit, exhortor in Domino, ut virtutum*
„ *benorumque operum ſe ſpeculum præbeat, in quod filii ſui & filiæ libenter*
„ *reſpiciant, & quid imitandum ſit intueantur. Talis enim debet eſſe, ut*
„ *domitis ſuis paſſionibus, inordinatiſque affectibus, perfectum Religioſum*
„ *prudentemque Prælatum ſe oſtendat: nam hac via diſcet zelum juſtitiæ*
„ *nimium oleo miſericordiæ ſalubriter temperare, unde ejus Subditi amore*
„ *magis quam timore obedient ejus mandatis. Caveat, quæſo, ne propriæ*
„ *conſcientiæ & reputationis pericula negligat; hujuſmodi enim negligen-*
„ *tia præcipitem agit: vanam gloriam, elationis tumorem, jactantiam &*
„ *arrogantiam fugiat: hæc enim virtutis domum evertere ſolent, quamobrem*
„ *contra hæc tela & machinamenta nequitiæ, diligenter & ſcite humilitatis*
„ *clypeo ſe protegat: quia vero, ut in mare latente, ac fallaci hamo hamatur*
„ *piſces, ita in Clauſtris, occulte vitio quadam falſa pinguedine devotio-*
„ *nis Diabolus piſcatur Servos Dei, neceſſarium eſt, ut omnem vitiorum oc-*
„ *caſionem fugiat, præcipue autem ſecularium familiaritates, & maxime*
„ *terrenorum Dominorum frequentes converſationes, etiam Eccleſiaſticorum*
„ *Prælatorum, & ſuper omnia fœminarum congreſſus, colloquia licet magna-*
„ *rum Dominarum & Religioſarum ſpiritualium: viva ſiquidem arma Dia-*
„ *boli ſunt, quibus nec Salomonis ſapientia, nec Sampſonis fortitudo, nec*
„ *ſanctimonia David reſiſtere potuit: dirum virus ſunt, quod vix ſola fuga*
„ *declinari poteſt: cum ergo cum iiſdem officia caritatis religioſæ exercere de-*
„ *bebit, ea tantum præſtet, quæ vera caritas & non urbanitas ſeculi dictat: ita*
„ *enim non tantum ſe a civilibus oneribus viſitationum inutilium, ſed etiam*
„ *a periculis animam ſuam expediet: cumque debeat maxime vigilare ſuper*
„ *gregem ſuum, caveat ne in excipiendis pœnitentium confeſſionibus ſit ni-*
„ *mius, neque plurimum circumeat prædicationis prætextu; hæc enim officia, ſi*
„ *caritatis ſunt, a cura ſui gregis eum alienare non debent; quamobrem par-*

cus

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

„ *cus in iis ſit, nec (niſi neceſſitate cogente) eos caritatis labores ſubeat: ex*
„ *iis vero, quæ Paſtori dico, præcipue de mulierum fuga, cogitent oves ideſt*
„ *ſubditi, quid ſibi licere poſſit, & invenient multo magis ſe ab earum con-*
„ *greſſibus, familiaritatibus, colloquiis & converſationibus alienos eſſe de-*
„ *bere, ſed & hoc ipſum Matres Sponſarum Chriſti, & magis ipſas juvencu-*
„ *las, Cæleſtis Paſtoris oviculas, obſervare diligenterque cuſtodire præſtat in*
„ *virorum familiaritatibus & colloquiis, ſi eorum peſtiferum virus, quo mu-*
„ *lieres ad mortem facile inficiuntur, evitare velint.*

De Obedientia, Patientia, Ignorantia, Dilectione Fraterna, & Paupertate ex cordis humilitate provenientibus.

Exhortatio.

„ 7. *Item, rogo & exhortor Cuſtodes, Fratres & Sorores hujus Cuſto-*
„ *diæ, quos in Chriſto filios meos diligo, ut ea percipiant in cordeque reponant,*
„ *quæ ad eorum inſtructionem mox aperiam: æquum eſt Paſtores tantam*
„ *ſollicitudinem ponere in regimine ſuorum Subditorum, quantam iſti ſolli-*
„ *citam diligentiam in obediendo exercere tenentur; omnes ergo tam Supe-*
„ *riores quam Subditi ſuper ſeipſos invigilent, & ſient attenti, ut debita*
„ *æquitate mutuo ſervata, concorditer viam virtutis generoſe calcantes, ad*
„ *bravium perfectionis ſtrenue & feliciter properare queant.*

Æquitas Prælatorum, & ſubditorum.

„ *Admoneo autem Subditos, meos in Chriſto cariſſimos filios, a mortifi-*
„ *catione perfecta humilitatis exacte ex corde, quam ſuperius commendatam*
„ *reliqui, verum obedientiæ exercitium, quod (ut dicebam) proprio judicio*
„ *caret, & proprium velle vel nolle neſcit, unde nullo modo repugnat aut*
„ *contradicit, dependere: ea enim ſancta humilitate cordis, verus obedientiæ*
„ *filius, celer & lætus, animo lubenti, & omni meliori modo, quo poteſt, ſine*
„ *murmure vel querimonia ſui Prælati mandatis paret, ac imperata ſolens*
„ *exequitur, quod quidem experiri, jucundum eſt, & Deo ſummopere gratum.*
„ *Ulterius emicat inde cum ſancta obedientia, religioſa & exquiſita patien-*
„ *tia, quæ omnimode neceſſaria eſt: & quidem pluries accidit præcepta eſſe*
„ *aſpera, dura & difficilia; verum ea cordis humilitate vir obediens, ſe ipſo*
„ *fortior aſperitatem complanat, duritiam emollit ac difficultates devincit:*
„ *non illum perturbant reprehenſiones, verborum ſpinæ non pungunt, injuriæ*
„ *non commovent, nec etiam ipſa verbera lædunt; nam omnia corde magnanimo*
„ *ſuffert, quod equidem jam vos ſub mea diſciplina audiſtis & didiciſtis.*

Verus obediens quis ſit.

„ *Ampliùs, optime noſtis & memineritis, o filioli in Chriſto dilectiſſimi,*
„ *inculpabilem me vos ſimplicitatem ſanctamque ruſticitatem, a vanitate*
„ *ſcientiarum ſecularium alienas, docuiſſe, iisque enutritos bucuſque ſervaſſe.*
„ *Agite (quæſo) unde emergunt pulchri & odoraſi virtutum flores, niſi ex*
„ *eadem humilitate, quæ Servos Chriſti docet prompte obedire & fortiter*
„ *pati? vera ſiquidem humilitas cordis fictam & duplicem urbanitatem,*
„ *quæ nil meliùs novit, quam adulari & mentiri, dum a domibus Servorum*
„ *Chriſti longe eliminat, ſanctam ſimplicitatem, incultam quidem ſed puram,*
„ *nitidam & lucis veritatis amicam, introducit, & cum ſanctis obedientia*
„ *& patientia diligentiſſime fovet atque cuſtodit; quamobrem illi ventoſam,*
„ *turbidam & obſcuram eam vanitatem ſcientiarum mundi ſtomachantur,*
„ *abhorrent ac execrantur, quod non Angelice loqui, ideſt pure & ſimplici-*
„ *ter, quemadmodum pueri ſoient, ſed inſulſe, ſuperbe & mendaciter garri-*
„ *re potius doceant, & magno ut plurimum dedecore inſient.*

Vera cordis humilitas excludit fictam & duplicem urbanitatē.

Eja ergo mementote, filii, eorum quæ ſemper vos docui: In humilitate cordis ſimpliciter ambulantes obedientiam colite, patientiam diligite, & non curetis neſcientes litteras, litteras diſcere; ſed attendite, quod ſuper omnia deſiderare debetis, habere ſpiritum Domini, & ſanctam ejus operationem, quemadmodum P. N. S. Franciſcus admonet & præcipit.

In reg. cap. 10.

Nunc vero poſt hæc, fraternam caritatem, unitatis & perfectionis vinculum, teſſeram filiorum Dei, & Fratrum Minorum peculiare ſymbolum, quibus verbis, quove ſpiritu, niſi Jeſu Chriſti, qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis noſtris, vobis commendabo? Jeſum itaque audite, qui Deus cum eſſet, factus homo humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, quid ſuis ſectatoribus dicat: Mandatum novum, *inquit*, do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos: in hoc enim cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. *Verba hæc dulciſſima ſunt, o filioli, & eis tantum coneredita, qui vera cordis humilitate præditi, quemquam odiſſe neſciunt, cum omnia adverſa tolerare norint; quamobrem ſi vere humiles corde fueritis, hujus Divini præcepti obſervantia confiabiliemini: in vobis enim dilectione fraterna regnante, haud odia mala, diſſentiones & ruinas pati a quoquam cogemini, quia Deus pacis & unitatis, ut ipſe promiſit, vobiſcum erit.*

Hortatur ad caritatem.

7o. 13.

Verumtamen vobis advertendum eſt, animarum noſtrarum hoſtem, maxime ſemper fraternam caritatem odiſſe; eſt enim natura ſpiritus diſſenſionis: ad eam vero evertendam nullum efficacius machinamentum habet, quam ſi efficere poſſit, ut in ea tepide vel incaute, & non cum ratione ambulemus. Ergo filioli mei, malignus ille ſuos vos ſentiat hoſtes: invicem diligite, ut præcipit Chriſtus in Evangelio, quod nos (ut ſcitis) obſervare tenemur. Hæc ſunt vota noſtri Seraphici Patris ejaſque ſtudia, cujus veſtigiis toto affecta inhærens, ego (novit Deus) vos cum omni ſinceritate amavi, & etiam poſtponendo bona animæ meæ utilitati animarum veſtrarum, unice ſemper dilexi: ita & vos invicem diligite, quia Præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit, *at ſanctus Joannes docebat ſuos.*

Ex cap. 1. reg. & cap. ultimo.

D. Hieronym. in com. ad Gal. lib. 5. cap. 6.

Sed ſi vera humilitate corda veſtra mortificata ſant, ut par eſt, ac noſtræ profeſſioni convenit, imo neceſſarium eſt: poſt caritatem fraternam, jam vobis ſanctam paupertatem ſpiritus, humilitatis præfatæ ſororem & comitem indiviſam, quam enixe ex intimo cordis commendabo, & vos quam impenſe colere & quam avare cuſtodire debetis. Hæc, o fratres cariſſimi, non cogentis neceſſitatis, ſed plenæ libertatis & Cæli filia, cuncta mundi ob Deum ejaſque amorem deſpiciens, Reges dat Cælo, cujus ipſa Regina hæres a Deo eſt inſtituta; quemadmodum Chriſtus Dominus nos docere dignatur, inquiens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum. *Si ergo Regiæ Majeſtatis fulgor, ſi immenſa amplitudo Regni, ſi immarceſcibilium divitiarum affluentia, ſi bonorum omnium deſiderabilium copia, ſi tantæ beatitudinis æternitas, & quid amplius? ſi Dei, qui ſuper omnia eſt & juſtorum merces, ſi (inquam) vos Dei ſuper omnia diligendi tenet amor; jam vos humanis perſuaſionibus urgere deſinam, cum quid ex corde vobis optaveram, adſit.*

Ex cordis humilitate vera paupertas ſpiritus.

Attamen, cum homines ſimus natura fragiles, non purcam, quin paupertatem ſpiritus præ oculis vobis amplius ponam, quam a cordibus nunquam propulſare debetis, ne (quod abſit) aliquando nobiliſſima Regina deſpecta, tantorum bonorum, quæ per eam habere poteſtis, ſtulte jacturam patiamini. Vos eſtis, o cariſſimi, qui perfectionis deſiderio, ad verba obedientes Chriſto, omnia mundi, mundi pauperibus vel donaſtis vel reliquiſtis, ut

Hortatur ad paupertatem.

Matth. 5.

» *ut in Cœlis veſtro theſauro repoſito, cum eo penes Matthæum, Chriſtum* » *ſequeremini Ducem. Agite dum mecum. Si dedimus, ſi reliquimus mundo* » *ſua, quid amplius nobis eſt in mundo? Olim jam neminem duobus Dominis* » *ſervire poſſe, a noſtro Magiſtro & Duce, quem ſequi profitemur, audivi-* » *mus, & premente ratione didicimus: quamobrem reliquimus omnia, quia* » *eum ſequi volumus, & illi ſoli ſervire; non ergo Mammonam pati debe-* » *mus*: Ideo dico vobis (*Magiſter ait*) ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid » manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Nonne anima plus » eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Reſpicite volatilia » Cœli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, » & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis? » Conſiderate lilia agri, quomodo creſcunt. Non laborant, neque nent. » Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus » eſt ſicut unum ex iſtis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in » clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quanto magis vos, modicæ fidei? No- » lite ergo ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, » aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater » veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergo primum Regnum Dei » & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis. *Audiſtis ne, o filioli,* » *voeem Domini? O utinam ſemper hæreant cordibus noſtris hæc verba vitæ!* » *Profecto hanc vocem audivit Seraphicus Pater noſter Sanctus Franciſcus,* » *mente retinuit ac opere exequutus eſt, ut non tam lingua, quam exemplo* » *nos ſanctam paupertatem doceret; ne avaritia, idolorum ſervitute, vel ulla* » *ſollicitudine ſeculi abſtracti, negligeremus virtutes, & perderemus Deum,* » *quem ſequi ſtatuimus.* *Matth. 19.* *Idem 6.*

» *Fateor Deo & vobis, o filioli mei, dum hæc recolo, pudet me, majori* » *diligentia hæc ſancta mandata haud exequutum fuiſſe. Fateor, & hiſce* » *lacrymis meam culpam deteſtor: in ſancta ſiquidem paupertate ſervanda* » *non omnem diligentiam adhibui, quæ a noſtro Sancto Patre deſideratur:* » *aliquanto enim remiſſior ac temperatior in quibuſdam mihi extitiſſe videor,* » *in nonnullis ædificiis & hortis maxime; nam licet non damnentur in ex-* » *ceſſu, nec tamen a rigiditate Minoriticæ paupertatis uſquequaque laudan-* » *tur; at ſi aliqua excuſatio apud Deum valere poterit, iis (ingenue fateor)* » *conſenſi, ut humanæ fragilitati aliqualiter conſulens, arctior in rebus ma-* » *joris momenti paupertas libentius ita cuſtodiretur, quod impugnatoribus* » *ipſis non redderetur expoſa. Verumtamen ad juſtam inſtructionem perpe-* » *tuumque documentum, ne vos errare in via ſanctæ paupertatis contingat* » *in ea ſervanda, quæ ſevere cuſtodiri debent enarrans, in ſex gradus di-* » *ſpertiam.* De 6. gradibus paupertatis.

De primo paupertatis gradu circa utenſilia & jocalia.

» 8. *Certum eſt, o filioli, vitam religioſam & honeſtam, abſque iis quæ* » *ad eam neceſſaria ſunt, neminem tranſigere poſſe. Verum in his plerumque* » *humana ratio ceſpitat; cum ea quæ ſibi licent, minus prudenter examinet,* » *& nimis imprudenter aliquando admittat: neceſſariarum, ſed non ſuper-* » *fluarum rerum uſus ex ipſa Regula, quam profitemur, conceditur: libros* » *enim ad penſa Divina ſolvenda, calices, cruces, paramenta, mappas, veſtes* » *ſacras, lampades ac hujuſmodi plura, proculdubio Fratres habere debent* » *ad uſum, ſicut etiam utenſilia domus; eaque præter, ut otioſitas nugarum* » *mater, & noverca virtutum longius a noſtris ædibus abigeretur, Sanctus* Erramus in habendis quandoque neceſſariis ob imprudentiã in examine, & receptione. *Reg. c. 5.*

„ *Pater nos honeſto labore laborare docet ac præcipit, quamobrem congruis*
„ *inſtrumentis ad noſtra manuum exercitia indigemus. Rurſus, planum eſt*
„ *veſtimenta ad honeſtatem, ſecundum loca, tempora ac rigidas regiones, Su-*
„ *periorum judicio diſcreto eſſe, conceſſa; unde Miniſtris & Cuſtodibus tan-*
„ *tum hæc circa ſollicitudo demandatur, ſicut & infirmorum cura maxime*
„ *committitur, quatenus (circumſcripta ſeveriſſime pecunia) etiam per ami-*
„ *cos ſpirituales, iis neceſſitatibus provideant.*

„ *In præfatis autem omnibus ſuperfluitas vitanda eſt; quamobrem, cum*
„ *nihil ita neceſſarium ſit, quam cognoſcere ſibi neceſſaria, diligenti ſtudio*
„ *ſcrutari ac experiri debemus, quæ nobis neceſſaria ſint, ut prudenter ſuper-*
„ *fluis rejectis, illa retineamus, ac ita juxta Regulam quam profitemur, &*
Superfluum quid ſit. „ *mentem Seraphici Patris noſtri quam ſummopere venerari debemus, vitam*
„ *inculpatam, honeſtam & religioſam tranſigentes, de virtute in virtutem*
„ *ſine offendiculo proficere valeamus: ſuperfluum autem ab omnibus cenſetur*
„ *id, a quo aliqua parte ablata, adhuc reſiduum ſufficit, noſtræque ſatisfacit*
„ *neceſſitati; unde ſi cum caputio duæ tunicæ cuique pro veſte, juxta Regulæ*
„ *præſcriptum, ſufficiant, tertiam ut ſuperfluam relinquere debemus: ſi*
„ *vero loca vel tempora ſeu frigidæ regiones, vel etiam particularis alicujus*
„ *neceſſitudo plures duabus exigeret, diſcreto prudentique Superiorum judi-*
„ *cio, illi neceſſitati providendum erit: nec eo caſu quiſquam duplicibus uti*
Simplex veſtimentum quod ſit. „ *recte diceretur: Simplex veſtimentum (ait D. Hieronymus) dicitur quid-*
„ *quid neceſſarium eſt alicui ſecundum qualitatem loci ac temporis: duplex*
„ *autem, quod extra neceſſitatem eſt: non enim duas dicit ut quis in locis*
„ *Scotiæ, glaciali nive rigentibus, unica tunica debeat eſſe contentus; ſed*
„ *quomodo tunicam, veſtem intelligimus, ne alias veſtiti, aliud nobis futu-*
„ *rorum timore ſervemus: ſimiliter autem, ſi duo calices ſatis ſint, tertius*
„ *profecto ſuperabundabit: & hoc idem judicium de ceteris quibuſcumque*
„ *utenſilibus Eccleſiaſticis vel domeſticis, ac etiam de quibuſcumque ad vitam*
„ *protegendam, vel ſanitatem recuperandam, vel munia exequenda, vel bo-*
„ *neſtas artes tractandas, neceſſariis, abſolute fiet, ut arctam paupertatem ad*
„ *Regulæ præſcriptum, & ſancti Franciſci mentem ſervemus.*

De ſecundo paupertatis gradu circa ædificia.

„ 9. *Jam vero ſecundo vobiſcum de ſancta paupertate, diligenter & ar-*
„ *cte in ædium conſtructione ad noſtrum uſum ſervanda, breviter agam. In*
Paupertas in dicta Regula eſt etiam in communi. „ *Regula (ut optime noſtis) alta & ſevera voce præcipitur, nobis nihil pro-*
„ *priam eſſe debere; ac proinde nec domum nec locum nec aliquam rem poſſi-*
„ *dere quimus; cujus præcepti obſervantia ut magis commendaretur, ab Ec-*
„ *cleſiarum, domorum, necnon aliorum locorum noſtræ paupertati non con-*
„ *gruentium acceptatione nobis cavendum eſſe præcipit; congruas vero,*
„ *peregrinorum more, nos eas habitare poſſe conceſſit. Jam ergo ſi nihil ſan-*
„ *cte ac legitime in hoc mundo poſſidere poſſumus, imo nec eis, quæ contra*
„ *paupertatem eſſe videntur, uti, quomodo nobis ampla & ſpecioſa, vel etiam*
„ *ſumptuoſa ædificia (niſi perverſe, illegitime ac contra peregrinorum mo-*
„ *rem) excitare poterimus? Vidiſtis vel audiſtis ne peregrinorum quemquam*
„ *adeo ſtultum vel fatuum, extra Patriam in ipſo itinere, domum amplam &*
„ *magnificam, in qua vel altera tantum nocte hoſpitaturus eſſet, proprio*
„ *ære vel ſudore ſibi conſtruere? Hic imo curta, levi & ulli tanica ad re-*
„ *nes ſuccinctus, perula quoque, baculo ac ſitella contentus, exoneratus, ex-*
„ *peditus ſuum conficit iter; ingruenteque nocte, quovis hoſpitio ſibi occur-*
rente

„ *rente contentus, non exquiſita obſonia præſtolatur, ſed e ſua perula, utut*
„ *ſint, cibaria promptu deſumit: nonnumquum in ipſo itinere, ſubita neceſ-*
„ *ſitate coactus, ut ſeſe ab inclemeutia Cœli vel temporis injaria protegat, ad*
„ *rupium antra vel arborum cavitates confugit; ac protectione naturæ con-*
„ *tentus, etiam aere & ſolo velo ibidem noctu quieſcit, expectaturus ſolem,*
„ *ut iter in Patriam proſequatur: nunc autem vos interpello, hujuſmodi pe-*
„ *regrinum villam domumve ſtruere ſibi velle? Nequaquam, quia irrequie-*
„ *tus ad patriam pergit: at ergo ſi juxta noſtrum Inſtitutum & Seraphici*
„ *Patris mentem, in hoc mundo peregrinamur, nobiſne domos æternas, am-*
„ *plas vel magnificas, plurimis laboribus, ſudoribus & anxietatibus excita-*
„ *bimus, vel potius mobilia tentoria ac temporias attagias conſtruemus?*
„ *Credite mihi, vel potius Sancti Patris Regulæ obtemperate præceptis: ſi*
„ *abſque hoſpitiis peregrinatio noſtra compleri uequit; ſi alienæ ſalutis ze-*
„ *lus aliquonti ſper nos remoratur & urit, ſint caſæ nobis, ſed tot ac tantæ*
„ *tantum, quod nos copere poſſint: decem enim incolarum domus, pro duo-*
„ *decim fabricari non debet.*

„ *Memineritis, quæſo, habitationis ſancti Bernardini de Sierra, vel*
„ *ſanctæ Mariæ Angelorum de Breviesca pro Sororibus, ſeu etiam aliarum,*
„ *quas extrui curavi: ut vos ipſi ſcitis, in iis ad numerum Fratrum aut So-*
„ *rorum ſunt cellæ, nec plures nec pauciores, & illæ ſint in exemplum: me-*
„ *mineritis, cariſſimi, neminem duo loca occupare poſſe, & quod qui habet*
„ *quod ſibi ſufficit, ulterius rite velle uou debet: ſuperflua ſiquidem quære-* Paupertas ſervata ab ipſo in ædificiis.
„ *re, cordis elationem & non humilitatem ſapit. Foteor & dolens, quod*
„ *ſancti Antouli domum, quæ pro ſolis quatuor eſſe debuerat, ſex Fratrum*
„ *capacem fieri conſenſerim; tabulata, muros & hortum ampliuſculum in ea*
„ *admiſerim: ah quantum doleo! Miſereatur mihi Deus: ſcitote me ad id*
„ *loci nimiam frigiditatem, affluentium Fratrum multitudinem coegiſſe;*
„ *in aliquibus quoque aliis exceſſum ſimilem ob nonnullos reſpectus, ac etiam*
„ *ut Fratrum, in bonum finem, fragilitati condeſcenderem, paſſus ſum;*
„ *verumtamen hæc in exemplum minime tranſire inſtantiſſime rogo: ſed ſi*
„ *quid agendum vel admittendum fuerit, zelo ſanctæ paupertatis, & pru-*
„ *denti diſcretione Superiores deliberent. Ceterum quoad Eccleſias quid am-*
„ *plius dixero? Non amplitudo aut magnificentia, non aurum aut ſumptuo-*
„ *ſa ornamenta, ſed paupertas & mundities, & ſuper omnia ſanctitudo*
„ *domum Dei maxime decet.*

De tertio paupertatis gradu, circa veſtes, ſtragula, ſtrata, calceamenta, & equitare.

„ 10. *Licet de veſtibus jam ſupra dixerim, nihilominus acturus de ſtra-*
„ *tis, ſtragulis & calceamentis, etiam & cum iis veſtes commemorare, ſu-*
„ *pervacancum fore minime puto, cum naturæ noſtræ boneſtas & neceſſitas* Quandoque ſumus nobis indulgentiores, quam par ſit.
„ *nudum quemquam nolint, & vel defatigatum aut infirmum in ſaxo cubare,*
„ *ſeu nudipedem incedere, & in his indulgentiores nobis quam par ſit, non-*
„ *numquam ſimus; unde multoties fragilitate non tantum, ſed etiam amore*
„ *proprio ſenſim in Regulam euntes, graviter & periculoſe nimium ceſpita-*
„ *mus: hinc eſt, quod de omnibus iſtis ſimul caritutis verba inpræſentiarum*
„ *vobiſcum habere ſtatuerim; ut noſtri ſancti Patris mentem, votaque mea*
„ *in ſancta paupertute diſcrete ſervandu ſciutis, ne in detrimentum anima-*
„ *rum veſtrarum contingat errare. In primis ergo, o dilectiſſimi filii, ex*
„ *Regula noſtis, veſtes noſtras viles, ideſt de materia vili, eſſe debere; ait*
enim:

„ *enim*: Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur. *Quamobrem non*
Reg. c. 2. „ *tantum ſuperfluitas in illis cavenda eſt, ſed etiam prætioſitas ſanctæ*
„ *paupertati contraria & mollitiei amica: propterea ut a pœnitentium in-*
„ *ſtituto prorſus aliena, a Chriſto Domino in publica concione fugiliata,*
Matth. 11. „ *cum ait*: Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt. *Ubi lu-*
„ *xus & non pœnitentia regnat; hujuſmodi prætioſitas in veſtibus omnibus*
„ *nobis prohibitu eſt, quod tales veſtes in ſolo intuitu noſcantur eſſe operi-*
„ *menta, non honeſtatis & neceſſitatis, non fortitudinis & ſeveritatis, non*
„ (*inquam*) *animi conſtantis in vitiorum fuga & virtutis propoſito, ſed*
„ *viri effeminati, mollis & nimium delicati.*

„ *Non eſt autem, quod eapropter ſupra menſuram debeat eſſe rigor,*
„ *qui diſcretionem tollat: nam hæc ipſis virtutibus, ne in vitia degenerent,*
„ *motum imponere debet: quamobrem omnis diſciplina Regularis Ordinis*
„ *ab æquitatis diſcretione moderabitur, ne vel nimia remiſſio nutritiva ſit*
„ *criminum, vel irregularis diſcretio parricidu virtutum: ſit ergo modus in*
„ *rebus: inter ægrum & ſanum, inter fortem & debilem, interque ſenem*
„ *& juvenem, ſit diſcretio moderatrix uſquequaque prudens & æqua. In-*
„ *firmis molliora & meliora dentur, caſei, caligæ, lecti, ſindones, culci-*
„ *træ ac induſia, ſubucukæ quoque: an ſorte ſine modo? nequaquam; ſi om-*
„ *nia cum diſcretione fieri debeant: ac ideo prudentem & diſcretum Supe-*
Modus ſervandus pro veſtibus. „ *riorem, caritatis fraternæ verum zelotem, non tantum infirmum a ſano,*
„ *ſed etiam infirmum ab infirmo diſcernere atque diſcriminare oportet; ut*
„ *diſcrete eorum neceſſitudinibus, & æquo amore, prompte ac opportune,*
„ *ſine exceſſu & defectu, ſaltem notabili, ſuccurrere poſſit; aliter enim non*
„ *erit diſcretio æqua.*

„ *Interea vero ſuperior, dum aliis bene ſtudet, ſummopere caveat ne di-*
Superior cavere debet, ne ob Indultum inſtituti relaxet. „ *ſciplinam Regularem, vel hujus Inſtituti rigorem & mores ullo pacto re-*
„ *laxet ſingularitatibus in veſtibus tum exterioribus, cum interioribus: ſa-*
„ *nis enim vetitas atque damnatas omnino tollat, ſuperfluitates reſecet, cu-*
„ *rioſitates cohibeat non tantum, ſed execretur & ableget, ac quidquid a*
„ *noſtra Regula conceſſum non eſt, nulli permittat, ſi ſe immunem ab alienis*
„ *culpis cuſtodire velit, & optimi Paſtoris adimplere munus: verum hæc*
„ *circa non immorabor amplius; cum olim memoralia mea quæ de his agunt,*
„ *ubunde vobis conſignaverim.*

„ *Sed noſtris Sororibus, meis in Chriſto filiabus tam incluſis, quam re-*
„ *cluſis hæc obſervanda relinquo: ſicut Fratres ita & ipſæ Sorores ſinguiæ*
De Veſtimentis Monialium. „ *binas tantum ex vili materia tunicas habeant, ſundalia quoque ex lino*
„ *vel filis contexta, ſoleas etiam coriaceas, cum bracciis ex panno ad hyemis*
„ *nimiam rigiditatem vincendam: iis utantur eum benedictione Dei, & con-*
„ *tentæ ſint. Sarcinatores ſeu Sarcinatrices aliis veſtimenta conſuentes,*
„ *meminerint ſive domi ſive extra nihilo umplius præfatis duabus tunicis uti*
„ *ſibi licere; ſufficiunt enim tum ad ordinariam neceſſitatem, cum ad mun-*
„ *ditiem, quando eas excutere voluerint: hyeme autem novas, æſtate vero*
„ *veteres induant, quas etiam laceras reſarcire & repetiare poterunt cum*
„ *benedictione Domini, ut Seraphicus Pater in ſua Regula monet.*

„ *Cuilibet vero Fratri cubiculum ſeu cella in dormitorio conſtruatur pro-*
De Cellis. „ *be concluſum ad frigus arcendum, cum ſua feneſtra, in quod horis non*
„ *impeditis ad orationem & Studium, necnon etiam noctu ad quieſcendum ſe*
De Lectulis. „ *recipiat. Porro in unoquoque cubiculo ſuper lectulis ex tabulis ſeu aſſeribus*
„ *compactis, ſtramentum ſive culcitra ſtramine plena ſit, cum duabus ſeragu-*
„ *lis & cervicali ſive pulvino, & non pulvinari, quod divitum eſt, quidem*

non

„ *non plumis vel lana, ſed paleis pleno, pannoque nobis pro veſtibus conſue-*
„ *to, decenter obducto: omnia vero hæc noſtræ paupertati omnino reſpon-*
„ *deant, quæ ſi neceſſitati noſtræ vincendæ ſint ſatis, alia mobilia nullo pacto*
„ *quæremus, ne quid ſuperfluum avaritia vel curioſitate ducti admittamus.*

„ *De equitatione vero & calceamentis, ſi ſimplicem & ſanum Regulæ* De æquitat. & calceamentis.
„ *noſtræ intellectum quiſque cuſtodire vellet, longum ſermonem inſtituere*
„ *non oporteret; cum enim nulli, niſi ob infirmitatem vel neceſſitatem ma-*
„ *niſeſtam equitare, vel calceamenta deferre concedatur, jam ex ipſo Regu-* Reg. c. 2.
„ *læ contextu ad quid Fratres teneantur, apparet; multoque clarius ſiſe-*
„ *ſtrictæ paupertati adſtrictos recognoſcant. Super hæc nihilominus Præſides*
„ *Fratrum vigilare tenentur, ne eorum negligentia, ulla Regulæ tranſ-*
„ *greſſio vel relaxatio in hoc ſancto Inſtituto introducatur: obſervent, quæſo,*
„ *non omnes neceſſitates eumdem ſervare tenorem, & varias atque diverſas*
„ *eſſe: quamobrem quaſque neceſſitatis ſpecies ſuos gradus habere ſciant, quo-*
„ *rum tres tantam, in quos quælibet neceſſitas diſpertiri poterit, aſſignabo.*
„ *Neceſſitas alia major, & alia minor, ac tertia inter utramque eſt: Mi-* Tres gradus neceſſitatis.
„ *nor, aliqualiter; Media magis; Major vero maxime ſuperiorem ad di-*
„ *ſpenſandum urgebit: quartum gradum ſupra majorem, qui ſupremus eſt,*
„ *non conſidero: occurrente ergo minori neceſſitate, calceamenta ex filis &*
„ *chordis, vulgo pardachas, confecta; media vero, eadem, ſed panneo ope-*
„ *rimento obducta; majore tamdem ex corio ſandalia vel crepidas permittere*
„ *poterunt, imo diſpenſare debebunt: idem pariter judicium in neceſſitati-*
„ *bus equitandi fiet: in minori, jumentum; in media mulum; at in majori,*
„ *etiam equum ephippiatum concedent: admoneo etiam præter infirmitates,*
„ *conſiderandas eſſe perſonarum qualitates, ætates, juventutem, ſenectu-*
„ *tem, robur & debilitatem: item negotiorum expediendorum gravitatem,*
„ *urgentiam; itinerum quoque difficultates, pluviarum, nivium, & flumi-*
„ *num impedimenta: Nam hæc omnia & ſimilia examinanda ſunt ab ipſis,*
„ *qui recte, prudenter & cum caritate ſuorum ſubditorum neceſſitatibus,*
„ *quemadmodum tenentur, conſulere volunt: Non enim ad ſubditos, quorum*
„ *eſt obedire ad meritum, hoc judicium ſpectat, neque ſpectare debet; cum*
„ *nemo juſtus Judex in propria cauſa cenſeatur.*

„ *Ceterum extra neceſſitatem, quocumque tempore diſcalceati, ſeu nudi-*
„ *pedes omnes incedent, quemadmodum ſancti Patris noſtri Regula vult,*
„ *quæ calceamenta nonniſi in neceſſitate concedit: Et quidem hic, ubi frigus* Judicium neceſſitatum ſpectat ad Superiores.
„ *hyemis tempore plurimum vigere non ſolet, quæ calceamentorum neceſſitas*
„ *juvenes ſanos, ſeneſve robuſtos ab hujuſmodi præcepti obſervantia abſolve-*
„ *re poteſt? Verumtamen diſcretio prudens omnia regat: ut mihi videtur,*
„ *in minori neceſſitate a Feſto omnium Sanctorum uſque ad diem primum*
„ *Aprilis ſandalia Fratres deferre poterunt: Nonnullis in media (quema-*
„ *modum ſupra diſtinguebamus) tibialia ſine ſandaliis concedenda erunt; in*
„ *majori vero, cum, verbi gratia, extra domum tempore nivium, glaciei,*
„ *pluviæ vel magni luti, iter habendum eſt, prudens Paſtor etiam calcea-*
„ *menta, durante neceſſitate permittat; ejus enim diſcretioni, & non judi-*
„ *cio ſubditorum, hoc negotium, ut dicebam, reſervatum eſt.*

„ *Sed adhuc loquar, etenim ſandalia urgent: & quidem in illis hodier-*
„ *na curioſitas, quæ totum fere Ordinem labefactat, lacrymaſcit: Fratres*
„ *enim æſtatis tempore per Civitates & plateas, etiam per Villas & vicos,*
„ *hujuſmodi curioſis & vanis ſandaliis, plurima cura vel & multa expenſa*
„ *comparatis & nimia arte confectis, calceati, non ob neceſſitatem ince-*
„ *dunt; ſed ut cum eis bene lotos & niveos pedes (prob dolor!) oſtentent,*

ſuam-

Abuſus in Sandaliis.

„ *ſuamque ſpiritus inanitatem non ſine gravi culpa manifeſtent: quamobrem*
„ *ſimilem abuſum ab hac Cuſtodia elongatum ſummopere cupiens, Fratres*
„ *mei numquam ſimilibus ſandaliis utentur: & cum oportuerit, eorum loco*
„ *pardechas ſparteas vel ex filo confectas habebunt: quemadmodum ſanctus*
„ *Petrus de Villacretio, qui me in ſuis Eremis edueavit, habebat ad uſum.*
„ *Igitur ſi quæ hujuſmodi vanitates & paupertatis opprobria forte inter vos*
„ *reperiantur ſive nova ſive vetera, abjicite, perdite, & numquam inter vos*
„ *videantur.*

De Jumentis, quæ ad ſuas neceſſitates habere poſſunt.

„ 11. *Ad miſeram ac temporariam vitam in hoc lacrymarum valle, ſe-*
„ *cundum noſtrum Inſtitutum in arcta paupertate tranſigendam, laboribus*
„ *noſtris non reſpondente ſufficienter ad victum quotidianum mercede, quæ*

Jumenta cujus eſſe debent.

„ *numquam in pecunia conſiſtere poteſt; planum eſt nobis ad menſam Domi-*
„ *ni recurrendum eſſe, petendo eleemoſynas oſtiatim, quemadmodum Regu-*
„ *la noſtra docet: ex mendicatis ergo victuri, æquum eſt, ut noſtrorum Fra-*
„ *trum laborioſam mendicitatem perpetentium pro communi omnium victu,*
„ *corporis neceſſitudines diſcrete penſemus, atque iiſdem cum caritate &*

In eorum venditione vel commutatione non debent Fratres ſe intromittere.

„ *Regulæ noſtræ indemnitate ſtudeamus: quapropter ad eleemoſynas in lon-*
„ *ginquis collectas & domum aſportandas, unum vel etiam plura, ſi neceſſa-*
„ *rium fuerit, jumenta vilia, videlicet Aſinos habere poterunt. At hic haud*
„ *ſtatim cogitandum, bruta ad neceſſarium laborem introducta, brutali ſe-*
„ *gnitiei otioſove torpori favere debere vel poſſe: cum alioquin in domo ſa-*
„ *pientis nulli otiari liceat: notent, quæſo, Fratres, ad deferendas eleemo-*
„ *ſynas e locis longinquis tantum, & non e propinquis, eſſe conceſſa: ſed etiam*
„ *præter hæc (ne decor & ſplendor noſtræ ſanctæ paupertatis vel in minimo*
„ *deturpetur) præfata hujuſmodi jumenta ſub poteſtate & proprietate eorum*
„ *qui ea emerunt, perpetuo eſſe cenſenda, & noſtro tantum uſui neceſſaria*
„ *permiſſa, cum nobis (ut optime noſtis) nec domum nec locum nec aliquam rem*
„ *poſſidere liceat: quamobrem quando ea vendere vel commutare contigerit,*
„ *caveant Fratres, ne in hujuſmodi negotio ullo pacto ſe intromittant, aut*
„ *quemquam determinent, qui ſuo nomine tractet: alienare enim, vendere*
„ *& commutare, cum actus proprietatis ſint, ei tantum qui poſſidet reique*
„ *proprietarius eſt, competunt, & nullo modo Fratribus, qui nihil legiti-*
„ *me & ſine culpa poſſidere valent: hinc etiam aperte liquet ea in occaſione*
„ *vel alia, nec per ſe nec per alios Fratres pecunias recipere poſſe: licet conſi-*
„ *lium dare in eo caſu non interdicatur: ſunt quidem nonnulli noſtri Ordinis*
„ *Fratres, qui parum curantes ad præſcriptum Regulæ vivere, procuratis*
„ *diſpenſationibus, ex adverſo procedunt; vendunt ipſi, pecuniaſque con-*

Melius eſt anguſtias pati, quam Regulam tranſgredi.

„ *trectant; ſed eos non imitabimini; etenim melius erit vobis anguſtias pati,*
„ *ac tolerare famem, quam paupertatem lædere & in Regulam noſtram*
„ *peccare.*

De quarto gradu paupertatis, circa ea, quæ in nobis, vel a nobis ſunt.

„ 12. *Sed altiorem & nobiliorem ſanctæ paupertatis gradum, minus*
„ *aliquando conſideratum, & non ſine ſtulto & lacſuoſo damno virtutum*
„ *inſulſe deſpectum, vobis meis in Chriſto Filiolis proponere pergo: eſt au-*
„ *tem prudentiſſima & nobiliſſima paupertas earum rerum, quibus natura*

vel

» *vel ſtudio plerumque noſtro, magno damno ſpirituali & fine cujuſquam laudabili commodo, abundamus: hæc eſt verè & non larvatæ humilitatis Filia, quæ a tanta Matre nec vel in minimo degenerans, non tantum ſuperfluis, inutilibus ac extraneis vanitatibus mundi, ſed etiam naturæ divitiis (ſi quæ ſibi ſint) ac fere ipſa natura ſe ſe expoliat; ut quo magis nuda, eo amplius virtute donetur, gratia veſtiatur, ac ad ipſius Dei laudem, ſui ſalutem & proximorum utilitatem veram, ſupernaturalibus donis feſtiviſque Xeniis exornari condecorarique poſſit. Porro naturæ malas divitias, quæ in nobis vel a nobis ſunt, quas abjicere debemus, ſi vere pauperes Chriſtum ſequi velimus, voco ejuſdem naturæ propenſiones, quibus animus facile obediens plurimum abundare ſolet; amor etenim ſui, quem Philaatiam Græci dicunt, id ſæpe efficit, ut ſepoſitis Evangelicis conſiliis, imo & ipſa lege, immemores noſtræ profeſſionis, carni adhæreamus; & ea, quæ ſenſuum voluptas, lubrica quadam ſuavitate noſtræ ſordidæ vel certe minus nitidæ menti dictat, animo ſaltem proſequamur, ac ita qui foris pauperes ſumus, intus peſſimis divitiis exaberemus: rem plane difficilem, ſed (licet plurimo ſtudio vincendam) perutilem, imo neceſſariam vobis propono; nam hac potiſſimum arte, animus a pravis & exoticis deſiderilis, veluti ſolum a gramine, tribulis, aconito, ac aliis exitioſis vel inutilibus herbis, optime repurgatur, ac ad virtutum ſemina ſuſcipienda paratur.*

Vera paupertas etiam naturę divitias abjicit.

» *Non memineritis eorum, quæ Chriſtus in Evangelio dicit?* Si quis, *inquit*, vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Jam eum qui non renunciaſſet omnibus, quæ poſſideret, haud ſuum diſcipulum fieri poſſe admonuerat. Verum*, quia, *ut inquit Gregorius*, fortaſſe laborioſum non eſt homini relinquere ſua; *docuit eam renunciationem etiam noſtri, ſcilicet propenſionum, deſideriorum, ac inſuper ipſius noſtræ voluntatis eſſe debere*; quod quidem perfectum eſt, licet valde laborioſum ſit relinquere ſemetipſum; *quod eum magnum laborem Philaatia facit vel certe adauget. Unde profecto ea neceſſaria pugna exoritur, quam in noſmetipſos noſtramque carnem & ſanguinem ſuſtinere debemus; ſcientes, quod non coronabitur laurea gloriæ, qui legitime contra ſe ipſum non certaverit.*

Matth. 16. Marc. 18. Luc. 9.

Debemus renuntiare noſmetipſos.

Gregor. in Evang. hom. 32.

» *Perplures autem ſunt in homine affectiones, quas paſſiones ſeu appetitus vocant, qui omnes procul dubio ſumma diligentia contrahendi & coercendi ſunt, ut ſuperbum animal depoſita feritate, ſpiritui obedire diſcat: verum inter eos nullus mihi magis ſuſpectus eſt, quam vanarum ſcientiarum inſolens cupiditas; quod noſtri Ordinis ſanctam ſimplicitatem adeo dementaverit, ut fere cum ipſa, peſſundata humilitate, ejus ſanctitatem univerſo Orbi celebrem fugaverit. Quamobrem in eam inacbere cogor, ne linguarum exuberantes divitiæ, ſuperfluarum curarum diriſſimæ ſpinæ virtutum flores ſuffocent, paupertatem miſerrime perdant, & animam Chariſmatibus Divinis expolient & omnino depauperent; ac in ruinam hujus puſilli Gregis, indevotionis, elationis, præſumptionis & ambitionis vitiis intruſis, in nihilum agant. Intelligite Fratres. Non enim eſt meum damnare ſcientiam veram, comparandis virtutibus peraccommodam; etiamſi aliquando non in Dei gloriam, ſed in ſuam plerique laudem abutantur, eaque præditi in ſe & proximum peccent, cum e contra potius eadem peccata cavere deberent, nam hæc non eſt veræ ſcientiæ culpa, ſed ea abutentis enorme delictum. Eam ſcientiam improbo, damno, ac toto ſpiritu exibilo, quæ nihil compendii, & plurimum diſpendii, cum ſalutis ani-*

Non vera ſcientia damnatur.

Quæ ſcientia damnatur.

„ *animarum diſcrimine ſecum defert. Hujuſmodi ſunt quædam inſtitutiones*
„ *Dialecticæ & Rhetoricæ, infantilium argutiarum, ſophiſmatum & apo-*
„ *logorum matres, quæ fœmineis comptorum verborum lenociniis, credulo-*
„ *rum & incautorum aures titillant, corda ſuccendunt, & apta tempora vir-*
„ *tutibus ſuffurantur atque expilant. Agite dum, perpendite mecum quid*
„ *agant iſti ineptiarum verboſi Doctores: rem magnificam ad ſyllabas vo-*
„ *cant, & animum minuta docendo diminuunt tempuſque perdunt: audite*
„ *aſtutias. Mus ſyllaba eſt, mus caſeum rodit, ſyllaba ergo caſeum rodit.*
„ *O quam belle & quam ſubtiliter! Sed quod mihi ex hac ſententia pericu-*
„ *lum vel incommodum imminet? O pueriles ineptias! Nonne vobis merito*
„ *demens videbor, ſi ſalute animæ meæ poſthabita, cujus lucrandi gratia*
„ *mundum reliqui, iis ſtultitiis operam dedero? Mors me inſequitur, &*
„ *vita veluti umbra fugit. Doceat me, quæſo, qui ſapit, quo pacto nec vi-*
„ *tam perdere, nec mortem pavere poſſim. Præterea, quid verborum gloci-*
„ *tationes illæ ſuperbæ, & ex aqua ſaponaria puerorum vanitatis ampullæ*
„ *ex Rhetorum ore? Emphaſi audientem ſuſpendunt, figuris ancipitem red-*
„ *dunt, & amphibologetica ratiocinatione floribus linguæ exornata, ut*
„ *plurimum decipiunt: & quid hæc ſunt animæ Chriſtum quærenti? Abſint*
„ *ergo a nobis illæ verborum inanes opes, ſi hunc perfectiſſimum ſanctæ pau-*
„ *pertatis gradum cum ſecuritate virtutis poſſidere velimus: procul a noſtris*
„ *domibus eliminentur hujuſmodi ſuperfluæ & periculoſæ ſtudiorum curæ,*
„ *quarum cauſa in Ordine vitia pro virtutibus invaluerunt. Et ſi non nobis*
„ *tantum vivere, ſed & aliis proficere (ut par eſt) prædicatione, conſilio,*
„ *Sacramentorumque adminiſtratione, velimus; ea ſimpliciter & ſine fuco*
„ *loquamur, quæ ad animarum ſalutem ſunt; memores examinata & caſta*
„ *eſſe decere eloquia noſtra, ad utilitatem & ædificationem populi, annun-*
„ *tiando vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate ſermonis;*
„ *quod verbum abbreviatum fecerit Dominus ſuper terram; quemadmodum*
„ *ſanctus Pater Franciſcus in Regula nos admonet & exhortatur.*

De quinto gradu paupertatis. De cibo & potu, deque vitiis ex illis naſcentibus.

„ 13. *Quintum ſanctæ paupertatis gradum in cibo & potu vobis pro-*
„ *pono, o dilectiſſimi in Chriſto filii, quo arcte cuſtodito, pluribus & pericu-*
„ *loſiſſimis vitiis immunes eſſe poteſtis: gula ſiquidem depauperata, plurima*
„ *vitia ſubigantur; ſicut e contra, eadem ditata, infinita propemodum ea-*
Ex gula vitia pluta vel virtutes. „ *rum agmina in animarum noſtrarum perniciem petalantiſſime inſurgunt.*
„ *Planum eſt, optime perceptis, ac ut decet, executioni mandatis prioribus*
„ *meis, ex Regulæ tamen inſtituto decerptis vel erutis monitionibus, hanc*
„ *exhortationem ſuperfluam fieri; cum in culpa ſit appetitus, & non cibus*
„ *vel potus, quando enormiter ventrem implemus. At quia naturæ ex fragi-*
„ *litate noſtra nimium plerumque indulgetur, & illa audaciter contra ſibi*
„ *notas æquitatis leges ut plurimum inſoleſcit, eiſdemque æca repugnat:*
„ *hinc eſt me vobis de neceſſaria paupertate gulæ ampliorem exhortationem*
„ *inſtituere velle, ut propoſitis ex una parte malis ab ea provenientibus, &*
„ *altera bonis, quæ ab ejus adverſaria nempe abſtinentia, pulcherrima ſu-*
„ *pra modum ſanctæ paupertatis corona procedunt facilius guloſis ſuperflui-*
„ *tatibus renunciare poſſitis.*

„ *Gulam tenebrarum opus dixit Apoſtolus, quod cuique attente per-*
„ *pendenti verum eſſe innoteſcit; & nulli, cujus mens corporis mancipata*

car-

» *carceri, in ejus palpabilibus tenebris contenta voluptuoſe verſatur, vel in* » *minimo obſcurum eſſe poteſt: quamobrem ſi e tenebris gula emergit, pro-* » *fecto ex cœnoſa ſuperbia carnis, quæ deſpecta humilitate, ceteriſque ſanc-* » *tis & luminoſis virtutibus, nullo fræno legis cohibetur, omne malum* » *conſurgit; unde & ipſa nonniſi vitiorum peſſima parens eſſe poteſt. Et qui-* » *dem hæc blanda & petulans meretrix, depreſſa mente conculcataque ra-* » *tione, Religioſorum corda, impia irreligioſitate ſenſim a proprio & ſan-* » *cto inſtituto alienat; gulæ ſiquidem moroſa voluptas non ſubito, ſed pau-* » *latim pœnitentiæ Viros aggreditur, ut lente in ſuam ſententiam tractis,* » *petulantius imperet, ac tandem ſine pudore ullo in eos ſuam cœcam & dul-* » *cem tyrannidem exerceat:* Plerumque enim, *ut inquit ſanctus Gregorius,* *Moral. lib. 30.* » ſub neceſſitate ſe palliat adeo, ut vix eam perfectus diſcernat, nam dum » ſolvi debitum neceſſitas petit, voluptas explere deſiderium ſuppetit; ac » ita tanto gula ſecurius in præceps ruit, quanto ſub honeſto nomine ne- » ceſſitatis explendæ ſe contegit; *& ſi id vitii Communitatis extiterit,* » *explendæ neceſſitatis prætextui juncto conformitatis ſuco, comeſſonum ſoda-* » *litæ linguæ, ventre pleno & futuro nimis, veluti ranarum in ſtagno,* » *coaxant, vel ut Cicadarum in arbuſtis importune ſtrident; ac vice Sancto-* » *rum eloquiorum, nociva plurimum & vaniſſima verba commiſcent: hinc ii* » *Gulones in contradictiones & rixas, in ſuperbiam & abuſionem, in teme-* » *ritatem & rebellionem impenſiſſime ruunt: & hæc initia malorum ſunt;* » *quæ turpe ſequuntur, ſanctæ humilitatis oblivio, Religionis deriſio, & con-* » *cupiſcentia carnis. At quæ hinc in perniciem virtutum, ac totius Regu-* » *laris diſciplinæ ruinam haud prorumpunt? Qui didicerunt humilitatem,* » *facillime amplexati faſtum, ceteros deſpiciunt, honores affectant, digni-* » *tates ambiunt, molliores, ampliores, & cum prolixo fyrmate, quo ſolum* » *evertant, veſtes extorquent, & prælonga pallia volunt; quia vero haberi* » *Magiſtri, ac vanis nominibus inſigniri plurimum deſiderant, litteris ſtu-* » *dent; at non ili, quibus ad æternam ſalutem comparandam ſibi & aliis* » *proſint, ſed quibus famam, honorem atque auctoritatem in populo, necnon* » *exiſtimationem apud Magnates ſibi concilient: & ſi aliquando Eccleſiaſti-* » *cis diſciplinis, ſanctorumque Patrum doctrinis inſtructi aliqualiter fue-* » *rint, ili, quæ vitia ſua innocenter contegunt, in proprium damnum ſpi-* » *rituale ob inutile commodum corporale abutuntur. Hinc turgidi ſemper &* » *inflati Clauſtra Monaſtica veluti anguſtos carceres abhorrent, fora vel* » *plateas amant, in quas ad captandas populorum auras exeunt, & eas ere-* » *cto vultu, compoſitoque, ſponſarum more greſſu, quoſque obvios comiter* » *ſalutantes, urbaneque alloquentes faſtuoſi incedunt, ac veluti circumfo-* » *ranei nugatores viliſſimum quæſtum captant; ac ita brevi a ventris ſaturi-* » *tate præcipua magiſtra docti, ſuperbia, ſuo ſe veluti gladio venenato ſin-* » *gulis diebus & horis confodientes, religioſam pœnitentium vitam, quam* » *profeſſi fuerant, rodunt & damnant: & quidem gula, quæ ſuperbire no-* » *vit, antiquam pietatem non patitur; quamobrem neceſſaria ſuæ profeſſio-* » *nis obſervando peſſundat; & ne indevota videatur, ſuperſtitioſas, novas* » *& peregrinas cæremonias, ſub prætextu magis proficiendi in populo, ſed* » *revera ut derelicta humilitate, obedientia, mortificatione, ſilentio, oratio-* » *ne, & cum his omnibus ſancta paupertate, ut liberius ſuo ventri deſervire* » *poſſit, ſtudioſe introducit. Auribus, o filioli, percipite attenti, ſed dili-* » *gentius mente perpendite: ſi devotiones ignotæ, peregrinæ vel novæ ſunt* » *bonæ, cur noſtro in Ordine Seraphico quod melius eſt, ſurripere vel per-* » *dere conſueverunt? Cur ob novitates, Inſtituti noſtri antiquas leges no-*

„ *reſque ſolvimus? Rigiditatem emollimus? Auſteritatem lenimus? Chori*
„ *frequentiam relaxamus orationemque negligimus? Profectò id bonum cen-*
„ *ſeri non facile poteſt, quod melius tollit & perdit. Attendite, iterum*
„ *dico, poteſt eſſe quidem, quod exoticæ devotiones, quæ præter antiquas,*
„ *ac univerſo Ordini probatas, in noſtras vel alienas domus a novatoribus ad*
„ *populi ædificationem vel proximi ſalutem introducuntur, ſint bonæ &*
„ *probandæ; ſed ſi ob eas perdimus noſtras & neceſſaria noſtra conculcamus,*
„ *jam in fraudem noſtræ profeſſionis abeunt: ſcio nobis, ut ſancto Patri no-*
„ *ſtro Seraphico conformemur, aliis etiam proficiendum eſſe; & quidem hæc*
„ *potiſſimum ea ratio eſt, qua ſe Novatores protegere ſolent; ſed vos, o Fi-*
„ *lioli cariſſimi, illis Pſeudozelotibus extollite pallium, & detegetis dolum.*
„ *Nobis aliis etiam proficiendum eſt ad ſalutem, fateor. At forte, ut æs ex*
„ *alto ad turrim ſonans, quod alios convocat ad Eccleſiam, in quam num-*
„ *quam ingreditur? Vel ut ille Medicus demens, qui aliis medicinam exhi-*
„ *bet ad ſalutem, & ſibi venenum propinat ad mortem? Ah Fratres dilec-*
„ *tiſſimi! Caritas ordinatiſſima eſt, & neminem damnari vult; quamobrem*
„ *verus Dei zelus ad proximi noſtri profectum ſpiritualem nos rite urgebit, ſi*
„ *primum nobis proficere didicerimus. Eſt actio rectitudinis & non obliqui-*
„ *tatis, ordinata & non confuſa, unde præpoſtere agere neſcit: & quidem*
„ *perverſe nimis agunt, qui propria ſalute neglecta alios ſalvare conantur.*
„ *At adhuc magis exagerant ex regulæ præſcripto dicentes nobis labo-*
„ *randum eſſe; fateor id & non inficior: Sed numquid ut poſt laborem peſſi-*
„ *ma otia ſomni, confabulationum, comeſſationum & ludorum nutriamus,*
„ *& ſanctæ orationis atque devotionis Spiritum extinguamus, quo primum*
„ *in Religione laborare oportet? Audite: Nonne Deas primo, & ſecundo*
„ *Anima noſtra quærendi ſunt, ut iis inventis æterna (ut in votis habemus*
„ *vel habere debemus) felicitate donemur? Deum profectò jugi oratione,*
„ *obſecratione, laudibus, in humilitate, paupertate, obedientia, corporiſ-*
„ *que caſtigatione invenire quimus, quemadmodum ſancti invenerunt; Ani-*
„ *mam vero propriam, niſi ſub Deo, eique humiliter parentem quiſquam*
„ *inveniet: hic eſt felix & fructuoſus primus labor in Religione, a quo rite*
„ *ſecundus & ipſe incuipabilis exit: Pudet amplius effari; tamen adhuc ali-*
„ *quantiſper ſupportate me: utinam pro Deo non haberemus ventrem, nec ei*
„ *manciparemus animam noſtram: utinam haud plus æquo corruptibilis car-*
„ *poris noxias voluptates damnoſaque compendia affectaremus. Nunc per-*
„ *gant inſtare laborandum eſſe ut manducemus; nec enim id inficior; ſed ite-*
„ *rum dico: laborandum eſt primo pro Anima ſalvanda, ne jejuna, fame vel*
„ *ſiti rerum ſupernarum pereat: ſecundo etiam laborandum pro corpore, ut*
„ *manducemus, ut ajunt, at quidem non ut voraci edacitate ſtomacho ap-*
„ *plaudamus, ac brutis deteriores beluemur; imo ut ſobrie viventes, puriо-*
„ *rem mentem a ventre ad cœleſtia facilius elevemus, virtutes diligentius*
„ *proſequamur, & in ſancto propoſita religioſæ paupertatis & Monaſticæ*
„ *diſciplinæ fructuoſe perſeveremus. An forte neſciverimus in quotas &*
„ *quantas concupiſcentias carnis animum gula protuderit? Illecebroſam ci-*
„ *borum aviditatem, ſi non præceſſerit avaritia, Religionis noſtræ peſtiferum*
„ *virus, ſequitur; quam habendi & poſſidendi ſuperflua & damnoſiſſima cura*
„ *comitatur, ut diligentius noſtro ventri ſervire poſſimus. Plaribus & ſuper-*
„ *abundantibus libris inſtructam cellam, veluti bibliothecam prædicatores*
„ *media pecunia per ſe, vel ſcandaloſe minus per alios habere procurant, non*
„ *ad animarum ſalutem niſi paliate, ſed verius ad pompam & ſordidum cor-*
„ *poris quæſtum ne quidquam gulæ deſit: Nam opere prædicationis apoſtoli-*

ca

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

„ ca vel alio pietatis exercitio abuteutes, crumenæ malitiosa cautela penes
„ amicum repositæ studeut; ut præter commuuem mensam, privatim in cubi-
„ culo cum suis similibus, comessationes, compotationes, tripudia & ludos
„ sanctioribus horis silentii vel orationis, in pessimum exemplum Fratrum
„ suorum & disciplinæ regularis ruinam, per totum annum, etiam jejunii
„ tempore habere possint: a fœdo autem proprietatis vitio ut se immunes esse
„ ostentent, in cujusvis suæ magnæ bibliothecæ codicis fronte scribunt: ad
„ usum fratris N. de prælati licentia: supellectilia etiam, quæ sibi in cella
„ multiplicant, se de Superiorum licentia ad usum tenere protestantur; Sed
„ revera ita propria sibi volunt, ut non facile alteri cedant: & si Prælatus
„ ea tollere velit, quanta difficultate, quantoque animi augore ferunt? Pro-
„ prietarii ergo sunt; & horum nonnullos vos ipsi vidistis: hinc in pejus pro-
„ prietatis vitium ruit: Meretricia siquidem fronte pecunias in propria specie
„ mentito prætextu procurant; quas, ne palam illi contaminari videantur,
„ pene privatos amicos in facie depouere faciunt; at secreto in proprias cru-
„ menas transferant, ut liberius illis in suis voluptatibus & porcinis illece-
„ bris, etenim gulam sequitur lasciuia, expleudis abutantur. Quamobrem
„ o Carissimi in Christo Filii, vos exhortor, ac utcumque possum, præcipio,
„ ut quotiescumque hujusmodi viros dissolutos inveneritis, sive sint Prælati
„ sive Prædicatores vel confessarii, sive sani sive ægri; ne eos taceatis nec dis-
„ simuletis, aut quovis pacto cooperiatis; sed protinus insletis, ut punitur
„ veluti latro & severe castigetur, si emendationis spes subsit; sin autem,
„ ut incorrigibilis e Custodia confusibiliter ejiciatur, vel minus confusibiliter,
„ ut merita causæ expostulaverint: Nec vos (inquit Bernardus de communi
„ vita, vel regula Clericorum) judicetis malevolos esse, quando alterius
„ crimen indicatis: magis quippe nocentes estis, si Fratres vestros, quos in-
„ dicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis: si enim Frater tuus
„ vulnus habet in pectore, quod velit occultari, dum timet secari, nonne a
„ te crudeliter filetur, & misericorditer indicatur? Quanto ergo potius debet
„ manifestare, ne deterius putrescat in corde? Nec vos falsa & crudelis com-
„ miseratio vincat, ne hujusmodi flagitiosum virum incorrigibilem ejiciatis;
„ membra enim putrida, ne corpus totum putrescat, resecanda sunt. At cur
„ amplius scelera, in quæ turpiter infrenis gulæ vitium Religiosos paulatim
„ impellit, enarrare pergam? Audistis eo usque ejus temeritatem insolescere,
„ ut sanctam paupertatem, Franciscanæ militiæ tesseram caleslem, & ejus-
„ dem sacri Ordinis nobilissimum ornamentum, e suis finibus perturbet; cum,
„ ut in suis turpitudinibus dissolutius Fratres volutari possint, pecuniam &
„ omne damnabile lucrum, sordidarum iniquitatum præpotens instrumentum,
„ inexcogitabilibus fere modis & vilis aucupentur.

„ Nunc autem ea missa, de abstinentia, quæ gulonum ingluvioni ad-
„ versatur, pauca, sed optima & necessaria loquar; ut quam utilior vobis,
„ & vestro Instituto aptior sit, intelligentes, maxime, ut hucusque fecistis,
„ custodiatis. Non autem in præsentiarum proferam eam abstinentiam, quæ
„ necessitatis vel inopiæ filia ad vilia & pecaminosa vel minus religiosa im-
„ pellit: hæc enim secularis Religiosorum Claustra non ingreditur vel non
„ ingredi debet; & multo minus eam avaritiæ comitem, quæ cum inaniter
„ congreget sibi, belluoni mensam parat & prodigo repiet; sicut nec eam
„ inanis gloriæ aucupem, quæ execrabilem bursam hypocrisim dum alit, in
„ vitia tradit, & a veris virtutibus extrahit: sed eam, quæ pro fine strenue
„ adipiscendo, proposito sibi Deo bonorum omnium optimo, prudens & discre-
„ ta, non ab omni cibo, sed a quibusdam abstinent, justa & severa corpori

ne-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

» neceſſaria indulgens, quæque ſuperflua negat, at ſpiritus ad ſuperna ſe ſe
» erigere levius, & mens divino cibo lautius reficiari poſſit; cum ea religioſa
» abſtinentia ſit ac vere laudabilis, quando ob Dei amorem corpore caſtigato
» & in ſervitutem ſpiritus redacto, non tantum abſtinet ab illicitis, ſed
» etiam a licitis ſeſe cohibet, ut meditationi, orationi exercitioque virtutum
» jugiter & ſedulo vacet, ita ut anima a vitiorum ſordibus expurgata, & a
» contagio carnis immunis, Divinorum chariſmatum capax eſſe queat. Hanc
» ergo vobis, o cariſſimi Filii & Filiæ, maximopere commendo, voſque totis
» præcordiis exhortor, ne optimam veſtram conſuetudinem humilis abſtinen-
» tiæ a carnibus & vino, quam a triginta annis mecum habetis, numquam
» relaxare velitis; ſcientes quod initium vitæ hominis eſt panis & aqua. Sit
» vilis veſter cibus, olera & legumina interdumque piſciculos pro ſummis
» delitiis ducite: ita enim avaritiam noſtræ ſanctæ paupertatis inimicam,
» quemadmodum ſanctus Pater Franciſcus deſiderat, ſtrenue devincetis, cun-
» ctaque vitia facile conculcabitis: mementote non eſſe regnum Dei eſcam &
» potum, ſed juſtitiam, pacem & gaudium in Spiritu ſancto: credite mihi;
» arctius atque rigidius, quam vos modo, olim in juventute mea cum meis
» ſanctis ſociis, & aliis Patribus & Fratribus, ſub ferula & diſciplina ſan-
» cti Patris noſtri Petri de Villacreto magiſtri & inſtructoris nutritus &
» educatus fui: quamobrem conſuetæ abſtinentiæ nullo pacto vos tædeat; ſi
» tamquam advenæ, ut abſecrat ſanctus Petrus, abſtinere vos a carnalibus de-
1. Petri c. 2. » ſideriis, quæ militant adverſus animam, deſideratis: pronam ſiquidem in
» vitia carnem noſtram ſi lactaverimus, & veluti moroſæ pullulæ mammas
» præbuerimus, venenatam aſpidem in noſtro ſina foviſſe experiemur; per
» manus autem inimici moritur, qui nutrit illum. Exhortor itaque vos Filios
» & Filias in Chriſto cariſſimas, ne eorum ſubdola conſilia obaudiatis, qui
» perfricata fronte in veſtras abſtinentias, mortificationes & conſueta jeju-
» nia, longo triginta annorum ductu in hac cuſtodia conſtabilita, plurima
» verborum aſtu militant: ima ad eorum voces veluti incantatorum omnino
» ſardi, eo ſpiritu humilitatis, paupertatis & patientiæ, quo cœpiſtis &
» hucuſque perſeveraſtis, eamdem vivendi normam uſque in finem tenete;
Job. 14. » ſcientes breves dies hominis eſſe ſuper terram: Nam ego certo certius ſcio
» hanc futuram fore primam januam, per quam diabolus, homines & caro
» veſtra in vos conjurati, ad animas veſtras debellandas ingredi curabunt:
» peſſimo enim odio oderunt humilitatem diſciplinæ & rigiditatem, veſtræ
» Regulæ zelum, quibus vos aſſuetos relinquo: Inter omnes autem qui vos
» intentabunt, fratres ſuæ Regulæ contemptores, acerbiores erunt: hi ſiqui-
» dem fraudulenta colore confirmitatis, & periculoſo dolo debilitatis naturæ,
» ſive infirmæ complexionis vos audaciter & obſtinate impetere non deſinent:
» At vos nolite locum dare diabolo, propugnate paupertatem, defendite ab-
» ſtinentiam, protegite vos, ſuggeſtiones carnalium rejicite, concupiſcen-
» tiam domate, præ oculis ſemper habentes propoſitum veſtrum: Iterum ad-
» moneo ne viros quantumcumque ſpirituales arguentes veſtrum inſtitutum
» audiatis: memineritis quæſo eorum, quæ dixi vobis; experientia ſcilicet
» conſtare, & aliorum exempla docere, quod qui gulæ pepercerunt, & con-
» ſuetas abſtinentias non obſervarunt, refractarii retrocedentes a ſancto pro-
» poſito turpiter ceciderunt: tutum iter abſtinentiæ, quod illi aliquandiu te-
» nuerunt, tenui & ego, qui eorum caſus vidi, & loquor vobis: igitur ſi
» illi ob gulæ concupiſcentias, quas non cohibuerunt, veluti Sathan de cælo,
» in barathrum vitiarum ceciderunt; vobis profecto, ne ut ipſi ignominioſe
Libro 2. Solila. » cadatis, maxime cavendum eſt: mementote Dilectiſſimi, ciborum faturita-

tem,

» *tem, ut ait ſanctus Iſidorus, carnis luxuriam ſuſcitare, edacitatis vitio creſcere tentationem, ſaturitati ſemper libidinem adjunctam eſſe: at contra jejunio libidinem extingui, abſtinentia luxuriam ſuperari.*

» *Prædico vobis: a debilitate complexionis ſumpto argumento, fictæ compaſſionis lenocinio plurimum urgebunt adverſarii, ut in ſuam ſententiam vos trahant: hos vero tentationis laqueos effugietis, ſi ſuper vosmetipſos evigilabitis: cavete ergo ne vos potius carnis amor devineat, quam eorum intemperatorum hominum rationes frivolæ a ſancto propoſito dejiciant: parvo cultu natura contenta eſt, ſi cum fræno rationis moderari noveritis, ut hucuſque noſtis: videte ne dediſcatis igniominioſe, quæ tam ſtudioſe didiciſtis: venter quidem præcepta non audiens, importune poſcit & appellat; verumtamen moleſtus creditor non eſt, nam exiguo dimittitur: date illi quod debetis ad vitam, & non ad voluptatem; nec enim unquam vos docui corpori ſubtrahere neceſſaria vitæ; etenim novi ſancti Hieronymi dictum:* De rapina holocauſtum offert qui temporalium bonorum, vel ciborum nimia egeſtate, vel manducandi, vel ſomni penuria immoderate corpus affligit; *ſed hac tanti Doctoris & pœnitentiæ magiſtri ſententia, quæ immoderatam corporis afflictionem damnat, adverſarii veſtri captioſa argumentatione abutuntur, facientes veſtram cum modeſtia abſtinentiam carnificem inhumanam, ut ſenſim & ſubdole veram carnificem virtutum gulam vobis ſuadeant. At ego vobis dico: panem & aquam tantum natura deſiderat, ac utinam fontes etiam panes ferrent, ne pro neceſſario victu corporis, nimium aliquando cum detrimento ſpiritus devotionis & orationis laborare cogeremur: ita enim facillime & nullo fere diſpendio temporis belluales eos rumores ventris, æqua & non iniqua diſcretione ſedaremus: Nec pane & aqua debilitaretur natura, imo a pluribus infirmitatibus quas eiborum varietas & lautitiæ cauſare ſolet, libera roboraretur, nec facile diſflueret in luxuriam aliaque vitia, quæ omnino vitari debent: ad id vero tantum deeſt, ut longa ac tenaci conſuetudine naturam olim in ſeculo depravatam reſtituamus: ſemel enim aſſueta bonis moribus, pauco & eo paupere victu, quem dicebamus, contenta erit & ſatisfacta quieſcet, ſicut Maurus vel Scytha, qui ſuo errore & Diabolo conſultore contentus, ignaviter & oſcitanter in ſua turpitudine vivit.* De conſecr. d. 5. non mediatrit.

» *Iterum nihilominus inſtabunt Adverſarii veſtri, difficilem nimium & æquo ſeveriorem, imo & fere ſupra vires eam vivendi formam fieri Juvenibus, qui recenter Religionem amplexantur; ac etiam iis, qui provecti viribus deſtituuntur; eum longa conſuetudo lautius in ſeculo veſcendi in naturam converſa, non ſine graviſſima jactura valetudinis, & evidenti periculo vitæ, ut experientia docere videtur, immutari poſſit. O quam humani ſunt iſti naturæ defenſores? Et quid præter panem & aquam Religioſis pauperibus indulgere vellent? Cupio ſiquidem & ego humanus fieri; proindeque pani & aquæ addam olera, betas, braſſicas, legumina, dulceſque arborum fructus, vel etiam mella, ſi tamen in his Religioſam moderationem tenere voluerint, nec plus edere, quam ſana ratio dictet. Non audiſtis quam belle ſanctus Hieronymus in ſemetipſo quemdam Religioſum ſugillaverit?* Natus (*inquit*) in paupere domo, & in tugurio ruſticano, qui vix milio, & pane cibario rugientem ſatiare ventrem poteram; nunc ſimilam & mella faſtidio, & *quidem* anima ſaturata, *inquit ſapiens,* calcabit favum: *quamobrem & ſi terræ fructus indulſerimus, cavendum nihilominus erit ne in iis pauperum cibis ſumendis, abſtinentiæ vel ſobrietatis leges tranſgrediantur: Unde rogo vos & exhortor, ut memoriæ mandetis* Epiſt. ad Nepot. Proverb. 27.

„ detis, in cordibusque veſtris ſcribatis; Sobrietatem eſſe mentis & ſenſus,
„ membrorumque omnium tutelam: caſtitatis, pudicitiæ atque pudoris mu-
„ nimentum, eamque amicitiæ proximam paciſque Sororem, & honeſtati
„ conjunctam; criminum quoque & vitiorum profugam; vel (ut brevius
„ cum ſancto Gregorio dicam) memineritis Fratres ſobrietatem omnium vir-
„ tutum eſſe parentem; ſicut e converſo: Ebrietas eſt omnium vitiorum
„ origo.

„ Sed non ſunt olera vel leguminu, quæ vobis adverſarii perſuadere
„ velint, at Carnium & vini delicius, in quibus corporis & Animæ ſumma
„ pericula experiuntur, ut prædixi: verum vos procul abigite iſtos lureones
„ & Meſibilos, qui prætextu valetudinis tuendæ, vel Infirmæ naturæ ju-
„ vandæ, ſemina luxuriæ in vobis ſerere volunt, ut in dedecus Religionis
„ creſcant, & in ſanctæ paupertatis exterminium gliſcant: quamobrem vos
„ e contra tantorum malorum timore correpti, ſolerti providentia cauti, eli-
„ gite potius a carnibus & vino abſtinere, quam tali eſca vel potu fædari.
„ Nec ego vobis pedicas vel retia paro, ſed rationabilia & ſancta conſilia ſup-
„ pedito, ut firmi, ſtabiles & inconcuſſi in vocatione veſtra uſque in finem per-
„ ſeveretis. Audite me: ut carnibus veſci, & vino quotidie indulgere poſſitis,
„ nonne ſolicitiores & importuniores in hujuſmodi rerum mendicatione,
„ quam modo neceſſario eritis? Et cum carnes & vina, non quidem paupe-
„ rum Religioſorum, quos eſſe profitemini, ſed menſæ divitum & Magna-
„ tum excipiant, qua fronte niſi perfricata, quove colore niſi forte mentito,
„ & qua ſpe niſi improbitatis & importunitatis ea mendicare audebitis? O
„ quot animi anſietates, o quot corporis labores & rubores ferre debebitis, ſi
„ aliquando gulæ ſervientes, animæ peſſima pericula in carnibus comedere, &
„ in vino potare velletis! & non'ne forte hac ſola de cauſa peecunlis ſumme in-
„ terdictis, facilis ad vos daretur ingreſſus, & eiſdem per vos in gratiam gulæ
„ non pateret egreſſus? Etenim ſi mendicatis quotidie carnibus ali, & vino
„ expleri minime poſſetis, prætio vel numerata peecunia, ſi non per vos, ſaltem
„ per alios, vobis in eo genere vitæ vivendum eſſet. Tunc autem ubi veſtræ
„ altiſſimæ paupertatis decor eſſet? vel quo faciliime abiret? Nonne ergo hæ
„ ſollicitudines, ſuperfluæ curæ, & Animæ pericula prævisa, quando alia ratio
„ non ſuppeteret, ſufficienter monent, ad conſtabiliendum vos in conſueta ve-
„ ſtra abſtinentia ab eſu carnium & a potatione vini? At præterea: ita forte
„ viventes, ut illi ſuadere conantur, ſaniores & robuſtiores eſſetis? Non
„ quidem; Hæc enim ſunt privilegia jejunantium & abſtinentium; quorum
„ conſuetæ vigiliæ & labores Animam a vitiis, & corpus ab infirmitatibus
„ cuſtodire ſolent: Edaces enim carnium & bibaces vini non vigilant ſed dor-
„ miunt, non laborant ſed otiantur: quapropter & corporis infirmitates &
„ animi morbos patiuntur: & quidem cur ille podagra torquetur in lecto,
„ vel tur hic hydropetumet? Cauſas in carne & vino reperietis: & cur vos illis
„ ſaniores & vegetiores a talibus infirmitatibus eſtis immunes? quia abſti-
„ nentia veſtra earum cauſas non admiſit: prætereo diſpendia virtutum; di-
„ cam nihilominus tantis ac tot ſollicitudinibus hominis ventres impleri, ut
„ in iis virtutis locus certo excogitari non poſſit.

„ Objicient autem vobis, ut ſe protegant, ſuoſque mores carnis & meri
„ coboneſtent, veſtros vero deturpent, eam hieipitem quæſtionem, quam An-
„ gelus ad januam Conventus fratri Eliæ movit, videlicet, utrum Evan-
„ gelii obſervatoribus liceat de omnibus, quæ apponuntur eis, ut Chriſtus
„ tradidit, manducare? Item an liceat contraria Evangelicæ indulgentiæ
„ præcipere? At vos non turbemini, neque eorum parologiſmos paveamini,

Vide Wadd. ad ann. 1230.

qui-

„ *quinimo parvipendite ; ſunt enim carnalium & vinoſorum hominum ruptus , qui vivifico ſpiritu ſapientiæ carentes , putaminibus & non nucleis delectantur : & ut recte intelligatis , animadvertite Chriſtum , qui eſt ipſa ſapientia , ſuis , quos ad Evangelizandum mittebat , dixiſſe ne aurum vel argentum poſſiderent , pecuniamve in zonis deportarent ; ſed unica tunica contenti , ſine pera , ſineque calceamentis ad commiſſum ſibi opus proficiſcerentur : quia vero tantæ paupertati adſtricti , præter opus nihil habebant unde viverent , idem piiſſimus Dominus eis induſit , ut apud quoſcumque contingeret eos diverſari , ederent & biberent , quæ apud illos eſſent ; eum dignus ſit operarius mercede ſua . Hæc ſunt , quæ ex Evangelio excepta in noſtra Religione non tam ad ornamentum , quam fundamentum vel maxime euſtodiri debent . Jam vero ſub præcepto omnimode ſervando , a quacumque pecunia ſeu denariis , veluti a peſtilentiſſimo viru religioſæ perfectionis , cavere & abſtinere debemus ; circa vero eſum , eodem indulto cum Apoſtolis ex Regula donati ſumus . Induſit ergo Chriſtus ſuis ſectatoribus , quos rerum hujus mundi ſumme paupertati voluit , ut de iis , quæ ſibi apponerentur , veluti de labore ſuo manducarent , ſed non præcepit ; nec enim eſſet indulgentia , at potius videretur pœna , quandoquidem libertatem abſtinentiæ tolleret. Hic obiter cogitent ipſi , cogitemus & nos , quis eo* Matth. 10. Marc. 6. Luc. 9.
„ *privilegio in gratiam Apoſtolicorum laborum conceſſo , merito uti poſſit ? & conſcientia noſtra per gratiam Dei docebit nos , mentemque noſtram illuminabit ; poterant ergo abſtinere ? poſſumus igitur & nos , ſi Apoſtolicam vitam profitemur : & maxime ob majus bonum ſpirituale , & animæ noſtræ , ne a ſuo propoſito deflectat , cautelam : & quidem conſuetudo abſtinentiæ a carnibus & vino in hac noſtra Cuſtodia non eſt introducta ob ſolam mortificationem corporis , ſed etiam , ut qui pauperum vitam ob Dei amorem elegimus , Apoſtolicos labores ſtrenue proſequendo , ab auri vel argenti ſeu cujuſvis pecuniæ , ſicut & aliarum rerum poſſeſſione nos cuſtodiremus alienos , quemadmodum ex Regulæ noſtræ præcepto eſſe tenemur .*

„ *Objicientibus ergo eas Angeli quæſtiones , jam noſtis quid reſpondere debeatis : at forte ii blaterones haud facile filebunt : nam cum veluti biatæ , Sanctorum alvearia depaſcere aveant ; impudentes Eliani ſtatuti de non edendis in Ordine carnibus , Divi P. noſtri Franciſci reſciſſionem ſeu annullationem in medium præferent ; nihil tamen acturi magis , quam proprium ventrem pandere diutareque gulam : ſed ego licet noverim vos optime callere quid reſpondeatis ; attamen ad veſtrum ſolatium , & eorum utinam inſtructionem magis , quam confuſionem , ſancti P. Franciſci & fratris Eliæ ſui Vicarii acta ad hoc propoſitum referre pergam .*

„ *Abſente ſancto Patre Franciſco , frater Elias ejus Vicarius plura in Ordinem introduxerat atque ſtatuerat , inter quæ etiam eam legem de non eſu carnium numeratam voluit ; eum tamen ipſe audacter in ſanctam paupertatem , & maxime in cultiori & molliori veſtitu peccaret , de quo graviter in faciem reprehendit. Sanctus Pater ad ſanctam Mariam rediit , ut noſtis , & omnia quæ noviter introduxerat , præter illam conſtitutionem de non edendis carnibus , quam aliquandiu toleravit , ne videretur ingluviei favere , abſolute revocavit . Accidit autem non pluribus poſt diebus , quod in vicino loco orante Viro Dei , ad januam domus fratri Maſſæo Oſtiario juvenis accinctus renibus , veſtibus compoſitis tamquam ad iter , dixerit , ſe velle quidem alloqui fratrem Franciſcum , ſed quia noſſet eum orare in ſylva , eſſeque magnis contemplationibus immerſum , ſibi avocaret*

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

» *fratrem Eliam, quem magnæ prudentiæ & ſapientiæ Virum audierat,*
» *ut a quodam expidiretur dubio: vocatus Elias, indignabundus janitorem*
» *rejecit: hæſit Maſſæus cogitans quid ageret, quidve expectanti referret;*
» *at accedentem & reſponſurum juvenis prævenit, dicens:* Frater Elias non
» vult accedere, vade, quæſo, ad fratrem Franciſcum, & roga eum ut
» hominem ad me mittat; nec enim vellem ipſum ab oratione retrahere:
» *acceſſit Maſſæus, & invenit Sanctum facie in Cælum erecta orare; cui rei*
» *ſerlem cum narraſſet, illeque immotus audiſſet, hoc reſponſum accepit:*
» regredere ad fratrem Eliam, & jube ut alloquatur adoleſcentem: *Intima-*
» *to præcepto acceſſit Elias iratus, aperienſque oſtium in indignatione &*
» *ſtrepitu*: Quid tu vis: *inquit? cui adoleſcens ſedato vultu dixit*: cave ca-
» riſſime ne ita turberis cholera, ut non poſſis mihi reſpondere: *cui Elias*:
» dic quantocyus quid velis: *at Ille*, quæro, *inquit*, an Evangelii Obſer-
» vatoribus liceat de omnibus, quæ apponuntur manducare? *Deinde*, an ali-
» cui liceat contraria indulgentiæ Evangelicæ præcipere? *Noluit amplius*
» *protrahere ſermonem Elias, ſed in faciem claudens oſtium dixit*: quantum-
» vis ſciam, non eſt cur tibi reſpondeam, vade viam tuam. *Cui recedenti*
» *adoleſcens*: quid tu reſpondeas ignoro; quid reſpondendum ſit, ipſe probe
» novi. *Tunc Elias in cella, ſedata jam paſſione recogitavit quid egerit, &*
» *quid ad interrogationem reſpondendum fuiſſet; at emergentibus hinc inde*
» *dubiis, quid reſolvendum eſſet, penitus neſciebat, humiliatuſque animo*
» *ad juvenem reverſus, non invenit: Interea nihil horum Franciſcum latuit,*
» *cui Deus omnia in ſylva reveluverat; quamobrem acriter reprehendens*
» *Eliam adjecit*: Male facis frater Elia: ſuperbe repellis Angelos Dei, qui
» veniunt ut nos viſitent & inſtruant: vehementer timeo ne tua ſuperbia te
» indignum hac humili ſocietate reddat, & extra eam tamdem moriaris, &
» *his dictis illud ſtatutum de non edendis carnibus annullavit. Hac hiſtoria,*
» *quam ſibi maximopere favere credunt, in defenſionem ſuæ gulæ adducunt,*
» *& in laqueum animarum veſtrarum parant, non recogitantes, ſanctum*
» *Patrem Spiritu Divino actum, abolitione Eliani decreti indiſcreti nimium,*
» *Regulam, quam dictante Chriſto conſcripſerat, ad Evangelii fontem reſti-*
» *tuiſſe: & conſequenter illud indultum Apoſtolico labori conceſſum, remanſiſſe*
» *indultum, & in præceptum nullo pacto tranſiſſe; quamobrem non ob-*
» *ſtat quin vos ſpiritu humilitatis & zelo veſtræ Profeſſionis acti, quas hu-*
» *cuſque conſuevi ſtis abſtinentias, continuare poſſitis, ut ſupra admonebam;*
» *& hanc Angelicæ quæſtionis veram ſolutionem ſanctus Pater opere magis*
» *quam verbo eſſe oſtendit, & jugi exemplo firmavit: etenim in poſterum a*
» *carnibus & vino ſevere abſtinuit, qui aliis etiam cibis parciſſime utebatur; & ſi aliquando carnes infirmitate coactus admiſit, ut potuit, nudus*
» *& chorda pendente de collo, capiteque cinere conſperſo, coram Civitate pro-*
» *priam culpam faſſus eſt. Id ſecum recogitent adverſarii veſtri, qui profecto ſancti Bonaventuræ triplicem Conſtitutionem, quibus excepto infirmi-*
» *tatis caſu, edere carnes vetat, non allegabunt, minuſque proferent Sa-*
» *cram Scripturam, vel aliquod Eccleſiæ Decretum, ſicus nec ſanctum Pau-*
» *lum, nec D. Auguſtinum, nec ſanctum Benedictum, nec Carthuſianos,*
» *qui ob nullam neceſſitatem ab abſtinentia carnis recedunt; itaque adverſa-*
» *riorum verba minime curare debetis, ſed Sanctorum exempla imitari &*
» *doctrinam audire, præſertim vero ſancti Bernardi: illi enim veri humiles*
» *corde, per arcta jejunia & ſeveras abſtinentias vitia devicerunt, & de*
» *virtute in virtutem procedentes, ad apicem ſanctitatis pervenerunt, quam*
» *edaces & bibaces non iuveniunt.*

In-

Anno Christi 1458.	Calixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

„ *Interea vero me nimium ſeverum conſiderare nolite, & hoc meum te-*
„ *ſtamentum nimis indiſcretum: qui enim ſupra diſcretionem in omnibus*
„ *commendavi, in præſentiarum minime rejicio, imo iterum commendo.*
„ *Scio complexionum differentias, novi Sanctos in ſuis neceſſitatibus carnem*
„ *& vinum ediſſe; at ad neceſſitatem & non ad luxum; non quia carnes*
„ *ederunt & vinum biberunt, virtutes adepti conſcenderunt in cælum, at*
„ *quia abſtinentes carnem edomuerunt, & ad virtutes ſpiritus ſublimarunt,*
„ *æternam ſalutem conſequi potuerunt; proinde diſcretionem commendo,*
„ *ſed prudentem, quæ conſuetam veſtram abſtinentiam minime relaxet;*
„ *quamobrem hac diſcretione ſupportate me, qui vobiſcum ab initio hunc te-*
„ *norem vitæ ſuſtinens, infirmitatibus gravor, & jam me amplius ferre non*
„ *poſſum.*

„ *Semper nihilominus vobis cavendum erit, ne quemquam in veſtram*
„ *ſocietatem recipiatis, qui hanc ſanctam abſtinentiæ virtutem proſequi non*
„ *poſſit, & multo minus ſinolit: etenim inde paulatim relaxationi pateret*
„ *aditus: Objicientibus autem vobis Diabolum, qui ſemper jejunat, & ni-*
„ *hil ſibi ad ſalutem proficit: retundite ora & cavete vobis: retundite, in-*
„ *quam, reſponſione vera, ſcilicet Diabolo jejunium non prodeſſe, quia non*
„ *bene dicitur eum jejunare, qui cibo non eget, ut Diabolus, qui corpus non*
„ *habet & ventre caret; etenim ſi jejunare poſſet, poſſet & jejunum ſibi pro-*
„ *deſſe: Vos vero, qui cibo & potu egentes vitio gulæ ſuccumbere poteſtis,*
„ *per abſtinentiam & jejunum, quæ præfato vitio adverſantur, bene pro-*
„ *mereri vitam æternam valetis. Secundo, vobis cavendum eſſe dixi, ne eo*
„ *genere ſermonis, in jejuniis veſtris veſtras quoque culpas merito ſugillent;*
„ *etenim qui cibis abſtinent & mala agunt, Dæmones imitantur, quibus*
„ *culpa adeſt, & cibus deeſt. Unde ſanctus Iſidorus:* Militare debemus in
„ vitia, & non jejunantes vitia contrahere, & contracta palpare, ut ii,
„ qui de ſua perfectione, ſeu virtute præſumentes exteriori, interius cul-
„ pas fovent, & in deteriora peccata ruunt. *Iſidor. ſup. Amos propbet.*

„ *Iterum vobis notum facio certioreſque reddo, o filii & filiæ, Virum*
„ *ſanctum, meumque ſocium fratrem Petrum de Coſtanilla, tot ac tam exe-*
„ *crabiles caſus terribileſque ſucceſſus, quos antea neſciebam, mihi in iſta*
„ *cella revelaſſe, & crucior me ad veſtram inſtructionem in hoc meo paupere*
„ *teſtamento eos enarrare minime poſſe, cum prudentia & caritas eos flere*
„ *ſuadeat, ne qui adhuc vivunt nonnulli, maxime erubeſcant & confundan-*
„ *tur: dico tamen, quod cum adhuc viveret, in iſta cella, dum colloquere-*
„ *mur de rebus pluribus, & practicis ſpiritualibus animabus, & Religioni*
„ *neceſſariis, mihi affirmaverit, ab hoc ſancto noſtro Inſtituto nullo pacto di-*
„ *ſcedendum eſſe: ſed imo hac vivendi forma, firmiſſimo fundamento humili-*
„ *tatis hærentes, per jejunia & abſtinentiam a carnibus & vino, ut ipſe &*
„ *ego enutriti & educati fuimus, in virtutibus proficiendum eſſe; quamob-*
„ *rem quantum poſſum & valeo id ipſum vobis commendo, obteſtans vos, ut*
„ *ex corde credatis Deo, beato Franciſco, nec non ipſi ſancto Patri inſtructo-*
„ *ri & Magiſtro noſtro, ſumme gratam eſſe hanc abſtinentiam, ac vobis ita*
„ *proficuam, ut ipſa cordis humilitas & obedientia perfecta, quæ ſemper*
„ *præcedere debent, ne ad jactantiam ſeu vanam gloriam, vel auram popu-*
„ *larem aut exiſtimationem & famam apud Dominos ſeculares habendam*
„ *ſint jejunia & abſtinentiæ veſtræ:* Cum jejunatis, *ait Chriſtus,* nolite
„ fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, ut videantur
„ ab hominibus jejunantes: Amen dico vobis, recepesunt mercedem
„ ſuam; *ac proinde Cyrillus dicit:* Decet eos, qui jejunant, ex pia mente
id *Matth. 6.* *Apud Antonin. ferm. 66.*

„ id facere, & non tamquam hiſtriones in fabula, tetricam & deformem
„ veluti perſonam ſibi induentes, ipſo habitu exclamare, quod inediæ
„ labores ferant.

„ *Quod ſi nihilominus ex pia intentione & vera humilitate cordis, cum*
„ *ſanctæ obedientiæ merito vobis ita jejunantibus & abſtinentibus terræ Ma-*
„ *gnates honores detulerint, vos eadem humilitate manete in vobis, & Deum*
„ *pro ipſis rogate. Mementote eos fugere, & maxime Dominos illuſtres ſive*
„ *illuſtriſſimas & alias quaſcumque fœminas quantum poteſtis, ut prædixi*
„ *vobis: ſi conſilia expetierint, ſalutaria date: numquam ad eas eatis, nec*
„ *ullam penitus cum eis familiaritatem quantumvis ſpiritualem, habeatis:*
„ *hoc item dico vobis in Chriſto filiabus meis, obſervate cum viris; nam cre-*
„ *dite filii & filiæ, in hujuſmodi familiaritatibus, licet magni interſint muri,*
„ *deceptiones effugere non poteſtis, quamquam cum vobis ſimilibus ſitis, ut*
„ *præfatus ſanctus meus Socius expreſſe mihi narravit; quamobrem meo ju-*
„ *dicio id vobis ſufficiet, ſcilicet vivere in veſtra humilitate & conſueta ab-*
„ *ſtinentia (excepta tamen ſemper neceſſitate) nec vos ab ea relaxare; imo*
„ *occaſiones gulæ amovere & aliorum vitiorum, quæ fugienda ſunt & non*
„ *venanda, ut avaritia & luxuria, & bene cuſtodire veſtra Clauſtra. Inſu-*
„ *per autem mando vobis, ne arctiores conſuetis abſtinentias in communi*
„ *inducatis, & neque conſuetas relaxetis: indiſcretione enim, ſicut relaxa-*
„ *tione Diabolus aſtutiſſimus vos decipere poteſt; & quidem relaxatione, ut*
„ *vos in barathrum gulæ detrudat; indiſcretione vero, & ſub ſpecie mortifi-*
„ *cationis vos adeo frangat, quod vel inhabiles reddat, vel in deſperationem*
„ *trahat. Mementote diſcretionem omnium virtutum optimam eſſe paren-*
„ *tem. Nec tamen ob id intelligendum eſt quempiam in particulari non*
„ *poſſe ſingulares abſtinentias facere, quando ratio eas expoſtulaverit, de*
„ *licentia tamen Prælati & Directoris ſpiritualis, & non de propria volun-*
„ *tate & conſilio; tunc enim magna ſuperbia eſſet & ſine fructu labor.*

De ſexto altiſſimo gradu paupertatis ſpiritualis, quæ eſt circa ea, quæ intra nos ſunt, ideſt in anima noſtra, videlicet circa potentias animæ, intellectus, memoriæ, & voluntatis &c.

„ 14. *Iſte gradus altiſſimæ paupertatis ſpiritualis, circa tres animæ po-*
„ *tentias intellectum, memoriam, & voluntatem, ac etiam circa iraſcibilem,*
„ *concupiſcibilem & rationalem verſatur: has circa potentias, omnium quæ*
„ *nobis contulerit Altiſſimus, ditiores & prætioſiores gemmas, præſtat ſtu-*
„ *dium noſtrum verſari, ut ſupra quinque præfatos alios, paupertatem no-*
„ *ſtram exaltemus; id enim Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſummopere cupit,*
„ *ut ſcilicet ob ſui amorem, voluntatem, intellectum, memoriam, cetera ſque*
„ *qualitates ſeu vires noſtras depauperemus, earum divitiis ex totis præ-*
„ *cordiis renunciando; & quidem id in ſuo Evangelio conſuluit iis verbis*
Matth. 16. „ *penes Matthæum*: Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam;
„ qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam: *ac etiam*
Joan. 15. „ *penes Joannem*: Majorem caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam
„ ponat quis pro amicis ſuis: *& apud Lucam, ac etiam Matthæum*: Si quis
„ venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & Matrem, & Uxorem, & Filios,
„ & Fratres, & Sorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus
Matth. 16. „ eſſe diſcipulus; *ac etiam penes Matthæum*: Si quis vult poſt me venire,
„ abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: *ac tandem*
Luc. 14. „ *apud Lucam*: Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ
„ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Qua-

» *Quamobrem, Fratres cariſſimi & Sorores dilectiſſimæ, obtecſior vos* » *& exhortor in Domino, ut audiatis, optime intelligatis, diligenterque* » *memoriæ mandetis ea, quæ circa hæc loca ſancti Evangelii Seraphicus Pa-* » *ter Noſter Franciſcus uos docet, inquiens:* Ille pro Jeſu Chriſto animam » ſuam perdit, qui perdit eam in hoc mundo, ad eam ſalvandam & inve- » niendam in alio mundo. *Etiam vere ille ſemetipſum negat, & eſt vere* » *frumenti granum mortuum, quod multum fructum affert, & perfecte renun-* » *ciat omnibus, quæ poſſidet in hoc mundo, qui ſe totum, quantum ad corpus* » *& animam potuit in manibus ſui Prælati ſpiritualis, relinquendo & renun-* » *ciando ſuo dominio, & libero arbitrio ipſius totum ſuum intellectum, totum* » *ſuum velle, totam ſuam memoriam, totum ſuum ratiocinari, & concupi-* » *ſcentiam & iram & omnem propriam doctrinam, ita ut tribus his poten-* » *tiis principalibus animæ ſuæ, & aliis tribus viribus ejuſdem, quæ omnes* » *ſunt altiores divitiæ, omnibus quibuſcumque aliis, quas homo poſſideat in* » *hoc mundo, renuuciet, eiſdemque ſe ſe expoliet Servus vel Famula Dei, unde* » *perfecte depauperatus vel depauperata, judicio & arbitrio ſui Prælati ſpi-* » *ritualis, & non arbitrio Prælati carnalis ſeſe totos committant. Dico au-* » *tem, quod ſe ſe omnimode ſpiritualiter expolient, & ita expoliatos ſe com-* » *mittant Prælato ſpirituali & non carnali, quia Prælatus ille fervere debet* » *amore Dei: ut autem talis ſit, ſupra ſuos ſubditos in prærogativis & vir-* » *tutibus eum florere oportet, & vel ſaltem, ſi non in omnibus, in majori eos* » *parte ſuperare, quemadmodum in lectione diei Veneris docui vos; & ideo* » *ut verus ejus ſubditus ex toto corde nil aliud intelligere vel diſcernere* » *poſſe velit, præter ea, quæ ſuus Prælatus ſpiritualis intelligit & diſcernit;* » *nec memorari aut velle, præter ea, quæ ſuus Prælatus vere ſpiritualis &* » *Dei amator ſibi memorat & vult; nec iraſci, nec concupiſcere, nec ratio-* » *cinari, vel rationem rerum agendarum vel omittendarum quærere; ſed* » *tantum illud exiſtimare bonum, quod ſuo Prælato bonum eſſe videtur, ac* » *tantum id velle, quod ſuus Prælatus ſe velle vult.*

» *Hunc talem virum ita mortificatum, cadaveri hominis defuncti ſanctus* » *Franciſcus comparavit; quod quidem ſi loco movetur, non queritur; ſi* » *claudunt in cella ſolumve reliquunt, non murmurat; ſi ſedere faciunt in* » *cathedra, veluti ſeſe humilians, caput demittit & infima reſpicit; ſi pre-* » *tioſis induunt, magis palleſcit; ſi verberant, non dolet; ſi exprobatur, non* » *reſpondet nec reclamat; ac denique ſi aggere terræ onerent, quieſcit. Cum* » *igitur ita res ſe habeat, jam vos perſpicietis hanc divitiarum animæ depau-* » *perationem, alias ſuperius recenſitas quam longe ſuperet, Deoque plus* » *illis acceptam eſſe cognoſcetis; quod in hac vita labili nil nobis ditius inſit* » *aut pretioſius, quod Domino noſtro pauperi Jeſu Chriſto offerre valeamus:* » *hæc eſt ea perfecta impaſſibilitas, quam Sancti docent, & ſine qua nemo* » *verus Frater Minor vocari meretur. Eſt enim perfectionis apex, & Evan-* » *gelicæ paupertatis ſumma, ad quam conſcendere tenemur, ſi ſancti Evan-* » *gelii veri & perfecti pauperes eſſe volumus, ideſt veram paupertatem* » *ſpiritus habere, cui Regni Cœlorum poſſeſſio euceditur; quod in ſe perfe-* » *ctam humilitatem & manſuetudinem continet, quam a Jeſu Chriſto Mo-* » *nitore & Magiſtro nos diſcere præſtat: in iſta omnis innocentia clauditur* » *atque ſimplicitas, quam nos parvuli exemplo in Evangelio docet illis verbis:* » nisi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cœlorum: *quo* » *quidem loquendi modo inſtruimur, eam ſimplicitatem & innocentiam ſine* » *vera humilitate non eſſe, ſine qua nullus in Cœlum admittitur: in hac ite-* » *rum ſumma paupertate perfecta patientia reperitur, per quam in Evange-*

In opuſc. B. P. N. tom. colloq. 40.

D. Bonav. in leg. c. 6. poſt prim.

Matth. 18.

lio

„ *lio filii Dei nominati, animas noſtras poſſidere valemus. Hæc pariter*
„ *ſancta & ſumma paupertas famem & ſitim juſtitiæ nutrit, lacrymiſque*
„ *abundat, ex quibus deſiderata ſaturitas & conſolatio noſtra dependet: eſt*
„ *quoque in hac altiſſima paupertate amabilis illa manſuetudo, cui terræ*
„ *Cæleſtis poſſeſſio eſt promiſſa, & cum omnibus his munditiam cordis conſer-*
„ *vat, qua tandem perpurgatis animi oculis, intuitu beato Deum videre*
„ *poterimus.*

„ *Sed amplius dicam: hac ſancta paupertate, ob amorem juſtitiæ fortiter*
„ *& libenter perſecutiones patiemur & ſuſtinebimus, quando eamdem*
„ *ſanctam paupertatem violare, vel in minimo lædere detrectabimus, & ut*
„ *conſervemus & cuſtodiamus quinque præfatos gradus paupertatis, qui*
„ *hujus ſexti ſunt fundamentum, perſecutiones, injurias, vituperia, con-*
„ *tumelias, infamationes, murmurationes, detractiones, ſuſurrationes, con-*
„ *fuſiones, exilia, excommunicationes, pavores, minas, verbera, tormenta*
„ *& mortem, pro quibus omnibus nobis promittitur Regnum Cælorum, hi-*
„ *lari corde ſuperabimus: quia ſi potius pati, & per has tribulationes tran-*
„ *ſire volumus, quam hos præfatos ſex gradus paupertatis tranſgredi, quid*
„ *aliud virtutibus addere poterimus, præter ipſum Deum, qui prope eſt, ut*
„ *nos corona martyrii donet? Concordant autem & in hanc ſententiam con-*
„ *veniunt omnes ſine ſanguine martyrium eſſe poſſe, ſi patientiam veraciter*
„ *in animo cuſtodiamus: quamvis enim occaſio ſuperfluitioni Gentilium deſit,*
„ *quia defecerunt & ipſi; habet nihilominus Pax noſtra martyrium ſuum*
„ *etiam ſine ſanguine, quando propter juſtitiam perſecutiones animo forti*
„ *devincit: licet enim colla ferro non ſubdat, per eam non eſt, quod ferro*
„ *libere non ſuccumbat: deſiderat ſiquidem potius mori purpurata cruore,*
„ *quam quidquam inique contra juſtitiam admittere; cum etiam ſi perſecu-*
„ *tiones deſint extrinſecæ, intrinſecus tamen in noſmetipſis gladio juſtitiæ*
„ *ſævimus, vi carnalia quæque deſideria trucidamus. Et quidem (ut ait*
In ſerm. 1. in Feſtiv. omnium Sanctor. „ *D. Bernardus)* quod martyrium gravius eſt quam inter epulas eſurire,
„ inter veſtes pretioſas brumali tempore algere, quam paupertate inter
„ divitias premi, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſide-
„ rat noſter appetitus? *Propterea pauperibus, & pariter Martyribus Re-*
„ *gnum Cælorum promittitur, quia paupertate quadam emitur; ſed in paſ-*
„ *ſione pro Chriſto abſque dilatione percipitur. Itaque Martyr ſanguine brevi*
„ *temporis ſpatio, dum tollum carnificis ferro ſubmittit, laurea donatur in*
„ *Cælis, & huic ſupremæ paupertati ſpiritus addictus, prolixo toto tempore*
„ *vitæ ſuæ, cumulatæ perfectionis, perfectæ obedientiæ, exquiſitæ mortifi-*
„ *cationis, & abnegationis ſui ipſius tormenta quotidie ſinguliſque horis*
„ *ſuſtinet.*

„ *Ut autem aſcendatur ad hanc ſupremam paupertatem, quæ animæ*
„ *noſtræ naturales divitias aſpernatur, acuratius Sancti, & inter eos ſan-*
„ *ctus Franciſcus ſeveriora mandata præſcripſere, quibus præfatos quinque*
„ *paupertatis gradus primo aſcendere ſtudentes, facilius hunc ſextum ſupe-*
„ *rare poſſemus, quo habito primi conſpicui redduntur, & quo non habito*
„ *illi coram Deo nihil fere exiſtimationis conſequuntur: etenim deſiderantI*
„ *perfectionis ſummum quod eſt ſui ipſius abnegatio, niſi primo & præcipue*
„ *quintum paupertatis gradum, præter alios præcedentes, feliciter ſuperaſſe*
„ *contingat, inutilis labor occurret. Nam ſi per intemperantiam gulæ*
„ *quiſquam virtutum ſummam vel attingere poſſet, Paradiſus Domini, non*
„ *eorum qui abnegant ſemetipſos & Chriſtum ſequuntur; non eorum, qui*

omni-

Anno Christi 1458.	Caixti III. anno 4.	Friderici III. Imp. anno 19.	Religionis Minorum anno 251.

„ *omnibus renunciant, quæ poſſident; ſed eorum, qui plus animam ſuam di-*
„ *ligunt, quam Chriſtum, Regnum Cælorum eſſet, atque hellnonum, quo-*
„ *rum Deus venter eſt: nec enim nllo pacto abnegationem propriæ voluntatis*
„ *quiſquam gulæ obtemperans adipiſci poterit, cum illius præcepta ex dia-*
„ *metro legi ſpiritus opponantur: qui gulæ deditus eſt, eoque plus æquo ſtu-*
„ *det, ſollicitius cibo & potui lncumbens, quam adhærere Chriſto, perfecte*
„ *certo mortificatus eſſe nequit, nec perfecte obediens, nec innocens, nec im-*
„ *pollutus, nec patiens, cum tamen clamet Chriſtus:* Qui vult venire poſt
„ me, *viam ſupremæ virtutis calcantem,* abneget ſemetipſum, *carnis ideſt*
„ *illecebras mentiſque poſt eas divagationes; quas ut devincat, crucem ſeveræ*
„ *pœnitentiæ tollat, & ſequatur me incedentem per viam humilitatis, pa-*
„ *tientiæ, manſuetudinis, plenæ juſtitiæ, corporiſque labores ad mortem,*
„ *& mortem etiam erucis, ideſt dedecoris & infamiæ. Juxta enim id Evan-*
„ *gelii, non eſt ſui ipſius abnegatio ſine corporis mortificatione; nec eſt plena*
„ *obedientiæ virtus, ſine potentiarum animi juſta infrænatione, quod eſſe*
„ *nequit ſine ſevera pœnitentia atque carnis omnimoda mortificatione: at-*
„ *tendite diligenter: qui totum hominem corpore & ſpiritu conſtantem ſal-*
„ *vare venit, corpori & ſpiritui non ſeparatas ſed unitas & ſimul leges*
„ *omnino ſervandas conſtituit; ac proinde perſpicuum eſt, ad ſupremam per-*
„ *fectionem quemquam aſcendere minime poſſe, niſi per ſcalam panpertatis,*
„ *quam præpoſuimus, quod noſtrum præcipue eſſe dignoſcitur, qui præ ceteris*
„ *ſanctum Evangelium obſervare in votis habemus; cum alioquin legis*
„ *obſervantia, juncta fide, aliis ad ſalutem ſufficere poſſit ac etiam nobis:*
„ *ſed hic non eſt ille gradus perfectionis, qui obſervatione conſiliorum Evan-*
„ *gelicorum, adjuvante gratia Dei attingi poteſt: loquor igitur vobis, qui*
„ *ſummam perfectionem ex Regulæ voto affectatis: quamobrem cum ita res*
„ *ſit, primo li quinque gradus, quos præpoſui, aſcendendi erunt, ſi primo*
„ *corpus ad plenam ſervitutem ſpiritui reducendum eſt, anteqnam ſupremæ*
„ *paupertatis ſpiritus gradum, Dei ſpeciali adjutorio conſcendamus. Qua-*
„ *draginta & octo ab hinc annis plures & multos ita aſcendendo ad ſupre-*
„ *mam perfectionem perveniſſe vidi; at quia non exacte normam obſervan-*
„ *tet, vel minuta ſcrupula parvipendentes, miſere periclitantes a ſummo*
„ *faſtigii ceciderunt, vel perfectionis opus non conſummarunt. Quamobrem,*
„ *filii & filiæ, quinque primos gradus paupertatis, qui corporis ſub animæ*
„ *ductu, & gratia Dei ſcandendi ſunt, diligenter, & maxime quintum de*
„ *abſtinentia, jugiter aſcendendo cuſtodite, ut ſextum tandem feliciter con-*
„ *ſcendere valeatis; circa tamen quem ultimum tantam vos diligentiam ha-*
„ *bere debetis, quantam in aliis omnibus aſcendendis eſſe habere neceſſe.*
„ *Dictis credite (queſo) maximas & graviſſimas deceptiones ſi evitare ve-*
„ *litis.*

De Clauſura ſervanda & ejus neceſſitate.

„ 15. *Noſter Seraphicus Pater cum Regulam conſcripſiſſet Apoſtolice*
„ *vivendi, Ordinemque inſtituiſſet, in quo Fratres eidem vivendi formæ fir-*
„ *miter hærentes, ad apicem perfectionis Evangelicæ, juvante Deo, per gra-*
„ *dus paupertatis devenire poſſent, temporis diuturnitate & experientia di-*
„ *dicit occaſiones malas, per quas contra præfatam panpertatem ſpiritus*
„ *facile peccaretur; ac ſubinde ſui inſtituti rigor ſenſim remiſſus, faciem*
„ *mutaret, ac ita Religioſi a propoſito excideront: quamobrem licet ſuo*
„ *exemplo & doctrina numquam a reparatione ceſſaret; nihilominus circa*

finem

„ *finem vitæ ſuæ diſcrete atque maturius agendo, plura practica reformans,*
„ *nova repagula ſive obices ponebat, qui facile diſrumpi non poſſent. Conſi-*
„ *derabat autem Minoriticam Religionem ovile Domini eſſe; ac proinde oc-*
„ *cludi vel ſepiri deberc, ſi a lupis tutum gregem prudenter deſideraret, pe-*
„ *riculoſamque ovium divagationem coercere. Ordinavit ergo cum omni*
„ *æquitate & pietate clauſtra, quibus ad cuſtodiam diligentem ſuperiores*
„ *præfecit, quos Guardianos vocavit; ac ita unaquæque domus vel Eremito-*
„ *riam ſuum vigilem, octo vel decem inſtructam mandatis, quæ in ſuo teſta-*
„ *mento reliquit, indiſpenſabiliter habebat, ac ea ratione ſuo inſtituto opti-*
„ *me conſultum iri putavit.*

„ *Hanc vero clauſuram ordinationeſque præfatas optime didicit S. Pa-*
„ *ter, qui me edueavit & a Martino ſummo Pontifice per Dominos noſtros*
„ *Patres & Patronos Comitem & Comitiſſam obtinuit: ſed vos & ego a Do-*
„ *mino Papa Nicolao & ab Ordinis Superioribus, ut ita in hac Cuſtodia ſine*
„ *ulla contradictione poſſemus vivere, obtinuimus. Nunc ergo, o Filii & Fi-*
„ *liæ, exhortor vos in Domino, ut eam omni ſervore voſmet compellatis, &*
„ *cum omni devotione clauſtra teneatis, & clauſuram arctius, ut poteritis,*
„ *& melius quam ego cuſtoditis: fateor enim me ad mentem & voluntа-*
„ *tem S. P. Franciſci eam non omnimode obſervaſſe, ob paſtorale officium,*
„ *quod in regimine nonnullarum domorum geſſi; quas cum vires ſuppetebant,*
„ *ut ut potui, cum caritate rexi.*

„ *Obteſtor etiam vos & obſecro in Domino, ut quam melius poteritis,*
„ *S. P. N. Franciſci ordinationes, juxta ſuam ſanctam voluntatem & ad-*
„ *monitiones cuſtoditis, illiſque conformemini: & (credite) quod ea*
„ *prorſus die, qua hæc ſancta clauſura violabitur, vel perpetuum ſilentium,*
„ *ſeu conſueta abſtinentia veſtra, veſtræ Religioſæ Cuſtodiæ navim futuram*
„ *fore ſubmerſam; ac tunc qui ſe poterit ſalvare, ſalvabitur. Vita enim ve-*
„ *ſtra ſine illis tribus, clauſura, ſilentio & abſtinentia diu durare non po-*
„ *teſt, imo turpiter & ſtatim deficiet. Quamobrem eas ſimul & perfecte*
„ *obſervare debetis. Amplius dicam: trium præfatarum virtutum una vio-*
„ *lata, omnis etiam veſtra diſciplina violabitur; nam verbi gratia violata*
„ *abſtinentia, ſilentium abibit & clauſura corruet: dirutis autem illis, ne-*
„ *ceſſariam quoque ruinam paupertas Seraphica, cum omni ſua perfectione*
„ *patietur: ac ita lapis ſupra lapidem non relinquetur.*

De cordis devotione & oratione mentali.

„ 16. *Ad fovendas autem & augendas, necnon auctas conſervandas,*
„ *quas prædixi virtutes omnes, neceſſaria vobis omnino eſt optima ac intima*
„ *cordis devotio, ab omni hypocriſi quam longe aliena: hac enim plurimum*
„ *propinqua Deo, quid non poteritis boni? Et quid mali non effugietis? Ja-*
„ *gi planctu, continuis ſuſpiriis veſtra errata vel imperfectiones deflentes,*
„ *emendationem & perfectionem ſuſpirantes, per gratiam Dei continebitis*
„ *vos ne amplius in Deum vel in veſtrum Religionis propoſitum peccetis; imo*
„ *benedicente vobis Domino, virtutum incrementa ſuſcipietis, chariſmati-*
„ *buſque cæleſtibus donabimini: at in his mens veſtra in Deum elevanda erit*
„ *in contemplationem gloriæ cæleſtis ad augenda deſideria veſtra, & confir-*
„ *manda ſpe ejuſdem; dum igitur deprecando ut per ſuam miſericordiam illa*
„ *dignos vos reddat, aliquando in infernum deprimenda, ut pœnarum im-*
„ *menſitate atque atrocitate concepta, diſcatis magis cum amore ac timore*
„ *illi ſoli ſervire ex corde, qui poteſt animam & corpus in gehennam perde-*

re;

re; at ſæpe imo ſæpius omnis Chriſti vita, & ſuper omnia ejuſdem dolorosiſſima Paſſio perattente meditanda veniet; ab ea ſiquidem vitæ veſtræ virtuoſe compoueudæ, vivifica atque exquiſitiſſima documenta haurietis: quamobrem in Oratoriis meutalem orationem frequentate, eique totis viribus ſludete; hæc præter in choro aſſidai laudes divinas perſolvite; orationem vocalem devote, alte, ac ante Altare, puro corde, mente ſincera, magno fervore ſacrificate Deo in odorem ſuavitatis; mementote, quod ſi tepidi & negligentes fueritis in iſtis, reliquum erit, ut ſanctam Doctrinam, quam vobis relinquo, negligatis, & iu ceteris omuibas tepeſcentes, ſenſim animæ veſtræ pericula ſubeatis: nam jugis oratio, meditatio & contemplatio ceteras virtutes conſervat & renovat, imo & ſemper vivere facit.

Igitur Filioli mei, in quocumque caſu, qui ſuperneuire poſſit, in vobis vera & non ficta cordis humilitas præcedat, eamque ſequatur pia & fidelis oratio, cum humilitate & conſueta abſtinentia veſtra, & quidem diſcreta, quemadmodum ordiuavi & didiciſtis, uon præſumentes, vel aliquid majas, neqae audeutes aliquid minus, ut ſupra dictum eſt; nec enim puram orationem, vel altam coutemplationem, vel attentam meditationem, vel exactam veſtri Inſtituti obſervantiam teuere poteritis, quandocumque humilis & diſcretæ veſtræ abſtinentiæ regimen haud cuſtodieritis. Stomachus deordinatus meutem perturbat, ac ita dejicit, ut actu devotiouem habere non poſſit; ſicque paulatim, licet non ſubito, omnem orandi & beuefacleudi habitum perdit.

De ſancta Lectione.

17. Plurimum aatem præſtat in Clauſtro enutrire virtutes, quod quidem ſaucta Lectioue commode aſſequi poteſt; ſacrorum enim Librorum attenta & conſiderata Lectio, non tantum delectat, ſed etiam mentem impiuguat, & quid ſemel conſideratum rumiuare poſſimus, liberaliter offert. Unde Apoſtolus ad Timotheum ſcribens ait: Attende lectioni & exhortationi & doctrinæ. Noli negligere gratiam, quæ in te eſt; omnis enim ſcriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum &c. quamobrem lectiouem ſanctam colite. *Epiſt. ad Timoth.*

De quinque cautelis ſervandis, ut omnia præfata cuſtodiantur.

18. Ad cuſtodiam vero omuium eorum quæ præmiſi, Filii mei & Filiæ, quinque vobis neceſſaria ſuut. Primum, firma & continua pugna tres contra tentationes ſeu tentatores, Carnem, Mundum & Diabolum; qaalem pugnam lougo tempore mecum experti, opere, verbo atque præcepto vos docui.

Secuudo, quod uumquam in ſocietatem veſtram eos admittatis, qui tres illas conditiones habent, de quibus vos admonui, & quas prohibui, & nunc prohibeo firmius, ut uumquam eos recipiatis, ſed potius ſub excommunicatione a ſummo Pontifice lata, & ab Ordiue confirmata, & id per ſanctam Obedientiam, quod ex hora mei obitus ſit iu ſuo vigore, juxta tenorem in illo diplomate conteutum, illos ejiciatis & repellatis, quia per antiquas & novas experieutias, & vos noſtis, nou ſolum non ſunt utiles, ſed imo noſtræ paaperi vitæ plurimum periculoſi; ſcitis enim peſſimas occaſiones, in quibus faimus, & in quam peſtem animarum uos deducereut perditioniſque periculum: itaque ab illis magis cavere debetis, quam ab

„ *infernalibus inimicis, illis enim nobis pejores ſunt atque periculoſiores.*
„ *Tertio. Si quis adeo malus fuerit, ut non tantum ſibi ſed & aliis noceat, unum de duobus faciendum erit: ſi fuerit incorrigibilis & publicus,*
„ *protinus confuſibiliter ejicietis & foras expelletis: ſi vero corrigibilis,*
„ *corrigetis ad culpæ menſuram: ſi bujuſmodi culpa ſecreta fuerit, & reus*
„ *nihilominus incorrigibilis, corrigetis & expelletis ſecreto: ſi vero fuerit*
„ *publica, publice: quamobrem eorum vitam, qui per menſem fuerint, conſiderate; & ſi vobis noxia fuerit, eos dimittite; ſi enim eos retinueritis,*
„ *majora ſemper argumenta ampliùs nocendi ſument, magiſque in poſterum*
„ *nocebunt, quam antea nocuerint.*
„ *Quarto. Numquam facietis Prælatum virum ambitioſum, ſed eum*
„ *qui honores fugit, & eſt humilis & mortificatus: ſed eſt etiam neceſſe*
„ *illum habere donum diſcretionis, zelum quoque juſtitiæ, & amorem miſe-*
„ *ricordiæ; qui ſciat compati tentatis, confortare laſſos, juvare debiles, ne*
„ *bi noceant aliis: non ſit tamen eligendus in Prælatum corpore adeo infir-*
„ *mus, quod ſuarum infirmitatum cauſa Congregatio debilitetur & relaxetur.*
„ *Quinto. In domibus veſtris ſemper idem Religioſorum numerus ſit,*
„ *qui jam ſtabilitus eſt, ita quod numquam major aut minor inveniatur; &*
„ *id quidem ad evitandas confuſiones, quæ inde oriri ſolent, & etiam quia,*
„ *ut ait ſanctus Franciſcus, paupertas numquam ſecura cuſtoditur in multi-*
„ *tudine, ſicut in paucitate.*

Benedictio obſervantibus, & maledictio inobſervantibus.

„ 19. *Si hoc meum pauperculum teſtamentum obſervabitis, benedicti*
„ *ſitis a Domino & a ſancto Franciſco: qui vobis contradicent vel diſturba-*
„ *bunt, & ii qui favebunt veſtris adverſariis, vel vos impugnabunt, vel a*
„ *veſtra vita retrahent dicto vel facto, conſilio vel conſenſu, maledictio Dei*
„ *omnipotentis & ſancti Franciſci eveniat illis, ne ſint longævi ſuper ter-*
„ *ram, & ne in poſterum Deum offendant, eant in pœnas ſuas, ut S. Fran-*
„ *ciſco Jeſus Chriſtus promiſit.*
„ *Et ſi vos aut veſtri ſucceſſores malitioſe hanc ſanctam doctrinam deſe-*
„ *retis, in qua jam educati eſtis, & cum qua vos relinquo, Jeſus Chriſtus*
„ *& ſanctus Franciſcus tranſgreſſores bujuſmodi malitioſos, qui in detri-*
„ *mentum Communitatis a confueto tramite deviabunt, puniat, ut illum*
„ *Miniſtrum Bononiæ, qui ſtudium Grammaticæ in Ordinem introduxerat,*
„ *punivit: & ſi aliquis in hac Cuſtodia ſtudium Grammaticæ, vel aliarum*
„ *ſcientiarum, præter ſtudium ſex præfatarum paupertatum, ſtrictæ Clau-*
„ *ſuræ & aliarum virtutum & bonorum morum, necnon continui ſilentii,*
„ *Religioſorum Rituum & Cæremoniarum, ac inſuper Divini officii, & ce-*
„ *lebrationis devotæ in veſtro humili Clauſtro, cum ſilentio & abſque ſcien-*
„ *tia, vel ſtudio Grammaticæ, aut aliarum ſcientiarum, vel alio ſtrepitu*
„ *poſuerit; maledictio illa terribilis illius præfati inobedientis, & alia ter-*
„ *ribilior ei ſuperveniat; ſicut etiam illis qui bis contradicunt.*

De ſuffragiis in Sacrificiis pro Patronis ſeu Dominis Domorum.

„ 20. *Item, volo & ordino, quod quia oblationes & preces, quæ ſecun-*
„ *dum meam ordinationem triginta ab hinc annis offeruntur Deo, cum jeju-*
„ *nii, vigiliis & diſciplinis Fratrum & Sororum, pro peccatis dictorum*

De-

» *Dominorum, Patronorum & Patrum noſtrorum, Comitis & Comitiſſæ, in* » *quorum ædibus moramur, ſint magis firma & roborata in ſempiternum;* » *ad hoc ut illi & ſui ſucceſſores ſemper firmius ſtudeant conſervare & cuſto-* » *dire hanc ſuam Cuſtodiam in unitate, cuſtodia, pace ac tranquillitate vera* » *tenere ſine ulla diviſione vel relaxatione ſtrictæ Obſervantiæ, in qua eam* » *fundaverunt, & ut ego ordinavi & ordinatum relinquo, in quaque nunc* » *quieſcit; & ut eam pro poſſe defendant, & ſub ſuis gratiis & juriſdictio-* » *ne, ut eam relinquo, habeant; volo (inquam) ut a die mei obitus omnes cu-* » *ſtodiæ ſuarum ædium, quæ ſunt in ſuis Dominiis, unum Sacrificium per-* » *petuum faciant pro eorum animabus hoc modo, ſcilicet, omni die Lunæ* » *totius anni celebretur una Miſſa Defunctorum ean.....*

» Hic aliqua deſunt.....

» *Item, ut Capſulæ ſeu Arcæ reformentur ſine diſturbatione aliorum,* » *licet ſemel poſſit videre Vicarius de* El Viente, *& ſuper ſingulos perſonæ a* » *Domino Comite miſſæ reformandas, ſuum conſilium præbere poſſit; inde* » *tamen ſe expediat, ita ut videatur ſe in illis nihil amplius eſſe facturum,* » *cum ſuæ Profeſſioni non conveniat.*

» *Item, ut non permittant neque conſentiant majorem numerum Fra-* » *trum in Conventibus ultra cum, quem ſtatui: in auxilium cujus, & ad* » *ſuæ animæ profectum convenient nimis eſſet, ſi ædificaret Conventum ſan-* » *cti Bernardini; & credat profuturum eſſe animæ ſuæ, in alleviatione ſuæ* » *conſcientiæ, propter nonnullos reſpectus, quos ego ſcio, & eorum forte non* » *meminit: Dominæ autem noſtræ Matri commendo, at ſimpliciter credat* » *omnia, quæ tu, fili mi Cuſtos, & Confeſſarius meus ex parte mei illi ſuper* » *Cuſtodiæ pacem, Dei ſervitium, & ſui cordis dubia & perplexitates, ut* » *inutiles abjiciat, enarrabis; & quæ mihi viventi non credidit, credat, ſi* » *ſibi placuerit, poſt meum deceſſum.*

» *Item, ut curam habeat roborandi hujus Cuſtodiæ ſuos filios & filias,* » *ſicut ſemper fecit, nihil de tepiditate curando: vetet etiam illis majorem* » *ſolita auſteritatem.*

» *Poſtremo, ut diligenter curet ponere in Bretonera alias ſimiles filias,* » *quia nimis eſuriunt pœnitentiam & ſervire Deo: quod quidem erit ad pro-* » *fectum animæ ſuæ; & ſine dubio credat, quod poſt divinum auxilium &* » *ſuum proprium, nullum majus auxilium habet ante Deum, quam id, quod* » *a triginta annis uſque modo fundaverunt in hac Cuſtodia; & quod quanto* » *magis fundabunt atque defendent perſeverantes in iſta diſciplina, tanto* » *magis impinguabunt auxilia ſua. Explicit Teſtamentum fratris Lope de* » *Salinis.*

» *Hoc Teſtamentum finitum fuit die Jovis Sancti, trigeſima Martii* » *anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLVIII. *in Conventu ſancti Antonii* » *Fratrum Minorum ſupra* Freſnedam; *Teſtes, qui præſentes aderant,* » *frater Petrus de* Soza, *frater Paulus de* Leiva, *& frater Nicolaus de* Can-» gas *de Tynco. Hujus Originale antiquo caractere ſcriptum biſpanice ſer-* » *vatur in Archivio Conventus ſancti Stephani de* los Olmos *Recollectorum* » *Provinciæ Burgenſis, extra muros Civitatis Burgorum.*

» VI. Maria Amedei VII. Sabaudiæ Ducis, & Mariæ Burgundicæ » filia, Philippo Mariæ Vicecomiti Mediolanenſium Duci jugata anno » MCCCCXXVII. Decembris die ſecunda: ſed in caſtro Portazobia nuncu-» pato die XXX. Auguſti anno MCCCCXLVII. orbata viro, cum eſſet ſine » liberis, ut Sponſo Cœleſti felicius adhæreret, ſanctæ Claræ ſe totam » commiſit. Menſe Majo hoc anno Teſtamento condito, quo ſuum fratrem

Maria a Sabaudia fit Monial. *Gueten. in hiſt. geneal. Sabaud. t. 1. c. 25.*

„ Ludovicum Sabaudiæ Ducem vocabat hæredem, in Monaſterium ſanctæ „ Claræ Taurini ſe recepit, ubi eodem hoc anno annos nata LVI. obiit, „ reliquis ſanctimonialibus adnumerata. Nonnulli ſterilem, alii virginem „ dixere; ſed conſentiunt omnes eam admodum virtutibus ornatam, ob „ idque maxime a Mediolanenſibus plurimum veneratam extitiſſe: eam
Petrus a Sabaudia ſepelitur. Guicen. cit. hiſt. „ nepos ex fratre Ludovico Petrus comitatus eſt; cum enim eſſet ætatis „ annorum XVIII. in eadem Taurinorum Auguſta diem ſupremum clauſit, „ & ejus corpus Pinerolium delatum in Conventu Fratrum Minorum „ ad ſuos appoſitum eſt, hoc epitaphio buſto inſculpto: *Anno Domini* „ MCCCCLVIII. *die* XXI. *Octobris obiit Reverendiſſimus Dominus Petrus de* „ *Sabaudia Epiſcopus Gebennenſis*.

ARGUMENTUM.

Infringendis Turcarum viribus Pius Pontifex Mantuæ Concilium indicit, ubi plurima utitur opera Minorum, præſertim Jacobi Piceni & Mariani Senenſis. Legatum mittit Angelum de Vulſinio ad Ducem Mediolanenſem. Agitur de canonizando Joanne Capiſtranenſi. Alphonſus Bolanus ſedata controverſia Canarienſi tranſit ad Æthiopes. Erigitur Cuſtodia Majoricenſis. Pie moriuntur Antonius Bitontinus, Hieronymus de Stupha, Philippus Aſculanus, Demetrius Inſuber, Joannes Nurſinus. Creantur Epiſcopi. Traducitur Lupus de Salinis, & Philippus Maſſanus ſe gerit inconſtanter. Ædificantur Cœnobia. Conceduntur privilegia.

Comment. Pii II. l. 2. & 3.

I. Pius Pontifex prudenter conſiderans, Mahometem Turcarum Imperatorem magna illa apud Belgradum accepta clade, neque animum neque odium in Chriſtianos remiſiſſe, ſed novos in dies exercitus comparantem, nunc Albanos, nunc Ruſcianos aliaſque Chriſtianorum provincias adoriri; ut imminenti totius Europæ occurreret excidio, Principum conventum Mantuæ huic rei peropportunæ, indixit, in quo de communi ageretur ſalute. Hoc itaque anno XIII. Kal. Februarii Urbe relicta, iter aggreſſus, Aſſiſii ſancti Franciſci corpus veneratus, nobile templum inferius & ſuperius, magnum colœrens Cœnobium admiratus, proſpero lætoque ſucceſſu Corſinianum, oppidum nativum, pervenit. Illic Sylvius Pater ante annos octo defunctus apud Minores jacebat, mater Victoria Senis apud eoſdem humi juxta altare majus, ubi eam Fratres abſque lapide marmoreo condiderunt, ſperantes Æneam filium tunc in Germania commorantem, aliquando genitricis corpus honoraturum. Nec ſpes fuit inanis; hoc enim tempore patris oſſa ex Corſiniano Senas deferri juſſit, & utrique parenti nobile, uti alias diximus, poſuit cum epitaphio ſepulcrum.

Pius Concilium indicit Mantuæ.

Illuc profiſciſcitur.

Tom. 2. an. 1226. n. 7.

II. Deinde per Florentiam, Bononiam, Ferrariam, ad deſignatam concilio urbem pervenit, ubi magna patientia Principum Oratores præſtolatus, majori ſummopere diſcrepantes audivit, miraque prudentia compoſuit. Ex his duos lego Minoritas, Pyrrhum quemdam virum doctum a Tarentino Principe, alterum Epiſcopi Ovetenſis collegam a Caſtellæ Rege, Legatos. Aderant etiam Thomæ Deſpoti Moreæ Oratores, qui ſuppetias celeres, ſed mediocres contra Turcas primum Ferrariæ, deinde Mantuæ ſolerter exposcebant. Provincia hæc olim Peloponeſus dicta, & arx quondam Græciæ habita, Ægei atque Jonii pelagi fluctibus illiditur. Occupata per Turcas Conſtantinopoli, interfectoque Conſtantino Imperatore, fratres ejus Thomas

Oratores duo Minoritæ in dicto Concilio.

mas ac Demetrius huc ſe receperunt, & modo Turcis penderunt tributum, modo arma in eos verterunt, loci munitionibus, & auxiliis freti Latinorum. Orto deinde inter eos diſſidio, Demetrius Turcarum partes ſecutus, Filiam ſuam Mahometi deſpondit: Thomas auxilio Albanorum, qui Peloponeſum frequentes incolunt, & fratrem magna regni parte mulctavit, & Turcas, qui arma in ſe verterant, prælio fudit, plures cepit captivos, ex quibus ſexdecim per Legatos iſtos Pontifici dono tranſmiſit.

Jacobus Picenus cogit milites ad Moreæ Principē mittendos. *Marian. lib. 3. c. 32.*

III. Re itaque in Senatu diſcuſſa, & Beſſarione Cardinale magnopere promovente, placuit ſubſidium exhibere. Decretum eſt, Jacobo Piceno, ſummæ apud Pontificem & Italiæ Principes opinionis, injungere, ut quamprimum ſua prædicatione milites convocaret, & propoſitis Indulgentiis affixaque crucis teſſera, ad transfretandum animaret. Binas ei miſit Pontifex litteras, quibus ſuas longiores Beſſarion adjunxit. Brevi trecentos expeditos milites ille conſcripſit, e quibus centum Blanca Mediolanenſis Duciſſa, illo ſuadente, ſuo ære conduxit. Cuncti Mantuam ad Pontificis pedes ſe contulere; egregie armata & robuſta juventus. Jannonus Cremonenſis pedeſtrium copiarum non ignarus ductor, illis, quos Blanca delegit, præfectus; aliis Dotha Senenſis propter civiles diſcordias patria extorris. Suſcepta benedictione, per Padum Ravennam abierunt, inde terra profecti apud Anconam navem conſcendentes, felici curſu Peloponeſum appulerunt, ubi comiter a Græcis excepti, Patracenſem urbem primo congreſſu expugnaverunt. Verum dum alia quædam ſumma contentione oppugnant oppida, ſeu virtutis æmulatione ſeu prædæ cupiditate inter ſe diſſidentes, incœpta reliquere, diſperſique milites in diverſa cum dedecore abierunt. Litteras ad Jacobum datas, ut hos conſcriberet milites, ex ipſis autographis exhibeo.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum profeſſori, in Provinciis noſtris Marchiæ Anconitanæ, Præſidentatus Farfen. & Maſſæ Trebariæ, Apoſtolicæ Sedis Nuncio.

Ex autographo.

IV. *AD ea, per quæ fides Catholica defendatur, & Turcæ Chriſtiani nominis inimici nefariæ cogitationes fruſtrentur, remedia opportuna afferre curamus, & modos exquirimus, per quos illius effrenata rabies compeſcatur, & Chriſtiana religio ſalutaribus præſidiis roboretur. Sane jampridem audientes Peloponeſum, Moream vulgariter nuncupatum, Græciæ opulentiſſimam patriam, ſub Turcarum tyrannide redactam extitiſſe, animi moleſtia & dolore affecti fuimus, conſiderantes maximam jacturam Chriſtianis obveniſſe, & periculum graviſſimum imminere. Nam locus ille natura feraciſſimus, munitiſſimus atque ampliſſimus eſt, & per eum facilis aditus ad Cretam, Italiam, Siciliam, Illiricum aliaque loca Chriſtianorum tum maritima, tum terreſtria invadenda habetur; quique admodum oportunus exiſtit, qui Chriſtianorum exercitum etiam numeroſiſſimum ſuſtinere atque alere poſſit, itaut Turcæ per illum non cum magno Chriſtianorum labore valeant impugnari. Verum, ſicut Domino placuit, qui Chriſtianam religionem non deſerit, ſed illam fovet & ſuſtentat, nuper, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Thomas, ejuſdem Moreæ Dominus, per incolas illorum locorum evocatus, in partem ſuæ ditionis repoſitus extitit, Turcis inde ejectis & expulſis, duobus ferme locis exceptis, quæ cito recuperari poſſe ſperantur. Animadvertentes igitur perfidi hoſtes fidei talem locum eis ademptum eſſe, in quo ſummum præſidium collocaverant, & qui etiam ad commeatus abunde ſuppetebat, maximum conſtruere dicuntur apparatum, ut Morea iterato frui poſ-*

poſſint, quæ res ſi ſequatur, expeditio in Turcas admodum debilitaretur, & etiamſi cetera ad bellum opportuna adeſſent, ejuſdem loci privatio eſſet ſummopere Chriſtianis damnoſa & plurimum formidanda. Ut igitur locus ille conſervetur, & ne cum pernicie, ignominia & jactura Chriſtianitatis amittatur, ſuffragiis, quibus valemus, occurrendum cenſuimus, & ad tuam perſonam, fide & integritate ac rerum experientia præſtantem direximus oculos noſtræ mentis, diſcretioni tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ injungentes, ut in Provinciis & locis prædictis verbum Dei prædices, & fideles ad commune periculum repellendum tuis ſuaſionibus, juxta gratiam tibi a Deo datam inflammare ſtudeas & ardentiores efficere, ac alios prædicatores, ſi opus fuerit, ſubſtituere & deputare valeas, & quos inveneris Cruce jam ſignatos, illuc ire quantocyus volentes, ſub protectione Eccleſiæ ac beati Petri & noſtra ſuſcipias, & alios etiam, qui ſalutare ſignum vivificæ Crucis ad prædictum uſum geſtare voluerint, libere per te vel alios deputandos hujuſmodi ſignare procures. Qui omnes, dummodo ſuis ſumptibus & expenſis in Moream proficiſcantur, & ibidem pro tuitione illius loci & defenſione fidei Catholicæ ſaltem per unum annum in eundo & ſtando permanſerint, veniam omnium peccatorum, & quaſcumque gratias tam ſpirituales, quam temporales in litteris Cruciatæ appoſitas conſequantur. Et inſuper aliis, qui non valerent ſe perſonaliter conferre, dummodo de facultatibus eorum in ſubſidium fidei, & eorum qui parati eſſent ire perſonaliter, contribuant, prout tuæ diſcretioni viſum fuerit, ſimiles gratias, Apoſtolica auctoritate concedas & per alios prædicatores concedi facias, quoſque vel jam cruce ſignatos ſive per te ſignandos reperies voluntarios, ire illico ad portum Anconitanum ad trajiciendum in Peloponeſum conducere non poſſponas. Super quibus omnibus & ſingulis prædicandi & prædicari faciendi, abſolvendi, eruceſignandi, & cum aliis ad certam ſummam reducendi, tibi & deputandis per te plenam & liberam, auctoritate præfata tribuimus & concedimus facultatem ac etiam poteſtatem. Non obſtantibus Indulgentiis, privilegiis ac indultis Apoſtolicis, ſub quacumque verborum forma conceſſis, per quæ prædicta impediri vel differri quoquo modo poſſint, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Tu igitur onus tibi impoſitum, ad laudem & gloriam Omnipotentis Dei, & fidei Catholicæ defenſionem, ita ſolicite, fideliter & prudenter exequi ſtudeas & per alios exerceri procures, ut fructus inde ſperati proveniant, tuque apud nos & Sedem Apoſtolicam ex tuis laudabilibus operibus valeas non immerito commendari. Datum Ferrariæ anno &c. MCCCCLIX. XIV. *Kal. Junii &c. anno* I.

EIDEM.

Ex autographo.

V. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro ardua fidei Catholicæ cauſa certas litteras tibi direximus, prout ex illarum inſpectione videre poteris. Hortamur itaque tuam devotionem, ac eidem in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut dictas litteras juxta ipſarum continentiam atque formam exequaris, & per alios quantocyus ad effectum deduci facias. Super præmiſſis vero venerabilis frater noſter Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus, Cardinalis Nicenus nuncupatus, ex noſtra commiſſione ad te ſcribet, cui tamquam perſonæ noſtræ in omnibus fidem indubiam præſtes. Datum Ferrariæ ſub annulo Piſcatoris die* XX. *Maii* MCCCCLIX. *Pontificatus noſtri anno* I.

Ve-

Venerabili Patri Fr. Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſori, verbi Divini prædicatori eximio, amico noſtro, & tamquam Patri cariſſimo: B. Cardinalis Nicenus Epiſcopus Tuſculan. Protector Ordinis Minorum.

VI. *Venerabilis Pater, ſalutem. Ad gloriam Dei & veſtram conſolationem ſignificamus vobis rem profectò magnam & optimam, & populo Chriſtiano utiliſſimam, quam etiam poterimus habere pro ſigno, quod Majeſtas Divina incipit nobis reconciliari. Hæc autem talis eſt. In Græcia eſt quædam magna provincia, quæ vulgariter appellatur* Morea, *circuitus octingentorum milliarium, agrum habens feraciſſimum, fertiliſſimum & omnium rerum abundantiſſimum, non ſolum eorum, quæ ad uſum humanum neceſſaria ſunt, ſed etiam quæ ad ornatum faciunt, panem, vinum, carnes, caſeum, lanam, bombicem, linum, ſetam, chremiſinum, granum, uvas paſſas parvas, per quas fit tinctura, hæc omnia in maxima abundantia habentur. Frumenti dantur pro uno ducato duo ſtaria magna Marcheſana, videlicet* MCCCC. *lib. pro ducato; vinum nihil valet: de carnibus octo caſtrones pro ducato; blada & ſtramen pro equis ſine numero, ita ut ultra habitatores & incolas illius loci poteſt nutrire illa patria quinquaginta millia equitum abſque eo quod indigeat victualibus aliunde. Anno præterito intravit Turca eum* LXXX. *millibus perſonarum equeſtrium, & exercitu peditum innumero, & cariagio infinito, & fleterunt intus quinque menſibus, & tamen abundantiſſime habuerunt victualia, & poſt diſceſſum ejus omnes res erant nihilominus in viliſſimo foro; ita eſt omnium rerum abundantiſſima. Præterea eſt quaſi inſula; figura enim eſt rotunda & magna & ampla, circumdata undique mori, præter unum brachium ſtrictum, quo conjungitur terræ, ſpatii ſex millium paſſuum, quo bene cuſtodito, tota patria eſt ſecura. Item præter Civitates, quas habet, ſunt ibi quaſi trecentæ terræ muratæ, ſortiſſimæ & munitiſſimæ; animalia item infinita, & multitudo hominum copioſa. Item habet ſitum opportunum ad Italiam, ad Siciliam, ad Cretam & alias inſulas, ad Aſiam, ad Illiricum, ad Macedoniam ac alias Chriſtianorum partes, itaat ſi in Chriſtianorum manibus ſit, per eam magna poſſint inferri damna Turcis ac magna Chriſtianis utilitas, ſi Turcarum magnum immineat Chriſtianis periculum. Hanc igitur tantam ac talem provinciam quaſi totam occupant Turcæ infideles. Anno præterito cum magno potentatu intrantes in eam, etiam aliquorum malorum virorum proditione, exceptis paucis locis, ad quæ ſe receperunt illorum locorum domini, qui ſunt duo germani invicem, ac Domini Imperatoris Græcorum in bello Conſtantinopolitano defuncti germani; ſed hoc anno menſe Januarii immediate præteriti, ſuſcitavit Deus ſpiritum unius illorum dominorum, qui vocatur Thomas, Deſpotes Moreæ Paleologus, & ſumpſit arma contra infideles pro libertate ſua ac ſuorum. Invocatus etiam ab hominibus tamquam eorum naturalis Dominus, & infra duos menſes recuperavit omnia loca deperdita; Benedictus Deus! Res magna & miranda ac miraculoſa fuit & eſt, & quæ nobis præbeat ſpem in futurum rerum magnarum, dummodo ſciamus ea bene uti. Nunc nulli dubium eſt, quod infidelis Turcarum Dominus tamquam ille, qui perdidit magnam ſuam reputationem, & magna damna paſſus eſt, omiſſis omnibus aliis, cum magna furia & maximo potentatu rurſus exſurget contra eos, & niſi habeant a Chriſtianis ſubſidium ſufficiens, erunt noviſſima pejora prioribus. Unde miſerunt ad S.D.N. petentes ſubſidium ſuppliciter. Sanctiſſimus Dominus noſter multum gaviſus* Ex autographo.

de

de hac proſperitate illorum Chriſtianorum, libenter intendit juvare eos, & juvabit cum tempore ſatis, ut ſpero, in hac maxima dieta. Sed quoniam magnus timor eſt, ne in hac æſtate in qua ſumus, perielitentur, oportet quod pro nunc ad omne longius uſque ad medietatem Julii ſint ibi aliqui armati, qui juvent Chriſtianos, deinde eum tempore Sanctitas Sua providebit, Deo concedente. De hoc igitur ſubſidio celeri & per aliam viam intendit providere & per viam Crucefignatorum. Ideo conſiderans virtutem ac zelum & bonitatem & auctoritatem veſtrum apud populum Chriſtianum, deputavit vos in hac re per totam Marchiam, ut per vos vel per alios quos ſubſtitueritis, prædicationibus veſtris inducatis & exhortemini quoſcumque Crucefignatos jam vel nunc ſignandos, ut vadant illuc quamcitius fieri poterit, & Sanctiſſimus D. N. parabit navim in Ancona, per quam tranſfretabunt. Oportet autem quod ſint viri boni habentes arma aliqua, & habentes expenſas pro uno anno, videlicet L. *vel* XL. *ducatos aut de ſuo aut ex eleemoſyna aliorum, quibus daretis indulgentiam plenariam tam euntibus perſonaliter, quam conferentibus expenſas pro euntibus. Hac igitur conditione hortabimini eos, ut vadant, videlicet cum expenſis unius anni & non ſine expenſis; & quia neceſſe eſt ut hoc cito fiat, melius eſt habere quingentos vel* CCCC. *vel etiam* CCC. *in tempore, quam multa millia tarde. Ideo non curet P. V. congregare multos, ne conſumatur multum tempus, quod erit nobis valde damnoſum, ſed ſufficit habere uſque ad* D. *vel* CCCC. *vel etiam* CCC. *ad minus, dummodo ſint fulciti armis & expenſi, & mittatis eos uſque ad Anconam, & ibi erit navis parata ex parte D. N. quæ conducet eos; ſed oportet quod antea ſcribatis Sanctitati Suæ, & mihi de eo quod faceietis, ad hoc ut navis præparetur expenſis D. N. Oportet autem quod ad omne longius ad medietatem Julii ſint in Ancona, aliter omnis noſter labor erit caſſus & ſuperfluus. Accipite ergo hanc rem eordi, venerabilis Pater, & eam zelo fidei Chriſti, prout ſoletis, diligenter & ferventer peragatis; ſpero enim quod agetis rem magnam & utiliſſimam Chriſtianis, & ex qua magnos habebimus fructus & magnam conſolationem, de qua multum gaudebitis & cor veſtrum ſumme lætabitur. Hæc ideo ſcripſi P. V. latius, & de ſitu & opportunitate loci & de abundantia rerum, ut ſciatis omnes particularitates neceſſarias ad hortandum & confortandum Chriſtianos, ut animoſe hanc rem aggrediantur. Rogo igitur vos per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut omnem curam & diligentiam hnic rei adhibere velitis, qui vos in omni bono opere conſervet. Ex Ferraria* XX. *Maii* MCCCCLIX.

Fr. Marianus de Senis deſtinatur Nuncius ad Regem Boſnæ.

VII. Rex etiam Boſnæ Stephanus Thomæ ſuos Legatos ad Pontificem miſit, non tam daturus, quam petiturus auxilium contra Turcas, etſi clam cum illis reconciliatum ſcribant. Vafer erat homo & inconſtantis animi, uti conjicere licet ex multis variiſque ejus factis a nobis ſuperius enarratis. Attamen Pontifex undique reprimere cupiens Mahometis potentiam, nullique Chriſtianitatis parti tuendæ deeſſe volens, Marianum de Senis, virum induſtrium & doctum, qui ſub Calixto non contemnendas copias ibidem collegit, ad eaſdem partes remiſit, dato hoc commiſſæ poteſtatis inſtrumento.

Dilecto filio fratri Mariano de Senis, Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ, Nuncio noſtro &c.

Ex l. 32. bullar. fol. 87.

VIII. *Cum per litteras cariſſimi in Chriſto filii noſtri Stephani Thomæ, Regis Boſnæ illuſtris, nuper ad nos tranſmiſſas intellexerimus quan-*

quanto in periculo conſtitutum ſit regnum ejus propter imminentem Turcarum ferociam, regnum ipſum quotidie invadentium, & illud occupare totis conatibus innitentium, & propterea nobis pro parte ſua humiliter ſupplicatum fuerit, ut ſibi de aliquibus copiis atque ſubſidiis dignaremur opem ferre & providere. Nos de induſtria & probitate tua, qui in partibus illis alias ad prædicandum Cruciatam per fel. rec. Calixtum Papam III. prædeceſſorem noſtrum deputatus fuiſti, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ſperanteſque quod tu in partibus illis ſubſidia hujuſmodi ad ſuccurrendum dicto Regi pro tua induſtria facile perquirere & invenire poteris, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ad illas partes, in quibus ad prædicandum Cruciatam ipſam alias deſtinatus fuiſti, te perſonaliter conferens, omnes & ſingulos cruceſignatos, quos in partibus illis repereris, ac etiam ſi quos in poſterum per te cruce ſignari contigerit, ſuper quo plenariam facultatem concedimus, horteris ex parte noſtra, ut ad ferendum opem & ſubſidia dicto Regi in tanta neceſſitate fidei ferventer accedant, & ipſi Regi totis eorum conatibus opitulentur, ne dictum regnum ad infidelium manus perveniat, & fideles in eo exiſtentes calamitates illas perſerre habeant, quas ſuperioribus temporibus reliquæ finitimæ Græcorum nationes miſerabiliter pertulerunt & de præſenti perferunt: Nos enim tibi omnes illas indulgentias tam accedentibus perſonaliter in auxilium ipſius Regis, quam alias auxilium ad hoc præſtantibus, quas ex facultatibus tibi per alias litteras, quæ in favorem Cruciatæ emanarunt, directis concedere poteras, auctoritate noſtra concedendi, ac omnia & ſingula, quæ per alias litteras prædictas circa hoc facere poteras, faciendi, gerendi & exequendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Volumus autem quod tu cum gentibus, quas collegeris, ad Regem ipſum proficiſci, aut alium loco tui tranſmictere debeas. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Bononiæ anno &c. MCCCCLIX. VII. *Idus Maii, anno* 1.

Item in multis Provinciis.

IX. Paulo poſt in cœtu Mantuano inſtitutus eſt prædictus Marianus Sedis Apoſtolicæ Nuncius & Commiſſarius in multis Provinciis, quæ in hoc diplomate numerantur.

Dilecto filio Mariano de Senis fratri Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari, in Provinciis, Civitatibus, terris & locis Iſtriæ, Croatiæ, Corbaviæ, Sclavoniæ, Boſnæ, Serviæ & Ruſſiæ, noſtro & Sedis Apoſtolicæ Nuncio & Commiſſario &c.

Ex Reg. Ordinis.

Populorum pretioſo Chriſti Sanguine redemptorum defenſioni conſervationique, ac quantum per vires liceat, augmento tam deditis & intenti ſumus, ut nulla alia cura, nulla ſollicitudo animi nos magis exerceat atque premat. Itaque ex hoc dieta Mantuanæ loco, ubi prædicta in primis curamus, te ad ſupradictas Provincias, terras & alia loca Sedis Apoſtolicæ Nuncium ac Commiſſarium mittentes, ut adverſus impios Dei hoſtes Turcas ea facias, pares & ordines quæcumque fidei & diſcretioni tuæ nobis notiſſimæ, duxerimus committenda, illa tibi libenter concedimus, per quæ populis & ſingulis dictarum Provinciarum & locorum omnium perſonis te poſſis reddere gratioſum. Igitur devotioni tuæ, ut verbum Domini in omnibus & ſingulis tuæ commiſſionis locis prædicare & alios prædicatores tui Ordinis, de quibus tibi videbitur, deputare, Fratreſque quotquot voles tui Ordinis tecum aſſumere, deputatoſque prædicatores ad libitum amovere, univerſiſque & ſingulis, qui zelo fidei ac tuendæ Religionis fervore accenſi, in hoc pio apparatu

& in hac cauſa cunctis Chriſtianis communi, manus porroxerint adjutrices, eaſdem gratias, indulgentias, immunitates & exemptiones conferre, quæ in litteris Cruciatæ fel. record. Calixti Papæ III. prædeceſſoris noſtri continentur: Et ut ſinguli fideles ad contribuendum huic ſancto operi eo libentius incitentur, quo ex hoc uberioris gratiæ dono viderint ſe muniri, omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui de bonis ſuis ſubtem uſque ad ſummam trium florenorum auri de Camera ſeu valorem eorumdem, ad ſanctum opus hujuſmodi contribuerint, ut confeſſor idoneus, quem duxerint eligendum, eis ac eorum ſingulis in ſinceritate fidei & unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia & devotione noſtra & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi fuerint, ſemel dumtaxat in vita, etiam in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, in aliis vero non reſervatis, quoties fuerit opportunum, abſolutionem, & in mortis articulo plenariam indulgentiam concedere, ac etiam in votis omnibus, præterquam viſitantibus Terræ ſanctæ, liminum Apoſtolorum, ſancti Jacobi in Compoſtella &c. atque etiam in caſtitatis & Religionis, diſpenſare ac etiam commutare &c. Præterea, ut omnes pecuniarum quantitates & alias res, quæ ad manus tuas quomodocumque tam in vim Cruciatæ & ejus litterarum, quam etiam eleemoſynarum nomine & ratione, ſive alio dono & pia diſtributione pervenerint, euntibus ad Cruciatam, aut pro ea aliter operantibus, & quovis modo facientibus dare, dividere & ad tuum arbitrium ſolvere & dividere poſſis & valeas; legata incerta per quoſcumque facta, & depoſita ſive teſtamenta, in Cruciatæ utilitatem convertere & mutare, & cum illis ad quos ſpectabit, pro eorum utilitate & ſecuritate diſpenſare: cum illis quoque qui uſuras fecerint, aut alias injuſta lucra incerta habuerint, & debitores in foro conſcientiæ ſint, componere & convenire, eorumque ſtatui & ſaluti animarum conſulere; bona quæcumque collecta & colligenda per quæſtores quoſcumque & Ceretanos, ſub nomine Runcivalis aut ſancti Spiritus, aut quovis alio nomine & titulo capere & retinere & pro Cruciata diſpenſare, prout tibi videbitur: Eleemoſynas quaſcumque, ubicumque collectas & paratas pariter accipere & diſpenſare: Eos omnes, qui ad Cruciatam ire volent, eruce ſignare, & inſignitos, quos minime idoneos eſſe cognoveris, ipſo privare ſigno valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem. Ut autem commiſſiones & facultates hujuſmodi facilius executioni valeas demandare, univerſis & ſingulis in prædictis Provinciis, Civitatibus, terris & locis exiſtentibus Prælatis, necnon ceteris quibuſcumque tam Regularibus, quam ſecularibus Eccleſiaſticis, in vim ſanctæ obedientiæ mandamus, ut quoties ad eos perveneris, benigne te favorabiliterque recipiant, & opportunis favoribus proſequantur. Si qui autem tibi auſu temerario adverſari, aut negotia per te gerenda turbare præſumpſerint, illos declaramus & annunciamus ipſo facto excommunicationis ſententiam incurriſſe; & nihilominus ut eos, qui contradixerint vel repugnaverint tuis prædicationibus & mandatis, corrigere & increpare, ſi tibi videbitur, poſſis & valeas, invocato ad id, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, devotioni tuæ licentiam, auctoritatemque elargimur. Datum Mantuæ anno &c. MCCCCLIX. III. *Idus Junii &c. anno* 1.

Coment. Pii II. l. 4. Marian. citat. Fr. Angelus Vulſinen. Nuncius ad Ducem Mediolanenſem.

X. Alium invenio hoc anno vel ſequenti Minoritam, Angelum ſcilicet Vulſinenſem, de quo ſæpe annis dictum eſt præteritis, ad Franciſcum Sfortiam Ducem Mediolanenſem Legatum. Præfecerat Pius Eccleſiæ Papienſi apud Inſubres, nobili Academia inſigni, per obitum Cardinalis Joannis Caſtilionæi vacanti, Jacobum Lucenſem, ſuum ſecretarium, virum græcis & la-

latinis litteris eruditum. Sforcia alium cupiebat promoveri, nec permittebat aditum Lucenſi. Miſſus eſt Angelus, qui ferocientem leniret; nec quidquam tunc profuit. Multa minatus Franciſcus, niſi votis acquieſceret Pontifex, tamen reverſo Angelo, ductaque Pii epiſtola conſtantis & intrepidi animi teſte, tamdem acquievit, & Jacobum magno Senatus aſſenſu & univerſæ Curiæ applauſu præfectum ſuſcepit.

XI. Cœperunt hoc tempore Minoritæ, præſertim Obſervantes, apud Pium de canonizando Joanne Capiſtranenſi pertractare. Non ingrate id audiebat Pontifex, qui longa & familiari experientia perſpectam habuit hominis virtutem, & mirandis operibus ubique vidit comprobari ſanctitatem. Itaque in Germaniam, & adjacentia Poloniæ, Boemiæ, & Hungariæ regna, in quibus tot miranda opera patraſſe dicebatur, mittendum judicavit virum probum, qui vitæ, doctrinæ & miraculorum integra referret monumenta. Delectus eſt huic muneri Joannes a Taliacotio, Capiſtrani olim ſocius, potiſſimarum rerum ab eo geſtarum teſtis oculatus, in longinquis illis regionibus optime verſatus. Negotio facilius peragendo, & apud Imperatorem, Reges, & Principes Imperii promovendo, interceſſores ille adhibuit plurimos Italiæ Prælatos, pridem Capiſtrano familiares, & nobiles quaſque Civitates, in quibus prædicavit. Exemplar habeo plurimarum litterarum; cedo aliquot ne omnes generent tædium.

Mittitur frater Joannes a Taliacotio qui perquirat Capiſtrani miracula.

Multi ſcribunt ad Principes Germaniæ pro obtinenda ejus canonizatione.

Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtati, Sereniſſimo Regi Hungariæ, ceteriſque Principibus, Ducibus, Baronibus & Dominis orthodoxæ Catholicæque Religionis, & veræ fidei pliſſimis devotiſſimiſque cultoribus, humilis ſervus, devotus filius veſter Angelus Epiſcopus Reatinus, magnificæ Civitatis Bononiæ pro ſancta Romana Eccleſia, cum plena poteſtate Legati de latere Gubernator, humilem commendationem, atque in ſingulis obſequendi promptitudinem.

Angelus Epiſcopus Reatinus.

XII. *Quamvis præclara geſta Reverendi olim P. fratris Joannis de Capiſtrano, quæ vivus & mortuus Altiſſimi gratia peregiſſe conſtat, uſque adeo nota ſint & manifeſta, ut totum jam pene terrarum orbem compleverint, nomenque illius celeberrimum multiplicibus ornatum exaltatumque miraculis ad extremas Chriſtianorum regiones uſque pervenerit, ita ut ad ſummam gloriam in Domino conſequendam nullo alio teſtimonio indigere videatur. Nihilominus ut confirmatæ jam diu veritati meam quoque atteſtationem adjungam, has noſtras VV. Majeſtatibus, Dominationibus & Excellentiis ſcribere non dubitavi, cum præſertim mihi perſpecta perſpicuaque fuerit pluribus annis & multis in locis illius ſancti Viri non mundana ullatenus, ſed cæleſtis omnino converſatio; eo enim potiſſimum tempore, quo per ſel. record. Nicolaum V. Pontificem indagator ac perſcrutator miraculorum beati Bernardini, ejuſque canonizationis promotor inſtitutus atque præfectus fuit idem frater Joannes, mihique commiſſus fuit proceſſus ſupradictus, continuis decem menſibus cum præfato ſancto Viro dies ac noctes per diverſas Civitates, oppida, caſtra & loca converſatus ſui, & in omnibus ejus actibus, totaque ipſius converſatione miram ac pene incredibilem deprehendi ſingularis vitæ integritatem ac ſanctimoniam, omni penitus macula & labe vacantem, & a terrenis quidem prorſus alienam, divinis vero ſolit conjunctam, atque abſtractam, quem profecto credo æterna vita frui, quoniam illum vere ac penitus tranſitoria & caduca ſpreviſſe atque abjeciſſe cognovi. Memini bonæ memoriæ Reverendiſſimum D. Dom. Cardinalem Firma-*

Ex Reg. Ordinis.

mantum, germanum meum, ſæpius ac ſæpiſſime ea verba referentem audiviſſe, non putare ſe alterum in Religione beati Franciſci per ſua tempora vidiſſe, quem fratri Joanni de Capiſtrano vel ſanctimonia & vitæ perfectione, vel verbi Dei miniſtratione efficaciori, præferendum arbitraretur. Omitto autem infinitas ejus laudes, quas recenſere longum eſſet ne faſtidioſum, & in primis ſupervacuum apud illos præſertim, qui gratiæ & virtutis divinæ in ſanctum Virum collatæ atque infuſæ, longe melius conſcii ſunt, quam ego. Quoniam vero nuper intellexi ſanctiſſimi Patris canonizationem non immerito agitari, & quidem non ambigo, Dei voluntate ac nutu id ipſum totum fieri, eapropter præfatas Majeſtates, Dominationes ac Excellentias veſtras oro & obteſtor in Domino, ut tam pio tamque ſancto laudabiliſſimoque operi favoribus aſſiſtere, omnique ſtudio, induſtria & ſolerti cura anniti dignemini, ut ad honorem & gloriam Omnipotentis Dei, ipſiuſque Seraphici Franciſci probatiſſimæ Religionis & fidei Chriſtianæ ſublimationem ac triumphum, ad optatum & felicem perducatur effectum, quod pie, ſancte, ac inſpirante Numine cœptum eſt. Ut idem Omnipotens Deus atque æternus per ejuſdem ſanctiſſimi Joannis merita & interceſſionem, Majeſtates, Dominationes ac Excellentias VV. animæ & corpore ſalvas efficiat, & conſervet per gratiam in præſenti & gloriam in futuro: quibus me plurimum ac humiliter commendo, ac totum offero; fratri quoque Joanni de Tall. præſentium latori, viro ſane probo ac Religionis obſervantiſſimo, dignabuntur VV. Majeſtates & Dominationes fidem in ſingulis præſtare, qui ea gratia mittitur, ut verbo latius atque apertius VV. Majeſtates & Dominationes reddat admonitas, quid in ipſa re perficienda ſit agendum, quas diutiſſime ſalvas in Domino exopto. Datum Bononiæ XXIV. *Junii* MCCCCLIX. *ſub noſtro rotundo ſigillo.*

Sacratiſſimæ Imperatoriæ Majeſtati, Sereniſſimo Regi Regni Hungariæ, ac Reverendiſſimis in Chriſto Patribus & Dominis, DD. S. R. E. Cardinalibus, ceteriſque RR. PP. & DD. Archiepiſcopis: & omnibus præfatæ Eccleſiæ Prælatis, univerſisque Principibus & Dominis, in terris & locis Chriſtianæ Religionis juriſdictiones habentibus, recommendationes præmittit humillimas & devotas Franciſcus de Monaldenſibus de Urbeveteri,

Franciſcus Epiſcopus Aſculanus.

Epiſcopus & Princeps Aſculanus, ac Palatinus Comes.

Ex Arch. Capiſtrani.

XIII. *Non eſt alienum, imo decet jurique conſonum eſt, ut quem Omnipotens Deus ad cœleſtem gloriam elegit & aſſumpſit, ab hominibus veneretur in terris. Mirifica opera, & quæ Deus ipſe per diverſa mundi climata operatus eſt medio R. P. fratre Joanne de Capiſtrano, Ordinis Minorum Regularis vitæ, & per ipſum, qui tot miraculorum inſignibus in vita & poſt mortem claruit, nec deſinit clarere, non ſunt occulta, ſed in aperto patent, & potiſſimum vobis Sereniſſimis & Reverendiſſimis DD. apud quos divino nutu, Pater ipſe obiit & requievit, ut ea venerantio amodo ab hominibus eſſatæ Chriſtianæ Religionis condigne & decenter fiat, Vobis Dominis antedictis omni devotione & inſtantia ſupplico obteſtorque, velitis & placeat apud S. D. N. ſummum Pontificem litteris & ea, qua noveritis inſtantia operari & ſupplicare Beatitudini ſuæ, dignetur præfatum beatum Joannem tamquam benemeritum, & innumeris miraculis decoratum canonizare, & catalogo aliorum Sanctorum adſcribere & aggregare juxta morem prælibatæ Eccleſiæ in ſimilibus debitum & conſuetum; indubie enim teneri debet, quod ipſe Deus meritis & interceſſione tanti Patris hujus ſanctæ rei effectum procurantes, & affectione quærentes, condigno præmio refovebit & remunera-*

rabit. Proinde venerabili viro fratri Ioanni de Talliacotio præfati Ordinis, pro tam pio opere proficiſcenti & laborauti, dignemini & velitis, uti mihi ipſi in referendis fidem adhibere. Majeſtatibus & Dominationibus VV. contiuue me commendo. In quorum fidem præſentes fieri juſſimus & ſcribi, & noſtro conſueto ſigillo muniri. Datum in Civitate Aſculi in Italia & provincia Marchiæ die IX. *menſis Junii* MCCCCLIX. *Pontificatus S. D. N. Pii Papæ* II. *anno* 1.

Sacratiſſimæ Imperiali Majeſtati, ſereniſſimo Regi Hungariæ, & vobis, Excellentiſſimi Principes, nobilitate & zelo devotionis erga Catholicam fidem conſpicui: devotiſſimi filii & ſervitores veſtri Antiani, Conſules & Vexillifer Juſtitiæ populi & Communis Bononiæ, commendationem & obediendi promptitudinem. Urbs Bononienſis.

XIV. *CUm inter alios populos Chriſtianos mira ſemper devotione in beatiſſimum P. fratrem Ioannem de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia affecti fuerimus, cujus ſanctitatem, eum inter nos nonnumquam verſatus fuerit, perſpeximus, ejuſque admiraudam doctrinam audivimus, quique uos & hunc populum præcipua eſt dilectione complexus, optamus ſane ac dignum eſſe cenſemus, ut qui dum apud uos vixit, veluti ſol refulgens in Eccleſia Dei extitit, & lucerna non ſub modio ſed ſuper candelabrum poſita magnam Eccleſiæ Dei utilitatem afferens (ſeutes enim & tribulos ex agro Dominico divaſit, ſemen bonum ſeminavit, zizaniam & lolium ſarcuio veritatis præcidit, vitia exterminavit, & viam Domini in veritate docuit) ſicut per Dei pietatem ob ejus merita in cœlis ævo fruitur ſempiterno, ita in terris nomen ejus celebretur. Ad quod quidem efficiendum cum opem omnium expoſtat, veſtrum in primis auxiliam eſflagitare videtur, apud quos ex hoc carcere ad veram vitam, Deo ſic diſponente, migrare voluit, & ubi miraculis peue infinitis indies magis ac magis clareſcit. Eja igitur, ſereniſſime Imperator, voſque Illuſtriſſimi Principes, accedite, ac tantum opus immortalitate digniſſimum, vobis hoc tempore oblatum ne dimittite, ſed latiſſimum veræ gloriæ campum ſolitis veſtris animis invadite, quos rogamus atque ſummis precibus obteſtamur, ut omnem operam apud S. D. N. ſummum Romanum Pontificem cum inſtantia adhibere velitis, quo venerabilem ipſum fratrem Ioannem catbalogo ſanctorum adſcribat. Quod ſi, ut confidimus, efficiatis, non niſi ſperare debetis vos tanti Patris precibus ab immortali Deo digna præmia conſecuturos, ut omittamus beatiſſimum ipſum fratrem Ioannem continuum pro vobis apud Deum interceſſorem futurum. Accedit quod rem nobis gratiſſimam feceritis, qui etiam, quantum in nobis erit, omni via elaborabimus, ut tantus Pater Sanctorum numero aggregetur. Quocirca cum ad partes iſtas veſtras nunc mittatur venerabilis frater Ioannes de Talliacotio ejuſdem Ordinis, oramus, ut eidem tamquam nobis plenam fidem adhibere dignemini. In quorum fidem has fieri juſſimus ſub noſtrorum ſigillorum impreſſione. Datum Bononiæ in palatio reſidentiæ noſtræ die* XXIV. *Junii* MCCCCLIX. Ibidem.

Sacratiſſimo Romanorum Imperatori, ac ſereniſſimo Regi Inclitiregni Hungariæ ceteriſque in Civitatibus, terris & locis Chriſtianæ religionis Principibus ac Dominis, humillimas commendationes præmittimus.

XV. *DEcet jurique conſonum eſt, ut quos omnipotens Deus ad cœleſtia elegit, hi ab hominibus venerentur in terris. Mirifica opera, & quæ* Urbs Aſculana. Ibidem.

& quæ Deus ipſe per diverſa mundi climata operatus eſt medio R. P. fratre Joanne de Capiſtrano, Ordinis Minorum Regularis vitæ, & per ipſum qui tot miraculorum inſigniis in vita & poſt mortem claruit, non ſunt occulta, ſed in aperto patent, & maxime vobis ſereniſſimis Dominis, apud quos divino nutu obiit & requievit, & ipſius ſanctitas innotuit, ut ea veneratio ab hominibus Chriſtianæ religionis condigne fiat, omni devotione & conſtantia ſupplicamus vobis DD. antedictis, veſtris apud S. D. N. ſummum Pontificem litteris, & ea qua noveritis efficacia operas ponere, miracula affati Patris propalare, & ſupplicare Beatitudini ſuæ, dignetur præfatum beatum Joannem de Capiſtrano cathalogo Sanctorum adſcribere & aggregare tamquam benemeritum & innumeris miraculis coruſcantem, quæ quotidie Deus per merita & interceſſionem tanti Patris operari dignatur. Per quod ſummum beneficium tota hæc Civitas a ſua ſacra Cæſarea Majeſtate recipiet, cui nos devotiſſimos ſervitores profitemur. Datum Aſculi in Italia, in Provincia Marchiæ die XV. *menſis Julii anno* MCCCCLIX. *ſub impreſſione noſtri conſueti ſigilli.*

E. V. Ser. &c. — *Servitores & filii Antiani, Commune & populi Civitatis Aſculi.*

Urbs Paduana. *Ibidem.*

XVI. *Propter mirificam ſingularemque ſanctimoniam, & tanti nominis famam Joannis de Capiſtrano beatiſſimi noſtri fratris, & Minorum Seraphici Ordinis confiſi, tuam ſacratiſſimam & imperialem Majeſtatem, Reges, Barones & Principes Excellentiſſimos: Nos Bartholomæus de Monte Regali miles & Doctor, Chotbus de Teone miles & Doctor, Bartholomæus Anido Juriſperitus & Artium Doctor, & ad utilia reipublicæ Civitatis Regiæ Paduæ pro Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo Senatu Venetorum deputati, ſummis laudibus Tuæ Majeſtatis memoria, mitiſſime Cæſar, pro noſtræ Catholicæ & fidei ſanctæ amplificatione magnis precibus imploramus & exoramus, ut apud ſanctiſſimum Pontificem, qua ſoles (quia tu Chriſtianorum Princeps, defenſor & Dominus) devotione ſupplices, ut Joannem de Capiſtrano noſtrum, qui tantis miraculis in Dei Eccleſia relucet (nam conſclus es & palpaſti, cum tuis in partibus, tua in ditione, divina voluntate corpore jaceat) in Sanctorum numero & cathalogo deſcribat. Tua pro Majeſtate orabit ad ſuperos, ut pro fidei Chriſtianæ defenſione & gloria vivas, & ipſe Joannes, qui multis in partibus cognitus eſt, tua digna memoria ab omnibus celebrabitur. Valeat tua S. Majeſtas pro totius Chriſtianæ religionis conſervatione, & ad totius univerſi dignitatem & gloriam. Valeat iterum. In quorum fidem has fieri juſſimus ſub noſtri conſueti ſigilli impreſſione. Ex Padua* III. *menſis Julii* MCCCCLIX.

Urbs Tarviſina. *Ibidem.*

XVII. *Invictiſſime Cæſar, & pro fide Catholica acerrime propugnator, Sereniſſime Hungariæ Rex, ceterique Reverendiſſimi* PP. *& DD. Cardinales, Sedis Apoſtolicæ ad eas partes Legati, ac Illuſtriſſimi Chriſtiani Principes. Permultum inherent nobis Proviſoribus ac deputatis Reipublicæ Tarviſii, & univerſi animis populi hujus divinæ vocis ſalutaria præcepta, quæ non verbis tantum, ſed rectis operibus prædicando confirmabat, dum apud nos fuit, vir beatus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Minorum Obſervantiſſimus, qui non tantum ſermones ſuos aliorum ſententiis & verbis currentibus exornabat (ut plerumque fit) ſed abſtinentia, paupertate & ſplendore virtutum. Hæc erant opera quæ homines vincebant, quia & dictis facta conveniebant. Illum permaxime admirabatur populus iſte Tarviſinus, &*

eum

eum magis optabat videre, quam audire; qui hoc animo ad eum accedebat, ut melior fieret. Multa præterea extiterunt ejus prædicationis dicta sancte, sapienter, egregie ad fidelium disciplinam; attamen reperitur sanctimonia vitæ magis profuisse ad sanctissimæ legis augmentum, quam sermonibus. Quidnam causæ fuisse putamus, ut præter omnium existimationem adversus tot bella, tot diaboli insidias, tot adversus fidei hostes tam acriter in Jesu Christi nomine superaverit, prostraverit & devicerit, & per universum terrarum orbem contra sævissimum Turcorum Imperatorem crucis signo se opposuerit? Illud profecto fuit, cum sanctissimam fidem nunciabat vir Dei, tunc se ipsum præbebat in exempla eorum, quæ asperrima videbantur; facilia illa esse demonstrans, si quis modo mentem adhibuisset, vitæ integritate commovebat populos vir electus. Testes estis vos omnes, qui auribus vestris ea monumenta gloriæ sibi comparavit, quæ nulla unquam delebit ætas. Eum denique decet virum bonum & beatum appellare, qui sentiebat, quod loquebatur. Quibus ex rebus & quamplurimis in nos collatis meritis & officiis cogimur & compellimur supplices fieri Imperatoriæ Majestati vestræ, ceterisque omnibus suo Ordine fidei Catholicæ obsequentibus, quantum valent tenues vires nostræ, pro exornanda hujus beati Patris nostri debita devotione ac fide, & pro Christianæ religionis amplitudine, præsertim ut Imperialis vestra Majestas, cui pro auctoritate amplissima hoc convenire dignoscitur, supplicare dignetur apud S. D. N. summum Pontificem pro tanti viri meritis & laboribus pro fide Christi susceptis, quod hoc quidem vobis omnibus facillimum futurum est, ut eumdem, quo id fieri liceat, in sanctorum catalogo conscribi faciat; nihil enim nobis, qui nomini suo dediti sumus, gratius aut optabilius consequi speramus: quod contingere non dubitamus Imperialis Majestatis vestræ potentia, ac reliquorum auctoritate freti, quorum gratiis nos plurimum commendamus. In quorum fidem has fieri jussimus, & sigilli majoris Universitatis nostræ impressione muniri. Tarvisii XX. *Julii* MCCCCLIX.

XVIII. Ut studium magis excitaretur Comitissæ Celani, Capistrano addictissimæ, missæ quæ sequuntur ex Hungaria litteræ, nequidquam necessariæ ultro currenti, & fræno potius, quam calcaribus indigenti. Nihil illa prætermisit huic rei opportunum, etsi multis calamitatibus a Ferdinando Rege postea afflicta Principatu cedere, & a toto regno Neapolitano oportuerit exulare. Scribit de hac re ad Comitissam Celani Vicarius Hungariæ.

Magnificæ & generosæ Dominæ, consorti Domini Comitis de Celano, in Christo sibi plurimum honorandæ.

XIX. *Salutem in salutis auctore Domino Jesu benedicto, generosa Domina in Christo sincere honoranda. Ex infra dicendis perpenditur causa, quid me vestræ Magnificentiæ hanc paginellam scribere cogat; cum enim humanæ conditionis status multiplici motu varietur, nihil in temporalibus, præter unum invenio, quod vitæ cœlestis imaginem repræsentet, scilicet solam dilectionem, quam eventus non alterat corporalis, separatio non dividit, temporis longitudo non abolet; perquam amicos absentes præsentes videmus, alloquimur, amplectimur, quæ etiam* Fortis *dicitur* ut mors, *quia a terrenis separat, imo fortior morte, quia si mors animam separat a corpore, non tamen a caritate, quin vere amator diligat mortuum, quem dilexerat vivum; omni enim tempore diligit, qui vere amicus est. Hinc dicitur de mulieribus sanctis, quæ Dominum sequutæ fuerant a Galilea ministrantes ei, quem non non relinquerunt in morte, sed adstabant pendenti in ligno, requirebant positum* Ibidem. Cantic. 8. 6.

ſitum in ſepulcro, & quem viventem dilexerant, etiam mortuo ſtudio humanitatis & fervore piæ actionis abſequebantur: emerunt (*inquit Evangeliſta*) aromata, ut venientes ungerent Jeſum; *& præcipue de illa, veræ pœnitentiæ forma, Maria ſcilicet Magdalene, cui peccata multa dimiſſa fuerant, quia multum dilexerat, quæ recedentibus Apoſtolis non recedebat, ſed amoris Domini Salvatoris accenſa deſiderio, in requirendo Dominum perſeverabat introſpiciens in monumentum, nec inveniens quem diligebat anima ejus, ſubitum putavit, lacrymas ingeminare cœpit, requirendi vices iteravit, quia vere amanti non ſufficit ſemel quæſiſſe, ſed hoc habet amor impatiens, ut quæſitum iterum quærat. Hæc igitur omnia fecit amor verus, qui numquam excidit a corde vere amantis. Cauſam itaque & finem hujus narrationis de ſincera caritate veſtra Magnificentia attendere dignetur, cujus ſermonis brevi eloquio laudare cupio virum glorioſum, beatum ac Reverendiſſimum quondam Patrem noſtrum fratrem Joannem de Capiſtrano dulcis memoriæ. Hic Pater beatus zelo fidei Chriſtianæ accenſus, ac pro ſalute animarum affectus, cum diverſorum perluſtraret orbium climata, aderam & ego in comitatu ipſius minimus & indignus, cui aſſiſtens memini ſæpenumero veſtræ Magnificentiæ litteras duciſſimas propria manu conſcriptas, omni cum honore eidem Patri beato fuiſſe deiatas, quibus Pater ipſe conſolatus ſe continere non poterat, quin vicariæ caritatis indicium verbotenus oſtenderet, ſciens quia quæcumque ſcripta ſunt, ad ipſius conſolationem ſcripta ſunt in epiſtola veſtra, & nonniſi ex fervore bonæ voluntatis & illibatæ caritatis proceſſerunt. Hic itaque Pater beatus ſublatus eſt jam ſeculo huic nequam, ſtola immortalitatis perpetuæ coronandus; quo adhuc in carne mortali vivente, ſi ejus meritis & precibus tota mentis noſtræ devotione omni cum fiducia nos commendavimus, ipſius interceſſione ſalvari cupientes, quanto magis eidem nos committere debemus, quem pie credimus provectum ante conſpectum gloriæ magni Dei, & gloria & honore coronatum, cujus etiam principatus ita confirmatus eſt, ut omnes in neceſſitatibus conſtituti ad ſe confugientes patrocinium ſentiant ſuorum meritorum & precum? quod ſignorum probant opera mirifica, nam ad ejus invocationem cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, & multi a diverſis infirmitatibus liberantur. Beatus igitur qui non fuerit ſcandalizatus in Patre iſto beato. Si itaque, Domina magnifica, hunc Patrem beatum in vita ſua tanta mentis devotione dilexiſtis, eadem mortuum diligatis ac ſtudio humanitatis proſequamini. Inſtate, laborate & operam diligenter apponite pro ipſius canonizatione, illamque promovete & pro viribus accelerate. Ingratus quiſque eſſe poteſt, qui beneficium tardus aut fatigatus impendit: qui utique tarde fecit, diu noluit: non quod Pater ipſe beatus iis indigeret, qui jam a Sanctis veneratur in cœlis, ſed nos peccatores iis indigemus, qui vivimus in terris, ut & gloria Patris ſit honor filiorum & omnium devotorum ſuorum, cujus meritis & precibus perducl ſperamus ad regna cœlorum, ad quæ veſtram magnificentiam meritis ejuſdem Patris beati perducat Jeſus benedictus primogenitus Mariæ Virginis glorioſæ. Amen. Ex loco noſtro de Zalard. XXI. Januarii anno Domini* MCCCCLIX.

Marci 16. 2.

Fr. Stephanus de Waſſan Ord. Min. de Obſerv. R. P. Miniſtri Generalis in Provincia Hungariæ Vicarius licet immeritus.

XX. Alias de Canariis ſeu Fortunatis aliquot inſulis in Atlantico Oceano in Hiſpanorum poteſtatem redactis, inchoataque per Minores infidelium converſione non ſemel tractavimus, diximuſque in ſancti Lucæ, ſeu *Saniucaris*

caris oppido in Provincia Bethica deſignatam Domum, conſtitutoſque aliquot Fratres, qui mittendis aliis ad prædictarum gentium converſionem, rebuſque neceſſariis miniſtrandis & tranſvehendis eo in loco ita præeſſent, ut a nullo Ordinis ſuperiore in hoc munere impediri poſſent aut perturbari. Sed cum experientia conſtaret non adeo proſpere in negotio converſionis proceſſum, conſultiuſque eſſet omnia dirigi arbitrio & præceptis Vicarii Generalis, Pius Pontifex Fratres tam in Bethica, quam in Canariis degentes, omnimodæ juriſdictioni Vicarii Generalis Obſervantiæ ineunte hoc anno ſubjecit. Sed hinc exorta nova controverſia inter Fratres in prædictis inſulis conſtitutos. Etenim Vicarius Generalis inſtituit eorumdem Fratrum Vicarium Provincialem Petrum de Marchena, cui ſe oppoſuit Fernandus de Salamanca, ab ipſis Fratribus inſulanis electus vigore litterarum Apoſtolicarum Martini V. per quas concedebatur, ut cedente vel decedente Vicario prædictarum inſularum, liceret Fratribus in eiſdem inſulis exiſtentibus alium Vicarium eligere, a Miniſtro Provinciæ Caſtellæ confirmandum; & decedente Fernando, electoque in ejus locum Joanne Logronno amplius perduravit diſſidium.

Miſſio Canarica committitur curæ Vicarii Generalis.

Orta inter inſulares diſcordia.

XXI. His ad Pontificem deductis XVIII. Decembris utrumque depoſuit, novumque eligi juſſit Vicarium ab inſularum Fratribus, Capituli Præſide deſignato Alphonſo Bolano, qui in Bethica curam gerebat inſularum converſionis & Fratrum miſſionis. Electus eſt Rodericus de Utrera, quem ubi poſtea Fratres ſciverunt inter Conventuales profeſſum, nec Obſervantibus legitime adſcriptum, neque conſequenter computari poſſe in eorum numero qui inſularum converſioni erant deſignati, & ex quibus eligi deberet Vicarius: hinc novæ contentiones veteribus additæ, & antiquis diſcordiis aliæ longæ periculoſiores exortæ ſunt. Rogante itaque Didaco, Rubicenſi Epiſcopo, cujus juriſdictioni prædictæ inſulæ erant ſubjectæ, etiam hanc electionem Pontifex irritam voluit, eidemque Alphonſo, ut ad alteram procederet injunxit. Id factum anno ſequenti, & Alphonſus cum tribus vel quatuor Fratribus ſui zeli æmulatoribus, poſtquam per aliquot tempus in paupere eremitorio ſibi vacavit, & ad arduum opus ſe præparavit, tranſivit ad partes Æthiopiæ, vulgariter *Guineæ* nuncupatæ, ante aliquot annos patefacto a Luſitanis aditu, ferociſſimæ gentis ſalutem operaturus. Miſſionis Apoſtolicæ, quod poſt unum aut alterum annum iſthic accepit, inſtrumentum exhibeo.

Fr. Alphon. Bolanus cum aliis tranſit ad partes Æthiopiæ.

Dilecto filio Alphonſo de Bolano, Ordinis Minorum profeſſori.

XXII. *EX aſſuetæ pietatis intuitu Religioſos illos, qui non timentes ſed amantes barbaras nationes, ad illarum converſionem, ut eas Catholicæ fidei acquirant, pergunt intrepidi, libenter favoribus proſequimur & ſpiritualibus gratiis communimus. Cum itaque nos, cupientes Guineæ & alias Provincias ſibi convicinas, & inſulas maritimas omnes in mari magno Oceano poſitas, Catholico gregi adjungi, de tua probitate ac ferventi zelo, quem in te eſſe credimus, ſpecialem in Domino fiduciam ſumentes, ac ſperantes quod tuis operibus ſalutares fructus in agro Dominico afferes, te ad partes illas cum quibuſdis viris religioſis & perſonis ad hoc neceſſariis per te eligendis operaturum exemplo, verbo & opere, ut Athletam fidei decet, in præſentiarum deſtinemus: cupientes ut tu eo magis circa ipſum opus proficere valeas & animoſius procedas, quo majoribus & ſpiritualibus gratiis & privilegiis communitus extiteris, devotioni tuæ omnes & ſingulas facultates ratione* Ex l. 41. bullar. fol. 245.

fidei & hujuſmodi effectus converſionis, Vicario tui Ordinis inſularum Canariæ ex privilegiis Apoſtolicis quomodolibet conceſſas, & quæcumque alia circa effectum converſionis infidelium, & manutentionis converſorum, quæ ipſe facere poteſt, necnon quæ tibi videbuntur prædictæ converſioni & animarum ſaluti & opportuna & neceſſaria faciendi & exequendi facultatem & poteſtatem plenam & liberam per præſentes concedimus, ita ut a nulla Eccleſiaſtica vel mundana perſona in tam ſancto opere valeas impediri. Volentes inſuper & tibi tenore præſentium concedentes, quod tam ta, quam illi qui tibi comites fuerint, & tecum ad opus converſionis & fidei hujuſmodi acceſſerint, omnibus & ſingulis ac illis prorſus ſimilibus indulgentiis, delictorum remiſſionibus, abſolutionibus, diſpenſationibus ac aliis ſpiritualibus gratiis uti & gaudere poſſitis, quibus utuntur & gaudent Vicarius & Fratres inſularum Canariæ prædictarum, ac alii quicumque dicti Ordinis religioſi de Obſervantia nuncupati, & in Africa commorantes, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis. Non obſtantibus noſtris & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Tuderti anno &c. MCCCCLXII. *pridie Idus Decembris, Pontificatus noſtri anno* V.

Fundum Cuſtodiæ Majoricenſis.

XXIII. In Majoricæ inſula cum duos haberent Obſervantes Conventus, unum extra muros urbis Majoricenſis abſolutum, alterum Solaris inchoatum, & alios duos ædificari in Minoricæ & Ivicæ inſulis vicinis hoc anno Pontifex indulſiſſet, & difficile nimis poſſent a Vicario Provinciæ Aragoniæ, cui erant ſubjecti, viſitari, Juratorum ſeu Magiſtratuum inſularum precibus aſſenſit, ut in peculiarem Cuſtodiam erigerentur: *In eminentis Apoſtolicæ dignitatis.* Kal. Novembris.

Moritur Fr. Antonius Bitontinus. *Marian. citat. c. 13. Marc. 3. p. l. 12 c. 43.*

XXIV. Obiit hoc anno in Provincia Apuliæ ſancti Nicolai, Conventu Atellæ, plenus dierum, operibuſque bonis illuſtris Antonius Bitontinus, vir doctus & pius, ſacræ Theologiæ Magiſter, de quo ſæpe mentio incidit ſuperius. Animarum ſitiens ſalutem, decrepita licet ætate, uſque ad vitæ terminum ſingulis diebus feſtivis prædicabat. Ad Dominum migraturus, receptis ſanctis Eccleſiæ Sacramentis, nuda humo jacens, primum ſuppliciter rogavit Fratres, ut erratorum veniam darent, & orationum ac Ordinis ſuffragiorum facerent participem; deinde fraterne omnes exhortatus ad ſuæ Regulæ obſervantiam, in ipſis verbis placide obdormivit. Ingenti ad funus facto populi concurſu, honorifice ſepultus eſt ad ſuos Conſodales: qui dum propter aeris intemperiem poſtea ſedem mutarent, & Antonii corpus ad novum Cœnobium transferre vellent, ab Atellanis non ſunt permiſſi. Locum nunc incolunt Tertii Ordinis profeſſores.

Item Fr. Hieron. a Stupha. *Marian. citat. Marc. citat. & l. 4 c. 32. & l. 5. c. 29. Daza 4. p. lib. 2. c. 28. To. 11. an. 1447. n. 31.*

XXV. In Conventu ſancti Salvatoris urbis Florentiæ hoc etiam anno deceſſit vir ſanctiſſimus Hieronymus de Stupha, genere nobilis, virtute nobilior. A Thoma de Scarlino ſeu Florentino, diximus alias ad Ordinem receptum ſub humili ſtatu laicali, & poſtea propter ingenii acumen virtutiſque ſemina ſibi cœlitus præmonſtrata, ad presbyteratum & prædicandi munus aſſumptum. Ita ille in hoc genere ſe geſſit, ut cumulatiſſimo fructu ubique prædicaret, concurrentibus omnibus hominum Ordinibus. Omne ad prædicandum præludium erat oratio, cœleſtium meditatio, amoris divini erga homines, hominumque erga Deum ingratitudinis conſideratio. In eremitoriis, ſylvis locisque deſertis, inter denſas quercus & fagos prima fecit experimenta, & velut alter Bernardus ſermonum diſponebat materias. Illic vehementer hominum increpabat peccata, illic ferventer ad meliora vocabat, illic Divinam ſummopere commendabat longanimitatem, peramanter rogans auditores caverent ſibi, ne continuo peccatorum irritamento

Inſignis Prædicator. *Vide vitam S. Bern. apud Sur. c. 4.*

to Deum provocarent, ut tarditatem ſupplicii gravitate compenſaret. Eructabat cor ſanctum verbum bonum, & ex abundantia ſpiritus verba proferebat, ex ſolis verbis Chriſti vitæ ſed paſſionis potiſſimum myſteriis aſſidue ruminatis, quidquid proferret, abundanter exhauriens. Interrogatus a Fratribus, ubi, quando, quibus libris ſtuderet? non aliter quam ſanctus Bonaventura reſpondit; ad pedes Chriſti crucifixi, indice demonſtrati, quidquid ſciebat didiciſſe. Vere dixiſſe perceperunt; neque enim in ſeculo plurimum in litteris profecerat, neque in Religione ſtatui laicali adjudicatus quidquam didicerat, neque alios habebat libros, præter quædam fragmenta ſcripturarum a ſe collecta. *Vide Tom. 4. an. 1260. n. 10.*

XXVI. Et quidem præter interiora ſpiritus, etiam hominis exteriora huic muneri videbantur opportuna. Facies jejunio ſqualida, cultus neglectus, habitus rudis & pannoſus, ſtatura humilis, aſpectus devotus, flammulas Divini amoris undique emittens. In laboribus erat aſſiduus, & tamquam ſcintilla in arundineto diſcurrens, per urbes, oppida, vicos & caſtra circuiens, quærebat quem lucrifaceret, ſignis etiam & prodigiis aliquando ſermonem confirmans. Nullus erat ſive doctus ſive indoctus, qui dicentem non libenter audiret, neque tædio afficiebantur, qui per duas aut tres horas concionantem excipiebant. Mira ubicumque prædicabat, videbatur morum reformatio, ita circumſtantium corda penetrantibus ejus verbis veluti ſagittis ignitis, ut vitiis fugatis, bona æmularentur chariſmata, depoſitis odiis pacem cuperent, reſtitutis alienis ſuas facultates pauperibus diſtribuerent, Eccleſias devote frequentarent, Divina reverenter ſumerent Sacramenta. Eo confluebant numero ad ejus ſermones, ut quantumvis ampla, anguſta ſemper eſſet Eccleſia, oporteretque aliquando in campis & in foro prædicare, eoſque ſummo mane exurgere, qui prope aut commode vellent audire.

XXVII. Florentiæ prædicabat tempore quadrageſimali in Templo ſanctæ Crucis Patrum Conventualium Antonius Aretinus, vir illuſtris, Doctor Pariſienſis, & in Cathedrali Hieronymus. Propter eminentem ſcientiam & inſignem modum dicendi per quatuordecim quadrageſimas prædicaverat ea in urbe Antonius, modo vocatus ad Eccleſiam Archiepiſcopalem, modo juſſus in ſua ſermocinari. Qui ad illius conciones accedebant, non eam ſentiebant internam motionem, quam Hieronymi infundebat loquela. Id explicarunt in familiari colloquio quidam Antonii amici, rogaruntque ut vellet cauſam edicere, mirantibus cur doctiſſimæ & facundiſſimæ illius conciones non id efficerent, quod viri ſimpliciſſimi humiles & incompti ſermones? *Qui ab ejus*, inquiunt, *ſermonibus revertuntur, in alios viros omnino immutantur, ineſſu apparent devoti, corde contriti, demiſſo vultu non confabulantes ad invicem, ſed cogitantes qualiter audita perficiant, in domos ſuas proficiſcuntur, vitam in meliorem commutant, male poſſeſſa reſtituunt, & multi mundo penitus valedicunt. Qui te audiunt, hilares & verboſi diſcedunt, nec quomodo vias ſuas corrigant, expendunt, ſed quid in te notent, exquirunt, & tamquam moroſi cenſores, vel a facundia vel ab acumine dicendi commendant, vel ab incaute prolatis vel indiſcrete reprehenſis exagitant. Dicam*, inquit ille, *ſincere, nec meam inopiam nec illius occultabo virtutem. Ego quod in libris reperio, abſque ſpiritus fervore depromo, nec in me flammas illas accendo, quibus alios debeam ignire. Carbo ſum, ſed mortificatus & pene extinctus, quomodo ligna arida ſuccendam? At iſte pauperculus & ſimplex vir totus exardeſcit, ignitum eloquium ejus vehementer; ſuis verbis pauliſper inſufflat, & ſcintillæ ſuæ ardentis caritatis vos frigidos & ligna* Fructuoſæ ejus conciones, & quare?

arida faciliter incendunt. Paulo poſt doctus hic magiſter Hieronymi æmulatus virtutem, ad Obſervantes tranſivit, abjectiſque inanibus Rhetoricæ floſculis, deinceps prædicavit non in humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione virtutis.

XXVIII. Cum ſemel Mediolani & bis Patavii Hieronymus prædicaſſet, Doctores & Magiſtri ſuas omittebant lectiones, ut ſcholares concionantem audirent: *Abite*, dicebant, *audite prædicatorem optimarum ſententiarum, ſed peſſimæ Rhetoricæ; fructum carpite, folia negligite*. Dum primum Patavii prædicaret, præter alios concionatores illic ſermones habebant duo celeberrimi viri, famoſiſſimæ Italiæ tubæ, Alexander a Saxoferrato Eremita Auguſtinianus, doctrinæ excellentia & virtutum meritis poſthæc ad Cardinalatum evectus, & Nicolaus Spinellus Florentinus Minorita Conventualis ſacræ Theologiæ Magiſter, hoc anno relictus a Jacobo Generali Miniſtro in Hiſpaniam proficiſcente, totius Italiæ Vicarius Generalis. Æqua dicendi facundia dimidiaverant urbem, ita ut cui deberetur palma, videretur incertum. Sed nondum media pars quadrageſimæ pertranſiit, quando totum ad Hieronymum auditorium deflexit, eoque fructu docuiſſe probavit, ut primas ei tunc dederint cives, & ad præcipuum ſequentis anni ſuggeſtum invitarint. Venetiis eo fructu & applauſu prædicavit, ut licet prædictus Spinellus, aliique celeberrimi viri eodem munere fungerentur, ſolus juſſus ſit in die Paraſceves concionari in templo ſancti Pauli præſente Duce & Senatu, qui domum abeuntem ſumma reverentia aſſociarunt uſque ad Conventum de Vineis.

XXIX. Demum poſt innumeros labores pro ſalute animarum ſervide ſuſceptos, poſt multa opera laudabilia, poſt vitam ſanctiſſime tranſactam & miraculis comprobatam, feliciter obdormivit in Domino. Univerſus accurrit populus ad venerandum & oſculandum corpus, qui Fratribus in communi religioſorum Confodalium cœmeterio condere volentibus reſtitit, & in peculiari ſepulcro capſa incluſum intra clauſtrum loco depoſiti reverenter collocarunt, donec anguſta Eccleſia ampliaretur, & nobili conſtruendo locus eſſet mauſoleo. Sed cum clauſtrum poſt aliquot annos commodius reficeretur, qui tunc aderant Fratres, inventum Hieronymi corpus, ejus ignari virtutis, communi cœmeterio invexerunt, aliiſque oſſibus immiſcuerunt.

Marian. citat. Et Fr. Philippus Aſculanus.

XXX. Hoc etiam tempore obiit Philippus Aſculanus laicus, qui primus Eccleſiam antiquam Virginis Annunciatæ extra Aſculum incœpit. In culina multis annis humiliter & caritative Fratribus inſerviit, ſed labores manuum ſuarum non manducabat, ſolo pane & herbis perpetuo contentus. Humilitatem, obedientiam & paupertatem perfecte ſectatus, meruit in nocte Nativitatis Chriſti in urbe Auximana beatam Virginem conſpicere, & ex ejus ulnis Jeſum infantulum excipere. Mirum hunc favorem propriis oculis vidit Petrus de ſancto Severino ejus Guardianus. In vita & poſt mortem miraculis claruit, illudque præ ceteris commemoratur, quod Jacobum Georgii de Coraza civem Auximanum regionis Canatii, annis duobus arido brachio laborantem perfecte ſanarit. Sepultum Auximi ſcribit Marcus Ulyſſiponenſis, etſi alibi dixerit jacere in Provincia ſancti Angeli. Alios præclaros viros habebat hoc tempore Civitas Aſculana, Joannem, Bernardum, Marianum & Petrum, ab ea urbe communiter cognominatos.

Marc. 3. p. l. 7. c. 44. Lib. 4. c. 32.

Necnon Fr. Demetrius Inſuber. *Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 7.*

XXXI. Monumenta Provinciæ ſancti Franciſci hoc anno deceſſiſſe referunt Demetrium Inſubrem, cujus converſionem ita refert Gonzaga. Cum ab Hungarica quadam expeditione in patriam reverteretur, quarto a Zara, ma-

maritimo portu, milliari, dum adhuc in mari eſſet, circa tertiam noctis horam funeſtam vocem, ita importune inſonantem, audivit: *ſtrue ignem, nam Caligarus Zarenſis* (*publicus ſcilicet fœnerator*) *mortuus eſt*. Ubi Zaram appulit, atque de miſeranda morte, quæ ipſa illa hora contigit, qua vocem audierat, certior factus eſt, vitam in melius commutare propoſuit, & demum ſuſcepto habitu in Conventu ſanctæ Catarinæ Montis-Luci prope Spoletum, tantopere in omni virtutum genere profecit, ut moriens plura ediderit miracula. Ejus corpus honorifice ibidem cuſtoditur in ſacello beati Franciſci Papienſis. Alius eſt hic a Demetrio Albano Tertiario, qui per annos quinquaginta vitam egit eremiticam in prædicto monte, valde divexatus a Dæmoniis, ſed multiplici conſolatione & viſitatione a beata Virgine confortatus. Jacet in Conventu ſancti Pauli prope eamdem urbem. Demetrius Albanus. *Marian. lib. 5. c. 30. Marc. l. 9. c. 17.*

XXXII. Hoc anno III. Novembris diem clauſit extremum beatus Joannes Nurſinus, nobili ſtirpe natus, qui contemptis parentibus, & divitiis quibus abundabant, anno MCCCCXXIII. ſuſcepit habitum Minorum ſub ſtatu laicali in Conventu ſancti Bartholomæi extra Nurſiæ Civitatem, qui ab eo loco ad alium urbi viciniorem anno MDXXIV. ſub titulo Annunciatæ, translatis trium piorum Minoritarum oſſibus, mutatus eſt. Vir fuit auſteræ vitæ & pœnitentiæ, miræ paupertatis, in tolerandis adverſitatibus ſingularis patientiæ, atque in peragendis rebus ſubditiſque regendis admirabilis prudentiæ. Miraculis clarus poſt diutinum languorem obdormivit in Domino in Conventu ſancti Bartholomæi prope Fulgineum, anno ætatis quinquageſimo, relicto in cubiculo per multos menſes odore ſuaviſſimo. Moritur B. Joan. Nurſinus. *Jacobill. de SS. Fulgin. fol. 161. Specul. Minor. Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 15.*

XXXIII. Aſſumptus eſt hoc anno ad Epiſcopatum Tinien. in Dalmatia, ſub Archiep. Spalatenſi frater Franciſcus Sperancich, per obitum Benedicti ab Eccleſia Zagabrien. ad iſtam translati III. Idus Julii. Ad Berſabien. in partibus infidelium, per obitum Petri frater Joannes a Sartorio ſuffraganeus Epiſcopi Herberſtadienſis pridie Idus Martii. Fratris Georgii Minoritæ olim Theologiæ profeſſoris Epiſcopi Sebaſten. in eiſdem partibus occurrit hoc anno mentio in regeſto Pii ſub XIV. Kal. Julii, & Franciſci de Caſale viri docti, cui conſertur Monaſterium ſancti Michaelis de Salvero Ordinis Vallis-Umbroſæ, dioec. Plonacenſis XVIII. Kal. Maii. Fr. Franciſcus Epiſc. Tinien. Fr. Joan. Berſabien. Fr. Georgius Sebaſten. Fr. Franciſcus de Caſale.

XXXIV. Zegerius de Diſmuda Commiſſarius Obſervantum familiæ Ultramontanæ in Curia Romana, obtinuit hoc anno a Pontifice, ut Religioſi Ultramontani ſtationes Urbis in ſuis Conventibus peragere, & ſtatutas poſſent lucrari Indulgentias, appoſitis quibuſdam conditionibus. Id ipſum opera Cardinalis Cuſani conceſſum eſt Clariſſis. Do Pontificis diploma & Zegerii teſtimonium. Conceduntur Minoribus ſtationes & Indulgentia Urbis.

Dilecto filio Joanni Mongini Vicario Generali Ultramontano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

Digna exauditione vota perſonorum humilium, maxime Divinis laudibus, ſacræque Religionis Obſervantiæ deditarum, Apoſtolica nos convenit favore proſequi, & ipſarum preces, præſertim ex quibus ſine cujuſcumque præjudicio honor Dei & animarum ſalus provenire valeat, favorabiliter exaudire. Cum itaque nuper ex parte dilecti filii Zegerii Guardiani de Diſmuda, Ordinis veſtri Minorum, pro tua familia in noſtra Romana Curia tui Commiſſarii, expoſitum fuerit, dilectos filios Fratres Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia regulari continue in Ultramontanis partibus degentes, ad quam ſinceram gerimus devotionem, gratias & Indulgentias ad ſuarum animo- Ex reg. Ordinis.

marum ſalutem & ſpiritualem conſolationem a nobis in humilitate frequenter & ſæpiſſime deſiderare, ut in dulcedine Divini amoris per nos conſolati, ſemper & eo ferventius ad Apoſtolicam noſtram Sedem, cui ſecundum Regulæ ſuæ inſtitnta ſpecialiter ſunt ſubjecti, in diei majorem devotionem acquirant, quanto ſe ſenſerint in Diviua pietate benignius de Indulgentiis & gratiis ſpiritualibus conſolatos. Unde ſæpe contingere poteſt, aliquos ex ſupradictis Fratribus, quodam fervore ad acquirendas Indulgentias in Alma Urbe, in locis ſanctis, in diebus ſtationum viſitantibus hujuſmodi loca & ſtationes conceſſas, extendi: ex quo tibi Vicario Generali & aliis ſuis Prælatis tibi ſubjectis, ad obtinendam licentiam viſitandi almam Urbem infeſti ſunt & moleſti; unde etiam per diverſos diſcurſus, Religioſis omnibus inutiles & nocivos, diverſa ſcandala oriuntur, itaut id quod ipſis aliquo modo videtur in devotionem, potius tamen propter ſupraſcripta, atque etiam propter diſtantiam locorum & itineris perplexitatem, in ſuarum poſſit cedere periculum animarum & detrimentum. Quare pro parte ipſius tui Commiſſarii prædicti humiliter petitio nobis oblata continebat, quatenus ipſos Fratres paterno affectu miſericorditer reſpicere, ipſiſque Fratribus tuæ Ultramontanæ familiæ, in augmentum devotionis & ſpiritualis exercitii, de hujuſmodi Indulgentiis in Alma Urbe, in locis ſacris, & diebus ſtationum per Romanum Pontificem conceſſis, de Apoſtolica & conſueta pietate providere dignaremur. Nos igitur, qui omnium Religioſorum, maxime illorum, qui in vera & indubitata Obſervantia Deo ſervire & vota ſua in populi ædificationem reddere cordialiter affectant, curam gerimus ſingularem, etiam in omnibus quæ ad Dei laudem & devotionis augmentum, & ſuarum animarum ſalutem &c. paterno affectu conſolari cupimus, pium & laudabile ipſius Commiſſarii tui deſiderium plurimum commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, affectantes omnes Fratres de Obſervantia tuæ familiæ Ultramontanæ a diſcurſibus præſervari, & quantum cum Deo valemus, ad fervorem devotionis accendi, & in quietis ſpiritu Domino famulari, tibi Vicario ac tuis pro tempore ſucceſſoribus ceteriſque Fratribus tuæ familiæ præſentibus & futuris, quod omnes & ſingulas indulgentias & remiſſiones viſitantibus ſacra loca almæ Urbis &c. in diebus ſtationum per nos & Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſas, quas hic volumus de ſingulari gratia, ac ſi præſentibus inſererentur, haberi pro ſufficienter expreſſis, in veſtris locis promereri poſſitis, per præſentes pie concedimus & ſpeciali dono gratiæ indulgemus, ac eas ad veſtra loca pro vobis damtaxat extendimus & prorogamus; ita tamen quod ordinatis in veſtris locis in honorem ac reverentiam Dei, ſuæque benedictæ matris Mariæ, Apoſtolorumque Petri & Pauli, omniumque Sanctorum & Sanctarum ſpecialium titulis ad inſtar ſacrorum locorum almæ Urbis, in quibus ſtationes ſervantur, ipſiſque diebus debitis viſitatis, quoties hujuſmodi Indulgentias ſeu gratias ſpiritnales promereri deſideraveritis aut quilibet veſtrum deſideraverit, ſeptem Pſalmos & alias devotas orationes æquivalentes, ſecundum diſcretionem veſtrorum Confeſſorum, qualibet vice pro nobis ac ſucceſſoribus noſtris ſanctaque matre Eccleſia, & eunctio populo Chriſtiano dicere cum devotione debebitis ac quilibet veſtrum tenebitur & obligabitnr, alioquin hujuſmodi Indulgentiæ vobis minime ſuffragentur. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

In Chriſto ſibi cariſſimis, venerandis Patribus & Fratribus noſtræ familiæ Ordinis Minorum, de Obſervantia vulgariter nuncupatorum, Cismontanarum partium: frater Zegerius Reverendiſſimi P. Miniſtri Generalis Ordinis noſtri Minorum quoad Fratres de Obſervantia vulgariter nuncupatos, Cismontanarum partium Generalis Vicarius, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam, & præſentibus fidem adhibere indubiam.

XXXV. *CUm nuper anno* MCCCCLIX. *menſis Martii die* XIII. *ad humilem inſtantiam, ſanctiſſimus Dominus noſter Papa Pius Fratribus noſtræ familiæ in conſolationem animarum ſuarum & in augmentum devotionis pie & miſericorditer conceſſerit, quod mediantibus ſeptem pſalmis pœnitentialibus cum Litaniis pro ſtatu ſanctæ matris Eccleſiæ dicendis, poſſint promereri omnes Indulgentias almæ Urbis, etiam in diebus ſtationum, ad triennium duraturas, quas quidem Indulgentias idem Sanctiſſimus Papa vivæ vocis oraculo confirmavit* XV. *die menſis Martii anno* LX. *Ne tamen exſpirato tempore ipſi Fratres jam multipliciter per hujuſmodi indulgentias in Chriſto conſolati, quamcumque evagationis occaſionem acciperent, per devotam petitionem & ſanctam informationem Reverendiſſimi Domini Nicolai de Cuſa, Cardinalis tituli ſancti Petri ad Vincula, ipſe ſanctiſſimus Dominus noſter hujuſmodi indulgentias perpetuo ipſis Fratribus pie confirmavit & conceſſit, & ad Sorores ſanctæ Claræ extendit, prout in ſupplicatione manu propria ipſius Reverendiſſimi Domini Cardinalis ſignata clarius continetur, cujus forma ſubſequitur & eſt talis. Cum Fratres Minores in Regulari Obſervantia ſub Vicario Generali Ultramontano Domino famulantes, ſpirituales theſauros indulgentiarum dietim emulare cupiant, humiliter a ſanctiſſimo Domino noſtro petiit, ut ipſi certas capellas & loca devota in ſuis Eccleſiis & Oratoriis contenta viſitando, illas & eaſdem indulgentias promereri valeant, quas perſonaliter viſitando Eccleſias, Oratoria, capellas & altaria in Alma Urbe conſiſtentia etiam in diebus ſtationum promereri poſſent, attento quod per iſtam piam conceſſionem nulli præjudicium infertur, a Fratribus multa materia evagationis vocivæ aufertur, eiſque occaſio plurima occupationis ſanctæ confertur. Et extendatur hujuſmodi gratiæ conceſſio ad Moniales ſanctæ Claræ in Obſervantia Regulari ſub Vicario Generali Ultramontano viventes, & ſufficiat ſanctiſſimi Domini conſenſus per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem ſancti Petri ad Vincula relatus:* Placet ſanctiſſimo Domino noſtro, quamdiu in Obſervantia fuerint. Et quod ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litania dicant viſitando loca per eos deputanda. *N. Cardinalis ſancti Petri manu propria, anno* MCCCCLXII. *die* IV. *Februarii. Et ne in hoc Fratres quovis modo dubitare poſſent, eamdem ſupplicationem in forma idem Sanctiſſimus ſecundario confirmavit* IV. *die Martii, cum declaratione quod Fratres laici dicere poſſint loco ſeptem Pſalmorum* Pater noſter *ſecundum declarationem ſuorum Prælatorum, prout in ſimili ſupplicatione manu ejuſdem Reverendiſſimi Domini ſignata clarius apparere poteſt. Et ne propter diverſitatem Prælatorum diverſimode ipſi Fratres laici quantum ad numerum de* Pater noſter *graventur, volo quod quilibet Frater laicus pro hujuſmodi Indulgentia dicat* viginti Pater noſter, *& totidem* Ave Maria. *Et ne ingrati videamur de tanto beneficio, obſecro in viſceribus caritatis Chriſti omnes Fratres meos, quatenus ſemel ſaltem in eorum vita velint Sacerdotes dicere unam Miſſam pro ſanctiſſimo Domino noſtro, & unam pro Reverendiſſimo Domino Cardinale & pro omnibus, qui pro hujuſmodi Indulgentiis laboraverunt, tertiam pro con-*

Ex Reg. Ordinis.

conſervatione noſtræ familiæ, & ſacræ Obſervantiæ unione, quartam pro me pauperculo ſerva dictæ familiæ, licet inutili; & quintam pro animabus defunctorum, pro quibus ego obligatus ſum vel aliquis ex noſtris potuit eſſe obligatus. Fratres vero clerici & laici dicant quinquies quindecim Pater noſter *& Ave Maria; ut ſic tamquam grati de beneficio tam ſingulariſſimo, Deo gratias reddere, & gratiam ampliorem promereri infimul valeamus. Iſtis ergo omnibus conſideratis, per præſentes vobis omnibus certifico, quod omnes Fratres noſtræ familiæ ac etiam Sorores ſanctæ Claræ nobis ſubditæ, viſitanda certas capellas & alia loca per Superiores deputata in earum Conventibus, locis ſeu Eremitoriis, ob reverentiam Eccleſiarum & ſacrorum locorum ac etiam Altarium Urbis Almæ, poſſunt promereri, & promerentur omnes & ſingulas Indulgentias, ac ſi perſonaliter in Alma Urbe conſtituti viſitarent Eccleſias, loca ſacra & Altaria ipſius Almæ Urbis, dicendo Pſalmos ſeptem, vel* Pater noſter, *ut dictum eſt; & hoc quoties voluerint & devotioni ſe dederint quolibet die anni & qualibet hora diei. Datum in ſignum veritatis omnium prædictorum anno Domini* MCCCCLXII. *in Conventu Salamantina* XV. *die Novembris ſub ſigillo officii mei ac ſigno manuali.*

Frater Zegerius Generalis Vicarius & ſervus familiæ Cismontanæ licet immeritus.

Lupus de Salinas traductus apud Comites Harenſes. *Ex l. 4. bullar. fol. 89.*

XXXVI. Lupus de Salinas, quem toties laudavimus, & Comitibus de Haro diximus apprime dilectum, eorumque opera & auxilio plures domos de Obſervantia intra illorum dominium aliiſque locis vicinis conſtruxiſſe; tamdem adverſariorum inſidiis adeo traductus fuit, vel ſuborta aliqua controverſia inter ipſum & Comites, eo prorupit indignatio, ut Petrus Fernandi de Velaſco & Beatrix Manrique, Harenſes Comites hoc anno ſuas tranſmiſerint querelas ad Pontificem, eum ſcilicet quamdam regulam & vivendi normam a Regula ſancti Franciſci longe diſtantem, imo vero in pleriſque articulis contrariam tradidiſſe, & publice aſſerere non dubitaſſe, neminem poſſe ſolam Regulam ſancti Franciſci ſine prædicta ejus norma ſervare; & proinde timendum valde eſſe ne ipſe novam aliquam Regulam adinvenerit, aut forſitan in aliquo a recta fide deviarit; idque eo periculoſius, quo præſumptuoſius ille tantam ſibi in eiſdem domibus auctoritatem vendicaverit, ut licet ad eum minime ſpectaret, ſolus tamen vellet domos prædictas viſitare ac regere, nulla habita ratione Cuſtodis *Cuſtodiæ citra Portus* nuncupatæ, intra cujus limites domus illæ erant conſtitutæ; in regimine etiam ſe indiſcrete geſſiſſe, & odio ac livori plurimum ſuccubuiſſe, adjectis aliis contra eumdem ejuſque ſocios criminibus. Decrevit itaque Pontifex, ut in eos Ludovicus de Saja prædictæ Cuſtodiæ Cuſtos (cujus fortaſſis ſuggeſtione hæc objiciebantur) ſevere animadverteret, ſibi omnem auctoritatem in prædictas domos aſſumeret, eaſque pro ſui muneris ratione gubernaret.

Marc. 3. p. l. 2. c. 27.

XXXVII. Res ſane mira, vel quod tot annis, quibus earum habuerunt virum hunc, nihil in eo viderint reprehenſione dignum prædicti Principes, vel quod tot ſimul hoc anno deprehenderint in eo flagitia! Neſcio an Comitum inconſtantiæ aut credendi facilitati, vel calumniatorum artibus iſthæc attribuam. Novi quod res eſt lubrica Principum favor, quod in aula crebra ardet invidia, & quod in promptu ſunt variæ ſuſpiciones & criminandi multiplex occaſio. Non defuerunt qui virum religioſiſſimum indigne traducerent, ut ab ea, qua apud Fratres auctoritate pollebat, deturbarent.

Ve-

Vere ex eorum ſuerunt numero, qui *Rapiebant violenter egenum, & pauperem affligebant, & opprimebant calumnia abſque judicio.* Inſidiarum ignarus ille, ſibi ſuiſque regendis ſecure vacabat, nec quidquam ſcivit, donec e ſuo gradu dejectus eſt. Non magno hujuſmodi emitur victoria, ubi nemo repugnat, & prius vir bonus opprimitur, quam ſe peti cognoſcat: *Nihil audet palam calumniator, ſed perinde atque qui ex inſidiis tranſverſi boſtem invadunt, ex abdito aliunde ſpecu jaculantur, ut non ſit qui contra vel mittere telum vel manu contendere poſſit, boſtiſque ignarus fraudiſque inſcius occumbat.* Ita plane factum cum Lupo ſive Lopetio, qui prius auctoritatis Apoſtolicæ pondere eliſus eſt, quam ſibi parari malum ſuſpicaretur. Ceſſit ille adverſariorum furori, & ad loca ſolitaria receſſit. Vitæ contemplativæ ſtudioſiſſimus Eremitorium ſanctæ Mariæ de Linaribus perquam opportunum delegit, ubi virtutem magnis auxit incrementis. Hinc Methymnam Pomerii ferme violenter abreptus, ut Comitis-Stabuli Regni Caſtellæ confeſſiones exciperet, ibidem ſanctiſſime deceſſit ſepultus apud Clariſſas ad latus Evangelii, nobili donatus tumulo ab ipſis Comitibus Harenſibus. Profecto de illo appoſite dicetur: *Venient ad te curvi, filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi.*

Ezech. 22. 29.

Lucian. orat. de calumnia.

De urbatos ab Officio.

Recedit in ſolitudinem.

Pie moritur & honorifice ſepelitur.

Iſaiæ 60. 14.

XXXVIII. Struebatur hoc tempore inſigne ſancti Bernardini Templum apud urbem Aquilanam, juxta præſcriptam a beato Jacobo Piceno menſuram. Viſum perrexit hoc anno Vicarius Generalis Baptiſta de Levanto, probavitque Templi molem, tanto Bernardini corporis theſauro haud indignam; ſed Fratrum adjiciendum habitaculum miris circumſcripſit paupertatis legibus, per Patres Capitulares tunc ibidem congregatos approbatis. Operi præfecit Franciſcum Aquilanum, virum timoratum & paupertatis zelatorem. Crevit poſtea tantis augmentis Cœnobium, ut paucis aut nulli cedat in Italia noſtri Inſtituti. Hinc Genuam dilapſus Vicarius, transfretavit in Corſicam, novella germina Obſervantiæ rigaturus, & fidei propagandæ tuendæque contra hoſtes, qui libere ea in inſula graſſabantur, Miniſtros deſignaturus.

Cura Vicarii Generalis circa ſtructuram Cœnobii ſancti Bernardini.

XXXIX. Philippus de Maſſa primum laicus, deinde ſacerdos, de quo alias diximus, variæ ſortis & opinionis vir, quem beatus Joannes Capiſtranus aliquando carum habuit, & ad ſacerdotium promovit, demum a ſuo pepulit conſortio, quem etiam Calixtus III. ad familiare frequenter admittebat colloquium, & ad ſedandas graves controverſias Senenſium civium inter ſe feraliter diſſidentium, avertendumque bellum, quod Comes Jacobus Picinninus a factioſis civibus vocatus inferebat, deſtinavit, & mox Venetias relegavit, nec ad ſuum conſpectum redire permiſit, de qua re querulas ille miſit ad Pontificem litteras in Ordinis Regeſto tranſcriptas. Poſtremo ſub Pio Pontifice in Urbem venit, eamque apud eum invenit gratiam, ut multa ab illo acceperit, præſertim licentiam ut Conventum ſibi ſuiſque ſociis ædificaret prope oppidum Palumbariæ gentis Sabellicæ, vel in alio loco, quem magis opportunum judicaret. Delegit autem ille apud Geoazzanum, Prænestinæ diœceſis vicum, devotum & ſolitarium locum prope Eccleſiunculam ſanctæ Mariæ de Campo, ubi humile ædificium conſtruxit Fratribus victuris in Obſervantia Regulari, ſub odedientia tamen Miniſtri Generalis & Miniſtri provinciæ Romaoæ; Vicario enim Generali Baptiſtæ da Levanto, & Angelo de Bulſeno Procuratori valde offenſus erat, quia ſeveriori diſciplina ejus libertatem & pronitatem ingerendi ſe negotiis ſecularibus coercebant.

Tom. 12. *anno* 1413. n. 13. *Ex Reg. Ordinis.* Fr. Philippus de Maſſa vir inconſtans in viis ſuis. *Vide Malavolt. in hiſtor. Senens. p.* 3. *lib.* 4.

Ædificat Conventum Genazzani.

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 252.
1459.	an. 1. & 2.	anno 20.	

Conventus Palumbariæ. * *Nunc Diœc. Sabinen.*

XL. Paulo poſt applicuit animum ad conſtruendum aliud Cœnobium prope Palumbariam, * Tyburtinæ diœceſis, ad mille paſſus ab eo loco, quo famoſum Aureliani & Philippi ſubſtitit palatium, cujus adhuc veſtigia cernuntur. Jacobus Sabellius oppidi dominus ſumptus conceſſit. Eccleſiam ſub nomine ſancti Franciſci conſecravit Joannes Bitontinus Epiſcopus Minorita. Prope Conventum eſt ædicula ſanctæ Mariæ ad Nives, oppidanis celebris

Gonz. in Provin. Rom. Con. 17.

prnpter nundinas ſolemnemque feſtivitatem, quam illic Nonis Auguſti concelebrant.

Ex l. 6. bullar. fol. 10. Conv. Cluſien.

XLI. Cluſienſes cives in Etruria Cœnobium antiquum ſancti Franciſci extra portam Civitatis olim conſiſtens, & a longo tempore propter bellorum turbines ſolo æquatum, ante aliquot annos reſtituere cœperunt, a Fratribus tamen de Obſervantia inhabitandum. Refectum repetere voluerunt Conventuales, quibus cives reſtiterunt, nec aliter componi potuit controverſia, donec Angelus de Peruſio Miniſter Generalis illuc profectus, promiſit ſe uniſſurum Fratres de Obſervantia ſub regimine fratris Sanctis Boncordis de Penna, ſacræ Theologiæ profeſſoris, ſui Vciarii & Commiſſarii ibidem deputati. Poſt annos octo prædicto Sancte inde amoto per Miniſtrum Generalem, Conventuales ſubintrare ſatagebant, unde novæ lites & rixæ ſubortæ ſunt. Has ſopire volens Pontifex hoc anno ſtatuit, ut domus deinceps ab Obſervantibus habitaretur.

Conv. Retii * *al.* Rochi.

XLII. Nobiles viri Joannes de Carreto, Finarii, & Emanuel Cravarii & Retii, * diœceſis Albinganenſis, Marchiones, necnon Univerſitas prædicti Caſtri Retii dederunt fratri Georgio de Albania Eccleſiam beatæ Mariæ de Sepulcro, ſitam in territorio prædicti Caſtri, ut pro ſe & Fratribus de Obſervantia Conventum adjungeret. Probavit hoc anno Pontifex donationem, conſtruendique Conventus facultatem conceſſit. Conſtructionem hanc in annum MCCCCXC. differt Gonzaga, tribuitque pio viro Michaeli de

Gonz. in Provin. Genua Conv. 10.

Axeretis. Forte debile poſuit initium Georgius, & Michael poſt aliquot annos abſolvit.

Conv. Vigheriæ. *Iodid. Conv. 55. Ex lib. 31. bullar. Pii II. fol. 354.*

XLIII. Nobilis vidua Luchina, olim conjux Ludovici de Verine Comitis, obtinuit hoc anno facultatem a Pontifice ædificandi in oppido Vigheriæ, Terdonenſis diœceſis Conventum Fratrum de Obſervantia. Id poſtea præſtitit in loco amœno CC.P. ab oppido, conſtructo commodo ædificio ſub titulo ſanctæ Mariæ de Gratiis, quas vere largitur ad præſentiam pulcherrimæ Imaginis, quæ ibidem in veneratione habetur. Gaudet Conventus amplis hortis & vicino querceto, quo plurimum Fratres recreantur. Male referunt aliqui a ſancto Bernardino, ante multos annos defuncto, fuiſſe conſtructum.

Conv. Caſtri Leonis. *Ex lib. 1. de diverſ. form. anno 2. Pii II. fol. 22.*

XLIV. Blanca Maria, Duciſſa Mediolanenſis, recreandi animi gratia ſæpe ad Caſtrum Leonis, Cremonenſis diœceſis cum tota ſua Curia divertebat. Petiit a Pontifice licentiam illic conſtruendi Conventum Minorum prope Eccleſiam ſanctæ Marthæ, cujus domus & clauſtrum contigua a gente occupabatur armigera. Exaudivit Pius piam fœminam, vel eo præſertim titulo, quod in circuitu per multa milliaria nulla eſſet domus Religioſorum, ibique tantum duo eſſent presbyteri curam animarum habentes, & nullus eſſet, qui Dei verbum in populis ſeminaret. Anno ſequenti obtinuit Duciſſa ut domus hæc daretur Amadeo Hiſpano, de quo diffuſe nobis agendum erit inferius. Vocata eſt ſub ejus regimine domus ſanctæ Mariæ de Breſſanorio Caſtri Leonis. Fuit caput Cuſtodiæ Fratrum Amadeitarum.

Conv. Squillatii. *Ex l. 6. bullar. fol. 13.*

XLV. Vicario & Fratribus provinciæ Calabriæ Regularis Obſervantiæ indulſit Pontifex hoc anno, ut unum Conventum in Civitate Squillatii,

ſub

ſub vocabulo beatæ Mariæ de Miſericordia, & duos alios in locis opportunis ædificarent. Ea in Urbe, quæ intra Provinciam ſeptem Martyrum continetur, domicilium habent Obſervantes, ſub titulo tamen ſancti Antonii de Padua. Duplex ſortaſſis erat vocabulum, & abolito primo ſecundum permanſit. Quo certo anno quove auctore domus ſit conſtructa, Gonzaga dicit neſciri, conjectatque a Borgia gente, penes quam eſt jus patronatus, fuiſſe fabricatam. *Gonz. in Prov. Martyr. Con. 19.*

XLVI. Prope Medamam, vulgo *Nicotera*, Calabriæ item Civitatem, ad littus maris Mediterranei, hoc anno iidem Fratres Obſervantiæ Conventum acceperunt opera beati Pauli Sinopolitani. Commodum eſt Cœnobium, triginta Fratrum capax, prædicti Pauli corpore, & veneranda beatæ Virginis Mariæ imagine Medamitis commendatiſſimum. *Conv. Nicoteræ. Indid. Conv. 14.*

XLVII. Foſſæ Clodiæ, vulgo Italico *Chioggia*, urbis in inſulis Venetis, Senatus & cives petierunt tradi Obſervantibus Cœnobium ſancti Franciſci extra muros Civitatis ante multos annos conſtructum. Annuente hoc anno Pontifice ita factum eſt; ſed cum bella in iis partibus vigerent, timerentque Clodiani ne ex Conventu, muris propinquo, periculum Urbi reſultaret, ex Senatus conſulto domus ſolo æquata eſt, Fratribus ad alium domicilium intra mœnia translatis. Sed cum nimis anguſte habitarent, bellumque ceſſaret, placuit dirutum Cœnobium reficere, urbanumque domicilium ad infirmorum peregrinorumque uſum relinquere. Præceperat quidam hujus loci Guardianus inutilem aridamque horti herbam immiſſo igne comburi, ſed reliqua exuſta, cum pars quædam voraci flammæ non ſemel reſtitiſſet, Guardianus cauſam veſtigaturus, ſubmiſſam terram fodi juſſit, apparuitque pulcherrima beatæ Virginis imago. Decenti loco religioſe collocata multis coruſcat miraculis. *Conv. Clodianus Gonz. in Provin. ſancti Antonii Conv. 14.*

XLVIII. Anna Cypria Ludovici Sabaudiæ Ducis uxor, erga Religionem Minorum, eorum præſertim qui de Obſervantia vocabantur, valde propenſa, hoc anno impetravit a Pontifice facultatem eis ædificandi Conventus duos in ſui mariti dominiis. Quid vero poſtea fecerit, incompertum. *Ex lib. 32. bullar. fol. 265. Anna Cypria Religioni addicta.*

XLIX. Conventus Pampilonenſis, de quo alias ſcripſimus, propter varias Gallorum & Hiſpanorum diſſenſiones, varias etiam paſſus eſt viciſſitudines. Etenim ante aliquot annos propter bella, quibus partes illæ miſerabiliter vexatæ ſunt, cum omnibus officinis & ædificiis proſtratus eſt, & Fratres per Gubernatorem urbis, aſſentiente etiam Beſſarione Cardinale, tunc Epiſcopo Pampilonenſi, translati ſunt ad domos parochialis Eccleſiæ ſancti Laurentii intra urbem conſtitutæ. Conceſſit hoc anno Pontifex, ut ibidem commorari poſſent, donec dirutum reficeretur Cœnobium. At refectum iterum deſtructum eſt, uti alias diximus, ſub Carolo V. Imperatore bellum gerente cum Franciſco Gallorum Rege, ſed ab eodem Carolo compenſatum, alio intra Urbis vallum conſtructo. *Tom. 3. anno 1245. n. 35. Ex cod. libro fol. 83. Conv. Pampilonen. deſtruitur & reficitur. Tom. 3. anno 1245. n. 35.*

L. Nobili mulieri Joannæ Comitiſſæ ſancti Stephani largitus eſt Pontifex facultatem hoc anno conſtruendi Cœnobium Obſervantibus prope oppidum *de la Puebla de Montalban*, Toletanæ diœceſis, ſuo dominio ſubjectum, curæ & regimini Ludovici de Saia, Provinciæ Caſtellæ ultra Portus Cuſtodi adjiciendum. Sed non conſtruxiſſe indicat Gonzaga, dum ſub annum MDLX. fabricatum aſſerit a Catarina Pacheco, ſorore (ut ille ait, ſive amita ut alii volunt) Alphonſi Telles Gironii, ad quem oppidum ſpectabat, vere germana ſorore Petri Pacheco S. R. E. Cardinalis, Epiſcopi Siguntini, domo ſua ſatis ampla in Conventum redacta, aſſentiente Buſto de Vil- *Ex l. 2. de Regular. an. 1. fol. 208. Conv. Populæ Montalbani. Gonz. in Prov. Caſtellæ. Conv. 24. Salazar. l. 4. c. 25.*

legas Archiepiſcopatus Toletani moderatore, poſtea Epiſcopo Abulenſi, & concurrentibus ad ſumptus oppidano Senatu piiſque beneſactoribus. Joannes Lilius Caſtellanæ Provinciæ Miniſter, miſſo Antonio Alvarez, operis præfecto, domum acceptavit, etſi aliqua afferrentur obſtacula propter propinquitatem trium ejuſdem Inſtituti Conventuum, Toletani, Caſtaneti, Turrigii.

Tom. 1. An. 1358. n. 9.

Conv. Vallis Jeſu Valentinum. *Ex cod. I. de Regular. fol. 240.*

LI. Quod alias adnotavi circa errorem anni apud Gonzagam, quo dicitur Conventus vallis Jeſu, prope urbem Valentinam traditus Minoritis, hoc anno mihi certiſſime comprobatur ex diplomate Pii Pontificis, quo tota rei ſeries ita narratur.. Domus illa Vallis Jeſu erat Prioratus Canonicorum Ordinis ſancti Auguſtini, qui dum non poſſent propter proventuum redituumque tenuitatem, & propter alias urgentiſſimas cauſas in eo commode habitare, ad Eccleſiam ſancti Michaelis in Saterna, prædicti Prioratus grangiam ſeu prædium, diœceſis Valentinæ ſe tranſtulerunt, relicto Prioratu penitus deſerto. Cumitaque poſt multos annos a prædicta tranſmigratione in derelictis ædibus Prioratus lociſque vicinis varia crimina & ſcandala tam per Chriſtianos, quam per Sarracenos perpetrarentur, quidam Fratres Minores ad hoc inducti per quemdam Judæum Coler marcatorem Valentinum, ex conſenſu Prioris & Canonicorum prædictorum, in eo loco habitare cœperunt, quibus ille collapſa ædificia reædificavit, & in ſuo teſtamento moriens legavit Juratis & Rectoribus Civitatis reditum centum librarum in ædificationem domus & neceſſitatem Fratrum diſtribuendum. Suborto autem ſcrupulo, quod aliquibus annis in eadem domo inconſulta Sede Apoſtolica habitarint, & Canonici poſt viginti annos in Eccleſia ſancti Michaelis ad prædictum Prioratum redire non cogitarint, adhibitis interceſſoribus Joanne II. Rege Aragonio, Roderico ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinale, S. R. E. Vicecancellario, Epiſcopo Valentino, & ejuſdem urbis Juratis, rogarunt ut a cenſuris, ſi quas incurrerant, abſolutos, permitteret in illo loco ſub obedientia Vicarii Generalis Ultramontani Regularis Obſervantiæ commorari, extincto prorſus Prioratus nomine & Ordine ſancti Auguſtini. Benigne ſupplicum votis annuit Pontifex hoc anno VII. Kal. Julii, commiſſo rei examine Antonio Bon .Canonico Valentino.

Conv. Enxobregæ. *Gonz. in Prov. Algarbior. Conv. 1. & in Provin. Portug. Conv. 23.*

LII. Ad Tagi ripam haud procul ab urbe Ulyſſiponenſi aliqui heroes nobiliſſimæ familiæ Ataidæ, fundum hoc anno emerunt a Patribus Benedictinis, ibique domum conſtruxerunt Minorum ſub titulo ſanctæ Mariæ de Enxobregas, eleemoſynis adjuti piorum fidelium. Alphonſus V. qui tunc regnabat in Luſitania, allectus bona fama Fratrum Obſervantiæ Regularis, qui in inſula Lignorum vulgo de *Madera* religioſiſſime vivebant, novem inde vocavit, quibus Domum jam paratam & inſtructam conceſſit. Illorum fama cum magis ac magis per totum regnum divulgaretur, plures viri Deo devoti, ex propriis facultatibus, iis eorumque ſodalibus aliquot Cœnobia diverſis in locis ædificarunt. Inſigne, pulchrum, & centum religioſorum capax eſt domicilium, nobilium & doctorum virorum ſerax, caput Provinciæ Algarbiorum, celebre virtutis & doctrinæ ſeminarium, aſpectu & ſitu amœniſſimum.

Hoc anno n. 23.

LIII. Supra diximus conceſſam hoc anno a Pontifice licentiam conſtruendi duos Conventus, unum in inſula Minoricæ, dicec. Majoricenſis, alterum in inſula Ivicæ, dicec. Terraconenſis. Bullam damus in regeſto. Secundi veſtigium non invenio. Primum beatus Bartholomæus Cataneus

Conv. Mahonis, ad D. P. a Mahone nobili Minoricenſis inſulæ oppido, portu mercibuſque inſi-

insigni, incolarum adjutus eleemosynis construxit. Cœnobii tanta est amœnitas tantaque tranquillitas, ut vix explicari possit, eaque loci opportunitas rebus meditandis cœlestibus, ut vitam duceret Angelicam, etsi magna propter templi reverentiam sit ibi populi frequentia. Conventui adjacet specus, in quo prædictus Bartholomæus magna ex parte vitam duxit, duramque peregit pœnitentiam. Legunt hic Fratres publicis scholis rudimenta Grammatices, multisque modis prosunt oppidanis, qua de causa in magna habentur veneratione. Anno MDXXXV. inhumanus pyrata Barbarusus Conventum destruxit, Guardianum & alterum Fratrem occidit, reliquos captivos abduxit. Paulus III. missis litteris anno MDXXXVII. VI. Idus Februarii hortatur fideles, ut Conventui reædificando & Fratribus redimendis manus porrigant adjutrices, hisque verbis factum recensет: *Cum itaque ex relatione carissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum Imperatoris semper Augusti, qui etiam Castellæ & Legionis, Aragoniæ & Majoricarum Rex existit, acceperimus, superioribus annis, dum immanissimi Turcarum Tyranni Dux, Barbarossa nuncupatus, ex Tuneti obsidione cum sexdecim fere triremibus evaderet, ac per littus insulæ Minoricarum transiret, oppido Mahonis nuncupato, in eadem insula existente, expugnato, inter alias, quas perfidissimus hostis ipse eidem oppida cladem intulit, domum sancti Francisci Minorum de Observantia nuncupatorum nedum spoliaverit, sed etiam incenderit ac solo æquaverit, necnon duobus Fratribus inibi inhumaniter interfectis, reliquos Fratres ipsius domus secum in miserabilem servitutem abduxerit &c.* Prudentius Sandovalius rerum a Carolo gestarum historicus rem omnem narrat, dicitque Guardianum ab inimani pyrata trucidatum, quia sacræ hostiæ Eucharisticæ ludibrium pia sumptione prævenit.

Gonz. in Prov. Majoricen. Conv. 6. Monum. MSS. ejusd. Provinciæ.

Sandoval. par. 3. l. 28. §. 16.

LIV. In insula Sardiniæ rari erant hoc tempore viri religiosi, qui verbum Dei populo proponerent, nullumque erat habitaculum Fratrum de Observantia. Statuit itaque nobilis vir Antonius, Arboreæ Marchio & Cocciani Comes eis Conventum in aliquo sui Dominii loco construere. Opportune illis oblata fuit anno præterito ab Arborensi Archiepiscopo ædicula quædam beatæ Mariæ Magdalenæ sacra II. M. P. ab urbe dissita, hanc Antonius in commodam Ecclesiam evexit, & religiosorum Conventum adjunxit. In circuitu stagna sunt & plaudes quæ aerem reddunt nocivum, qua de causa urbs paucos habet habitatores.

Conv. Arborensis. *Gonz. in Provin. Sardin. Conv. 3.*

LV. Theobaldus de Assigny, alias de Auchy Episcopus Aurelianensis, Fratribus Observantibus valde addictus, obtinuit ab Abbatissa & Monialibus Monasterii sancti Anitidæ de sancto Vito, Ordinis sancti Benedicti, Carnoten. diœcesis quemdam Prioratum derelictum & ruinosum extra muros oppidi Magduni, Aurelianensis diœc. prædicti Episcopi etiam temporali dominio subjecti, ab Aureliano per leucas quinque prope Ligerim flumen in regione feracissima distantis, ibique secundum facultatem Pontificiam hoc anno impetratam, ædificare cœpit Observantibus Conventum, sed absolvit nobilissimus heros de la Trimoville. Pulchrum erat Cœnobium, sed periit decor ejus ab hæreticis in misera illa Hugonotica tempestate direpti, spoliati & destructi: Fratres multis injuriis & calamitatibus affecti, per alias regiones dispersi sunt. Inter hos Joannes Tuedriqui concionator eximius, cum frequenter in eodem oppido verbum Divinum populis enunciasset, ab hæreticis deprehensus, miris tormentis afflictus, constantissimo animo pro fidei confessione martyrium perpessus est. Tamdem domus paulatim reædificari cœpit piorum eleemosynis; sed Ludovici Gonzagæ Nivernensium Ducis præ omnibus pietas enituit, qui ubi Divinum officium

Conv. Magduni. *Idem in Provin. Turon. Pillar. Conv. 13.*

Joan. Tuedriqui martyr.

cium poſſent Fratres celebrare, aliaſque ædificii partes magnis impenſis extruxit.

Tom. 12 Ann. 1453. n. 55. Ex l. 34. bullar. fol. 79. Ducum Burgundiæ erga Minores affectus.

LVI. Ligerus de Nuſtaer Vicarius Franciæ, de quo alias diximus, Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ ſumme carus, impetravit ut liceret in dominiis Philippi Ducis quinque vel ſex ædificare Conventus; etenim ex incredibili utriuſque conjugis, & filii Caroli Comitis de Charloys in Minores Obſervantes affectu, ubique in omnibus urbibus, oppidis & pagis cupiebant eis præparare domicilia; omneſque Miniſtri & locorum Rectores certatim, uti vidimus anno præterito, eos advocabant. Vere Principis favor tranſmeat ad Miniſtros, & quos ille caros habet, ſubditi venerantur. Neminem novi, qui hoc tempore iſtos Principes erga Minores benevolentia ſuperaret ſed neque æquaret; paſſim & ubique illorum beneficentiæ manifeſta reperio documenta.

Conv. Marcoduræ. Gonz. in Prov. Colon. Conv. 6. Monum. MSS. ejuſd. Prov.

LVII. Duræ, ſive Marcoduræ in centro Ducatus Juliacenſis, juxta fluvium Ruram, hoc anno Conventum fundarunt Dux Juliacenſis, & generoſi Domini Barones de Merode, vicino territorio. Eccleſia ſub beatæ Mariæ Magdalenæ nomine, vulgo *Bethania* nuncupata, humilis, prout mos erat illius temporis Obſervantum, ſed firmiſſimæ ſtructuræ, conſecrata fuit anno MCCCCLXX. ab Henrico Venecopienſi, ſuffraganeo Roberti de Bavaria Archiepiſcopi Colonienſis. Anno MDVII. infra octavam Pentecoſtes fuit totius Conventus ambitus in quadro, una cum cœmeterio extra muros ambitus conjuncto, conſecratus per Theodoricum Epiſcopum Lionenſem. Anno MDCXIX. die XII. Junii Eccleſiam violatam & altaria refecta denuo conſecravit Otto Gereon, Ferdinandi Archiepiſcopi Colonienſis, in Pontificalibus Vicarius Generalis. Specioſiſſimas templi feneſtras donarunt Joannes Dux Juliacenſis & Margarita conjux, Henricus Comes a Waldeck, & Theodoricus Comes junior, ac Theodoricus Comes de Manderſcheid. In choro multi viſuntur tumuli procerum Ordinis equeſtris, inter quos ſepulcrum habet familia de Herper, ex qua myſticæ Theologiæ profundus ſcrutator Henricus Herpius, ſive de Herp dicitur prodiiſſe. Anno MDXXXIII. domum ferme totam quidam impius hæreticus apoſtata combuſſit, ſed poſt annos quatuor Durenſium & nobilium, in fertiliſſimo urbis diſtrictu reſidentium eleemoſynis, in meliorem formam reſurrexit. Incendium bibliothecæ pepercit tamquam ſumme neceſſariæ concionatoribus, jugiter tam in urbe, quam in vicinis pagis Dei verbum diſſeminantibus. In Conventu publicam Fratres exercent cathecheſim, & parochis aſſidue in animarum cura collaborant; unde & hos habent propitios, univerſumque populum beneficum. Præcipuos ſenſerunt benefactores ex familiis Palaud, Rasfeld, & Hompeſch. Caput ſeu cranium ſanctæ Annæ furto Moguntia ſublatum, in hoc Conventu primum repoſitum fuit, deinde ad matricem Eccleſiam translatum, ſæpiſſime repetitum, & numquam reſtitutum, magnas genuit lites, diutiſſime inter Moguntinos & Durenſes agitatas.

Conv. Helhoim. Ex l. 34. bullar. fol. 89.

LVIII. Prope oppidum de Helhoim, Ratiſponenſis diœceſis, quidam Frater tertii Ordinis juxta quamdam capellam, permittente loci Parocho, unam cellulam conſtruxit, deinde ædificium ampliare non ceſſabat, donec per Ordinarium, parocho requirente, inhibitum fuit, ne ulterius in opere procederet. Sed ad inſtantiam Alberti & Ludovici Bavariæ Ducum revocata inhibitione, ædes ad commodi Conventus ſtatum paulatim evexit. Demum iiſdem Ducibus jubentibus, ceſſit ille locum Fratribus de Obſervantia, qui hoc anno a Pontifice licentiam obtinuerunt eo in loco remanendi.

LIX. Fa-

Anno Christi	Pii II.	Faiderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1459.	an. 1. & 2.	anno 20.	

LIX. Facta eſt hoc anno facultas nobilibus viris Joanni & Alberto Marchionibus Brandeburgenſibus, quamdam capellam ſancti Wolfangi extra oppidum Novæ Civitatis, infra metas parochialis Eccleſiæ beatæ Mariæ, Herbipolenſis diœceſis, in Eccleſiam & Conventum Fratrum Minorum de Obſervantia transferendi, eaque Vicario Generali Ultramontano ſubjiciendi. Similiter nobili viro Ottoni de domo Bavariæ Duci, ac Comiti Palatino facta eſt facultas capellam alteram beatæ Mariæ Virginis in Monte Meingherberk, infra metas parochialis Eccleſiæ de Meingherberk, Eyſteten. diœceſis, convertendi in Cœnobium Fratrum de Obſervantia. Tertio, nobili item viro Carolo Marchioni Badenſi, ut Eremitorium juxta capellam ſanctæ Urſulæ ſitam in ſilva extra oppidum Baden. in loco dicto Fremesberg, Spiren. diœceſis, pro eiſdem Fratribus poſſet conſtruere. Quarto, nobili viro Eberhardo, Comiti de Wirtemberg, aliud Eremitorium juxta capellam ſancti Mauritii ſitam in ſilva extra oppidum Leumberg, Conſtantienſis diœceſis, in eorumdem uſum ædificandi. Demum in quibuſdam monumentis Provinciæ Saxoniæ invenio, hoc anno Fratres accepiſſe locum ſancti Joannis prope Alsbach. Hoc anno ad preces Friderici, Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Romani Imperii Electoris, necnon Magiſtrorum, civium & Conſulum opdidi Wyſerenburg, Spiren. diœceſis, dimiſſis PP. Conventualibus ad alios Conventus, in ejuſdem oppidi Conventum introducti ſunt Obſervantes.

Conv. Novæ Civitatis. *Ex l. 1. de prabend. & benefic. an. 1. fol. 313.*

Con. Meingherberk. *Ibid. fol. 222.*

Conv. Baden. *Ex l. 2. de diverſ. an. 2. fol. 256.*

Conv. Leumberg. *Ibid. fol. 259.*

Conv. Alsbach.

LX. In regno Hungariæ nobilis vir Georgius Vodo Baro ejuſdem regni in loco dicto Gyrorgii, diœceſis Quinque-eccleſienſis, Eccleſiam ſub nomine ſancti Gregorii, & conjunctum Cœnobium pro ejuſdem Inſtituti Fratribus ædificavit. Factum hoc anno Pontifex approbavit.

Conv. Wiſeteburgen. reformatur. *Ex l. 2. majori bullar. an. 2. fol. 318.*

Conv. Gyrorgii. *Ex l. 32. bullar. fol. 62.*

LXI. Hoc anno extra, ſed prope Tornaviam, minoris Poloniæ Civitatem, Conventum ſub titulo ſanctæ Mariæ ad Nives Obſervantibus ædificavit Joannes Amor de Tornavia, Comes & Caſtellanus Woymienſis. Ligneum fecit, neque enim ex cæmento licuit, ne eſſet in firmamentum hoſtibus juxta Miechovium. Verum ſucceſſu temporis in propugnaculi modum muro cinctus eſt cum ſubterraneis cuniculis, ad arcendos Turcas & Schytas, atque ad propellenda pericula graſſatorum, qui ex Monte Carpato irrumpunt. Fratribus uſque ad annum MD. quo obiit, optimus hic fundator neceſſaria quæque ſubminiſtrabat. Obiit hic magnæ expectationis adoleſcens frater Victorinus Diaconus, qui cum eſſet ex nobiliſſimis & ditiſſimis Regni proceribus, omnibus ſpretis, pauperem Minorum vitam hoc in loco amplexus eſt, adeoque in virtute profecit, ut omnes ſuos Fratres coætaneos facile ſuperarit. Chriſtophorus Warſeviſius in Cathalogo Sanctorum Poloniæ ait deſunctum anno MCCCCLXX. alii poſterius.

Conv. Tornaviæ. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 7. Mon. MSS. Polon.*

LXII. Betius de Laude, civis Laudenſis, teſtamanto legavit Amandinæ uxori uſum fructum cujuſdam domus, ſeu ſediminis * in eadem Civitate & parochia ſancti Laurentii intra ſed prope muros, & poſt ejuſdem Amandinæ obitum tam domus quam omnium bonorum hæredes inſtituit pauperes ejuſdem urbis, & teſtamenti executores Amandinam cum aliis in teſtamento nominatis, ita tamen quod illa cum duobus ex dictis executoribus libere omnia poſſet peragere. Defuncto marito, illa habitum ſuſcepit Tertii Ordinis, & cum duobus ex nominatis executoribus ſuorum bonorum hæredes ſcripſit Sorores ejuſdem Inſtituti in eadem urbe degentes, quibus etiam uſum fructum domus, & quæ ſibi maritus reliquerat, conceſſit, ea conditione adjecta, ut a Guardiano & Fratribus domus Laudenſis tam bona relicta, quam Sorores ipſæ gubernarentur. Mortua Amandina, poſſeſſionem

Mon. Laudæ. *Ex l. 2. de Regular. ann. 1. fol. 176.*

* *Sc. terræ portionis in qua domus ædificari poſſit vel incepta ſit.*

nem domus ſeu ſediminis aſſecutæ Sorores, communi conſenſu cohabitare, & ſub arcta dicti Ordinis Obſervantia vivere cœperunt, eoque exemplo & bonorum operum augmento, ut ad numerum vigeſimum quintum excreverint, atque hæ ad majorem aſpirantes perfectionem, ad Religionem ſanctæ Claræ tranſire ſummopere affectarint. Petierunt itaque hoc anno licentiam a Pontifice, & domum & Inſtitutum commutandi; domicilii enim anguſtiis & loci inſalubritate propter murorum urbis altitudinem, qua obumbrabantur, nimis compreſſæ, alias ſibi emerant domos loco opportuniori. Commiſit ille cauſæ cognitionem & conceſſionis facultatem Archidiacono Laudenſi, & Romano de Barni ejuſdem Eccleſiæ canonico. Mutata Sede & Inſtituto, brevi tempore ad centenarium numerum, licet abſque reditibus pervenerunt, ſed deficiente neceſſario ſubſidio, ſuperiores prudenti decreto ad quinquaginta reduxerunt. Multæ hic vixerunt Sorores pietate & virtute inſignes, qua de cauſa magnam nacta domus iſta Religionis famam, cives experitur in omnibus propitios. Præ reliquis commemorantur ſoror Veronica Sommariva, Chriſto ſponſo ſæpius collocuta; ſoror Manſueta ſacra ſynaxi ab Angelo refecta; Conſtantia de Ricardis, cujus imago radiis caput accincta in Eccleſia conſpicitur; Barbara Laudenſis, quæ a colloquio Chriſti, ut laboranti Sorori infirmæ ſubveniret, diſceſſit, & regreſſa expectantem invenit.

Mon. MSS. illius Monaſterii.

Mon. Camerin. *Ex l. 32. bullar. fol. 245.*

LXIII. In urbe Camerte regionis Piceni, habitabant quædam Sorores de Pœnitentia, quæ commodum conſecutæ intra Civitatem domicilium, hoc anno petierunt a Pontifice licentiam illud in Monaſterium convertendi ſub vocabulo ſanctæ Luciæ, & ſanctæ Claræ Inſtituto; ſuas etiam preces interpoſuit nobilis vir Julius Cæſar de Varano ejuſdem Civitatis pro S. R. E. Vicarius Generalis, & urbis Univerſitas. Annuit votis Pontifex, ſcriptis litteris ad Epiſcopum Camertem. Neſcio an aliud hoc ſit Monaſterium ab illo, quod recenſuimus anno 1419. vel potius error in numerorum notas irrepſerit, & pro 1459. ſubſtitutus ſit 1419. illaque narratio in hunc annum ſit reducenda. Obſtat ſanctæ Luciæ vocabulum, niſi fortaſſis duplex ſit Eccleſiæ titulus, vel ſanctæ Claræ nuncupatio alteri prævaluerit. *

* *Sub an. 1419. ut eſt videre Tom. 10. ann. 1419. n. 17. ſolvit Monaſt. Urbinatis ex illis in Italia conſtructis recenſetur narratio: verumtamen de Camerinenſi S. Maria Monaſterio Tertii Ordinis ferme ſit Tom. 5. ad ann. 1291. n. 17. ubi dicitur idem Monaſterium anno 1419. ad priſtinam Inſtitutionem videlicet primi Ordinem anno eodem rediiſſe.*

LXIV. Vaſcus Antiſtes Eborenſis in Luſitania, hoc anno ex propriis reditibus inſigne Monaſterium octoginta Clariſſarum intra urbis mœnia ſub ſecunda Regula ſanctæ Claræ fundavit; de quo nihil amplius reperio. In ejuſdem diœceſis Eborenſis oppido *Begia*, ſeu Pace Julia, ut aliud ſub beatæ Mariæ Conceptionis titulo conſtruere poſſent Alphonſus Rex & Ferdinandus frater pro Orſanda aliiſque Sororibus Tertii Ordinis ad Regulam ſanctæ Claræ tranſituris, & ſub regimine Minorum victuris, Pontifex hoc anno conceſſit. Ampliſſimum eſt Monaſterium capax Sororum centum & triginta.

Mon. Eboren. *Gonz. in Prov. Algarb. Conv. 5.*

Mon. Pacis Juliæ. *Indid. Mon. 13. Ex l. 8. bullar. fol. 105.*

LXV. Reformationem aliquarum hujus Inſtituti domorum hoc anno peractam breviter indicabo. In Italiæ & Umbriæ regione, Sorores Monaſterii ſancti Pauli de Galeto extra muros Interamnenſes, de quo alias diffuſius actum eſt, adeo diſſolutæ fuerunt in diſciplina Regulari, ut paucis quæ ſupererant ad alia Monaſteria translatis, Monaſterium cum ſuis reditibus adjudicatum fuerit Franciſco Epiſcopo Interamnenſi ejuſque menſæ Epiſcopali. Sed Minorum pro Monialibus agentium precibus interpellatus Beſſarion Cardinalis Protector, auctoritate Pontificia obtinuit, ut relicto illo priori Monaſterio ſancti Pauli, Sorores transferrentur ad Monaſterium ſancti Pauli minoris intra urbem, reſtitutis eiſdem, quæ ablata erant, ſupellectili, reditibus & Juriſdictione ſuper primo Monaſterio: ea tamen con-

Mon. Interamnæ reformatur. *Tom. 4. an. 1264. n. 4. & Tom. 5. an. 1291. n. 88. Ex l. 2. majori bullar. fol. 352.*

conditione, ut Epiſcopo in omnibus tam quoad ſpiritualia, quam quoad temporalia ſubjicerentur.

LXVI. In urbe Cæſenæ, in regione Romandiolæ, Vicaria E. R. poteſtate imperabat nobilis vir Malateſta Novellus de Malateſtis, rogavitque hoc anno Pontificem, ut liceret Monaſterium unum ſanctæ Claræ, & alterum ſancti Matthæi ejuſdem Inſtituti, aliis duobus Monaſteriis ſancti Spiritus & ſancti Jacobi diverſorum Ordinum adjunctis, in diſciplina regulari & reditibus ad miſerrimum ſtatum redactis, in corpus unum unumque Monaſterium redigere, & regimini Epiſcopali ſubjicere. Aſſenſit Pontifex, data Epiſcopo commiſſione ita faciendi, & omnes, quæ ſupererant, horum Monaſterinrum ſorores cogendi ad unius Religionis Obſervantiam. Monaſt. Ceſenæ. *Ex lib. 1. bullar. fol. 107.*

LXVII. Ob malum regimen & vitam diſſolutam penitus interiit Monaſterium Clariſſarum ſanctæ Mariæ de Sumptula urbis Balneoregien. in Etruria, defunctaque ante quatuor annos Simonetta, ultima Moniali, Manottus Munaldi Clericus dictæ diœceſis obtinuit ſibi per Auguſtinum Epiſcopum Monaſterium conferri. Sed hoc anno Minores domus ſancti Franciſci ejuſdem urbis illud ſibi adjudicari impetrarunt a Pontifice, qui de hac re ſcripſit ad Priorem ſecularis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Nicolai Balneoregienſis. Monaſt. Balneoregii. *Ibid. fol. 108.*

LXVIII. Vir nobilis Joannes de Naſſave, Dominus loci in Wiecbaden, diœceſis Moguntinæ, curavit ante aliquot annos reformari Monaſterium Clariſſarum nuncupatum Claræ vallis, vulgo *Nuencloeſter*, & ad clauſuram decentemque vivendi modum reduci; ſed dum hæc reformatio parum proficeret ſub regimine Patrum Conventualium, impetravit eas ſubmitti juriſdictioni Fratrum Regularis Obſervantiæ, de quo Pontifex hoc anno ſcripſit ad Abbatem ſancti Jacobi extra muros urbis Moguntinæ. Monaſt. Claræ vallis. *Lib. 1. de exhibitis & diverſ. &c. fol. 139.*

LXIX. Monaſterium ſanctæ Claræ urbis Segobien. in Hiſpania, *de Platea* nuncupatum, ante paucos annos magno periit incendio. Intercedentibus Henrico Rege Caſtellæ, Tereſia de Texeda Abbatiſſa, & Joanne de ſancto Facundo ſororum Vicario & confeſſario, multa indulſit Pontifex hoc anno privilegia, reficiendo Monaſterio opportuna, eumdemque præſcripſit regiminis modum, qui obſervabatur in Monaſterio Jugi-ſillarum, vulgo *Otero de ſillas*, diſpenſavitque circa præceptum & conſuetudinem non veſcendi carnibus, quas propter piſcium penuriam, tribus hebdomadæ diebus ut manducarent, indulſit. Monaſt. Segobien. *Lib. 1. de Regular & exhibitis fol. 30.*

LXX. In Monaſterio Clariſſarum villæ Carrionis de Comitibus, ante paucos annos magna exorta controverſia circa Regulæ obſervantiam & diſciplinæ regularis rigorem, quibuſdam laxam, aliis ſtrictam vitam ducere cupientibus, tamdem prævaluit pars earum, quæ religioſius vivere ſatagebant, & quæ noluerunt, inde ad alia Monaſteria tranſierunt. Perſeveravit illic magno in dies incremento Obſervantia Regularis, & plurimum profecit ſub regimine & directione celeberrimæ per Hiſpanias ſororis Ludovicæ ab Aſcenſione. Monaſt. Carrionis. *L. 1. de Regulan. fol. 179.*

LXXI. Epiſcopus Cornetanus, urbis Peruſii gubernator, ſummo ſtudio contendebat duo Monaſteria in Civitate Cornetana, unum Clariſſis, alterum Tertiariis ſtabilire. Repugnabant Fratres Regularis Obſervantiæ ea in urbe conſtituti, quibus utriuſque Monaſterii curam injungi cupiebat. Egit cum eo Peruſii hoc anno Baptiſta Vicarius, ne moleſtiam hanc Fratribus inferret, & tamdem obtinuit. *Ex Ord. regiſt. fol 105.* Obſervantes ægre admittunt curam Monialium.

LXXII. In oppido Veſalien. ſuper Matona, in domo Moriengarden. diœceſis Colonien. cohabitabant ſub laudabili converſatione & commendabili Domus Sororum Tertii Ordinis Veſalien.

Lib. 31. bullar. fol. 210.

bili vita quædam virgines, viduæ ac aliæ mulieres ſub tertia Regula ſancti Franciſci, quibus hoc anno Pontifex indulſit, ut capellam beatæ Mariæ, in qua Divina ſuper Altare portatile peragebantur, in Eccleſiam commutarent, collegialiter viverent, Sacramenta a ſuis Confeſſoribus acciperent, ac aliæ quæque facerent, quæ in Monaſteriis ejuſdem Inſtituti fieri conſueſcunt, adjectis etiam aliis privilegiis. Litteræ directæ ſunt Archiepiſcopo Colonienſi.

Domus Haſſelen. *Lib. 32. bullar. fol. 265. & l. 34. fol. 1.*

LXXIII. Joannes de Hemsberch Epiſcopus Leodienſis, ante aliquot annos licentiam fecit quibuſdam Sororibus Tertii Ordinis in oppido Haſſelenſi domum ſub titulo Vallis ſanctæ fundandi pro determinato numero Sororum, & duorum Sacerdotum, ac trium Fratrum ejuſdem Inſtituti, cum acceptatione cujuſdam ſacerdotii ſeu capellaniæ in eadem domo pro Sororum utilitate fundatæ, aliaſque gratias & indulta eis conceſſit, quæ poſtmodum Ludovicus ejuſdem ſucceſſor confirmavit. Ut firmiori robore omnia conſtarent, petierunt Sorores Sedis Apoſtolicæ approbationem, quam hoc anno Pontifex conceſſit.

Domus Arnehmii. *Lib 32. bullar. fol. 321.*

LXXIV. Occurrit mentio domus ejuſdem Ordinis in oppido Arnehmii, diœceſis Trajectenſis, ſub invocationibus beatæ Mariæ Virginis, & ſanctorum Pauli & Agnetis, conſtructæ ex propriis bonis earumdem Sororum, & adjutorio amicorum & conſanguineorum. Fuit qui perſuaderet, ut ad Inſtitutum Canonicarum ſancti Auguſtini tranſirent, idque peterent a ſummo Pontifice, de quo ille ſcripſit ad Epiſcopum Trajectenſem. Quid factum ſit, ignoro, omnibus ſacri illius oppidi monumentis per Geuzios deſtructis.

Domus Forlivien. *Lib 1. de Regular. an. 2. fol. 26.*

LXXV. In urbe Forlivienſi in Italia, in Romandiolæ Provincia, hujus Inſtituti Sorores domum ſibi conſtruxerunt, officinis & rebus neceſſariis inſtructam. Ut in ea conventualiter vivere, iiſque privilegiis, quæ domui Placentinæ ejuſdem Inſtituti conceſſa erant, gaudere poſſent, Pontifex hoc anno indulſit.

Domus Viterbienſis. *To. II. an. 1444. n. 76. L. 2. de Regular. an. 1. fol. 90.*

Sorores Monaſterii veteris Viterbienſis, de quo alias diximus, opus & Eccleſiam ſub ſancti Bernardini nomine circa hoc tempus inchoatum proſecuturæ, impetrarunt facultatem vendendi, & in Fabricæ uſum convertendi Domum in eadem urbe & vineam ſibi a quodam Antonio Thomaſio cive Viterbienſi, ea conditione legata ne venderentur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Idem in Prov. Roman. Mon. 14. Monaſt. Bobien.*

„ Sorores „ ejuſdem Inſtituti Domus ſeu Monaſterii ſanctæ Claræ Bobienſis ante ali„ quot annos conſtructi, religioſe petierunt ſibi interdici exitum extra ſepta „ regularia. Pius Pontifex libenter annuit hoc anno, præcipiens ut dein„ ceps clauſuram, quam eatenus neſcierant, obſervarent.

Domus Lucens. *Lib. 32. bullar. fol. 244.*

LXXVI. In burgis ſeu ſuburbiis Civitatis Lucanæ in Etruria, ædificarunt commodam domum hujuſmodi Sorores Tertiariæ ſub titulo ſancti Micheletti, quibus quotidie accedebant aliæ, quæ communi aſſenſu petierunt a Pontifice, licere ſibi in ea domo cohabitare, vota ſolemnia emittere, uſque ad annum quadrageſimum ſuæ ætatis clauſuram obſervare, & Miniſtram ſive ſingulis annis, ſive diuturniori tempore duraturam eligere, aliiſque privilegiis, quæ Sororibus hujus Inſtituti concedi ſolent, gaudere. Annuit Pontifex, ſcriptis litteris ad eaſdem.

Domus Fratrum in Waltborne. *Ex l. 1. de provi. ſionib. Prælator. fol. 139.*

LXXVII. Ut pro Fratribus hujus Tertii Ordinis domum fabricaret frater Ægidius Moyſin laicus, in loco dicto de Waltborne infra parochiam de Aſqua, diœceſis Cameracenſis, hoc anno conceſſit Pontifex licentiam.

Variæ gratiæ, & privilegia.

LXXVIII. Breviter hic quædam promiſcua ad univerſos tres Ordines ſpectantia ſubjungam. Inſigne ſacellum ſub ſancti Antonii Minoritæ nomine hoc tempore frater Petrus de Fuxo Cardinalis Epiſcopus Albanen. in Eccleſia Minorum Valriaci, Vaſionen. diœceſis conſtruxit. Aliud ædificavit

vit nobilis vir Gaſco Comes Fuxi, ejuſdem Cardinalis frater ſub titulo ſancti Eraſmi, in Eccleſia Minorum de Morlanis, Laſcurien. diœceſis. Utrumque ſacellum ſtatutis diebus viſitantibus magnas Indulgentias Pius conceſſit, necnon accedentibus ad Eccleſiam ſancti Georgii Fratrum de Obſervantia, ſitam extra burgum Marliani, Mediolanen. diœceſis.

LXXIX. Monaſterio Clariſſarum beatæ Mariæ de Conſolatione villæ de Calabaſanos, Palentinæ diœceſis, adjudicavit Pontifex reſiduum bonorum, quæ nobilis mulier Iſabella Manriquez relicta quondam Fernandi de Velaſco, ſolutis legatis, reliquit diſtribuendum Monaſteriis & pauperibus, iis præcipue allegatis cauſis, quod ingenti numero Sororum de nobili genere deſcendentium Monaſterium gravaretur, & quod in eodem habitum ſuſceperint Leonora Manrique teſtatricis mater, & duæ Sorores ejuſdem, quarum una Abbatiſſæ, altera Vicariæ fungebantur officiis; ejuſdemque Monaſterii viſitationem & regimen ſubjecit fratri Ludovico de Saja, Cuſtodi domorum Regularis Obſervantiæ citra portus in regno Caſtellæ exiſtentium. Monaſterium ſanctæ Claræ in Phullingen, Conſtantien. diœceſis, in dominio Eberhardi Comitis de Wirtemberg, moribus diſſolutum reformari juſſit per Clariſſas reformatas tradendas per Vicarium Regularis Obſervantiæ, per Sveviam inſtitutum, ſub regimine tamen Epiſcopi Conſtantienſis. Clariſſarum urbis Aſſiſii Monaſterio incorporavit aliud beatæ Mariæ de Paradiſo ejuſdem Civitatis, Ordinis ſancti Benedicti, temporum & bellorum injuria ad nihil ferme redactum, in quo ſola Abbatiſſa, & duæ tantum vetulæ Moniales habitabant.

Monaſt. de Calabaſanos.

Monaſt. Phullingen.

LXXX. Miniſtræ & Sororibus Domus ſancti Hieronymi de Caſtilione, Aretinæ diœceſis, Tertii Ordinis permiſit vendere bona immobilia, a quondam Niera, pia muliere, ea conditione ne alienarentur, relicta, eaque convertere in fabricam prædictæ domus adhuc incompletæ. Sororibus domus ſanctæ Mariæ Magdalenæ Placentinæ, ejuſdem Inſtituti, ſub clauſura & regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ viventibus, omnia & ſingula conceſſit privilegia, quibus reliqua ejuſdem Ordinis gaudent Monaſteria. Domum Sororum ejuſdem Tertii Ordinis a fratre Lupo de Salinas, ope & opibus nobilium conjugum Petri Fernandi de Velaſco & Beatricis Manrique, Comitum de Haro, in villa de Bremeſta illorum dominio ſubjecta, conſtructam, eorumdem Comitum contra Lupum valde commotorum precibus, ab ejus regimine ad Viſitatoris de Tordeſillas aliorumque Monaſteriorum tranſtulit juriſdictionem. Mirum quot & qualia congeſſerunt, & Pontifici expoſuerunt crimina contra virum, ſibi uſque ad illud tempus cariſſimum, & contra ejus ſocios. Grave oportet interveniſſe diſſidium, vel Lupum adhæſiſſe Comiti-ſtabuli Caſtellæ, cujus poſtea confeſſiones excipiebat, vel aliis qui Comitibus eſſent infenſi. Eccleſiam & capellam ſancti Bernardini loci de Bictorno, urbis Aſſiſiatis, Fratrum Tertii Ordinis viſitantibus magnas multorum dierum Indulgentias hoc anno Pontifex conceſſit; & fratri Hermanno Sench, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ poteſtatem fecit hoſpitale ſive xenodochium ædificandi in terra de Boxtel, diœceſis Leodienſis.

Domus Sororum de Bremeſta.

Vide ſupra n. 36.

LXXXI. Explicari nullis verbis ſufficienter poterit Philippi Burgundiæ Ducis, & Iſabellæ conjugis erga Fratres Minores de Obſervantia pietas & affectio. Multa eis poſuerunt in ſuis dominiis Cœnobia, rebus neceſſariis abunde inſtruxerunt, honoribus auxerunt, populis commendarunt, præſidio foverunt, & demum ut libere ubique per ſuas ditiones prædicarent, & populos a quibuſcumque reatibus abſolverent, pro quibus non oporteret Apoſto-

Ducum Burgundiæ amplius inculcatur erga Minores affectus.

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 252.
1459.	an. 1. & 2.	anno 20.	

ſtolicam Sedem conſulere, hoc anno a Pontifice impetrarunt: *Sub Religionis habita*. xv. Kal. Februarii: *Injunctum nobis*. Pridie Kal. Aprilis.

Capitulum Auſtriæ, Poloniæ, & Boemiæ. *Monum. MSS. Prov. Polon.*

LXXXII. Hoc anno celebrata ſunt in Leubis Comitia Vicariatus Obſervantum Auſtriæ, Poloniæ, Boemiæ, & expleto triennio Bernardini Ingolſtad quarti Vicarii, tertio electus eſt ad idem munus Gabriel Veronenſis Roma reverſus, cum auctoritate commiſſarii Præſidentis. Prudentiſſime & religioſiſſime officium peregit, licet aliquibus ob nimium diſpliceret rigorem. Multas & ſalutares in hoc Capitulo edidit conſtitutiones, quas alias cum reliquis Ordinis & Provinciarum dabimus opportunius.

ADDITIO ALIORUM.

» LXXXIII. Hoc etiam anno Pontifex ſuas direxit epiſtolas Prælatis » Generalibus Mendicantium, & Minorum potiſſimum, jubens, ut eos Fra» tres cenſuris Eccleſiaſticis afficerent, omnibuſque gradibus declararent » privatos, qui ſtudiorum prætextu ad aliqua loca miſſi, patrocinia Recto» rum Civitatum expoſcentes, & per mundum vagantes, ſuorum Superio» rum auctoritatem contemnunt: *Religioſorum exceſſus*. xv. Kal. No» vembris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Pontif.

» I. Pius Pontifex confirmatis privilegiis Fratribus Provinciæ Saxoniæ: » *Cum a nobis &c.* vi. Kal. Februarii: Pilſnenſem domum, quam » ab anno MCCLXIII. incolebant Minores, & poſtea Conventuales, ad Ob» ſervantes tranſtulit: hoc enim anno Georgius Boemiæ Rex ad inſtantiam » Magiſtratus Pilſnenſis a Summo Pontifice petiit, ut præfatam cum Eccle» ſia & ſuis pertinentiis, iſtis, qui in ſuburbii domo cujuſdam Joannis *Kla*» *dronis* habitabant incommode nimis, conferret: cui Regiæ petitioni » annuit Pontifex confecta bulla, & pro executione ad Decanum Pragenſis » Eccleſiæ directa, tenoris qui ſequitur.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Decano Eccleſiæ Pragenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

» *Inter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, ſacram Ordinem Mi*» *norum, claris exigentibus meritis, gerentes in viſceribus caritatis, ad* » *ea vigilanter intendimus, ac opem & operam efficacem impertimur, per* » *quæ ſtatus ejuſdem Ordinis ad Divini nominis gloriam, exaltationem Ca*» *tholicæ Fidei, obſervantiam ſalutarem, & ſalutem animarum proſperis* » *ſemper affluat ſucceſſibus, tranquillis foveatur eventibus, ac votivis profi*» *ciat incrementis.*

» *Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimi filii Georgii Regis* » *Boemiæ illuſtris, ac dilectorum filiorum Univerſitatis hominum oppidi no*» *væ Pilſnæ, Pragenſis Diœceſis petitio continebat, quod in dicto oppido Do*» *mus beatæ Mariæ Virginis, Ordinis Minorum conſtructa, per Fratres Con*» *ventuales ejuſdem Ordinis inhabitatur & colitur, in qua ſi Fratres ejuſ*» *dem Ordinis de Obſervantia, qui in domo quadam Joannis* Kladronis » *exiſtunt extra ipſum oppidum, ex quorum vita & exemplo, ac prædicatio*» *nis verbo animarum ſalus augetur, deputarentur & ordinarentur, do*» *mus ipſa beatæ Mariæ in melius reformaretur, fidelium devotio firmare*» *tur, ac illorum operatio bonum ſuſtiperet incrementum.*

Quare

„ *Quare pro parte prædictorum Regis & Univerſitatis hominum nobis*
„ *fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune de benignitate Apoſto-*
„ *lica providere dignaremur.*

„ *Nos igitur fidelium devotionem adaugere, & dictam domum beatæ*
„ *Mariæ Virginis reformare cupientes, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta*
„ *mandamus, quatenus ad eamdem domum beatæ Mariæ Virginis te perſo-*
„ *naliter conferas, illamque in capite & membris Apoſtolica auctoritate vi-*
„ *ſites, illiuſque bona (confecto illorum inventario) eiſdem Fratribus de*
„ *Obſervantia confignes, & Fratres Conventuales ejuſdem pro poſſe ad Ob-*
„ *ſervantiam Regularem hujuſmodi deducere procures; quam ſi ſervare ne-*
„ *glexerint ſeu noluerint, ad loca alia ejuſdem Ordinis, in quibus Conven-*
„ *tuales exiſtunt, eadem auctoritate mittere non poſtponas, eis penitus ha-*
„ *bitatione dictæ domus beatæ Mariæ Virginis denegata: contradictores per*
„ *cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo: non obſtan-*
„ *tibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis & conſuetu-*
„ *dinibus, privilegiis quoque & indultis dicti Ordinis, etiamſi ſub cenſuris*
„ *confecta ſint, illis præſertim, quibus caveri dicitur, quod Conventuales*
„ *loca ſeu domos Fratrum de Obſervantia ejuſdem Ordinis impedire, ſeu quo-*
„ *vis modo petere non præſumant nec debeant, & e converſo, quibus quoad*
„ *effectum præſentium, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ſeu, quod eiſdem*
„ *Fratribus Conventualibus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim ab*
„ *Apoſtolica Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommu-*
„ *nicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſ-*
„ *ſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ceteriſque*
„ *contrariis quibuſcumque. Datum Senis anno Incarnationis Dominicæ*
„ MCCCCLIX. *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri anno* II.

„ II. Virtute alterius brevis ſimilis præcedenti & ſub eadem data,
„ Conventus alter ſub titulo ſanctæ Mariæ in oppido Kouphenæ, Pragen-
„ ſis Diœceſis in Boemia reformatus, Obſervantiæ Patribus conſignatus eſt.
„ Conventus ſancti Franciſci Balneoregienſis reparationem indulſit: *Votis* *Indic. ex Vatic.*
„ *perſonarum &c.* VIII. Idus Martii; conceſſa Indulgentia pro capella
„ beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia Fratrum Minorum. Conventus Geben-
„ næ, etiam pro feſto Immaculatæ Conceptionis: *Variis quamquam &c.*
„ XVI. Kal. Aprilis, & Pridie IX. determinavit Provinciam Dalmatiæ
„ ſubeſſe Vicariæ Boſnæ: *Dum uberes &c.* & Dalmatinis Fratribus prohi-
„ buit accipere Boſnenſium Cœnobia; commorantibus inter infideles poſſe
„ habere ſervos conceſſit: *Dum fidem &c.* Pridie Kal. Maii. Fratri Stepha-
„ no *Claude* Inquiſitori beneficium indulſit: *Apoſtolicæ Sedis &c.* V. Idus
„ Junii. Fratribus ſanctæ Mariæ Gratiarum de Paſtrana, Toletanæ Diœce-
„ ſis, poſſe locum transferre prope Villam permiſit: *Circa quorumlibet &c.*
„ Sorores Clariſſas Monaſterii Bruxellarum in Brabantia numerum qua-
„ dragenarium excedere noluit: *Iis quæ pro &c.* XV. Kal. Julii. Provin-
„ ciæ Calabriæ Fratribus poſſe duo Cœnobia conſtruere licentiam dedit:
„ *Sacræ Religionis &c.* Idibus Septembris. Monaſterium apud Mado- *Monaſter. apud Madon.*
„ nem oppidum, Diœceſis Aurelianenſis a Benedictinis relictum, ut con-
„ verteretur in Cœnobium Fratrum Minorum indulſit: *Inter cetera &c.*
„ IX. Novembris; & fratri Nicolao Spinello poſſe frui privilegiis ſibi a
„ Miniſtro Generali conceſſis: *Merentur exactæ &c.* XII. Kal. Decembris.

„ III. In Caſtella Veteri inſignis ille vir frater Lopè, ſeu Lopetius de *Mors Lop.*
„ Salinis, acerrimus Zelator paupertatis Minoriticæ, menſibus decem &
„ diebus viginti quatuor a ſuo condito teſtamento, anno ſcilicet milleſimo

qua-

Anno Christi 1459.	Pii II. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 20.	Religionis Minorum anno 252.

quadrigenteſimo quinquageſimo nono, die vero vigeſima quarta Februarii, cum Metimnam de *Pomar* ad ſacramentales confeſſiones Comitis Stabuli Caſtellæ, ejuſque Conjugis D. Beatricis de *Manriquez* excipiendas profectus fuiſſet, vivere deſiit; ac ibidem in Monaſterio Clariſſarum honeſtam ſepulturam nactus, magnam ſanctitatis famam & ſummum ſui deſiderium cunctis qui eum noverant, & ſpecialiter parvulo ſuo gregi reliquit: Plures de eo ſcripſere præter Annaliſtam, quos recenſet Arturus, ad quem remitto lectorem. Ceterum cum Pater Joannes Baptiſta *Gallarrete* in deſcriptione Provinciæ Burgenſis dicat Sorores Tertii Ordinis de Bertonera, per illuſtriſſimam Beatricem præfatam, & Lopetium impetrata facultate a Summo Pontifice Pio II. anno MCCCCLXVI. die decima Auguſti, ſecundam Regulam ſanctæ Clarę amplexatas fuiſſe; planum eſt id eſſe non poſſe: nam Pius II. obiit anno MCCCCLXIV. eique ſucceſſit Paulus II. Dico ergo Pium II. hoc anno expediviſſe Breve, virtute cujus præfatæ Sorores de Bertonera, & etiam illæ Velſoradi ſeu Veloardi, & de Brivieſca oppidis, in quibus ſuas domos habebant, ad Clariſſarum ſtatum tranſierunt: breve incipit: *Devotionis veſtræ &c.* XVI. Kalendas Auguſti: & eſt apud Waddingum.

Artur. in Martyr. Franc. ad diem 24. Febr.

Gallarette fol. 159.

Wadd. ad hunc ann.

IV. Lucas etiam ab Aſculo Civitate Epiſcopali in Piceno ad Truentum fluvium circumfluentem, edito loco ſita, & montibus cincta, & ſua patria nuncupatus, his temporibus mirifice clarebat: Vir Religioſiſſimus, Concionator perfervidus, eruditione & exemplo vitæ inculpabilis, plurimum in populo proficiebat; & quidem miræ puritatis & innocentiæ cum eſſet, verba vitæ cum tanta gratia proferebat, ut Angelus videretur e cœlo dilapſus: quamobrem attente audiebatur a cunctis, qui eum eximie reverebantur, ac ut ſanctum colebant; maxime quod prophetiæ dono clarens ſecreta cordium penetraret, & miraculorum fulgore enitens, plurimum beneficus miſeris & afflictis experiretur: Dominæ Maximinæ Algeani de Meleto ſterili, ac ob id maxime querulæ, non tantum prædixit Filiam, ſed & ſuis precibus impetravit: Qui vero mitis erat in homines, adverſus Spiritus malignos adeo terribilis evadebat, ut illi eum ferre minime quirent; unde ad ejus vocem quaſi fulmine percuſſi, ab obſeſſis fugiebant. Tamdem labilis vitæ conſumato curſu, Aſculi relicto corpore, quod ibidem apud ſuos honorificam ſepulturam accepit, purus & levis properavit in cœlum.

Lucas ab Aſculo. *Harol. ad ann. 1540. n. 62. de Couv. S. M. Annunc. in Provin. Marchiæ. Marc. Ulyſchren. p. 1. lib. 4. c. 28. ad an. 1459.*

V. Laudatur etiam apud Jacobillum, in vita beatæ Paulæ, Franciſcus a ſancto Homero, oppido in Veſtinis, ſui natalis appellatus, quod eſſet humiliate eximius, oratione fervens & contemplatione ſublimis: quamobrem digne confeſſarius Paulæ Fulginatenſis, ac aliarum ſanctimonialium Clariſſarum primæ Regulæ in Urbe Aquilana, non illa inferioris gradus, vitæ ſanctimoniam adeptus eſt. Floruit hic Religioſiſſimus Frater hoc anno MCCCCLIX. Idibus Septembris in Aprutio ſepultus.

Bajard. de SS. Fulgin. in vita B. Paulæ. Franc. a S. Homero. *Bajar. Arbor SS. Tert. Ordinis M. Magd Auſtriaca Duciſſa Etruriæ &c.*

VI. Andreas etiam Ravennas Tertii Ordinis Franciſcani alumnus, miraculis clarus in Romandiola migravit ad Dominum XII. Kalendas Junii hujus anni, in arbore H. Tertii Ordinis Cornelli Florentini auctoritate Petri Nicolini typis commiſſa deſcriptus: apud quem præfatum auctorem Dominicus de Ternis ejuſdem inſtituti, & perfectionis memoratur obiiſſe in Patria die decima nona Januarii. Horatius de Sanctis in ſua navi Seraphicæ Religionis celebrat Franciſcam a Contrera Virginem Hiſpanam tertii Inſtituti, profundiſſima humilitate claram, quæ ibidem obiit V. Kalendas Aprilis hujus anni.

Horat. in navi Seraph. Relig.

Franc. a Contrera.

AR-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1460.	an. 2. & 3.	anno 21.	

ARGUMENTUM.

Pius Pontifex Montua regrediens, frequenter ad Minores divertit. Ludovicus Bononienſis ex ſua legatione Ultramarina reverſus, multorum Principum Oratores ſiſtit Pontifici, de quibus ſiniſtra oritur ſuſpicio. Principes Hungariæ Italos ad cultum Joannis Capiſtrani procurandum invitant. Pie ex hac vita decedunt plerique Minoritæ. Florent viri docti. Recenſentur Epiſcopi. Henricus Rex Caſtellæ impenſe favet Obſervantibus. Præſcribitur habitus Ordinis ſancti Hieronymi a Franciſcana exorti. Conſtruuntur Cœnobia.

I. Pius Pontifex per menſes octo Mantuæ commoratus, tamdem purpuratorum Patrum & Principum cœtum diſſolvit, Romamque redire conſtituit. Iens & rediens multa ubique Fratribus Obſervantibus amoris oſtendit indicia, libenter apud eos pernoctans, frequenter ad eos divertens, liberaliter etiam ſua dona diſtribuens. Ad quintum a Mantua lapidem, hujus Sodalitii domus eſt, ſub invocatione ſanctæ Mariæ Gratiarum, cui loci devota ſolitudo, habitantium pietas, Virginis ſimulacrum multis miraculis commendatum, eximiam conciliat reverentiam. Illuc perrexit Pius die XIX. Octobris anni præteriti, triduumque commoratus, die Dominico habitu celebravit Pontificio in beatæ Virginis ſacello. Rei monumentum inter ſæra memorabilia his verbis exaratum eſt: *Ad laudem & gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque glorioſiſſimæ genitricis Virginis Mariæ, motris omnium gratiarum, & ad perpetuam rei memoriam: Sanctiſſimus ac Beatiſſimus in Chriſto Pater & Dominus, Dom. Pius divina providentia Papa II. qui cauſa devotionis, & ſpirituoiis recreationis hanc Baſilicam cum loco viſitavit, tribuſque noctibus pernoctavit an.* M.CCCC.L.IX. XIX. *Octob. &* XXI. *quæ fuit Dominica, poſt Miſſarum ſolemnia, populo aſtante fideli, pro ſua ſolita clementia, omnibus Chriſtifidelibus ipſam Baſilicam ſive Eccleſiam viſitantibus in prima Dominica dicti Menſis Octobris, & vere pœnitentibus & confeſſis miſericorditer conceſſit ſeptem annos, & totidem quarantenas de vera Indulgentia, & hæc viva voce perpetuis temporibus duraturæ.* Ex eo tempore quotannis fit magnus concurſus populorum Dominica prima Octobris, & res ſacra magna peragitur ſolemnitate.

Pius erga Minores benevolus.

Donesm. l. 4. hiſtor. Mantuanæ. Marian. l. 5. c. 32.

Apud Fratres Mantuanos multa ejus memoria.

II. Hoc anno illic reverſum antequam e Mantua recederet, & denuo ibidem celebraſſe, ſimiliter iiſdem proditum eſt monumentis, re ita deſcripta: *Piiſſimus, clementiſſimuſque Dom. noſter Pius divina providentia Papa II. innata quadam ac particulari veneratione pariter & devotione ſemper accenſus, ſuper hoc ſingulare altare almæ Virginis, & glorioſiſſimæ matris* XVI. *die Januarii* M.CCCCLX. *devotiſſime celebravit, & in hujus memoriam quibuſcumque ibidem celebraturis a die ſuæ celebrationis pro qualibet miſſa trium annorum & trium quadragenarum, audituris vero Miſſam devote in forma Eccleſiæ ibidem conſtitutis, unius anni ac unius quadragenæ indulgentiam dedit, perpetuis temporibus duraturam, hoc tamen ſemper ſervato, ut celebrans prius petat licentiam Guardiani, vel ejus loco exiſtentis. Paratus autem ante altare dicat devote:* Miſerere mei Deus & De profundis clamavi, &c. *ac ter* Pater noſter *cum* Ave Maria. *Aſſiſtentes vero ceteri pro ipſa Indulgentia conſequenda ſimiliter genuflexi ante Miſſam ſepties* Pater noſter *cum* Ave Maria *devote perſolvant, ut meritis ejuſdem Virginis ſalutis auctor dulciſſimus Jeſus Chriſtus Vicarii ſui totam vitam ad ſuæ ſanctiſſimæ dirigat be-*

beneplacitum Majeſtatis, demumque animam admittat in gaudium æternitatis: quam Indulgentiam vivæ voce conceſſit.

III. Ante fores templi ejus ſtatua Pontificalibus ornata conſpicitur, ſive tunc ipſius juſſu, ut aliqui referunt, ſive poſtea aliorum induſtria erecta, cui ſubinciſa hæc carmina vulgari ſermone leguntur.

Da i ſette colli, Madre alma di Dio,
Ove fuì poſto a dar al mondo eſſempio,
Ne vengo ad adorarti in queſto tempio
Con le chiavi, e col manto, humile e pio.

IV. Paulo ante die 11. Decembris conſecrari voluit urbis Mantuanæ templum ſancti Franciſci ab Hermolao Barbaro, Epiſcopo Veronenſi, cui actioni ipſe cum omnibus Cardinalibus, plurimiſque interfuit Prælatis. Rei memoria impolitis his verſibus tabulæ marmoreæ ad templi aditum inciſa eſt.

Mille quadringentis annis, quinquaginta novemque
Menſe Decembris, erat Dominus ſub luce ſecunda
Nobilis Antiſtes, decus, atque corona Veronæ,
Hermolaus, Venetis oriundus, Barbara proles,
Hoc, Pater alme, tibi templum, Franciſce dicavit
Cultum: namque Pio Papa præſente ſecundo,
Cardinibuſque ſuis ter denis, Præſulibuſque
Pluribus, ac cœtu fidei celebrante dietam.
Perpetuo Pius hanc juſte viſentibus ædem
Septem quadragenas, ſeptem indulſit & annos.

An. M. CCCC. LIX. die XXVII. *Maii Papa Pius venit Mantuam, die* XIX. *Januarii inde receſſit.*

Invisit cœnobium Capriolæ.

V. In regreſſu e Mantua Romam verſus, placuit aliquantulum inter conſanguineos & notos Senis commorari. Inde receſſit ad humile devotumque Minorum Obſervantum cœnobiolum a Capriola nuncupatum, non longe ab urbe ſemotum, de quo nos alias egimus diffuſius. A Divo Bernardino erectum, ob ejus memoriam a piis viris ampliatum & adornatum, a Religioſis ejuſdem Inſtituti ſanctioribus incolebatur. Manſit hic Pontifex diebus quindecim, Spoletano & Theanenſi Cardinalibus comitatus, ut aliquantulum quieſceret a negotiis, non tamen aut ſignaturam aut ſecretæ conſiſtoria prætermiſit, neque audientiam negavit adventantibus. In nemore quod perpetua viret lauro & ilice frequenti, auditorium ſibi conſtituit loco aprico ſub monte, idque tantum voluptatis auxit ſolitudinem quærenti, quod ver ante tempus invenit.

Tom. 9. An. 1405. n. 61. Comment. Pii II. l. 4.

Senis moratur apud Minores, & in itinere ad eos frequenter divertit. *Marian. chat.*

VI. Senas reverſus jam æſtate fervente, apud Minores amœno & ſalubri loco manſionem ſibi delegit. Inde abiens, ubicumque licebat, ad Minores divertebat. Per Conventum Nemoris de Mugello tranſiens die v. Maii anni præteriti, qui incidit in Dominicam, illic oravit coram altare majori, & per Vicecancellarium denunciari fecit a nemine requiſitus indulgentiam decem annorum & decem quadragenarum eo die quotannis a viſitantibus dictam Eccleſiam in perpetuum conſequendam. Ne vero ſingulis annis per hebdomadæ ſerias inſtabiliter recurreret, orarunt Fratres, ut declararet theſaurum hunc diſpenſandum prima quaque ejuſdem menſis Dominica. Fecit, & ſummo populorum concurſu adhuc hujus rei memoria quotannis renovatur.

VII. Di-

Anno Christi 1460.	Pii II. an. 2. & 3.	Friderici III. Imp. anno 21.	Religionis Minorum anno 253.

VII. Diximus in exordio ſui Apoſtolatus Pontificem miſiſſe fratrem Ludovicum Bononienſem ad Occidentales Tranſmarinos Principes, ut Iberiæ, Armeniæ & Meſopotamiæ Reges adverſus Turcas armaret in Aſia, ſi Chriſtianos expeditionem in Europa adverſus eoſdem hoſtes parare contingeret. Is paulo poſt reditum Pontificis ex Mantua (verbis Gobellini, ſive ipſius Pii rem omnem enarro) Romam applicuit, quem plures Orientalium Principum Oratores ſecuti ſunt, quorum hæc ſunt nomina: David Imperator Trapezuntius Michaelem Aldigerium miſit; Georgius Rex Perſarum, & majoris Armeniæ, & minoris Iberiæ, cui Pater fuit Alexander, Nicolaum Tephelum: Aſam gener Imperatoris, ac Meſopotamiæ Rex, ac Chriſtianorum amicus, non Chriſtianus, cui pater fuit Carailucas Trucomanno, Mahumetem Trucomanno; Gorgora in Iberia majori ducatum obtinens, cui pater fuit Gazabecchi, Caſſadan Carceccham: Urtebecus Armeniæ minoris Dominus, Moratum Armenium. Legatorum ſicut diverſi mores, ita & habitus fuere, adeo ut omnibus admirationi eſſent, & plebis quocumque irent, in ſe oculos converterent, puerorumque turbam ſecum traherent. Perſici Oratores in more noſtrorum Monachorum, ſervata capillorum parva corona, totum caput tonſum; ejus, qui ex Meſopotamia venit, pari modo, ſed in vertice ſummo capillorum parvulus quidam manipulus viſebatur, quemadmodum gentiles geſtaſſe flamines in pileo ferunt. His per Colchideni & Scythiam tranſmiſſo Tanai ac Danubio in Hungariam iter fuit, deinde in Germaniam, ubi Fridericum Imperatorem ſalutavere. Hinc profecti Venetias magnis honoribus ab ejus Urbis Senatu excepti ſunt. Quæ res fecit, ut veri Oratores crederentur propter commercium, quod Veneti cum Orientalibus habent.

An. 1458. *n.* 10. Ludovicus Bononien. ducit ad Pontificem Orientales Oratores. *Commentar. Pii II. l.* 3.

VIII. Cum Romam veniſſent, non minorem gratiam invenerunt. Recepti tamquam Legati Regum, occurrente Prælatorum Ordine, diverſoria & cibos ex publico acceperunt; inter quos fuiſſe aliquos traditum eſt, qui ſinguli diebus ſingulis libras carnium haud minus viginti ederent. Auditi in conſiſtorio coram Pontifice, in hunc modum verba fecere: *Miſiſti ad nos Ludovicum Bononienſem, profeſſione Minorem, qui ait te Mantuam petiviſſe, ut Conventu eum Chriſtianis celebrato, Mahumeti Turcarum Imperatori bellum inferres, cupere Principes noſtros, cum tu in Europa illum oppugnares, in Aſia tumultum excitare. Placuit ſermo, oderunt Turcas noſtri Principes, te amant, & Chriſti Vicarium venerantur, parendum tibi eſſe fatentur; eam ob cauſam cum gravibus inter ſe odiis diſcordarent, bellumque gererent, jubente Nuncio tuo arma depoſuere, parati, cum juſſeris, adverſus Turcas ea reſumere: centum viginti millia pugnatorum, cum volueris, præſto aderunt, in Aſia uſque ad Helleſpontum & Thracium Boſforum, Mahumetis Imperium invaſuri, dum tu pari modo eum Occidentalibus populis aggrediaris Turcas. Ad hoc miſſi ſumus, ſimulque tuos oſculemur pedes, tamquam vicem Dei tenentis in terra. Nobis fœderati ſunt Bendias Mangreliæ & Arabiæ Rex, & Pancratius Iberorum, qui nunc Georgiani vocantur, & Mania Marchio Goriæ, & Hiſmael Synopi Dominus, & Caſatimenæ, cui pater fuit Spediar, & Fabia Dux Anogoſiæ, & Charamannus Ciliciæ Dominus, quorum maxima erunt præſidia. Illud tantum ex te nunc petimus, ut Ludovicum, qui nos huc adduxit, ſuper eos, qui Romanum in Oriente ritum cuſtodiunt, & tuæ Sedis fidei conſociantur, Patriarcham conſtituas.*

Petunt ſibi dari Ludovicum in Patriarcham.

IX. His dictis laudavit Pontifex Principum deſideria, & quæ obtulerant, magni ſe facere oſtendit, quæ Mantuæ geſta fuiſſent, expoſuit, ſe ſe-

ciſſe quæ potuiſſet, non concurriſſe Chriſtianos Reges, ſperare tamen concurſuros, ſi norint Orientalium propoſitum; utile videri Legatos ipſos per Italiam trans-Alpes in Galliam proficiſci, eademque Regi Franciæ, ac Duci Burgundiæ dicere, quæ ſe coram expoſuiſſent; ſine Francis expeditiones, quæ dignæ ſint, difficile fieri poſſe; eam eſſe nationem, quæ ſæpe adverſus infideles terra mariquc glorioſe certaverit, & nunc cam Turcis præcipue timendam fore. Aſſenſere Legati; verum expenſas itineris, & Ludovici Patriarchatum petiere. Pontifex utrumque conceſſit, ea moderatione adjecta, ne Ludovicus ſe Patriarcham aut ſcriberet, aut appellaret, antequam reverteretur, neve litteras hujuſce dignitatis ſecum afferret, ſed in cuſtodia eſſent apud Cardinalem ſancti Petri, ut major interea de finibus Patriarchatus haberi notitia poſſet.

Conceditur.

X. Ivere per Italiam & Galliam, fuere apud Franciæ Regem, & Burgundiæ Ducem, nihil invenere præſidii: omnes ejus rei curam, pro qua verba fecerunt, ad Pontificem remiſere, tamquam ejus eſſet etiam ſine ope Regum Turcas evincere. Corraſere tamen mendicantes non parvam pecuniam; interfuere Caroli Regis exequiis, qui per idem tempus obiit, & Ludovici coronationem viderunt, nec plus a filio, quam a patre obtinuerunt. Per verba plures ducti dies, tamdem vacui redierunt. Medio tempore multa ad Pontificem delata ſunt, quæ ſuſpectam eam Legationem reddiderunt, Ludovicum mendacem & deceptorem eſſe, quæſtus cauſa veniſſe cum eo viros ex Oriente, qui ſe Regum Oratores aſſimulaſſent, falſaſque Principum litteras attuliſſent; & jam Ludovicus mandata Pontificis contempſerat, qui ſe, quocumque locorum venerat, appellari Patriarcham juſſerat, & honores qui ſibi tamquam Patriarchæ deferebantur, percupide acceptaverat. Conſtat quoque, eum & in Hungaria, & in Germania eas diſpenſationes feciſſe, quas nec Legati de latere abſque mandato ſpeciali auſi fuiſſent admittere. Ob quas res reverſo ex Francia non idem ſibi neque Legatis favor, qui prius offenſus eſt. Reprehendit eum Pontifex, qui mandata Apoſtolica neglexiſſet, nec habuit, quod reſponderet; verum ea tantum animadverſione mulctatus eſt, quod Patriarchatus litteras haud quaquam obtinere potuit, parumque abfuit, quin recluderetur in carcere. Pepercit Pontifex non tam ſibi, quam ſociis quos adduxerat; incertum enim erat, veri eſſent Oratores, an falſi, atque ob eam cauſam pecuniam pro reditu eis elargitus eſt. Ludovicus eos ſecutus, cum Venetias appuliſſet, ab ignaris quibuſdam Epiſcopis & in Sacerdotem & in Patriarcham conſecrari obtinuit. Quod cum Pontifex reſciſſet, Patriarchæ Veneto ſcripſit, ut deceptorem in vincula reciperet. Ille præmonitus a Duce Veneto, propere fugam arripuit, nec poſtea quo pervenerint, aut quid egerint, vel ipſe, vel comites ejus, in hanc uſque diem auditum eſt. In his, quæ longinquiora ſunt, multa fallendi occaſio patet, & raro veritas invenitur. Orientalia deinceps Pontifici & Tranſmarina ſuſpecta fuerunt, ea præſertim, quæ viri egentes & famæ obſcurioris attulere.

Abluitur ille Pontificio indulto.

Rodul. fol. 266.

XI. Unde hæc ego confirmem, non habeo; ſolum Petrum Rodulphum lego, qui hæc ex Pii commentariis exſcripſit, in eo deceptus, quod ſui Conventus Bononienſis Minorum Conventualium alumnum, & ſacræ Theologiæ ſcribat Magiſtrum, qui nonniſi ex laicorum, ſeu converſorum numero, & familia erat Obſervantum; & quidem ipſe ex prædictis Pii commentariis retulit, nonniſi Venetiis ſub hujus impoſturæ finem, ſacerdotium ſuſcepiſſe. Sed de prædicta Gobellini narratione me valde dubitare faciunt ipſius Pii diplomata, quibus ad initium anni ſequentis impenſe laudat Ludovi-

Suſpecta videtur narratio Gobellini.

vicum, quorum primo ad Carolum Francorum Regem, & Philippum Burgundiæ Ducem proficiſcentem multis afficit encomiis, aliis duobus poſt regreſſum ei renovat & confirmat omnes gratias a ſe vel a ſuis prædeceſſoribus olim conceſſas, jubetque ut cum ſupra narratis Oratoribus redeat, ac Reges & Principes Occidentales ad fœdera contra Turcas invitet. Nulla ejus deinceps memoria recurrit in monumentis Vaticanis, neque in Ordinis Regeſtis, in quibus paſſim hucuſque aliqua de illius factis & miſſionibus notabantur; recurret tamen poſt aliquot annos, ubi etiam adhuc apud alios Principes Legationibus functum ex aliis auctoribus enarrabo. Poſtrema hæc diplomata Pontificia ſufficere puto, ut hominem tot perfunctum pro Sede Apoſtolica laboribus, potiori nota ſcriptores afficiant, & honorificentiori vitæ fine coronent. Illa hic exſcribo.

Vide anno 1465. & anno 1476.

Philippo Burgundiæ Duci &c.

XII. *Invaleſcente magno Turco, fidei Chriſtianæ adverſario, & infinitos pene Chriſtianos Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti ſanguine in crucis patibulo abunde effuſo liberatos, in ſervitutem redigente, fel. record. prædeceſſores noſtri maxime Nicolaus V. & Calixtus III. curam aſſumpſerunt, ne Turcus iſte prævaleret, pro viribus providendi. Et quia ſperabant in Europa poſſe tantum efficere, quod Reges & Principes Chriſtiani ſe voluntarios & fideles Chriſti milites in hoc neceſſario tempore oſtenderent, quiſque eorum ad Aſiam & Orientis partes miſit dilectum filium Ludovicum de Bononia Fratrem Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari, ut is pro ſua prudentia, rerum, locorum hominumque notitia, Chriſtianos Orientis, & alios Chriſtianorum amicos excitaret ad faciendum ſimiliter armo contra Turcum. Nos autem cum in prædictorum laboret Divina ordinatione ſucceſſimus, Mantuam accedentes, ſimili ſpe ibidem Chriſtianorum exercitum adjuvandi, eumdem fratrem Ludovicum miſimus cum inſtructionibus opportunis Chriſtianos & amicos Chriſtianorum concordandi, & ut in Turcos ſuas vires conjungerent, incitandi, data eis ſpe, nos in Europa nullatenus defuturos. Accedens frater Ludovicus, omnia ſibi per nos commiſſa* diligentiſſime & prudentiſſime *eſt executus, qui, ut optimam illorum Regum & Principum obedientiam & devotionem, quam habent ad hanc Apoſtolicam Sedem, intelligere poſſemus, curavit ſecum advenire dilectos filios Michaelem Imperatoris Trapezundorum, Nicolaum Regis Perſarum, Coſtopam Ducis Georgionæ; Mannethem Aſſenbech Soldani Meſopotamiæ, Moratbum Verberechti in Armenia domini Oratores & Nuncios, qui nobis litteras attulerunt ſuorum dominorum exprimentes fervorem ad præſumptuoſiſſimi Turci deſtructionem, & ſimul votivam noſtrorum deſideriorum executionem. Quoniam vero talium Regum & Principum concluſiones ad honorem Dei, & fidei noſtræ tuitionem tendunt, ideo volumus tuam Serenitatem participem fieri; ipſiſque injunximus, ut cum præfato fratre Ludovico Nuncio & Oratore noſtro ad tuam veniant Celſitudinem, & ſingula, quæ nobis verbo & ſcriptis retulerunt, plane referant. Deſideramus itaque a tua Excellentia, ut tam ipſum Ludovicum, quam ipſos Orientalium Oratores, etiam noſtra contemplatione ad tuom admittas audientiam, & ſuorum dominorum ad ea, quæ Chriſti ſunt, devotionem attente conſideres; attendatque tuo nobilitas, quod non minus, quam Orientis Reges, obligatur ad ſimilia & majora, in communis hoſtis deſtructionem pro viribus impendendo, & de hoc nos ac ipſos ſimul, & totam Eccleſiam lætam & conſolatam reddes, coſdemque quantocyus ad nos remittas votive expetitos.*

Vide Raynald. ann. 1461. n. 1.

Commiſimus autem prædicto fratri Ludovico, ut noſtro nomine Celſitudinem tuam reddat certiorem, nos in omnibus Mantuæ ordinatis promptos & paratos ſine defectu futuros, quantum ad nos attinet; quin etiam ultra ea, quæ ibi concluſa ſunt & nos concernunt, omnia nobis poſſibilia in Dei laudem adjiciemus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXI. *Pontificatus noſtri anno* III.

Dilecto filio Ludovico de Bononia fratri Ordinis beati Franciſci de Obſervantia Regulari, Oratori noſtro.

Ex li. 13. bullar. fol. 64.

XIII. *Devotio tua, quam fel. rec. prædeceſſoribus noſtris Nicolao V. & Calixto III. & nobis hactenus oſtendiſti te gerere ad Orthodoxam Catholicam Chriſtianam fidem, & ejus defenſionem contra perfidiſſimum crucis Chriſti perſecutorem Turcarum Regem, tua quoque prudentia & diligentia, quam implendis & perficiendis iis, quæ per Sedem Apoſtolicam tibi commiſſa fuerunt, tamquam bonus Religioſus adhibuiſti, nos inducunt, ut propter illa ad quæ ſollicitanda ac feliciter perficienda ad Orientis partes a Sede Apoſtolica jam tertio miſſas fuiſti, etiam nunc te ad cariſſimos in Chriſto filios Reges, & dilectos filios Principes, Univerſitates & Populos Occidentis Chriſtianos tranſmittamus. Volumus itaque & tibi mandamus, ut tu cum dilectis filiis Michaele de Aldigeriis Oratore cariſſimi in Chriſto filii noſtri Danielis Imperatoris Trapezundorum, & Nicolao Gabrielis Oratore cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Perſarum, ac Coſthodan de Careche Oratore dilecti filii noſtri Gorgoræ Ducis Giorgianiæ, cum Mahumete quoque Oratore magni Principis Aſſambech Soldani Meſopotamiæ, & Morato Oratore dilecti filii nobilis viri Vertbbrech, in Armenia Domini, te ad iter accingas, & ad prædictos Reges, Principes, Univerſitates ac populos Occidentis accedens, in primis narres & exponas ſingulis quidquid egiſti in partibus Orientis, deinde prædictos Orientalium Oratores pariter ſingulis noſtro nomine præſentes, & diligentiſſime commendes: quos Oratores admonere debebis, ut ea, quæ nobis ſuorum dominorum nominibus verbo & in ſcriptis obtulerunt, omnibus nota faciant, poſt factamque ipſorum Oratorum expoſitionem, tu ſimul cum eis diligenter apud illos Occidentales inſtabis, ut & ipſi ſe ſe oſtendant veros nobiles & Chriſti milites ac ſuæ fidei, qua nihil habere debent pretioſius, ardentiſſimos zelatores; in memoriam eiſdem reducendo ea, quæ nos cum maximis expenſis, laboribus & incommodis in dieta Mantuana, communicato ſolemniter cum omnibus, qui aderant, conſilio decrevimus, ut Turcam de Europa divino adjutorio fugaremus. Unde noſtris hujaſmodi Occidentalibus inſtantius perſuadere conaberis, ne aliquo modo nunc deficiant, quando tantum ab Oriente auxilium eſt oblatum; firmam & certam ſpem præbendo, omnia, quæ Mantuæ promiſimus, nos in nullo per Dei gratiam defuturos, imo ultra illa omnia nobis poſſibilia facturos. Curabis vero diligentiſſime, ut Occidentales ipſi de iis, quæ facere non potuerint, nos per ſua ſcripta certificent: quibus attente vehementerque memorabis, quantum ſit neceſſarium ſubſidia Orientalibus ſupradictis afferre, priaſquam ſeviſſimus ille Turcus eorum animum & conatus habens exploratos, oſtenſis & illatis incommodis, vi & armis ipſos a bono propoſito divertat, ſicque proni & cupientiſſimi in noſtra præſidia ii Principes, propter oſtenſam nobis fidem & amicitiam patiantur, & demum nos amiſſo tali tantoque præſidio, cui vix par invenire poſſet, majoribus ſolito damnis periculiſque implicemur. Tu itaque pro ſolita devotione & obedientia tua hoc ſanctum onus libenti ſubeas animo, & ad Dei laudem fide-*

fideliter exequi adnitaris, pro quo apud Deum immortale præmium, & a Sede Apoſtolica gratiam & benevolentiam conſequaris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLX. *Idibus Januarii, anno* III.

EIDEM.

XIV. *CUm fel. rec. Nicolaus Papa V. primo, & poſt Calixtus III. prædeceſſores noſtri mittenses te ad partes Orientales & alias orbis regiones, multus & varias tibi fecerint commiſſiones, & propterea tibi multiplices gratias conceſſerint ſpirituales, prout nos etiam poſtea ad eaſdem, & alias orbis partes ſimiles fecimus commiſſiones, & eaſdem conceſſimus gratias, tu ſemper pro datu tibi deſuper gratia, & eiſdem prædeceſſoribus noſtris in eorum vitu, & nuper nobis optime ſatisfeciſti, adeo ut ipſi prædeceſſores (quod ſcimus) te commendaverint, prout nos plurimum commendamus. Itaque intendentes iteruto mittere te ad prædictas & alias mundi partes, cauſas fidei diverſimode tractaturum, gratias omnes & quaſcumque ſpirituales tibi, & tuam comitantibus adjuvantibuſque perſonam quomodolibet a prædictis prædeceſſoribus noſtris & a nobis, ut præfertur, conceſſas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus, & de novo concedimus. Datum ut ſupra.* Ibid. fol. 65.

XV. In regno Hungariæ Joannis Capiſtrani nomen & fama frequenti miraculorum gloria quotidie magis magiſque creſcebat. Matthias Joannis Huniadis glorioſiſſimi Ducis filius, e vinculis Capiſtrani meritis liberatus, & ad Regnum aſſumptus, uti patri viventi vir ſanctus prædixerat, nihil tam cupiebat, quam dignos & multis titulis debitos eidem honores decerni. Id etiam ſummopere deſiderabat Nicolaus Vayvoda Tranſylvanus, & cives Huylacenſes, apud quos ejus corpus honorifice quieſcebat. Ne itaque ſuo muneri deeſſe viderentur, dum votis ſatisfacere propter ingentes regni turbas, & ſummas calamitates non poterant, ſuis litteris omnes Chriſtianos Principes præſertim Italicos, ut pote Sedi Apoſtolicæ propinquiores, excitare & invitare voluerunt ad urgendam apud Pontificem Viri ſancti canonizationem. Ex ipſis autographis do exemplaria. Hungari excitant Italos ad cultū Joan. Capiſtrani.

ITALIÆ PRINCIPIBUS &c.

MATTHIAS Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Univerſis & ſingulis Orthodoxæ fidei Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Antianis, Prioribus, Judicibus, ac Civitatum & Communitatum rectoribus præſentes viſuris vel audituris, ſalutem, ac proſperos ad vota ſucceſſus.

XVI. *NOs, qui Dominum laudare jubemur per Prophetam in ſanctis ejus, dignum & rectæ rationi imo debitum eſſe arbitramur, ut laudemus pro noſtro poſſibilitatis modulo ſpecialiori quadam devotione omnipotentem Deum in iis, quæ operari dignatus eſt, maxime temporibus noſtris in huc noſtra ætate per ſervum ſuum bon. mem. fratrem Joannem de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum, quem veluti mundiſſimum & integerrimæ vitæ ſpeculum, & virum ſanctiſſimæ converſationis, ipſe Deus glorioſus pro noſtra & regni noſtri gloria tamquam alterum quendam Apoſtolum nobis dono dedit. Nam Vir iſte beatus natale ſolum deſerens, dum pro colligendis animabus diverſas mundi plagas, ſeminans ubique tam ferventiſſime, quam devote verbum Dei, perluſtrare ſtatuiſ-* Ex arch. Capiſtr. Iſai. 150. 2.

tuiſſet, poſt multos ſanctæ prædicationis ſudores, tamdem divino nutu, ut non ambigimus, ſeipſum contulit in hoc regnum, cujus maximam partem in animi ſui potius, quam corporis robore tenuit, ipſe tanquam robuſtiſſimus juvenis circuivit prædicans ubique, ſine intermiſſione docens de regno Dei. Et quia id, quod docuit verbo, monſtravit exemplo, vitaque ejus & converſatio non diſcrepavit a doctrina ejus, ſtatim in ipſo ſuo ingreſſu, ejus ſanctitatis fama diverſis implevit partes dicti regni noſtri, & tam deſiderabilis ab omnibus habebatur, ut beatiſſimum ſe putaret, qui cum aut videre vel ipſius colloquio conſolari potuiſſet. Tanta continue de diverſis ipſius regni noſtri partibus confluebat ad eum non ſolum populi, verumetiam Prælatorum & Baronum ac nobilium multitudo, ut cum proponeret ipſis verbum Dei, non eos niſi campeſtris vel latiſſima plateæ planities capere valebat; omnes enim qui habebant infirmos, ducebant illos ad eum, prout plurimi fideles noſtri multos; qui taliter ducti fuerant, recepta gratia ſanitatis ad propria cum lætitia remeaſſe teſtantur. Sed Vir iſte hæc & ſimilia non ſuis, ſed beatiſſimi Bernardini, cujus ipſe biretum & ſanctas Reliquias ſecum portabat, & ſuper infirmorum capita ponebat, meritis ob odium vanæ gloriæ, cujus pulveribus fœdari abnuebat, adſcribere pro ſua humilitate ſolebat. Non defuit huic Viro ferveus deſiderium martyrii in ſuo ſanguine laureandi, ſi non defuiſſet perſecutor, qui in ejus ſanguinem ſævire voluiſſet, vel permiſſione divina potuiſſet. Sanctæ crucis ſignum a Reverendiſſimo Joanne Cardinali ſancti Angeli, ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato, ſuſcepit: quo ſuſcepto, crucefignatus ipſe crucem prædicare cœpit, & parvo temporis ſpatio magnam crucefignatorum multitudinem ſua prædicatione conquiſivit, illorumque animos ad excipiendum fortiſidandum valde ſæviſſimorum Turcarum inimicorum crucis Chriſti impetum, non ſolum audaces, verumetiam at leones impetuoſiſſime irruentes in prædam audentes fecit. Et cum caſtrum finitimum dicti noſtri regni Nanderalbam Turcarum maxima multitudo infinitis pixidibus ac bombardis, & omnibus ingeniis bellicis, quæ ad expugnandum ipſum caſtrum infidelium aſtutiæ potuerunt excogitare, illic conjectis obſedifſet, cum Illuſtri Principe, piæ memoriæ, noſtro Domino & genitore Joanne de Hunyad, ipſe beatus Pater pro fide Catholica mori paratus, in ipſum caſtrum tam valide obſeſſam cum crucefignatis utrumque introivit. Jam ex ea parte, qua bellum tam atrox acrius inferbuerat, murus exterioris caſtri per ingenia bellica deſtructus, ſic terræ adæquabatur, foſſata quoque ita repleta erant, ut libere introitus & exitus Turcis pateret, jamque in ipſa externa planitie caſtri bis pugna commiſſa fuerat; cum exercitus Chriſti ad exhortationem beati Viri in acclamatione nominis Jeſu, quod bellicum & militare ſignum ab ipſo beato Viro ſuſceperat in bello acclamando, audaciter, & in maximo animi potius quam virium robore, fide magis pugnaturus quam ferro, irruit in hoſtes; tum ipſe beatus Joannes ſtans in loco eminentiori, ut in omnium manibus miles Chriſti pugnaret, omnes ad pugnam ſua exhortatione valenter pugnare provocabat. Quid immoremur? Poſt multos tam acerrimi belli ſudores contritus exercitus Satbanæ, a facie militum Chriſti verſus in fugam, cum magna ignominia poſt ingentem ſtragem, relictis omnibus pixidibus, bombardis, machinis & aliis bellicis ingeniis, confuſus nocte receſſit. Parta ergo tamdem glorioſa contra hoſtes victoria ab incrmi populo Chriſti, ſi inermem dicamus populum, quem Chriſti fides præclare armaverat, caſtrum ipſum liberum evaſit ab hoſtibus. Hanc victoriam tam inſignem meritis ipſius beati Viri adſcribendam quis dubitet? Poſtremo vir plenus bonis operibus pro hac tranſitoria & caduca vitam accepit, ut non ambigimus, ſine fine man-

manſuram, animum cœlo, corpus terræ commendans; poſt cujus felicem tranſitum infinita illa miracula & prodigia, quæ ad invocationem nominis ipſius beati Joannis, & ad ejus ſepulcrum delatis, vel ſaltim per votum aliquod pro ipſius honore emiſſum, languidis etiam uſque modo, prout nonnullorum fidelium noſtrorum fida teſtimonia nos faciunt certiores, ad declarandum ſui famuli meritum & gloriam operari non ceſſat omnipotens Deus, clare demonſtrant, ſanctiſſimam ipſius beati Viri animam in Sanctorum Collegium aſſumptam lætitia perfuſam ſempiterna. Et quia dignum arbitrati ſumus, illum ab omnibus honorari in terris, quem Omnipotens ſic exaltavit in cœlis, poſt felicem noſtram electionem ad apicem Regiæ dignitatis Divinitus factam, nobis ſemper præcipuæ curæ fuit, ut pro tanti & tam integerrimæ vitæ viri canonizatione apud ſanctiſſ. D. N. ſummum Pontificem inſtaremus; quod & indubie feciſſemus, ſi diſturbia regni noſtri, quibus illud hactenus diverſimode quaſſatum extitit, nos ab hoc ſancto propoſito non impediviſſent. Oramus dictis diſturbiis finem imponere, quo Domino concedente, pro ejuſdem beati Viri canonizatione, ut eſt in propoſito, omnino inſiſtemus. Hortamur autem vos, O Chriſtiani Italiæ Principes, ut huic ſanctiſſimæ rei velitis eſſe tanto favorabiles, quanto Sedi Apoſtolicæ eſtis propinquiores. Datum Budæ hac die XXII. *menſis Martii anno Domini* MCCCCLX.

ITALIÆ PRINCIPIBUS &c.

NICOLAUS DE HUUTLAK Vayvoda Tranſilvanus, regnique Sclavoniæ & Machovien. Baro, Comitatuum Sirigienſis & Albenſis Comes, omnibus Chriſtifidelibus tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus viris, & præſertim Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, necnon Civitatum ſive Communitatum rectoribus præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & ſinceræ caritatis affectum.

XVII. *SI cuncta noſtri corporis membra verterentur in linguam, neque ſanctimoniam vitæ, neque extellentiam gloriæ beatiſſimi viri Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum de Obſervantia, digne referre valeremus, quem licet Altiſſimus ipſe mirificis ac continuis, & optimis operibus in aliis regnis exornaverit, in hoc tamen regno, poſtquam ad illud miſſus Divinitus advenit, tanta per eum facta ſunt, ut non homo ſed Angelus putaretur, omnes in ſui admirationem converteret; nam etſi jam ſenio confectus eſſet, labores pro fide Catholica, pro gloria Dei, pro converſione pectatorum ſubibat inextimabiles, ubique prædicans, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis, cujus mirabilis vita nobis præ aliis in eum affectis ſatis nota fuit. Stimus quod malorum animos ſua prædicatione immutavit, nam ſchiſmaticorum innumeroſiſſimam multitudinem ad fidei unitatem reduxit; infinitos errores contra dogma Catholicum militantes, penitus extirpavit: talium errorum fautorem & Magiſtrum ſua diſputatione convictum, non baptizatum in forma Eccleſiæ boptizavit; crucefignatis crucem præditavit, & parvo temporis ſpatio maximam crucefignatorum multitudinem acquiſivit, ſtatuens eum cruce mori propter illum, qui pro nobis in cruce pependit. Turcarum potentiam ſub vexillo crucis & ſancti Bernardini, eum valido clamore nominis Jeſu Chriſti inermis confregit atque proſtravit, ſicut totum hoc regnum proteſtatur, ſicque volente Deo, & auxilio quondam illuſtris Domini Joannis de Hunyad Gubernatoris, ac Baronum & Regnicolarum hujus Regni Hungariæ adhærentium, totum Chriſtianitatem de manibus paganorum liberavit. Quapropter non mirum,* Ex eodem archivo.

ſi ab

ſi ab omnibus Chriſti fidelibus hujus ſanctiſſimi Viri, zelo inflammati martyrii, meritis dignas rependi vices peroptatur. Nos autem in eumdem beatum Virum tantam gerimus devotionem, ut nonniſi ſua converſatione ſanctiſſima, ſuoque colloquio dulciſſimo conſolari affectaremus, qui etiam quodam amoris ſpiritualis vinculo erga nos detinebatur; nam inter alia dilectionis ſigna, quæ nobis exhibuit ipſe vir beatiſſimus, fuit quod cum perplurimum deſideraviſſemus habere Fratres de Obſervantia concupatos in Civitate noſtra Huuylak, ſua opera ſuoque juſſu factum eſt, ut Fratres clauſtrum notabile ibidem recepe-rint, quod Divinitus factum eſſe arbitramur, cum illud jam ſui ſanctiſſimi corporis ſepulcrum daretur. Poſt prædicta & multa alia ab eodem mirifice perpetrata, pluribus meritis in dicta Civitate noſtra de Huuylak, ut ſemper optavit, felicter migravit a ſeculo; poſt cujus felicem obitum confeſtim ſigna apparere cœperunt, & adeo uſque in hodiernam diem creverunt, ut ad ſuum ſanctiſſimum ſepulcrum, tamquam ad ſepulcrum Apoſtoli, undique populi confluerent; de quibus miraculis non parvum regiſtrum factum eſt. Non deſinit Deus omnipotens operari miracula per ſervum ſuum fideliſſimum, de quibus etiam miraculis, licet noſtrorum fidelium veridica relatione certitudinem habeamus, vidimus etiam propriis ocalis nonnullos variis languoribus detentos, ob merita ipſius beati liberatos. Audivimus etiam Sereniſſimam Regem noſtrum coram multis Baronibus & nobilibus dixiſſe, ipſum fuiſſe liberum de carceribus & electum in Regem, emiſſo voto ad ipſum beatum Patrem. Nos quoque in perſona noſtra multiplicem ipſius beati Viri gratiam experti ſumus: nam cum maximam capitis noſtri vertiginem pateremur, mox ut quodam panniculo, quod fuerat ad uſum ipſius Viri Dei, caput cinctum fuit, infirmitas omnis abſceſſit. Quapropter dubitari non debet, tantam & talem virum, quem Deus in vita & poſt mortem glorioſum oſtendit, non eſſe in cœlis gloria & honore coronatum. Digne igitur in memoriam hominum verti debet, qui ad gaudium tranſivit Angelorum. Semper in animo noſtro verſatum eſt, ſemper maximo flagravimus deſiderio, quod apud ſummum Pontificem canonizationem poſtularemus; nos maxime, quibus tale donum in Civitate noſtra Deus donare dignatus eſt: ſed tanta fuerunt diſturbia in hoc regno, & præſertim in dominio noſtro, ut canonizationem ipſius beati viri, ſicut eſt in propoſito, inſiſtere non valuimus. Nunc autem diſponemus, ut tam Sereniſſimus Dominus meus Rex, quam etiam & nos ſpeciales & notabiles Legatos ad Sanctiſſimum D. N. Papam, & ad collegium Cardinalium pro hac cauſa deſtinemus. Hortamur autem vos & oramus in Domino, ut quemadmodum tam ex litteris, quam etiam relatione percepimus, dignitatem veſtras hujus ſanctiſſimi viri canonizationem peroptare, ita huic operi favorem, quia ſanctiſſimum eſt, & induſtriam præſtare velitis, ab illo meritorium ſpectandum in cœlis, cujus honorem & exaltationem expectatis in terris. Valete ad vota feliciora. Datum in caſtro noſtro Palotha in Dominica, qua cantatur Divinum officium Judica me Deus *&c. anno Domini* MCCCCLX.

Civi-

Civitas Huuylak Italiæ Principibus, ceterisque omnibus Christifidelibus.

Univerſis & ſingulis Orthodoxæ fidei cultoribus, Principibus videlicet, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Judicibus, Civitatumque & Communitatum rectoribus, necnon venerabilibus DD. Archiepiſcopis, Epiſcopis; Abbatibus, ac parochialium Eccleſiarum rectoribus, & quarumvis dignitatum præeminentia refulgentibus in Italiæ partibus, vel alibi ubivis in orbe Chriſtiano demorantibus, DD. noſtris colendiſſimis, & in Chriſto Jeſu amicis peramatiſſimis, Judex Juratique cives & tota Communitas Civitatis Huuyiak regni Hungariæ, ſalutem & proſperos ſucceſſus cum paratiſſima obſequendi voluntate.

XVIII. *Quandoquidem omnium fere Chriſtianorum noſtri potiſſimum regni vota deſideriaque ad id aſpirare atque accendi certa experientia dierum comperimus, & claris indiciis nobis oſtendi intuemur, ut præclaræ memoriæ vir beatus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, cathalogo Sanctorum adſcribatur, nos quoque qui in noſtra Civitate ejus Reliquias corporis reconditas habemus, & plurima beneficia erga ejus ſepulcrum multi incolarum noſtræ Civitatis receperunt, & in dies recipere non deſinunt, tanto fervidius id deſideramus, imo procuramus, prout vires nobis ſuppetunt, tenemur & obligamur, ut Vir iſte beatus noſtræ Civitatis fulcimen & ornamentum atque decor, inter alios Sanctos cathalogo adſcribatur Sanctorum. Nos equidem, qui jugem in hac noſtra Civitate moram trahimus, iſtorum, quæ Altiſſimus per beati Viri merita operari non ceſſat, prodigiorum & miraculorum, veri teſtes eſſe valemus; quandoquidem ex diverſis partibus longe propeque poſitis, hinc inde populum innumerum turmatim ad ipſius beati Viri ſepulcrum conſpicimus, inter quos alios a cæcitate ad lumen clare videndi concernimus, alios a ſurditate curatos, alios a mutitate ſanatos, alios ab impotentia ambulandi recto greſſui reſtitutos, alios paralyſi plene liberatos, quoſdam vero contractos & aridos integræ ſanitati reſtitutos, plurimos a dæmonibus liberatos, in extremis quoque laborantes & agonizantes a faucibus mortis erutos, ceteroſque quoque, quibus ſpes vivendi perierat, & mortui fuerant, emiſſo pro ipſis voto ad ipſum beatum Joannem, incolumes rediiſſe jam toties experti ſumus & experimur inceſſanter. Multa nihilominus alia ſunt, quæ longum foret calamo exarare, quæ apud nos regiſtrata tenentur in Monaſterio Virginis glorioſæ apud Fratres Minores, quorum veritas nobis clara eſt & manifeſta: quæ profecto omnia quadam aviditate certiores voce atteſtamur, ipſum Beatum noſtrum, noſtræ patronum Civitatis, ut ſperamus, perpetuo futurum Sanctorum cathalogo adſcribi fore digniſſimum. Quapropter præſtantiſſimi Domini & amici noſtri in Chriſto, partium præcipue Italiæ prænominatis nominibus vocitati, univerſi ejus cives, in Domino requirimus per præſentem præclaras Dominationes veſtras, qui Sedi Apoſtolicæ propinquiores exiſtitis, potenteſque apud eamdem ſedem vos eſſe non ambigimus, quando pro extollentia dicti hominis, proque augmento Catholicæ fidei & favore devotionis populi Chriſtiani, necnon pro converſione infidelium, veſtræ placeat Dominationi apud prædictam Sedem Apoſtolicum veſtras porrigere ſupplices tam humiles, quam devotas, & frequentes preces ad Sanctiſſimum D. N. Pontificem Romanum, ut virum prænominatum ſanctum Joannem cathalogo dignetur adſcribere Sanctorum;* Ibidem.

quod nos miro affectu desideramus, pariter & postulamus, prout Magnificus Dominus noster Nicolaus de Hnuylak Vayvoda id ipsum desiderat & affectat, operamque huic rei sanctæ dare spondet, prout suo scripto mandavit, ab illo una nobiscum speraus recipere mercedem, qui suos Sanctos mirifice in terris prodigiorum signis, & stola immortalitatis vestit in cælis, Dominus noster Jesus Christus, in quo vos speramus & desideramus bene valere. Datum in dicta Civitate Huuylak die IX. *Aprilis anno Domini nostri Jesu Christi* MCCCCLX. *Ad prædictorum vero robur & testimonium verax præsentes munimus nostri majoris ac consueti sigilli appensione.*

Fr. Stephanus Inquisitor Avenionen. *Ex lib. 9. bullar. fol. 189.*

XIX. Exercebat hoc tempore in partibus Avenionis officium sacræ Inquisitionis frater Stephanus Claude Ordinis Minorum, in sacra Theologia Magister, nulla accepta mercede per multos annos, quibus in hoc munere Sedi serviebat Apostolicæ. Vacabat hoc anno Prioratus de Artasola Ordinis sancti Benedicti, diœc. Aquensis, a Monasterio sancti Victoris extra muros Massilienses dependens, per resignationem Salvatoris Farnerii. Scripsit Pontifex fratri Petro de Fuxo Cardinali Episcopo Albanensi, in illis partibus Sedis Apostolicæ Legato, ut Stephano conferret.

Moritur Vincentius Ruſca. *Marc. 3. p. l. 4. c. 28. Ballario. in hist. Comen. par. 3. Tom. 11. Ann. 1440. n. 31.*

XX. Circa hunc annum obiit Vincentius Ruſca Comensis, a sancto Bernardino conversus ad Religionem, cujus habitum susceptt anno MCCCCIII. in Conventu Comensi, sanctæ Crucis Boscaliæ nuncupato, per manus Silvestri Guardiani. De illo egimus alias in descriptione prædicti Conventus. Decessit hoc anno die VI. Junii in urbe Bergomensi Daniel a Nimbro, qui in Conventu sanctæ Mariæ Gratiarum sanctissime vixit, & ibidem honorifice conditus est ante aram sancti Bernardini. Circa hunc annum ex humanis abiit Christophorus a Modoetia vir celebris, & doctissimus concionator, qui supradictum sanctæ Crucis Conventum Comensem ædificavit, & sancto fine quievit Mediolani in Cœnobio sanctæ Mariæ Angelorum. Hujus Viri conversionem ad religiosæ vitæ Institutum enarrat beatus Joannes Capistranus in vita sancti Bernardini a se conscripta. Ejus verba transcribo. Utriusque tam Bernardini, quam Christophori virtutem commendant: *Dum sanctus Bernardinus Mediolani prædicaret, quidam armiger strenuus, & fidus valde Domino Illustrissimo Duci Mediolani, cui cum duodecim equestribus serviebat, interrogavit eumdem Sanctum, an utilius pro animæ suæ salute foret, ingredi Religionem quam Duci servire? Respondit sanctus Bernardinus, quod melius esset servire Deo, quam Imperatori & cuicumque Regi. Tune ille commendavit se sibi, ut dignaretur eum recipere ad Religionem sancti Francisci, cui Vir sanctus, postquam plene examinasset eum de vita sua, & informasset de continentia Regulæ, de asperitate Religionis & de modo vivendi & conversandi cum Fratribus, dixit ei verbum Evangelicum*: Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. *Cui vir ille jam Divino flamine illustratus, respondit hilariter, hoc libentissime se facturum. Tune sanctus Bernardinus de sua prompta responsione gavisus, extendens sibi manum dixit*: Vade & perfice hilariter quæ dixisti, quoniam adhuc eris devotissimus Christi servus. *Confessus est postmodum vir ille devotus, ex quo ad Religionem susceptus est per eumdem Sanctum, quod illo tactu manuum tantum calorem & devotionis ardorem ex manu sancti Bernardini susceptt, quod tam manus ejus, quam totum brachium usque ad cor videbatur ignitum. Festinavit ergo ad expeditionem tunc agendorum, quibus omnibus fine laudabili expeditus, cucurrit ad bravium fuerat Religionis ampletendum, cui nomen erat, frater Christophorus de Modoetia, a quo etiam propriis auribus ex ore proprio non sine admiratione pereepit, quod*

Et Daniel a Nimbro. *Gonz. in Prov. Brixien. Conv. 2. Vinea Bergom. p. 2. c. 97.*

Item Christophorus a Modoetia. *Capist. in vita S. Bernard. ad med.*

Ejus conversio.

Matt. 19. 21.

S. Bernar. flammens ardor.

dum

dum in armis ageret per annos decem & ultra, numquam vitio luxuriæ, neque taxillorum aut alearum ſe ludis immiſcuit, numquam Deum vel aliquem Sanctum nominavit in vanum, quod in tali exercitio paucis creditur eſſe conceſſum.

XXI. Obiit hoc anno frater Thomas ſive Thomaſius, aliis corrupte *Maſſius* laicus ſive converſus, natus in Caſtro Villirai, educatus in pago Riveriæ prope ſanctum Joannem, diœc. Aquilanæ in Aprutio. Romam puerulus translatus, anno ætatis undecimo accepit habitum Eremiticum Clarenorum, ſub quo annos ſeptem in quorundam hujus Inſtituti ſocietate tranſegit. Hinc ad Fratres Regularis Obſervantiæ tunc exorientes tranſivit, & cum Joanne de Stronconio & Dominico Januenſi, ad inchoandas Obſervantum ædes in Provincia Pennenſi miſſis, in patriam redivit. Conſtructo extra Aquilam Cœnobiolo ſancti Juliani, ibidem permanſit, donec a Miniſtro, qui primas illas domunculas regebat, amandatus eſt Corſicam primus hujus reſtitutæ Congregationis profeſſor. Male illic habuit, quod diſſolutam vivendi rationem inter Cœnobitas reprehenderit. Circa an. MCCCCXX. in Provinciam reverſus, ab ea deinceps non deceſſit. Columbina ſimplicitate in ſumma humilitate & perfecta obedientia fundamentum omnium effodit virtutum. Caſtitatem tanto ſtudio colebat, ut nec aſpicere nec alloqui voluerit mulieres. Tamquam venenoſas fugiebat ſerpentes, & aliquando importune per horti cancellos alloqui volentes, dum verbis non poterat, ſaxis abigebat. Carnis pudicitiæ & mentis puritati tribuebant Fratres ſuaviſſimum, quem ſemper ſpirabat odorem.

Obiit Fr. Thomas Aprutinus. *Marian. cit. c. 11. Bernard. a Foſſa de Prov. S. Bernard. Marc. cit. l. 8. c. 44.* Ejus virtutes.

XXII. Officia omnia humilia Religionis æqua patientia ac prudentia peregit abſque ulla Fratrum offenſione. Paupertatis ſupra quam credi poſſit amator, nihil præter pauperculas Inſtituti veſtes per omnem vitam, neque in infirmitate, neque in decrepita ætate voluit admittere. Communem victum etiam in morbis adhibuit, pharmaca & delicatos cibos abhorrens. Præter duas in Regula præſcriptas, tertiam a ſancto Franciſco benedictionis mercede commendatam quadrageſimam rigoroſe obſervavit uſque ad annum vitæ poſtremum. In oratione aſſiduus in Deum totus ferebatur, multoties corpore a terra elevatus. Semel viſus eſt in ſylva ſub quercu in aerem elatus, alias in oratorio, quod prope Conventus oſtium habebat, capite tectum aliquanto elatum attingere. Ruminabat ſecum ſingula orationis Dominicæ verba ſæpiuſque repetebat, in omnibus multam inveniens meditandi occaſionem. In ſumma ſenectute oculis captus, duci rogabat ad ſylvarum eremitoria, & remiſſo in cœnobium ſocio ſuaviſſimis eloquiis modo Dei commendabat miſericordiam, modo extollebat juſtitiam, modo pro ſe, pro Conſodalibus, pro univerſis fidelibus veniam flagitabat.

XXIII. In Deum totus abſorptus, ignitis affectibus exæſtuans, tamquam ſi flamma prorumpens ad ſuum vellet centrum aſcendere, raptus magno impetu, in altum ſublevatus eſt pluſquam octo ulnarum menſura. Ita in aere hærentem conſpexerunt quidam ſeculares per hortum ambulantes, & pulcherrimam Virginem, que puerulum brachiis fovebat, ſermones cum illo commiſcentem. Ductus a fratre Vincentio Aquilano ad videndum civem quemdam, Quadratum nomine, paulo antea miſere a judice tortum, dum brachia e ſuis locis convulſa & penitus emortua manibus contrectat, perfectiſſime reddit ſanitati. Multa alia fecerat ſigna, ſed illud rarum & memoria digniſſimum, quod licet nihil penitus in ſenectute videret, quotieſcumque tamen ſacra Hoſtia Altaris adoranda levabatur, toties ei aperie-

bantur oculi & visum recipiebat, eaque in Altari reposita, adoratoque calice, ad pristinam redibat cæcitatem.

XXIV. Vita sic sanctissime functus, in Ecclesiam delatus, per dies multos jacuit insepultus, irruente importune innumera populorum multitudine. Nullus interim ei odor gravis, nec horridus aspectus, imo suaviter omnia circumcirca redolebant, vultus quasi facies Angeli videbatur, & membra quaquaversum flexibilia. Multis impertivit suæ virtutis munera variis morbis depulsis. Obiit anno ætatis octuagesimo primo, a suscepto Minorum Instituto sexagesimo secundo. Jacet in Ecclesia prædicti Conventus sancti Juliani, in capella inferiori subtus Altare. Bernardinus Aquilanus de Fossa in compendiolo Provinciæ sancti Bernardini, vitæ ejus epitomen adjecit, in qua inter reliqua, quæ sequuntur enarrat: *Hunc virum ego per plurimos annos agnovi, tantamque in eum devotionem concepi, ut quandoque post tergum ipsius incedens, habitum præ nimia devotione oscularer, putans quod etiam tunc, licet esset in terris, tamen esset a Deo canonizatus in cœlis.*

Decedit Dominicus Castilionus. *Marian. cit. Marc. cit. l. 7. c. 46.*

XXV. Hoc eodem anno decessit in Provincia sancti Angeli, in Conventu sancti Onofrii apud Vastum Aymonis frater Dominicus Castilionus etiam ex laicorum numero, honorificus olim civis Florentinus. Dum in cœlum abiret, puella decennis in eodem oppido Vastensi animam agens, clamare cœpit: *expecta me Pater*, voceque ingeminavit. Interrogata quid hæ voces protenderent? *An non videtis*, inquit, *fratrem Dominicum de Florentia glorioſe in cœlos abeuntem?* statimque expiravit. Inquisitione facta, parentes compererunt, paulo antea Dominicum ex hoc mundo abiisse. Frater Jacobus Caetanus ostiatim panem tunc per oppidum mendicans, percepit, ipsa eadem transitus hora puerum quinquennem elevatis in cœlum oculis, dixisse: *O te beatum, frater Dominice! O te beatum, qui sic glorioſe in cœlum ab Angelis eveheris!* His duabus admirandis prænonitionibus exciti populi, turmatim ad ejus funus concurrerunt, omnemque exhibuerunt reverentiam. In ipso hujus Provinciæ exordio missus est Dominicus e Tuscia infirmorum curam susceperturus, eamque per omnem vitam summa caritate peregit.

Marian. cit. Marc. l. 4. c. 32. Floret Blasius de Conto.

XXVI. In eadem Provincia plurimi floruerunt Viri sancti, temporibus tamen incertis. Blasius de Conto, vir singularis doctrinæ & probatissimæ vitæ. In castro Castelluccii prædicans, dum ultimum expleret quadragesimæ sermonem, ex rostris populo valedixit, prænuncians se mox moriturum. Domum rediens in Domino obdormivit. Illic in parochiali Ecclesia sepultus miraculis claruit, qua de causa Consodalibus corpus repetentibus sæpe denegatum est. Detexit hic falsa quædam miracula, quæ imagini beatæ Virginis in Ecclesia Trudenti in Apulia tribuebantur. Convenerant duo in populo præcipui, ut inter se dividerent oblationes, quæ ad Virginis simulacrum fiebant, multa testificante subdola quadam puella, ab illis miro artificio edocta. Magnus inde totius regionis circumquaque concursus, rem etiam approbante Episcopo; subodoravit quidpiam Blasius, & diligentius discussa veritate, dolum e rostris aperuit. Adversante Antistite multorum in se concitavit invidiam; ea tamen virtute, efficacia & prudentia technas evertit, dæmoniſque expositi ludibria, ut superstitionem periculose inductam, procul fecerit, & templum prostrarit.

Angelus delle Peiche.

XXVII. Frater Angelus seu Angeluccius *delle Peſche* laicus hortulanus, olim sancti Bernardini socius, vir simplex & timens Deum, in eadem Provincia spiritu prophetiæ clarus, in Conventu sancti Onofrii apud Vastum rogatus a quodam, ut pro uxore diebus tribus parturiente, & præ dolo-

lore animam agente, Deum deprecaretur, manibus ante pectus in crucis modum transversis, oculisque in cœlum elevatis, parumper subsistens, oravit. Deinde ad hominem conversus, ait: *Redi in domum tuam alacriter, quia hac ipsa hora conjux puerum edidit incolumis.* Regressus ille, verum comperit Angelum dixisse. Orationi Vir Dei semper intentus, etiam manuali addictus operi preces non intermittebat. Unde cum semel terram sarculo coleret, & mentaliter oraret, agitante calescens igne Divino, sarculum utraque manu in altum elevavit, & tamquam si ad aljcujus arboris ramum appenderet, in aere dimisit suspensum, ipse interim e terra sublatus, genibus flexis visus est a multis Fratribus orare. Ab Ariani Comitissa, Iñici Comitis, apud Regem Ferdinandum præstantissimi, conjuge vocatus, dum aulam ingreditur, & varios audit musicæ concentus, Comitem recreandi causa ab aulicis excogitatos, Divina recogitans & cœlestium choros contemplans, quasi vellet etiam corpore illuc ascendere, ubi fixerat cogitatum, ad summum usque fastigium in ictu oculi evolavit, hærensque parumper, placide descendit. Præcipui Regni optimates, sed & ipse Ferdinandus Rex eum frequenter adibant, & in gravissimis negotiis consulebant. Jacet in Cœnobio Nuceriæ Sarracenorum.

XXVIII. Ibidem subsecuti sunt Ruffinus de Ferezano laicus, cujus tantus erat in oratione fervor, ut cum aliquando noctu oraret, Ecclesiæ tectum flammis coruscaret. Accurrerunt oppidani magno impetu ignem extincturi, compertumque est flammas e Ruffini pectore ascendisse. Franciscus de sancto Severo, Robertus de Rodio, Gregorius & Bernardus Faventini, omnes ejusdem classis laicorum, viri optimi, & perfecti sui status observatores.

Ruffinus de Ferezano. Franciscus de S. Severo. Robertus de Rodio. Gregorius Faventinus. Bernardus Favéntinus.

XXIX. Floruit hoc tempore Senis frater Franciscus de Linari, quem Pontifex in quodam diplomate hujus anni maximopere commendat *a morum probitate, fidei sinceritate & vitæ sanctimonia sibi notissima*. Plurimum cooperatus est reformationi Monasterii sancti Nicolai urbis Senensis.

Franciscus de Linari. *Ex lib. 11. bullar. fol. 199. Denesmund. cit.*

XXX. Obiit hoc anno Mantuæ frater Seraphinus eadem natus Civitate, unus ex primis reformatoribus magni Conventus sancti Francisci. Eximius erat Verbi Divini prædicator, cœlestium assiduus contemplator, eoque fervore Divina sive lectione sive familiari sermone excipiebat arcana, ut extra se raperetur, & allquando e terra sursum ageretur. Christi passionem magno lacrymarum profluvio sæpe deflebat. Ad ejus sunus universi concurrerunt cives, & vestes in minutas reliquiarum disciderunt particulas, manus pedesque osculantes. Sepultus est in sacello Principum Gonzagæ familiæ, ad cujus tumulum multæ appensæ sunt votivæ tabellæ, his incisis carminibus.

Seraphinus Mantuanus.

Languentes placido sanabat famine mentes,
Et curat sanctis corpora nunc precibus.

XXXI. Superstitem habuit Jacobum Mantuanum reformationis socium & sollicitum promotorem, qui sancto fine quievit. In eadem Civitate multæ nobiles Clarissæ, ex Gonzaga Principe domo, sub hoc tempus plurimis virtutibus emicabant. In religiosissimo Monasterio sanctæ Paulæ, Susanna Gonzaga Marchionis Ludovici filia, ejusque amita Clara Gonzaga, quæ III. Novembris anno MCCCCLII. visionibus assueta cœlestibus ex hac vita decessit. Pacifica etiam & Agnes Gonzaga. In Monasterio Milliarini, Agatha Mediolanensis, ab Angelis sacra Eucharistia refecta obiit IV. Octobris anno MCCCCLIII. In Monasterio sanctæ Luciæ, Paula Montalda Mantuana, quæ de virtute in virtutem adeo mirifice processit, ut sanctissimo fine vitam

Multæ piæ Clarissæ Mantuanæ.

tam terminarit ſub annum MDXIV. ut illo tempore amplius referemus.

Joannes Kaaneman. *Trith. de Scriptor.*

XXXII. Floruerunt hoc tempore duo Viri doctrina celebres inter Teutones, de quibus ita ſcribit Trithemius: *Joannes Kaaneman vir in ſcripturis ſanctis eruditus, & ſecularium litterarum non ignarus, ingenio ſubtilis & clarus eloquio, in declamandis ſermonibus ad populum egregius, qui dum male ſentiret de poteſtate Eccleſiaſtica, in eumque animadvertere vellet Miniſter Saxoniæ, ad Obſervantes confugiens, errorem cum vita deinceps mutavit.*

Henricus Herpius.

Henricus de Herp Provinciæ Colonienſis, in Divinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus, juris Pontificii non ignarus, ingenio præſtans, apertus eloquio, in declamandis ſermonibus ad populum celeberrimæ opinionis, non minus religioſa vita, quam ſcientia ſcripturarum venerandus. De hoc doctiſſimo Viro & myſticæ Theologiæ inſigni magiſtro alias diffuſior ſermo redibit.

Nicolaus de Orbellis.

In Gallia floruit Nicolaus de Orbellis Provinciæ Turonenſis, de quo ſic idem Trithemius: *Erat vir in Divinis ſcripturis eruditiſſimus, & in Philoſophia ſcholaſtica nulli ſecundus, ingenia clarus, ad diſputandas enodandaſque quæſtiones ſcripturarum ſatis idoneus. In gymnaſio Pictavienſi tum diſputando cum docendo, tumque ſcribendo magnam eruditionis ſuæ laudem commeruit.*

Robert. Finimghamus. *Piſ. de Scriptor. Anglicis.*

XXXIII. In Anglia Robertus Finimghamus patria Norfolcenſis, initiatus in Conventu Norvicenſi, vir in omnibus liberalibus artibus ab adoleſcentia bene educatus. Juvenis ſcientias Philoſophicas diligenter didicit, & ad Theologiam ætate maturiore progreſſus eſt. Sed in nullo ſtudio tantum profecit, quantum in jure Canonico, in quo vix dici poterit, quantum ſudavit & alſit; multa enim volumina perluſtravit, & collatis doctorum ſententiis multa ſecum & cum aliis agitavit & examinavit. De variis etiam materiis ſcripſit non infeliciter. In primis egit contra calumniatores Ordinis ſancti Franciſci, oſtenditque quomodo Fratres perfectionem Evangelicam profiteantur, pro ſe & pro aliis ſemper orantes, populo prædicantes, victum & veſtitum mendicantes, denique nihil habentes, & omnia poſſidentes.

Fr. Georg. Epiſc. Laodicen. *Miechov. de reb. Polon. l. 4. c. 9.*

XXXIV. Georgium Minoritam hoc tempore Epiſcopum fuiſſe Laodicenſis Eccleſiæ in Syria, ſub Patriarcha Antiocheno, & Cracovienſis in Polonia ſuffraganeum, ſcribit Matthias a Miechovia, eumque munus conſecrationis impendiſſe Jacobo de Senno, a Pio II. in Conventu Mantuano ad Cracovienſem Eccleſiam promoto, & propterea a Caſimiro Rege urbe pulſum, in Oppol abiiſſe, ibique inter Minoritas vita perfunctum. Fuiſſe

Fr. Joannes Ottanen.

etiam Epiſcopum Ottanen. in Sardinia, ſub Archiep. Turritano fratrem Joannem de Salmis aureis Minoritam, habeo ex relatione miſſa ad Rodericum ſancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, S. R. E. Vicecancellarium, Eccleſiæ Valentinæ adminiſtratorem, quod prædictus Epiſcopus in Civitate Valentina prædicaverit ſanctum Chriſtophorum altius portaviſſe Chriſtum, quam portaverit beata Virgo Maria, & alia hujus generis; propter quod inſtabant aliqui, ut contra ipſum inquireretur. Ad Ci-

Fr. Rodericus Civitaten.

vitatenſem Eccleſiam, in eodem regno Sardiniæ, & ſub eodem Archiepiſcopo Turritano, promotus eſt Rodericus de Seſſa ſacræ Theologiæ Magiſter, per ceſſionem Antonii, IX. Kal. Aprilis. Ad Tyberiaden. ſub Patriarcha Hieroſolymitano, Joannes Pugeti in Theologia Magiſter, per obitum Bernardi, Pridie Kal. Martii. Ad Dumnen. ſub Archiep. Spalatenſi Nicolaus de Jadera, per ceſſionem Hieronymi, IV. Nonas Januarii. Ad Tharſenſem in Cilicia ſancti Pauli ortu notiſſimam, frater Ubertinus de Monte-Callerio, ſacræ Theologiæ profeſſor, VIII. Idus Februarii. Vacabat olim

Fr. Joannes Tyberiaden.
Fr. Nicol. Dumnen.
Fr. Ubertinus Tharſen.

Se-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1460.	an. 2. & 3.	anno 21.	

Sedes per aſſumptionem. Thomæ ad Archiepiſcopatum. Tarantaſien.

XXXV. Ad Civitatenſem in Hiſpania ſub Archiep. Compoſtellano, frater Alphonſus de Palenzuela (de quo alias ſæpe locuti ſumus) per obitum Alphonſi, VI. Kal. Septembris. Ægidius Gonzalez de Avila in deſcriptione hujus Eccleſiæ cap. 8. Alphonſum hunc noſtrum, presbyterum facit ſecularem, & ſucceſſiſſe dicit Franciſco Ordinis Prædicatorum, & cap. ſequenti Alphonſum de Palenzuela Franciſcanum longe facit poſteriorem. Variis functus eſt legationibus Henrici IV. Regis ad diverſos Principes; unde & in litteris promotionis dicit Pontifex, ejus *maturitatem & prudentiam in rebus agendis experientia ſibi notam*. Rexit inſignem Conventum ſancti Franciſci Salmanticenſem annis tribus, Provinciam ſancti Jacobi ſub titulo Vicarii Obſervantum annis ſex, ad hoc munus electus anno MCCCCL. Opus quoddam ſancti Joannis Chryſoſtomi, rogante Rege Joanne, fecit Hiſpanum. Anno MCCCCLXIX. translatus eſt ad Eccleſiam Ovetenſem. Invenio hoc anno fratrem Michaelem Epiſcopum Chriſtopolitanum in Macedonia, ſub Archiep. Philippenſi fuiſſe Vicarium Generalem Roderici Borgiæ, Cardinalis Diaconi ſancti Nicolai in carcere Tulliano, adminiſtratoris Eccleſiæ Valentinæ III. Kal. Martii.

Fr. Alphonſus Civitaten.

Avila c. 8.

Fr. Michael Chriſtopolitan.

XXXVI. Ad Archiepiſcopatum Roſſanen. in Calabria aſſumpſit Pontifex fratrem Matthæum de Sarracenis Rheginum, multis laboribus egregie pro Dei Eccleſia perfunctum, per obitum Dominici, VIII. Idus Februarii. Sæpiſſime de hoc homine locuti ſumus, præclaram virtutem & honorifica ſibi commiſſa munia narrantes. Gobellinus in Commentariis Pii diffuſe ſatis & lepide promotionis modum ita recenſet: *Roſſanenſem Eccleſiam ſortitus eſt Matthæus Reginus, inter Minores Fratres, qui Obſervantes appellantur, prædicationis gratia inſignis. Hunc olim Nicolaus Pontifex Maximus Eccleſiæ Reginenſi cum præficere ſtatuiſſet, quæ tunc forte vacabat, accerſiri fecit a Cardinali Firmano, rogarique an vellet ſuæ Civitatis Pontificalem curam ſuſcipere. Paruit Firmanus, vocatoque ſeorſum in cubiculum Matthæo*: Diligit, *inquit*, te Pontifex Maximus, tuiſque civibus Præſulem dare ſtatuit, ſi modo animum ad hoc induxeris, neque honorem hunc in patria tua pulcherrimum refugeris. *Matthæus nihil reſpondens, cubiculum egreſſus, ad Fratres, qui erant in aula ejulans & lacrymans*: Accurrite, *inquit*, adeſtote, opem afferte. *Admirantibus Fratribus, percontantibuſque quidnam ſibi accidiſſet? aliquandiu nihil aliud reſpondit, niſi* accurrite, juvate, opem afferte miſero. *Poſtremo cum ſæpius interrogaretur, ut quid auxilium tantopere efflagitaret*: Heu, *inquit*, miſero mihi! ætatem in Religione conſumpſi, vixi pauper & obediens, præcepta beati Patris Franciſci numquam violavi, verbum Dei prædicavi populis, in cellula mea prædivitem egi pauperem, Divina contemplatus arcana; nunc ad Epiſcopatum vocor, ad negotium, ad honores, quos optavi numquam. O immaculata Religio, o ſacri penates clauſtri, o dulcia cellarum ſilentia, o amantiſſimi Fratres, o conſolationum mearum ſocii: ergo vos tamdem relinquam, & me dulciſſima converſatione veſtra privabo? non faciam, accurrite, juvate, liberate me his moleſtiis, defendite, ne me Firmanus vobis eripiat. *Audivit cuncta Firmanus e cubiculo ſuo, atque accedens propius*: Tace, *inquit*, Matthæe, pone motum, bono animo eſto, libero te, non urgeberis a Pontifice ultra quam velis; ito quo placet, & rei tuæ conſulito, *atque in hunc modum eo dimiſſo, Nicolao Pontifici cuncta, quæ geſta erant, non ſine riſu expoſuit. Poſt dies octo rediens ad Firmanum Matthæus, conſilium ſe cepiſſe cum amicis ait, rebuſque in utramque partem plane diſcuſſis, viſum illis eſſe, ut Pontificis deſiderio ſatis-*

Fr. Matth. Archiep. Roſſanen.

Comment. Pii II. l. 4.

tisfiat : ponere igitur ſe in manu Papæ , cui nefas ſit non obedire . Firmanus Nicolaum accedens : Matthæus , *inquit* , mutatus eſt : Epiſcopatum, ſi volet, accipiet : *cui Pontifex :* Et ego , *ait* , mutatus ſum : volui Epiſcopatum illi committere , cum noluit ; cum vult , nolo ; *atque ita Matthæus dignitate excidit , manſit tamen in Religione , nec reliquit prædicandi officium . Sub Calixto triremes duas ex eleemoſynis contra Turcas armavit , atque in Aſiam profectus captivos aliquos abduxit . Pius miſertus hominis , qui labores multos in Eccleſia pertuliſſet , vocavit eum cum Senis ageret , atque :* Præſeciſſemus te vel ignorantem Eccleſiæ Roſſanenſi, ſi putaviſſemus non recuſaturum id oneris , ſicut olim Reginenſem ſpreviſti Eccleſiam ; nunc animum tuum pateſacito . *Tum ille :* Nicolai olim ordinationem refugiens, nunc in manus tuas me dedo , tua voluntas mea erit ; ſi jubes in Religione perſeverare , manebo quoad vixerim ; ſi ad Epiſcopatum me vocas , præſto adſum , nec ignoro in culmine perfectionis eſſe , qui Pontificalibus implicitus curis ſuo ſatisfaciat officio . *Atque ita Matthæus Roſſanenſem conſecutus Eccleſiam , illi poſtea non ſine laude præfuit .*

Henricus Rex Caſtellæ favet Obſervantibus.

XXXVII. Henricus Caſtellæ & Legionis Rex impenſe favit hoc tempore Regulari Obſervantiæ per ſua regna fœcunde diffuſæ . Ejuſdem Inſtituti & nominis ſub vocabulo Regularis Obſervantiæ diſplicuit videre varias Congregationes , quoſdam, qui Miniſtro Generali immediate parebant , & Provinciales reſpuebant , alios , qui Miniſtros Generalem & Provinciales agnoſcebant Superiores , tertium denique genus horum , idque magis numeroſum , qui ſolos Vicarios Generalem & Provinciales ex ſuo gremio & ſocietate aſſumptos admittebant . Reducendos itaque omnes ſub unum caput , eumdemque vivendi modum prudenter judicavit, impetravitque gravem de hac re conſtitutionem mitti ad Archiepiſcopum Toletanum , & Epiſcopos Cordubenſem & Burgenſem , ut omnes ſub unius Vicarii Generalis obedientiam reducerent , & ſtatuta recenter confecta ab omnibus unanimiter ſacerent obſervari , omneſque prædicti Inſtituti Fratres Provinciæ Caſtellæ ad quatuor Cuſtodias redigerentur , videlicet Toletanam , Hiſpalenſem , de Sanctoyo , & ſanctæ Mariæ de Minoribus . His tamen non adeo facile aſſenſerunt Fratres duorum humilium Cœnobiorum a Petro de Villacreçes fundatorum , ſcilicet Domus Dei, & Scalæ cœli, ſive *del Aguilera*, & *del Abrojo*, Palentinæ & Oxomenſis diœceſum, quos ſummopere & tenero affectu , propter ſanctiſſimam vitam & rigoroſam vivendi normam Henricus diligebat . Obtinuit itaque a Pontifice ne ad obſervantiam prædictæ conſtitutionis cogerentur a Commiſſariis ; ſed permitterentur in ſuo ſtatu vivere ſub immediato regimine Miniſtri Generalis , adjecitque ut poſſent alias domos fundare vel accipere illiſque duabus aggregare , quarum aliquas ſuis annis referemus . Iſta diviſio poſtea varia genuit inter Obſervantes diſcrimina, quæ nonniſi integra facta unione ceſſaverunt . Hæc ex octo vel novem bullis ab Henrico per varios annos obtentis in compendium redegimus , ne paſſim rem eamdem minutis narratiunculis oporteat inculcare .

Curat uniri omnes Obſervantes.

Unionem pauci reſpuunt .

Idem Rex ulciſcitur Fratrum injurias Hieroſolymis illatas .

XXXVIII. Idem Henricus Rex audiens Turcas , perſuadentibus Judæis , in urbe Hieroſolymorum hoc anno Fratribus abſtuliſſe ſacellum Spiritus ſancti , fundatum ſupra Davidis Regis ſepulcrum , omnium ſibi ſubjectorum Sarracenorum Meſquitas , ſive templa deſtruxit . Ab his itaque rogati Hieroſolymitani reſtituerunt Fratribus locum , permiſeruntque ſacellum reſtaurari . Id factum impenſis piiſſimi Principis , Philippi Ducis Burgundiæ , intimi Fratrum amici , aureis mille quadringentis illuc tranſmiſſis . Sed iterum Hebræorum ſuggeſtione & malevolentia nolentium tanti

ſui

ſui Regis Mauſoleum penes Chriſtianos haberi, Fratribus ereptum eſt irremiſſibiliter, & in Sarracenorum Meſquitam converſum.

XXXIX. Longa plurimorum annorum controverſia diſputatum & certatum eſt inter Fratres Dalmatinos & Boſnenſes circa quoſdam Conventus in Dalmatia ſitos, qui Vicariæ Boſnenſi fuerunt adjudicati, circa quos ſub eadem conſervandos ſæpius actum eſſe, alias enarravimus. Eos tamen ſub hoc tempore ſibi uſurparunt Fratres Vicariæ Dalmatinæ. Reſtitui juſſit Pontifex, & decreti ſui executores nuncupavit Archiepiſcopos Spalaten. Jaderen. & Raguſinum. Deinde ſcriptis litteris ad Baptiſtam de Levanto Vicarium Generalem Ciſmontanum, juſſit illuc ſe perſonaliter conferret, utriuſque Vicariæ terminos præſcriberet, & quid cuique tribuendum erat, conſtanter ſtabiliret. Controverſia Boſnenſium & Dalmatarum. *To. 12. an. 1455. n. 88.*

XL. Fratribus S. Mariæ Angelorum extra urbem Aſſiſii hoc anno tribus favit Pontifex decretis. Statutum ſui prædeceſſoris Nicolai V. circa oblationes & ceram, quæ in tribus feſtivitatibus, videlicet 11. die Auguſti, Aſſumptionis & Annunciationis B. Mariæ Virginis capellæ inferebantur Portiunculæ, dandas Patribus Conventualibus magni Conventus S. Franciſci, examinandum & mitigandum commiſit Bartholomæo de Vitalenſibus Epiſcopo & civi Cornetano, Peruſii gubernatori. Concordatis ille partibus, diminuit taxavitque quantitatem. Aliam protulit ſententiam, Pontifice jubente, contra Epiſcopum Aſſiſiatem exigentem portionem canonicam de legatis factis prædicto Conventui ſanctæ Mariæ Angelorum, ſive ſancti Damiani, & Carcerum ejuſdem urbis Cœnobiis, necnon ſancti Onofrii de Bettonio, diœceſis Aſſiſiatis, etiamſi qui legabant, alibi ſepelirentur. Tertio præcepit Pontifex Gubernatoribus Civitatum Fulginei & Aſſiſii, ne permitterent ullum ſive ex indigenis, ſive ex alienigenis armatum incedere vel ſtare in circuitu aut infra ambitum Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Angelorum in celebritate annua Indulgentiæ Portiunculæ, niſi prout & quomodo Fratres ejuſdem Conventus ducerent ordinandum; ſub prætextu enim Fratribus aſſiſtendi, plurimi concurrebant armati, qui rixas excitabant, & veteres inimicitias renovabant. Favetur Cõventui S. Mariæ Angelorum Aſſiſii. *Ex inſtrum. originalib.*

XLI. Diximus ſupra, Vicarium Generalem dimiſiſſe Miniſtro Generali & Patribus Conventualibus domum Caſſenſem, & alias in partibus infidelium conſiſtentes; atqui hoc anno refert Pontifex Præſidentes Civitatis Caſſæ, alioſque pios & Catholicos viros *graves proinde querelas, & lamentabiles*, inquit, *preces* ad ſe miſiſſe ne id permitteret, cogeretque ad prædicta loca Obſervantes reverti, ſi animarum ſaluti domorumque conſervationi vellet conſultum. Inſtituit itaque Pius dictorum locorum Vicarium Valentinum de Tarviſio ſibi notum & familiarem, quem *a Religionis zelo, vita laudabili, devotionis fervore, aliiſque virtutum meritis* commendat, jubetque ut delectos Fratres ex quibuſcumque Provinciis ſecum ducat, & per illas domos diſtribuat. Mox alio diplomate multa concedit privilegia prædictis Fratribus in ea domo commorantibus, quod hic exhibeo. *An. 1458. n. 7.* Jubentur Obſervãtes curare domũ Caſſæ, aliaſque Tranſmarinas.

Ad perpetuam rei memoriam.

XLII. *Monaſteriorum & religioſorum locorum &c.* roboramus. *Hinc eſt quod nos dilectorum filiorum Guardiani & Fratrum domus beati Franciſci Caſſen. Ordinis Minorum de Obſervantia, quos dudum piæ memoriæ Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter, cupiens per hoc plantaria fidei Catholicæ latius extendi, ad partes ſeptentrionales, & Civitatem Caſſen.* *Ex l. 35. bullar. fol. 250.*

ſen. ut verbum Dei evangelizantes Orthodoxæ fidei ſuis laudabilibus operibus incrementum afferrent, quaſi Apoſtolos deſtinavit, in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula gratias, indulgentias, privilegia, conceſſiones & indulta domibus & Fratribus dicti Ordinis in Civitate Caſſenſi pro tempore commorantibus hujuſmodi tam per dictum Eugenium, quam per alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ſub quibuſvis formis aut verborum expreſſionibus, quorum omnium tenores præſentibus pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica & ex certa ſcientia, tenore præſentium approbamus, ac viribus ſubſiſtere debere decernimus, illaque omnia & ſingula ipſis Fratribus de novo concedimus. Statuentes inſuper, quod Fratres dicti Ordinis in Civitate Caſſen. pro tempore commorantes, perpetuo ſint & eſſe cenſeantur de familia Fratrum Obſervantiæ ſancti Franciſci, ac omnibus & ſingulis proviſionibus, privilegiis, immunitatibus, indulgentiis, gratiis & indultis aliis Fratribus dictæ Obſervantiæ conceſſis uti & gaudere; & cum exinde eos vel aliquem eorum removere forſan contigerit, quod ad loca dictæ Obſervantiæ ſe conferre, & ibi ſtare & permanere poſſint & valeant, ſicut alii dictæ Obſervantiæ Fratres, qui fuerint pro tempore; necnon ut de iis, quæ pro ornamentis, paramentis, libris, fabrica, luminaribus, anniverſariis, ſeptimo, vigeſimo vel trigeſimo, aut aliis diebus ad perpetuum cultum Divinum, ſeu pro precantiis, aut victu vel etiam veſtitu ad ſuſtentationem Fratrum dictarum domorum Caſſen. necnon pro annalt cenſibus redimendis, vel de domibus prædictis, hortis aliiſque locis eis ſecundum Inſtituta ejuſdem Ordinis de iis, quæ pro hujuſmodi domibus, hortis & locis emendis forſitan eiſdem Fratribus legantur, ſeu hactenus legata fuerint, aut relinqui contigerit, etiam de funeralibus, abſente pro tempore loci Ordinario, nulli teneantur portionem canonicam exhibere, Guardiano & Fratribus dictæ domus Caſſenſis pro tempore exiſtentibus earumdem præſentium tenore concedimus pariter & indulgemus. Præterea pro manutentione & conſervatione Conventuum Caſſen. hujuſmodi, dilecto filio Antonio de Thomaſinis ejuſdem Ordinis profeſſori, quod quoſcumque Fratres de familia Obſervantiæ dicti Ordinis, quos ad id voluntarios invenerit, etiam concedimus quoque futuris temporibus quotieſcumque ipſos Fratres Caſſen. pro Fratribus eis neceſſariis tranſmiſerint, eadem licentia, eadem obedientia, eiſdem libertatibus, quibus ſupra, qui voluntarii ad hoc fuerint, ad eos accedere poſſint & valeant, abſque aliorum dicti Ordinis ſuperiorum licentia, qui eos nullo modo impedire præſumant, ſecum ad illas partes traducere, ac illis traducendis Fratribus, quod ſecum, nullius ſuper hoc quæſita licentia ire, & in dictis Caſſen. Conventibus ſtare & commorari, ac in iis nihilominus meritum obedientiæ ſalutaris habere: necnon in proceſſionibus, & ſacramento baptiſmatis tam die Corporis Chriſti; quam alias pro tempore mihi celebrandis cum Armenis, loco tamen ſui mittere, & in proceſſionibus ipſis etiam in Divinis participare libere & licite poſſint & valeant, conſtitutionibus, ordinationibus, ac privilegiis, ac litteris Apoſtolicis eiſdem Ordini & Fratribus de Obſervantia conceſſis & concedendis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus, juramento roboratis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. noſtræ approbationis, confirmationis &c. infringere &c. Si quis &c. Datum Senis anno &c. MCCCCLX. V. Kal. Aprilis &c. anno 11.

Ord. S. Hieronymi a Tertio S. Franciſci Inſtitutus. Tom. 9. an. 1405. n. 10.

XLIII. Ordinem ſancti Hieronymi Feſulis in Etruria initium accepiſſe a quibuſdam beati Thomaſucii diſcipulis, Tertii Ordinis ſectatoribus, alias enarravimus, ſimilemque habitum utriuſque fuiſſe Inſtituti. Amplius hæc con-

confirmabuntur ex iſto, quod ſubjicio, diplomate, majoremque adhuc rerum harum lucem aſſequeremur, ſi aliud, quod hic citatur, habere liceret.

Ad perpetuam rei memoriam.

Super gregem Dominicum &c. pervenire. Dudum ſiquidem, videlicet ſub datum XIII. *Kal. Aprilis Pontificatus noſtri anno* II. *dilectis filiis Jacobo de Alexandria tunc Priori Generali, & univerſis Fratribus ſocietatis ſancti Hieronymi, Ordinis ejuſdem Sancti, & eorum ſucceſſoribus ejuſdem ſocietatis præſentibus & futuris, tunc ab eorum primæva inſtitutione talem habitum, qualem Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia nuncupati, & nonnulli Eremitæ gerunt, deferentibus, & ab ipſis Eremitis & Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi in habitu differentiam habere capientibus, differentem habitum ad cautelam dumtaxat ab eiſdem Eremitarum & Fratrum Tertii Ordinis, ejuſdem tamen coloris recipiendi, & receptum perpetuo geſtandi, per alias noſtras conceſſimus, ſtatuentes & eadem auctoritate decernentes, quod omnes & ſinguli Fratres dictæ ſocietatis in hujuſmodi receptione & geſtatione habitus ſe conformarent, quodque poſtquam differentem habitum recepiſſent, ſi eorum aliquis ad aliquem ex Ordinibus approbatis tranſire vellet, ab eorum Congregatione recederet, & ſuſceptum differentem habitum hujuſmodi infra triduum a die receſſus ejuſdem, ſub excommunicationis pœna omnino dimittere teneretur: per hoc autem Congregationem ipſam nullatenus approbando, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum nonnullorum Fratrum dictæ ſocietatis in primo habitu remanere volentium, petitio continebat, quod plures ex Fratribus dictæ Congregationis, quorum aliqui in habitu Eremitico hujuſmodi per quadraginta annos & ultra perſeverarunt, confidentes quod non in venuſtate habitus, ſed in amplitudine caritatis acquiritur regnum Dei, ſua primæva vocatione contenti, cupiant ſub eadem, quo hactenus vixerunt, habitu perpetuo remanere, & ſua Altiſſimo, prout hactenus fecerunt, in humilitatis ſpiritu vota perſolvere; pro parte univerſorum Fratrum Ordinis & ſocietatis, ac primi habitus remanentium hujuſmodi, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, ne privati propriis domibus in opprobrium Religionis errare cogantur, duas dictæ ſocietatis veſtræ ſancti Hieronymi Paduan. & ſancti Petri Vicentin. domos pro eorumdem dumtaxat primi habitus remanentium Fratrum uſu & habitatione perpetuis concederemus, ipſoſque ab aliis Fratribus dictæ ſocietatis habitum mutantibus hujuſmodi ſegregare, ac alias ipſis & eorum ſtatui opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod diverſa plerumque diverſis reſpectibus poſſunt in unum bene agendi propoſitum convenire, quodque nemo ab ejus primæva Spiritus ſancti vocatione debet ad aliam cum animi rancore transferri, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſancti Hieronymi Paduan. & ſancti Petri Vincentin. domos prædictas, cum omnibus earum bonis, juribus & pertinentiis, eiſdem Fratribus in primo habitu remanere volentibus, pro ipſorum uſu & habitatione perpetuis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex nunc deputamus, concedimus & aſſignamus: eadem auctoritate ſtatuentes, pariter & decernentes, quod Fratres remanentes hujuſmodi ab omni ſuperioritate & obedientia, ac ſocietate Fratrum mutantium habitum prælatorum ſint penitus exempti & ſeparati; necnon etiam quod quilibet tam ex remanentibus, quam ex habitum mutantibus Fratribus hujuſmodi infra ſex menſes dumtaxat a datis præſentium computandos, vel habitum ipſum*

Lib. 1. de Regular. & exhib. an. 2. fol. 138.

Scinditur in duas partes.

mutare, vel qui jam mutaverint, ad priſtinum redire teneantur; quodque ſi contingat ex duabus partibus Fratrum mutantium & remanentium hujuſmodi, alteram deficere, ita quod nullus Frater dictæ deficientis partis inveniatur, domus & loca partis deficientis hujuſmodi ad alios Fratres partis ſuperſtitis eo ipſo devolventur & applicentur: necnon Fratres remanentes hujuſmodi deinceps perpetuis temporibus Fratres ſancti Hieronymi, ſocietatis fratris Caroli de Monte Granello, qui ſocietatem ipſam inchoavit, ſub Regula ſancti Auguſtini degentes nuncupentur. Volumus autem quod Fratres remanentes hujuſmodi ſolis locorum diœceſanis, in quibus domus prædictæ ſunt vel pro tempore fuerint, ſubſint & ſubeſſe cenſeantur, quodque alias omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis eidem ſocietati conceſſis, prout hactenus uſi fuere, perpetuo uti & gaudere, & eleemoſynas in quibuſcumque locis ſeu terris quærere, ſeu mandare libere & licite poſſint & valeant. Non obſtan. præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon domorum Ordinis, & ſocietatis prædictorum, juramento &c. roboratis ſtatutis &c. quibuſcumque. Per hoc autem tam remanentium quam habitum mutantium hujuſmodi ſocietatem aliter approbare non intendimus. Nulli ergo &c. noſtræ deputationis, conceſſionis, aſſignationis, ſtatuti, decreti & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Senis, anno &c. MCCCCLX. XII. *Kal. Septembris, anno* II.

Conv. Velitern. *Gonz. in Provin. Rom. Conv. 7.*

XLIV. Multa hoc anno in Italia ædificata ſunt Minorum domicilia. In urbis Velitern æ ſummo faſtigio, in Contrata, quam vocant Caſtelli, ante aliquot annos Rector & Beneficiati Eccleſiæ parochialis ſancti Laurentii, ob ſingularem, quam erga Fratres Obſervantiæ gerebant devotionem, Jacobo Reatino eorumdem Vicario Provinciæ Romanæ, prædictam dederunt Eccleſiam, cum propinquo territorio & domo vicina aliiſque adjutoriis, ut Conventum ſuis Fratribus ædificaret. Factum approbavit Nicolaus V. At cum ſub hunc annum opus ſtuderent Fratres complere, Nicolai conceſſionem petierunt confirmari: *Pia conſideratione.* VII. Kalend. Auguſti. Domus amœniſſimo ſita loco, bene & firmiter conſtructa, ampliſſimo per ſubjectos campos gaudet proſpectu. „ Subtus Eccleſiæ hujus „ Conventus majoris Aræ gradus adeſt vetuſtiſſimum ſepulchrum nobilis „ Familiæ de Antonellis, in cujus marmoreo lapide ſculpta viſitur ima- „ go Baptiſtæ Colæ Antonelli æqueſtri habitu, balteoque præcincti cum „ gentilitio ejuſdem ſtemmate per alas ex utraque capitis parte expreſ- „ ſas repræſentato. Ejuſdem hic habes Inſcriptionem. Meminit de „ hoc monumento Archiepiſcopus Bonaventura Theuli in ſuo Theatro „ hiſtorico Veliterno lib. 3. cap. ultimo impreſſ. anno MDCXLIV. Prope „ eumdem lapidem poſita fuit anno MDCXLVI. ſequens pariter Inſcri- „ ptio.

ADDITIO Aliorum. Nobilis familia de Antonellis.

„ *Diogeni Doctoris Bernardini filio, & Joanni Baptiſtæ de Antonellis Viris antiqua generis nobilitate, & propriorum virtutum acceſſione conſpicuis, in hoc veteri Majorum ſuorum ſepulchro in pace quieſcentibus, Nicolaus, Joannes Carolus Philoſophiæ, Theologiæ, ac J. U. D., & Joannes Paulus Philoſophiæ Doctor Fratres de Antonellis, Avo & Patri reſpective charisſimis hoc amoris teſtimonium poni curarunt. Anno Dom.* MDCXLVI.

In-

Inſcriptio circa ſepulchrum extans.

✠ *Sepul. Domus Antonelliæ.*

Hoc eſt ſepulchrum Domus ſpectabilis Viri Baptiſtæ Colæ Antonelli de Velletro & omnium Defunctorum ſuorum & requieſcant in pace. A. D. MCCCCLXIV.

Sunt omnes litteræ majores.

XLV. Univerſitatis & civium urbis Nepeſinæ precibus hoc anno indulſit Pius, ut frater Bernardinus de Sutrio Fratribus Regularis Obſervantiæ in territorio dictæ Civitatis domum extrueret. Non feciſſe ſuſpicor; neque enim alibi veſtigium occurrit.

Conv. Nepeſinus. *Ex lib. 1. de exhibit. & de Regul. nn. 2. fol. 144.*

XLVI. Angelus de Petrignania, generoſus civis Amerinus, ad ſecundum ab urbe lapidem, hoc anno Cœnobium ædificavit Fratribus Obſervantibus, ſub titulo Annunciationis beatæ Virginis Mariæ; in quo jacent Paulus Capetonius vir magnæ abſtinentiæ, qui corpus vigiliis & laboribus attritum ſolo pane & aqua reficiebat; mireque ſimplicitatis, ut propterea omnibus eſſet contemptui; & Franciſcus Ovarius, qui murtis ſuæ horam longe antea ſuo Guardiano prædixit, ex cujus etiam ſepultura, dum forte menſe Auguſti reſeraretur, ingens prodiit violarum fragrantia, quæ circumſtantes mirum in modum recreavit. Cauſam inquiſituri Fratres ſepulcrum ingreſſi, corpus invenerunt integrum, & ſub capite violarum floridam plantulam ſuaviſſime redolentem.

Conv. Annunciationis Amerinus. *Gonz. in Provin. S. Franciſci Con. 22.*
Fr. Paulus Capetonius.
Fr. Franciſcus Ovarius.

XLVII. Prope Cittadellam, Vincentinæ dioeceſis oppidum, in loco *Campania Cittadellæ* nuncupato, in territorio urbis Paduanæ, ex conſenſu & licentia Marci, tituli ſancti Marci presbyteri Cardinalis, Epiſcopi Vincentini, circa hunc annum, Baptiſtam Bigolinum civem Patavinum Conventum Obſervantinis ſub titulo ſanctæ Crucis conſtruxiſſe, docet Bulla Pauli II. data anno MCCCCLXVII. X. Kalend. Februarii in qua dat facultatem domum hanc pene integre conſtructam conferendi Vicario & Fratribus Obſervantibus Provinciæ ſancti Antonii. Petro Bigolinæ ſtirpis erga eamdem incredibilis & conſtans ſemper fuit benevolentia.

Conv. Cittadellæ. *Idem in Provin. S. Anton. Con. 31. Lib. 1. de diverſ. formis anno 4. Paul. II. fol. 74.*

XLVIII. Circa eumdem annum Senatus urbis ſancti Angeli in Provincia Aprutina, non longe a mœnibus, alium extruxit ſub nomine ſancti Bernardini. Ibidem requieſcit Seraphinus Teatinus inſignis Eccleſiaſtes, qui licet litterarum etiam Grammaticalium ignarus, omnes tamen auditores in ſtuporem, & admirationem rapiebat. Talia erat ejus doctrina, & Divinorum myſteriorum tam admirabilis interpretatio, ut a Spiritu ſancto edoctus non inmerito putaretur. Prope Pratenſe caſtellum, Campaniæ ſelicis pagum, vir illuſtris Carolus Pandonius, Minoritis addictiſſimus, Cœnobium ſub invocatione ſancti Franciſci hoc anno fecit ædificari. Templum a quodam Epiſcopo Bojano anno MCCCCLXXX. fuit conſecratum.

Conv. ſancti Angeli. *Idem in Provin. S. Bernard. Con. 12.*
Fr. Seraphinus Teatinus.

Conv. Prati. *Gonz. in Provin. Ter. lab. Con. 14.*

XLIX. Ab oppido Gulioniſio in Apulia ad M. P. in declivio cujuſdam nemoroſi collis, Cœnobium extruxerant Monachi Carthuſiani, quod dimittendum judicarunt quibuſdam de cauſis anno MCCCCLII. & Fratribus Obſervantibus ſub certis conditionibus, quas Pius II. ſub hunc annum mitigavit, tradendum. Hic obierunt viri religioſiſſimi, ſanctitatis opinione illuſtres, Simon de Slavis laicus humilitate ſublimis, & precibus apud Deum in curandis morbis, pellendiſque dæmonibus egregie potens tum in vita, tum poſt mortem. Jacobus a Turrebona ſacerdos Regularis Obſervantiæ ardens zelator. Matthæus Tertii Ordinis profeſ-

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Conv. Gulioniſi. *Idem in Provin. S. Angeli Con. 10.*
Simon Slavus.

Jacobus a Turrebona.
Matthæus Tertiarius.

„ ſeſſor ingenti quidem miraculo illic ſepultus. Cum enim in Templo iſto „ ſub mortem ſibi ſepulturam delegiſſet, ſed in Eccleſiam ſuam Clerus „ ſecularis cadaver per vim intuliſſet, poſt tertium a funere diem ſummo „ mane inventus eſt genuflexus juxta Crucem, quæ præ foribus Cœnobii „ erecta eſt. Interrogatus quid vellet? Reſpondit, velle quidem ſe in il- „ lius Cœnobii Eccleſia, quod adhuc vivens declaravit, ſepeliri. Quo „ portento non immerito commoti Fratres, eum honorifico funere coho- „ neſtarunt.

Conv. Deſerti. L. Conventus ſancti Franciſci de deſerto prope Venetias, Torcellanæ diœceſis, vere deſertus & incultus, auxilio quorumdam nobilium Venetorum reſtauratus fuit ſub Nicolao V. a fratre Nicolao Erizn Regularis Obſervantiæ, cujus Inſtituti profeſſoribus hoc anno domum in poſterum Pius adjudicavit. Ut totius rei ſeries & exactior ſubſit lectori notitia, diploma dabimus in regeſto: *Exigit ſinceræ devotionis*. IV. Nonas Septembris. Fratribus domus ſancti Franciſci caſtri ſancti Quirici in territorio Senarum, Aretinæ diœceſis, confirmatam voluit donationem capellæ beatæ Mariæ ſupra portam Frontonis, ſibi ante aliquot annos factam a Communitate dicti caſtri, ad quam ſpectabat juspatronatus dictæ capellæ.

Conv. ſancti Quirici.

Conven. Inſulæ prope Caneam. LI. Confirmavit hoc anno Pius diploma Nicolai Pontificis, quo ſub annum MCCCCLIII. fratri Jacobo Bigneti de Cataro ſacerdoti, & Nicolao de Iſtria ac Franciſco de Ragufio laicis, conceſſit licentiam ædificandi domum prope capellam, a Franciſco Meigano nobili Veneto conſtructam, in parva inſula milliaribus quinque diſtante ab altera, quæ Caneæ nuncupatur, in qua ipſe tunc morabatur, & dominium acquiſivit parvæ inſulæ prædictæ. Moriens capellam & inſuletam, ut loquitur Pontifex, Minoritis legavit, utque commodius in ea viverent, certam ſtabilivit frumenti & vini menſuram a ſuis hæredibus miniſtrandam. Elapſis ferme annis triginta a condito teſtamento, Antonius Meiganus nepos, opem & adjutorium operi dedit inchoando, quod ubi Fratres prædicti proſecuti ſunt, Pontifex factum approbavit.

Conv. Benavides. *Ortiz. in Provin. S. Jacob. Con. 15.* LII. In Hiſpania Didacus Fernandez Quiñonius, primus Lunenſium Comes, & Joanna Enriquez conjux intra muros oppidi Benavides hoc anno ſancti Franciſci Conventum conſtruxerunt, qua de cauſa jurepatronatus ſacellum præcipuum eorum ac ſucceſſorum corporibus humandis adjudicatum eſt. Sed nonniſi anno MCCCCLXXIV. Kalend. Januarii licentiam impetraruut a Sixto IV. Cœnobium eo in loco ædificandi, cujus incolis alendis poſtquam conſtructum eſſet, promittebant ſe daturos ſingulis annis quadringentas fanecas frumenti.

Lib. 47. bullar. Sixti fol. 279. Conv. Oriolæ. *Lib. 9. bullar. Pii fol. 280. Gonz. in Provin. Carthag. Con. 12.* LIII. Vicario Obſervantium Provinciæ Caſtellæ conceſſit hoc anno Pontifex licentiam domum ſuis Conſodalibus ædificandi in oppido Oriolenſi, Carthaginenſis diœceſis, nunc urbe Epiſcopali: Opus aggreſſus varios habuit coadjutores; certatim enim oppidani auxilium præſtiterunt. Gregorius Rocca, pius heros, collato fundo antiquum ſacellum Divæ Annæ in commodam evehi Eccleſiam curavit. Refectorium ſumptibus Andreæ Martinez conſtructum fuiſſe, gentilitia demonſtrant inſignia; & clauſtrum expenſis Sanctis Angeli Vique fabricatum idem probat impreſſorum inſigniuu argumentum. Perpetuum etiam pius hic vir addidit beneficium; duas enim piſcium libras ex unaquaque ſarcina Oriolam invecta, ſibi & hæredibus regio indulto pendendas, Fratribus legavit, quas in hunc uſque diem abſque controverſia excipiunt. Reliquam ædificii partem alii benefactores adjecerunt. In Eccleſia ſepultus eſt frater Matthæus a Valentia religio-

Fr. Matthæus a Valentia.

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1460.	an. 2. & 3.	anno 21.	

giosissimus vir & insignis prædicator; in sacello majori ad latus Epistolæ frater Bartholomæus a sancta Marina laicus eximiæ simplicitatis, abstinentiæ, orationis & caritatis. Fr. Bartholom. a S. Marina.

LIV. Petrus Gironius militiæ Calatravensis Magister, Fratribus Cœnobiorum Domus Dei & Scalæ addictissimus, petiit a Pontifice hoc anno licentiam Eremitorium sive oratorium *del Bueto* quorumdam laicorum, qui Beghini seu Beati dicebantur, in oppido suo de Brueva, Palentinæ diœcesis consistens, in domum Fratrum de Observantia convertendi, factamque prædictis duobus Cœnobiis conjungendi. Rem commisit Pontifex examinandam Episcopo Palentino & Abbati de Parrazes, diœcesis Segobien. a quibus nihil in hac re factum conjicio, dum nullum hujus constructi Cœnobii occurrit vestigium. Conv. Brueva. *Lib. 15. bullar. fol. 407.*

LV. Nobilis vir Joannes de Jambis Miles, gubernator villæ Rupellæ, Xanctonen. diœcesis, Petrus Doriolla Magister computorum, & Joannes Merichon Consiliarius Caroli Regis Gallorum, Petrus Bonis Scabinus, Joannes de Finau Major, & habitatores prædictæ villæ petierunt hoc anno licentiam ædificandi Observantibus domum prope capellam beatæ Mariæ in villagio seu pago *La fong* seu *fontis*, sub regimine tamen Vicariorum Generalis & Provincialis Provinciæ Turonensis, ad instar domus Fontiniaci Comitis & aliorum. Capella illa erat Prioratus Ordinis sancti Benedicti dependens a Monasterio de Alodiis ejusdem Ordinis, Pictavien. diœcesis, cui data est sufficiens recompensatio. Oppositerunt se huic constructioni Patres Conventuales, allegantes, quatuor fuisse domos Mendicantium Fratrum intra villam Rupellæ, & duas Monialium, atque quatuordecim Mendicantium in illa diœcesi sibi invicem feciſſe angustias. Nihilominus, jubente Pio, domus extructa est, sed itruente pernicioſa illa hæreticorum colluvie in Gallia, funditus est destructa. Conv. Rupellæ. *Lib. 8. bullar. fol. 250.*

LVI. Post longas molestasque lites inter Patres Conventuales & Observantes, variasque pro utraque parte tam a tribus Pontificibus Romanis, quam a duobus Regibus Gallicanis latas sententias circa possessionem domus castri Rodulphi, diœcesis Bituricensis, tandem hoc anno conventum est, ut in ea remanerent Observantes, sub obedientia tamen Ministri & Custodis, penes quos esset jus visitandi & corrigendi. Guido de Calviniaco, Vicecomes de Brossia & castri Rodulphi, in ædificiis restauravit domum a suis Majoribus fundatam, deinde omnem operam adhibuit, ut in disciplina etiam reformaretur. Laboravit itaque per plures annos pro introducendis Observantibus, cujus conatus multis modis irritos fecerunt Conventuales nolentes recedere, sed postremo abierunt. Quatuor vel quinque diffusas satis habeo de hac controversia litteras Apostolicas. Hoc eodem anno reformatus fuit Conventus Bambergensis in Germania per Joannem Laer Provinciæ Colonien sis Vicarium, procurante ex auctoritate Apostolica Georgio de Schavenberg Episcopo Bambergensi. Conv. Castri Rodulphi. Conv. Bamberg. reformatur.

LVII. Hoc anno ædificatus est Conventus sancti Udalrici prope Bar in eadem Provincia. Inchoatus est etiam alter in oppido Lamegi sive Lamgoviæ, diœcesis Paderbornen. per Bernardum de Lippia, oppidi dominum, & Simonem germanum fratrem tunc Canonicum, postea Episcopum Paderbornen. & Proconsules aliosque coadjutores. Oppositerunt se Patres Conventuales, eorumque opera Joannes Hammo Vicarius Episcopi Paderbornensis. Sed eorum molimina Joannes de Lippia Episcopus Monasterienſis, Bavariæ Dux, Comesque Palatinus, Bernardi patruus, auctoritate Judicis Conservatoris repressit, Vicario tunc Provinciæ Colonien sis Joanne Bragma- Conv. Baren. *Gonz. in Prov. Colon. Conv. 8.* Conv. Lempor. *Monum. MS. Prov. Colon lib. 1. de benef. vacan. &c. an. 2. fol. 211. & l. 1. de diverſ. an. 6. fol. 1.*

manio; tamdemque opus completum eſt anno MCCCCLXIV. maxima ex parte, opitulante & domum ſuam largiente Joanne de Molenbeck Satrapa in Sternenberg. Anno MDLXXV. irruentibus hæreticis, profligati ſunt Fratres, & Conventus in domum pauperum redactus eſt, Eccleſiæ profanatæ, Altaria conculcata, feneſtræ mutilatæ, ſarta tecta ſuperſunt.

Conv. Pragen. *Tom.* 12. *Ann.* 1455. *n.* 17.

LVIII. Prophetaverat ante ſex annos Joannes Capiſtranus, ſuos Conſodales in urbe Pragenſi domicilium aſſecuturos; cum enim, uti diximus, Georgius Podiebratius regni Boemici Gubernator obſiſteret, quominus ille in Civitatem admitteretur, dixit: *at ſi ego non intravero, tamen mei catuli penetrabunt & latrabunt*. Hoc itaque anno idem Georgius, jam regni imperium aſſecutus, victus continuis populi precibus, Fratres Obſervantes in urbem recepit, quos pii viri beoigne receptos Conventu donarunt ſub invocatione ſancti Ambroſii. Sed non diu illic perſtiterunt; dum enim Georgius Rex hæreſim & fraudes, quas regno aſſequendo & ſtabiliendo aliquatenus occultaverat, paulatim detexit, illique tamquam generoſi catuli oblatrarent, anno MCCCCLXVIII. tota urbe recedere coacti ſunt. Uladislao Poloni Regis primogenito ad Boemiæ regnum evocato, revocati Fratres anno MCCCCLXXXII. ad locum priſtinum redierunt; ſed anno ſequenti varie ab hæreticis, quibus abundabat Civitas, divexati, opprobriis verberibuſque ſaturati, iterum abire compulſi ſunt. Derelictum Conventum ſolo æquarunt impii hæretici, in quo loco Fratres ſtrictioris Obſervantiæ Hiberni, benevolentia Ferdinandi II. Imperatoris, Boemorum Regis, collegium ædificare cœperunt anno MDCXXIX. magno certe illius gentis bono; plebem enim religioſo exemplo & vita commendabili mirum in modum ædificant, & in publico gymnaſio ab optimo Antiſtite Erneſto Adalberto Cardinale de Harach cleri & regularium diſciplinæ conſtructo, ſingulari eruditione & bonorum omnium approbatione, cathedras Philoſophiæ & Theologiæ moderantur.

Collegium Minorum Hibernorum Pragenſe.

Conv Noviplenſ reformatur. *Lib.* 15. *bullar. fol.* 142.

LIX. Reformatus eſt hoc anno oppidi Noviplenæ, diœceſis Pragenſis, Conventus beatæ Mariæ Virginis Patrum Conventualium, datuſque eſt Obſervantibus, rogantibus prædicto Georgio Rege, propter continuas preces oppidanorum, uti Pontifex in ſuo teſtatur diplomate. Conventum hunc puto illum, qui ſub titulo Novæ domus recenſetur in vetuſto cathalogo Ordinis Cœnobiorum, quem alias excripſi.

Tom. 12. *Ann.* 1410. *n.* 41. Conv. Moighini. *Monum. MSS. Prov. Hibern.*

LX. Diximus Nicolaum V. conceſſiſſe facultatem fratri Guillelmo Iragilich, Vicario Hiberniæ, ut in Provincia Tuamenſi Conveotum Fratribus Obſervantibus extrueret. Hoc anno Conventus Moighini in eadem Provincia, diœceſi Aladenſi, in Comitatu de Mayo, ad oſtium fluminis Moy prope mare, ab urbe M. P. conſtructus eſt, atque ut quidam ferunt a Mac Guillelmo de Burgo, alii a familia Baretorum. Poſſeſſionem accepit omnium primus frater Nehemias O Donocho Vicarius Obſervantum. Eo loco extructus dicitur ob auditum aliquando Angelorum concentum, quo forte præmonebatur, illic Divinas laudes celebrandas. Locus eſt amœniſſimus, ædificium amplum, totum ferme marmoreum, opere ſatis polito fabricatum. Horti & exigua paſcua ſorti cinguntur muro. Intra clauſuram abundanti ſcaturigine fluens ex petra ſaluberrima aqua, decurrenſque per Cœnobii officinas ea quantitate in propinquum procurrit mare, ut duas molas circumvolvat. Abundant hic piſces, conchilia, cuniculi, quorum magna eſt copia in parva inſula Bereragi ſub oculos poſita, ad quam refluente mare ſiccis licet pedibus tranſire. Æſtuante mari magnæ onerariæ oaves uſque ad Fratrum valetudinarium poſſunt accedere. Anno MDLXXVIII. hæreticis

An-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1460.	an. 2. & 3.	anno 21.	

Anglis excurſionem facientibus, Miniſter Provincialis, qui tunc aderat, & Fratres in cymba ad mare ſe receperunt, relicto fratre Phalimæo O Hara provectæ ætatis laico Cœnobii cuſtode. Regreſſi viderunt expilatam domum, & Conſodalem coram ſummo Altari occiſſum, quem reverenter in æde capitulari ſepelierunt. Irruentes iterum hi impii ſatellites, ſacerdotem quemdam ſecularem, & alterum Minoritam ceperunt, illoque ſuſpenſo, hunc ut quæ ſacerdos ſacramentaliter confeſſus fuerat, eis revelaret, miſerrime torſerunt, ligatis ad tempora funibus & tam arcte conſtrictis, donec cranium erumperet & cerebrum diffluereet. Qui a Rege Anglorum ſibi donari impetrarunt Monaſterium, partem Fratribus locant, ut majori concurſu Catholici accedant, & opulentiora exerceantur mercimonia. Erat Conventus capaciſſimus quinquaginta Fratrum, qui ut plurimum ſtudebant Philoſophiæ & Theologiæ. Clauſulæ aliquot bullæ Nicolai, cujus virtute hic Conventus conſtructus eſt, ſcrupulum ingeſſerunt illius Provinciæ Obſervantibus, circa quas & quædam alia Pontificem conſuluerunt. Dedit benignum reſponſum, ex quo colligitur, illic jam introductam Obſervantiam, & inſtitutos Vicarios Provinciales Obſervantum: *Ad uberiores.* VII. Idus Auguſti.

Fr. Phalimæus O Hara martyr.

Alii duo martyres.

LXI. Circa hunc annum quidam ſtatuunt conſtructum in eodem Hiberniæ regno, & Provincia Lageniæ, in diœceſi Fernenſi, & Comitatu Vexfordienſi, ad ripam fluminis Slani, Conventum Iniſchorti per familiam Cavanahorum. Henricus Vallop Regni Hiberniæ Theſaurarius, hæreticus Anglus, dives & potens, locum obtinuit a Rege Anglorum, ibique magnificam domum extruxit, quam tamen neque ipſe neque hæredes; ſed alieni poſſederunt. Oppidum Angli inhabitant hæretici. Reſidentia Fratrum hic eſſet opportuna, & fideli populo circumvicino ſatis neceſſaria. Commode hinc ſecundo flumine navigatur per duodecim milliaria Vexfordiam, commodo Fratrum commercio.

Conv. Iniſchorti. *Ex eiſdem Monum.*

LXII. Ante hunc annum Georgium Chuper, Militem Zagrabienſis diœceſis in ſuo territorio *Varalglia* nuncupato, Cœnobium ſub titulo Aſſumptionis beatæ Virginis Mariæ ædificaſſe Obſervantinis, habeo ex diplomate Pii, quo hoc anno Eccleſiam diebus quibuſdam ſtatutis devote viſitantibus, aliquas concedit Indulgentias. Hoc anno procurante fratre Hieronymo Lindſayo, Comitis Craufordiæ filio, ex utriuſque juris Doctore Minorita, vir nobilis Baro Oliphantus Conventum eiſdem Fratribus in Scotia, intra ſepta oppidi ſancti Joannis extruxit. Habitum ſuſcepit prædictus Hieronymus a venerando & pio Patre Cornelio a Zirichzea, de quo alias locuti ſumus, tantumque hoc magiſtro profecit, ut optimis quibuſque Conſodalibus humilitate, abſtinentia & orationis aſſiduitate veniat comparandus.

Conv. Vataglia.

Conv. S. Joannis. *Gonz. in Provin. Scotia Conv. 3.*

Tom. 11. Ann. 1446. n. 18.

LXIII. Circa hunc annum Monaſterium ſancti Ludovici, Ordinis ſanctæ Claræ Mirandulæ, nobilis & populoſi in Gallia Ciſalpina oppidi extructum, & ſexaginta Sororum capaciſſimum, Blanca Maria Eſtenſis, Galeotti Pici Mirandulani domini, pia conjux, ampliſſimis reditibus & prædiis dotavit. Primæ inſtitutrices ex Monaſterio ſancti Guillelmi Ferrarienſis evocatæ ſunt. In urbe Aſculana Piceni translatæ ſunt hoc anno Clariſſæ, quæ primum fuerunt Benedictinæ, a Monaſterio ſancti Angeli intra urbem ad aliud ſanctæ Mariæ extra urbem ejuſdem Inſtituti, erectaque eſt domus ſancti Angeli in Prioratum Monachorum Ordinis Montis-Oliveti. Monaſterio ſancti Michaelis in ſuburbiis Civitatis Lucanæ, Ordinis ſanctæ Claræ, ſed per Miniſtram ſolito gubernari, unita eſt hoc anno parochialis Eccleſia ſancti Michaelis, alias ſancti Micheletti in Aſtetho, Lucanæ diœceſis.

Mon. Mirandulæ. *Gonz. in Prov. Bonon. Mon. 16.*

Mon. Aſculanſ. *L. 2. de Benefactor. & Regular. an. 2. fol. 374.*

Mon. S. Michaelis Lucæ. *Lib. 36. bullar. fol. 183.*

LXIV. Mariæ Reginæ Franciæ, erga ſanctæ Claræ Ordinem valde propenſæ, facultatem conceſſit Pontifex hoc anno in regni Franciæ loco opportuno Monaſterium hujus Inſtituti ædificare. Ubi vel quando id fecerit, incompertum. Occurrit hoc anno memoria Monaſterii ſancti Leonardi de Calignano, Januen. diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ, cui Pontifex varia concedit privilegia, & curæ committit Ordinis Minorum.

Mon. S. Leonardi de Calignano.

LXV. Thereſiæ & Beatrici de Salzedo Sororibus Tertii Ordinis, oppidi Carmonæ, Hiſpalenſis diœceſis, dedit hoc anno Pontifex licentiam ædificandi in domo ſua ſuiſque expenſis Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ. Diligenter id perfecerunt, atque ante triennium Clariſſas introduxerunt, quibus ipſæ acceſſerunt, & pro ſuo modulo dotem aſſignarunt. Humilis & exiguæ hujus ſocietatis ſanctitas vitæque integritas in dies magis magiſque excreſcens, induxit Beatricem Pacheco, Gadium Marchioniſſam, ut domum magnifice ampliaret & reditus adderet majores, ut ſexaginta Sorores commode ibi cohabitent, & demum illic ſibi delegerit ſepulturam.

Mon. Carmonæ. *L. 2. de benef. vacan. & regul. an. 2. fol. 217. Gonz. in Prov. Bethic. Mon. 8.*

LXVI. Eámdem fecit Pius hoc anno poteſtatem Petro Roderici de Sarria, viro laico Giennen. ut in oppido Beatiæ, ſive *Baezæ*, Giennenſis diœceſis, Clariſſarum Monaſterium ſub vocabulo ſancti Antonii de Padua conſtrueret. Porro quantocyus conſtruxit in ſuburbio domum ampliſſimam, ſeptuaginta Sororum capacem. Quod de translatis Sororibus a Monaſterio Conceptionis ad domum iſtam, eamque prius ab Obſervantibus Fratribus poſſeſſam ſcribit Gonzaga, ſubſiſtere non poteſt; a prima enim ſua origine incolas habuit Monaſterium Clariſſas Urbaniſtas. Hic plurimæ vixerunt Moniales ſanctitate conſpicuæ, ſed hæ notiores, Catarina a ſancta Clara, Beatiana, Catarina Rodriguez Hiſpalenſis, Catarina de Jeſu, & Franciſca de Peralta hoc oppido oriunda.

Mon. Beatiæ. *Lib. 1. de præbend. & diverſ. an. 2. fol. 315.*

Gonz. in Prov. Granat. Mon. 4.

LXVII. Madriti, quod nunc Sedes eſt Regum Hiſpaniæ, Clariſſarum fundavit Monaſterium ſub titulo Viſitationis beatæ Mariæ Catarina Nunneſia, Alphonſi Alvarez a Toleto, Tribuni ærarii Regis Henrici IV. & Regni Caſtellæ Quæſtoris, conjux. Pepigit hoc anno cum fratre Alphonſo Complutenſi, Cuſtodiæ Toletanæ tunc Cuſtode, & Vicarii Provinciæ Caſtellæ commiſſario, rebuſque omnibus cum pingui reditu ſubminiſtratis, nullum gravamen impoſuit, nullamque conditionem præſcripſit, quam quod perpetuo ſub Obſervantia Sorores viverent Regulari, & pro animabus Henrici, & Joannis genitoris Caſtellæ Regum orarent. Mire crevit hæc domus ſanctitatis opinione & numero Monialium. Sepulta eſt in ſacello majori fundatrix, adjecto hoc epitaphio.

Mon. Madriten. *Gonz. in Prov. Caſtel. Mon. 4. Salazar. lib. 5. c. 11. Avila in theatro Madritii. l. 2. c. 1. Quintana de reb. Madriti, l. 3. c. 71.*

Hic jacet nobilis domina, D. Catharina Nunnez a Toleto, quæ fuit uxor Alphonſi Alvarez a Toleto, Quæſtoris ærarii regni Caſtellæ. Obiit anno MCCCCLXXII.

LXVIII. Monaſteria Tertii Ordinis aliquot hoc anno fundata reperio. In urbe Compoſtellana cohabitabant Aldonſa Velaſci & aliquot Sorores in domo ſanctæ Chriſtinæ. Conceſſum fuit datis litteris ad Abbatem Monaſterii beatæ Mariæ de Sobrado, Compoſtellanæ diœceſis, ut domum ſibi ſtatuerent Regularem ſub perpetua clauſura ab Abbatiſſa regendam, ſub juriſdictione & viſitatione Miniſtri domus ſanctæ Mariæ novæ Compoſtellanæ, ejuſdem Tertii Ordinis, relicta tamen auctoritate Roderico Archiepiſcopo ejuſque ſucceſſoribus, domum in propriis perſonis viſitandi, & ſua juriſdictione ordinaria utendi.

Domus Sororum Ter. Ord. Compoſtellæ. *Lib. 7. bullar. fol. 275.*

LXIX. In oppido Arandæ Durianæ, quod Durio flumine alluitur, diœceſis

Domus Duriana.

ceſis Oxomenſis, Mentia Martinez Contreras vidua, nulla fœcundata prole, bona ſua ſtatuit Dei cultui deputare, Monaſteriumque conſtruere Tertii Ordinis Sororibus. Aſſumpto itaque habitu, domum ædificavit tum ex propriis, tum ex relictis a marito facultatibus, & advenientium Sororum ipſa Miniſtra electa eſt. Primum domus ſanctæ Eliſabethæ a Jeſu vocata eſt, poſtea a ſancta Anna, tertio demum a ſancto Antonio nomen accepit. Cum reliquæ Tertii Ordinis Sororum domus in Hiſpania ad clauſuram cogerentur, hæc præ inopia non potuit. Poſtremo cum Inigus de Zuniga bona quædam pauperum hoſpitali ædificando legaſſet, Paulus V. a Sororibus & oppidanis rogatus, huic Monaſterio perficiendo, & muris vallando legata adjudicavit. Anno MDCXVIII. velum capitis nigrum ſibi dari obtinuerunt. *Gonz. in Prov. Concep. Mon. 56.*

LXX. Incidimus hoc anno in Pii II. diploma, quo Sororibus ſanctæ Mariæ de Bretonera, & domus ſanctæ Eliſabethæ de Brivieſca, diœceſis Burgen. Tertii Ordinis de pœnitentia conceſſa eſt facultas tranſeundi ad ſanctæ Claræ Inſtitutum. Litteras damus in regeſto, ex quibus aliqua corrigi poterunt, quæ in relatione utriuſque Monaſterii excripſimus ex Gonzaga: *Devotionis veſtræ.* XVI. Kal. Auguſti. Mon. Bretoneræ & Brivieſcæ. *Tom. 3. an. 1458. n. 11.*

LXXI. Scripſit hoc anno Pontifex Epiſcopo Aretino, ut permitteret Tertii Ordinis Sororibus Veronicæ, Mariæ, Gitæ, Maſiæ, Mariæ Salome, & Nicoloſæ domum ſibi dudum in oppido Montis-politiani, ſuæ diœceſis, relictam per quondam Angelum Joannis Angeli Militem Senenſem, ampliare, in Monaſterium adaptare, & contiguum erigere Oratorium ſub invocatione ſancti Bernardini, præſertim cum multæ ad harum conſortium accedentes ſibi facerent invicem anguſtias, omniumque oppidanorum, & Nicolai ac Joannis prædicti Angeli filii id ſummis precibus contenderent, ſuiſque bonis opus cuperent promovere. Domus Montiſpolitiani. *Lib. 56. bullar. fol. 190.*

LXXII. Extra muros, prope portas oppidi Leyden (quod Lugdunum Batavorum nuncupatur) diœceſis Trajectenſis, domus erat ſanctæ Margaritæ Sororum Tertii Ordinis, in loco humido & aquoſo, multis bellorum periculis expoſita. Deprecante itaque Philippo Burgundiæ Duce conceſſit Pius Miniſtræ & collegis facultatem ſe transferendi ad locum ſalubrem & amœnum, Rodemburg nuncupatum, intra metas parochiæ de Leydendorp, ejuſdem diœceſis conſtitutum. In eadem diœceſi domos tres prædicti Tertii Ordinis Inſtitutum & regulam mutaſſe ſub Calixto III. & ad Ordinem Canonicarum ſancti Auguſtini tranſiviſſe, Pius hoc anno recenſet, videlicet domum undecim millium Virginum Trajectenſem, ſanctæ Agathæ Amersforden. & ſanctæ Agnetis Hardevicen. diœceſis Trajectenſis. Graſſata per has partes Geuziorum ſævities omnes has domos proſtravit. Domus Leyden. *Lib. 1. de Regular. & exhib. an. 2. fol. 152.* *Lib. 1. de regul. & exhib. an. 2. fol. 30.*

LXXIII. Noviomagi, Colonien. diœceſis ante annos centum inchoatum erat Beguinagium, *Groeſteckshoff* vulgariter nuncupatum, in quo puellæ & honeſtæ fœminæ in caritate & unitate pacis Deo pariter famulabantur. Hoc anno die Martis prima menſis Julii, ſeptem quæ adhuc ſupererant, jurarunt in vota Tertii Ordinis ſancti Franciſci in manibus Jacobi Brenter Guardiani Conventus Vallis Joſaphat prædicti oppidi Noviomagenſis, diniſeruntque propria quæ poſſidebant, & præbendas quæ ad vitam vendebantur. Has ad participationem omnium chariſmatum & bonorum ſpiritualium, quæ fiunt in Ordine Minorum & Clariſſarum, ſpecialibus litteris admiſit anno ſequenti frater Zegerus Vicarius Generalis Ultramontanus. Domus Noviomagi. *Monum. MSS. Colon.*

LXXIV. Fratribus Vicariæ Boſnæ ſcrupuloſe circa ſuum ſtatum modumque vivendi, & neceſſaria congregandi dubitantibus, pro illorum lo-

corum qualitate Pius varia indulſit: *Dum fidem ſinceram*. Nonis Aprilis.

Hoſpitale Senen. Circa hoc tempus Joannes Thomaſii Minelli Tertiarius ſancti Franciſci, extra portam Camoliæ, urbis Senenſis, in loco qui Caſtellazza nuncupatur, ædificavit hoſpitale dictum ſanctæ Crucis in Hieruſalem, cujus opus & pietatem Pontifex commendat. Aliud hoſpitale ſancti Elzearii de Clapeto,

Hoſpitale Clapeti. Januen. dioeceſis hoc anno tenebat & regebat frater Barnabas de Auria vir nobilis, ejuſdem Inſtituti, carus Paulo Archiepiſcopo Januenſi.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. DAto Senis a ſummo Pontifice, juxta Regis Boemiæ & Populi
„ Pilſnenſis vota, diplomate de transferenda beatæ Mariæ Virgi-
Ad an. 1459. n. 1. „ ginis domo ad Fratres Regularis Obſervantiæ, ut ſupra retulimus; idem
„ piiſſimus Rex Georgius, ut pio operi ultimas & efficaces manus admo-
„ veret, ratum habens Pontificium decretum, ut ejuſdem domus in poſſeſ-
„ ſionem mitterentur Obſervantes, & omnis contradictio vel difficultas
„ amoveretur, Regale diploma, cujus copia mox ſequitur, memoratu di-
„ gnum expedivit hoc anno.

GEORGIUS Dei gratia Boemiæ Rex, Marchio Moraviæ, Luceburgenſis & Sileſiæ ac Luſatiæ Marchio.

„ *NOtum facimus tenore præſentium univerſis, quod quemadmodum*
„ *ex licentia & indulto ſpeciali ſanctiſſimi Domini noſtri Pii Papæ II.*
„ *& ejus Patentibus litteris, ad vota noſtra & devotionem populi Civitatis*
„ *noſtræ Pilſnæ, Monaſterium beatæ Mariæ Virginis, olim Fratrum Con-*
„ *ventualium, datum, aſſignatum & incorporatum eſt cum omnibus cenſi-*
„ *bus, proventibus, uſibus, fructibus & pertinentiis ſingulis, Fratribus*
„ *Minoribus de Obſervantia, devotis noſtris dilectis, ad ampliationem &*
„ *exaltationem cultus Divini, in augmentum tam ſanctæ Religionis &*
„ *Evangelicæ Obſervantiæ, ad profectum etiam Chriſtifidelium, prout hæc*
„ *plenius in litteris ſanctiſſimi Domini noſtri ad hoc editis, plenius conti-*
„ *netur.*
„ *Nos piam Paſtoris in gregem ſibi commiſſum ſolicitudinem in Domino*
„ *commendantes, ut eumdem pro devotione Fidelium, & tam præclari faci-*
„ *noris actus filialibus veſtigiis imitemur, dictam donationem & Fratrum*
„ *Minorum de Obſervantia in dictum Monaſterium miſſionem, auctoritate*
„ *Regia acceptamus, ratificamus, & noſtri conſenſus robore communimus.*
„ *Et quoniam Fratres præfati de Obſervantia proprietati pro modo Re-*
„ *gulæ abdicaverunt, nec bona ad dictum Monaſterium ſpectantia per*
„ *eoſdem Fratres gubernari debite poſſunt; volentes loco illi jura quæſita*
„ *ſervare, & neceſſitatibus tum ruinæ Monaſterii, tum Fratrum victui re-*
„ *gia clementia providere (accedente ad hoc conſenſu expreſſo honorabilis*
„ *Wenceslai de* Crumloro *Decani, & Adminiſtratoris Eccleſiæ Pragenſis*
„ *devoti noſtri dilecti, ad hunc cauſam per Sedem Apoſtolicam dati & depu-*
„ *tati) ita ſancimus & ordinamus: ut Conſules & jurati præfatæ Civitatis,*
„ *præſentibus & futuris temporibus ſint Procuratores & Factores bonorum*
„ *omnium ad dictum Monaſterium pertinentium vel ſpectandorum ſeu perti-*
„ *nendorum & cenſus, ut boni & fideles diſpenſatores diſpenſent, ruinis il-*
„ *lius Monaſterii conſulant, diruta reforment, loco & perſonis ibi degenti-*
„ *bus in neceſſitatibus provideant, juxta quod facultates illius Monaſterii*
„ *ſuppetere poſſunt.* Bo-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 253.
1460.	an. 2. & 3.	anno 21.	

„ *Bona autem ad dictum Monaſterium pertinentia expreſſe duximus*
„ *nominanda; videlicet Villam deſertam* Borecko, *cenſum nudum & per-*
„ *petuum in villa* Nebylorek, *& cenſus nonnullos in domibus præfatæ Ci-*
„ *vitatis legitime legatos & comparatos, & omnia alia bona ad dictum Mo-*
„ *naſterium pertinentia in cenſibus, pratis, agris vel aliis ubicumque exi-*
„ *ſtentia.*

„ *Mandamus igitur univerſis Officialibus & ..... fidelibus noſtris di-*
„ *lectis, & præſertim ſubcamerario noſtro, qui eſt aut pro tempore fuerit,*
„ *ut præfatos Conſules a nobis datos & conſtitutos Factores & Procuratores*
„ *dicti Monaſterii, nequaquam impediant ſeu molefient, ſed potius ad no-*
„ *ſtræ Majeſtatis complacentiam favoribus & auxilio manuteneant & pro-*
„ *ſequantur; præſertim ſub appenſione noſtri regalis ſigilli teſtimonio litte-*
„ *raram. Datum Pragæ* XXVII. *Aprilis anno Domini* MCCCCLX. *Regni*
„ *vero noſtri anno* II.

„ II. Hoc eodem anno fundationis Eremitorii beatæ Mariæ de *Villal-*
„ *vin* juxta Villam novam *de los Caballeros* apellatam, diploma expedi-
„ tum fuit: *Singularis devotionis &c.* XIII. Kalendas Septembris: circa
„ id autem Waddingus commemorans nobilem virum Gumeſium de Bena-
„ vides militem, Palentinæ Diœcelis, facultatem obtinuiſſe conſtruendi
„ Cœnobium noſtris in loco idoneo infra dominium Regis caſtellæ & Le-
„ gionis: *Sinceræ devotionis &c.* VII. Idus Auguſti, cum non ſibi conſtaret
„ an, vel ubi fundaſſet, putavit eſſe poſſe hanc Villalvini domum, cum ſit
„ in Palentina Diœceſi a Rivo ſicco quatuor leucis diſtantem, & in regno
„ Caſtellæ, quam antiquam, atque ignoti temporis dixerat Gonzaga; &
„ ad id aſſerendum monumenta illius Provinciæ, quæ circa illud tempus
„ fundatam fuiſſe aſſerebant, ſatis congruenter invitabant. At Haroldus
„ ejus Epitomator ſub anno MCCCCLXII. Gutterio a Queaada oppidi Villæ
„ novæ equitum, vulgo *de los Caballeros*, Diœceſis Palentinæ Domino,
„ ut Eremitorium Fratrum beatæ Mariæ prope illud in Cœnobium erigeret,
„ Pium Pontificem licentiam feciſſe enarrat. Hæc circa quid erit dicen-
„ dum? Si Eremitorium de quo Haroldus loquitur, eſt illud Villalvini,
„ ut videtur, hoc anno dum de licentia erigendi Eremitorium conſtet, ju-
„ dicandum eſt duobus poſt annis Quexadam eum in Cœnobium vertendi
„ licentiam obtinuiſſe; & ab hinc triginta ſea annis Gomeſium ibidem con-
„ ſtruaiſſe Eremitorium, ut putavit Waddingus, qnod tractu tempotis eſſe
„ ceſſaverit.

Wadd. Tom. 10. ad ann. 1454. n. 14.

Harold. ad ann. 1540. n. 94.

„ III. Stephano Baronio Hungaro, pio & nobili Viro, noſtris Conven-
„ tum in ſuo Strigonienſi dominio conſtruere aventi, facultatem e Vati-
„ cano factam fuiſſe hoc anno lego: *Piis fidelium &c.* V. Idus Julii. Verum
„ quid factum fuerit, bellu deletis eorum temporum monumentis, enar-
„ rare prohibemur: attamen facile crederem præfatum nobilem Virum
„ domum noſtris excitaſſe apud Oppidum de *Beren* in Diœceſi Agrienſi,
„ dedicaſſeque beatæ Virgini Mariæ ad Nives, quæ poſtea a Turcis deſtru-
„ cta fuit: nam cum tempore unionis Ordinis, anno ſcilicet MDXVII.
„ florens Provincia Hungarica S. Salvatoris in Cuſtodia Strigonienſi ſe-
„ ptem Conventus numeraret, Strigonienſem & Budenſem, ambos fun-
„ datos a Bela IV. Hungariæ Rege, Peſtienſem & Viſegradienſem, quo-
„ rum primus tranſiit ad Obſervantes anno MCCCCXLIII. & ſecundus fun-
„ datus fuit a Sigiſmundo Rege tempore Martini Papæ V. Quintum Gyon-
„ gyuſienſem fundatum a Dominis Bathorienſibus; ſextum Conventum
„ Tata, cujus nulla ſpecificatio eſt, & deſtructus a Turcis vix fuiſſe digno-

Vide Mon. MSS. Prov. S. Salvat.

ſci-

„ ſcitur, ac tamdem quem ſupra diximus Berenienſem, a nobis exiſtima-
„ tum opus Stephani Baronii, niſi forte hujus loco veniret Tatenſis. In-
Indic. ex Vatic. „ ſula, vel Inſulæ, Oppidum præclarum in Flandria Theutonica & Dioe-
„ ceſi Tornacenſi, vulgo *l'Ile*, ex veteri poſitione, quod eſſet ſtagnis &
„ paludibus cincta ad amnem Duellam, nuncupatum, Civitatis faciem
„ præfert Nobilium & populi frequentia, opibus & legibus: imo poſt An-
„ tnerpiam & Amſterodamum omnium Belgicarum urbium Civitas poten-
„ tiſſima habetur: ab Ypris in Africum quinque fere milliaribus, a Tor-
„ naco vero totidem in Septentrionem recedens, Tertii Ordinis S. P. Fran-
„ ciſci pro Sororibus, habita licentia a ſummo Pontifice: *Piis fidelium &c.*
„ IV. Nonas Julii, Hoſpitale, piiſſimum opus admiſit.

Guillelmus de Calviniaco *Wadd. Tom. 9. ad annum 1388. n. 10.* „ IV. Caſtri Rodulphi Minoritarum Ædium auctor, Vir pietatis &
„ nobilitatis, quarumdam Indulgentiarum occaſione, in noſtris Annalibus
„ memoratur Guillelmus de Calviniaco: nunc vero conſimilis fere cauſa
„ cum ſit breve Apoſtolicum: *Novit ille &c.* VII. Idus Auguſti, hoſpiti-
„ bus earumdem expeditum, præterita, ut præſentia in memoriam revo-
„ cat; admonetque Caſtrum Rodulphi Oppidum, Gallis, *Chate au Roux, Pays de Berri*, titulo Baroniæ clarum, eſſe in Archiepiſcopatu Bituri-
„ cenſi, & ab urbe Biturigio ad Indrum fluvium, inter Africum & Garbi-
Indic. ex Vatic. „ num leucis quindecim abeſſe. Erat autem Guillelmus Caſtri Rodulphi
„ Baro, Biturigum Duci fidem ſervans. Interea vero Burgundiæ Fratres
„ reformationem amplexati, Miniſtros audientes Pontificio præcepto Vi-
„ carii Obſervantium Generali Ultramontano dictis ſtare juſſi fuere: *Exhi-bita nobis &c.* III. Idus Auguſti: ſed illud breve: *Ineffabilia merito-rum &c.* V. Idus Decembris, quo indulgentia pro Capella Aſſumptionis
„ beatæ Mariæ Virginis in Eccleſia Fratrum Minorum Oppidi Varalliæ,
„ Dioeceſis Zagabrienſis in Slavonia ideſt Illyrico, oſtendit ibidem Fra-
„ tres ante id temporis fixiſſe ſtationem: & quidem in Cuſtodia Slavoniæ,
Chronic. MSS. Prov. S. Salvat. in Hung. „ Provinciæ ſancti Salvatoris in Hungaria Conventûs Varalliæ quartum
„ locum tenet. Mantuæ Pontifex apud ſanctam Mariam de Gratiis cum ef-
„ fet, ad ſupplicationem fratris Angeli de Bolſena conceſſit, quod Prælati
„ Regularis Obſervantiæ circa ſuos ſubditos & loca condeſcendere poſſent
„ & compati debilibus & infirmis in his, quæ non ſunt contraria Regulæ,
„ & fuerunt expreſſi multi caſus, ut de Sotularibus in itinere, de equitan-
„ do, licet non ſit arcta neceſſitas vel infirmitas, de receptione frumenti
„ pro induendis Fratribus, ubi non eſt alius modus habendi, de procuran-
„ dis die Sabbati eleemoſynis pro carnibus, ubi eſt conſuetum, & ſimili-
„ bus, nec ob ea dicantur facere contra Regulam.

Bajardus ex Mo-numm. MSS. il-lius Conventus. „ V. Frater Adrianus Flander a beato Joanne de Capiſtrano receptus
„ ad Ordinem, illum exacte imitatus, clarus meritis & virtutibus in Con-
„ ventu Burgenſi Provinciæ Caſtellæ ſancto fine quievit hoc anno VI. Kal.
„ Julii. Alphonſus Gaza inter Patres Conventuales, linguam latinam cal-
„ lens, aliiſque ſcientiis imbutus, cum tardioris linguæ impedimento,
„ quemadmodum trauli detinentur, ab officio prædicationis Verbi Dei
„ prudentiſſime ſe retraxit. Conſiderans balbutientem, eum qui audit, ut
„ plurimum ad riſum movere, ac ita in deriſionem verba quantumvis ſan-
„ cta ac utilia facile abire poſſe: prudentius ergo deliberans, ſe ipſum ha-
„ bile exemplum vitæ perfectionis cunctis reddere decrevit, gnarus do-
„ ctrinam Sanctorum felicius opere, quam ore publicæ utilitati ac anima-
„ rum ſaluti prodeſſe; ut igitur adeo ſanum conſilium levius exequi vale-
„ ret, recogitans ſe vale ſemel dixiſſe Mundo exitialibus pleno diſcrimini-
bus,

bus, cogitavit remotior adhuc magis fieri ab eo, ut liberius ſua pia deſideria proſequens, a Deo gratioſius foveretur & ad finem perfectum deduceretur: & quidem qui ſe immaculatum cuſtodire ab hoc ſeculo deſiderat, ut ab eodem fugiat neceſſe eſt. In Portugallia Monaſticæ diſciplinæ reſtauratæ & reſtituiæ laude Regularis Minorum Obſervantiæ Patres per ea tempora clarebant, inter quos Gaza admitti curavit Conventualibus relictis; ac ita cum eis arctiorem vivendi modum quam antea feciſſet, exacte obſervabat, & paulatim per gradus indeficienter proficiens, ſuis Confratribus nedum, ſed & aliis virtutum idæa illuxit: fere quotidie jejunans, dies etiam non paucos abſque ullo cibo tranſigebat: per totam diem ac noctem orationem protrahebat, ſilentium inviolabiliter obſervabat, nudis pedibus ſemper incedebat, vilibus induebatur, & ſuæ Regularis Obſervantiæ zelator ardentiſſimus erat: hæc ejus conciones Apoſtolicæ, quibus plurimum fructificabat. Tamdem morte appropinquante, omnia ſuſcepit Eccleſiæ Sacramenta, ſicque ſanctiſſime ſpiritum exhalavit, ſuaviſſimum ex ſe ſpirans odorem, & ingens ſui deſiderium adſtantibus relinquens. Agit de eo Marcus Ulyſſiponenſis, & poſt eum Arturus in Martyrologio.

Marc. Ulyſſip. p. 3. Chron. c. 29. ad ann. 1460. Ad diem 26. Decembris.

VI. Interea non vulgarem ſed egregie nobilem ſanctitatis famam apud Oriolenſes frater Bartholomæus a ſancta Marina, Profeſſione laicus adeptus eſt; erat enim eximiæ ſimplicitatis, ſeveræ abſtinentiæ, prolixæ orationis ac perfervidæ caritatis: ſancto fine quievit Orioli, vulgo *Oriheule*, Regni Valentiæ in Conventu ſanctæ Annæ, Provinciæ Carthaginenſis duodecimo, anno MCCCCLX. Idibus Decembris: & ob ſingulares ejus animi dotes in majori ſacello, ad locum pronunciandæ Epiſtolæ deputatum honorificentiſſime ſepultus eſt. Agunt de eo Gonzaga, Rapinæus & Arturus in Martyrologio: At Sacerdotii titulo honorificentiori, & utriuſque juris Pontificii, & Cæſarei laurea glorioſiori inſignitus, per eadem tempora Franciſcus a Novaria florebat; non enim tantum Evangeliſtæ officio (erat enim Eccleſiaſtes eloquio pollens) ſed etiam Religioſæ & compoſitæ vitæ decore virtutumque fulgore, quibus cunctis amabilis & venerabilis evadebat, fama per Orbem vulgabatur; ſed etiam quod ſcripſit præterea ad ſuum exercitium & aliorum utilem doctrinam, ſummam caſuum conſcientiæ: quamobrem, quia fecit & docuit, Magnus vocandus eſt in regno Cœlorum. Sicut ergo vixit, ſanctiſſime obiit. Memoratur a Marco Ulyſſiponenſe, & poſt eum ab Arturo.

Gonz. Rapinæus Martyrol. Franciſc. 13. Decembris. Franciſcus a Novaria.

VII. Frater Joannes a ſancta Marina, qui fuit primus Vicarius Provinciæ ſancti Jacobi, obſervandæ ſuæ Regulæ zelo motus, cum eſſet inter Patres Conventuales in ſacra Theologia Magiſter, & fama notiſſimus, ad Obſervantes tranſierat, cum quibus Monaſticam & Regularem diſciplinam ſummopere promovens, virtutum ſemitas adeo egregie calcabat, ut inter alios quadam nota ſingularis ſanctimoniæ fulgeret. A fratre Joanne de ſancta Anna Provinciæ tunc Caſtellæ Miniſtro, ad Vicariatum Conventus ſanctæ Eulaliæ Marchenæ, oppidi non vulgaris in Hiſpania, merito aſſumptus, tam prudenter & ſancte munus ſuum exequebatur, ut (veridica fama eum ubique deprædicante) Eugenius IV. ſummus Pontifex præfati loci Vicarium perpetuum conſtituerit, ne mutatione perſonæ in hujuſmodi regimine, Religioſorum profectus interturbaretur, quod non raro evenire ſolet: Florebat autem hoc anno MCCCCLX. & de eo agit Gonzaga.

Gonz. p. 3. de Provin. Betica Conventu ſeptimo.

VIII. Frater Jacobus a Caniana laicus erat Profeſſione, ſed vir eximiæ

„ miæ orationis, pietatis, patientiæ & ſanctitatis: Incola Conventus Ma-
„ ceratenſis in Picæno, tamdem obiit, ſed miro modo; etenim flexis ge-
„ nibus & junctis manibus, inter orandum, ſpiritum Deo reddidiſſe inven-
„ tus eſt. Eum refert Marcus Ulyſſiponenſis ad hunc annum MCCCCLX. &
„ Arturus in Martyrologio ad diem decimam nonam Decembris.

Idem de Provin. S. Angeli Conventu quarto.

„ IX. Exitum fere conſimilem alterius fratris Tornaretenſis, cujus
„ proprium nomen excidit, enarrat Gonzaga, qui agens de Conventu
„ ſanctæ Mariæ de Valle-aſpera ad Teſſam quarto in Provincia ſancti An-
„ geli, ſcripſit ut ſequitur. Jacet quoque hoc in ipſo loco Sanctus qui-
„ dam frater profeſſione laicus, ac patria Tornaretenſis, cujus tamen pro-
„ prium nomen ignoratur: Hic cum tempore maximæ cujuſdam peſtis
„ ad Conventus & ſarcinarum cuſtodiam a ceteris Fratribus ſolus relictus
„ eſſet, ab ipſis poſtmodum ea lue ceſſante redeuntibus, genibus compli-
„ catis, erecta cervice, extenſiſque in altum manibus, non ſecus ac ſi ora-
„ ret, exanimis in medio dormitorio inventus eſt anno MCCCCLX. Hæc
„ ille. Memoratur ab Arturo.

Marulus Spal. l. 4. hiſt. ſacr. Religionis.

„ X. Caſum mirabilem, atque Divinæ Miſericordiæ argumentum
„ evidentiſſimum enarrat Marulus Spalatenſis, loquens de Conventu Mi-
„ noritico Navis, Provinciæ Tuſciæ duodecimo, his verbis: Agebat in
„ præfato Conventu Novitium, ſuperſtite adhuc beato Patre Thoma de
„ Scarlino, nobilis quidam Juvenis Florentinus, qui vitæ ac Minoriticæ
„ paupertatis tædio affectus, ſeculi atque ejus illecebrarum repetitionem
„ meditabatur: & ecce, dum ante venerabile Euchariſtiæ Sacramentum
„ pro more genua flectit, ſomno corripitur; factuſque in extaſim vidit
„ Dominum ſibi improperantem, quod ſe relicto, mundum ſequi mallet,
„ ingratus interim opprobriis, flagellis, paupertati, nuditati, atque ama-
„ riſſimæ paſſioni, quam pro ſe atque reliquo genere humano liberando
„ perpeſſus eſſet: qui tamdem a ſomno excitatus, atque ad ſaniorem men-
„ tem reverſus, rem totam Patribus prodidit, veniamque expetens, con-
„ ſtantiſſime poſtmodum in Ordine perſeveravit atque ſanctiſſimam vitam
„ duxit. Hæc ille, quæ tamen ab ipſo Gonzaga tranſcripſit; hoc vero an-
„ no tertiodecimo ab obitu beati Thomæ de Scarlino præfatus Anonymus
„ Florentinus florebat, III. Nonas Auguſti, ad quam memoratur ab Ar-
„ turo.

Gonzaga de Provin. Concep. Monaſt. 3. fol. 879. Leonora a Caſtella ædificat Monaſt. Calabazanum.

„ XI. Sanctimoniales etiam plures, quæ Virgines prudentes & caſtæ
„ Chriſto Sponſo ſe conſecraverant, in Monaſterio Dominæ noſtræ de
„ Conſolatione oppidi Calabazanos, quatuor millibus paſſuum diſtantis ab
„ urbe Palentia, hoc tempore florebant; quam rem, ut ſcitu dignam, ex
„ Gonzaga clarius aperiemus. Conſtruxerat Leonora a Caſtella Petri
„ *Manriquii* Legionenſis Regni Præfecti, quem Hiſpani *Adelantado* vo-
„ cant, uxor in oppido Amuſco, Palentinæ diœceſis, Clariſſarum Mona-
„ ſterium anno Domini MCCCCXLIX. ad quod duas ſibi filias Religioſas
„ ejuſdem Inſtituti ex Aſtudino Monaſterio transferendas curavit: poſt
„ aliquot annos ex Viri morte Vidua relicta, filias ibidem habitu ſumpto
„ ſequuta eſt: & anno MCCCCLVIII. ex legitimis cauſis præfatum Monaſte-
„ rium, annuente Calixto III. ad oppidum *Calabazanos*, ſub titulo Do-
„ minæ noſtræ de Conſolatione, translatum eſt; cujus quidem ſanctitas
„ & Religio incredibilis fere videri poſſet, niſi hæc ab Incolarum vita
„ perſuaderetur. Hæ ſiquidem Sorores in cinere & cilicio Chriſto Sponſo
„ famulantes, eo die quo Dominico Corpori communicaturæ erant, num-
„ quam a mututinis cellulas repetebant; ſed quod noctis reſiduum erat, in
Cho-

„ Choro orationi inſtantes, vel humi proſtratæ vel ſedilibus hærentes in-
„ ſumebant: frugali menſa & parca admodum contentæ, majorem anni
„ partem jejuniis & abſtinentiæ conſecrabant: quo fiebat ut plures in ipſo
„ Virgines feliciſſime Domino his temporibus obſecundarent, & virtutum
„ odoramenta ex ea domo longe lateque diffunderentur.

„ XII. In Monaſterio ſanctæ Claræ Conchæ Camporum, Palentinæ
„ diœceſis, Provinciæ Conceptionis nono, floruit Joanna a Guevara:
„ fuerat illius Monaſterii domus ob devotionem in ſanctum Bernardinum
„ Senenſem opus Mariæ a Velaſco propriis in ædibus excitatum anno
„ MCCCCL. & ab Urbaniſtis Sororibus cultum ea ſpiritus felicitate, ut nil
„ minus præfato oppidi *Calabazanos* Regulari Obſervantia clareret: Sacris
„ Virginibus Chriſto deſponſatis locus erat paleſtra virtutum, nec eum fa-
„ cile ſecreto vel publice umbra vitii temerare audebat, maxime ſub Joan-
„ na a Guevara prima Abbatiſſa, quæ dies noctesque ſimul inter orandum
„ unire ſolebat: Hic erat ei ſuper gregem vigilandi mos, quo omnes dulci
„ ſub ſerula Monaſticæ diſciplinæ continebat; interea vero ad apicem vir- *Arturus ad diem 18. Junii.*
„ tutum conſcenſa, cum hoc anno clareret, ibidem ſarcina corporis reli-
„ cta properavit ad Sponſum, qui poſt obitum ejus ſanctimoniam miracu-
„ lis teſtatam voluit: poſt Gonzagam & alios de hac ſancta Virgine agit
„ Arturus in ſuo Martyrologio franciſcano. Moneo oppidum præfatum
„ Conchæ Camporum, Palentinæ diœceſis, diſtare Livia mille quingentis
„ paſſibus.

„ XIII. Tertius pariter ſancti Patris Franciſci Ordo ſuos etiam fructus *Bolland. ex tab. Archiduciſſæ Auſtriæ & Etruriæ SS. Tertiar. dedic.*
„ hac tempeſtate peropportune Deo offerebat, Mundoque oſtentabat in-
„ *Davan ſato* Florentino, qui pluribus virtutibus, præſertim humilitate,
„ contemplatione & oratione clarens, hoc anno MCCCCLX. die XVIII. Ja-
„ nuarii quievit in Domino, ut quædam Sanctorum & Beatorum ejuſdem
„ Inſtituti tabula publicat.

ARGUMENTUM.

Gabriel Veronenſis in Boemia, Bartholomæus Egreſanus Gratianopoli Inquiſitores, Angelus de Bulſeno in Etruria Nuncius, deſignantur. Martinus de Rothemburga in Germaniam amandatur pro liberando Cardinale Cuſano. Fridericus Imperator canonizationem urget Joannis Capiſtrani. Tria celebrantur Comitia Generalia. Florent Viri docti. Recenſentur Epiſcopi. Creſcunt domicilia.

I: PERNICIOSA Huſſitarum hæreſi latiſſime per Boemiam regioneſque vicinas hoc tempore ſe diffundente, Inquiſitorem inſtituit Pius Gabrielem Veronenſem, olim Capiſtrani ſidum ſocium & diligentem cooperarium, tunc in illis partibus Conſodalium Obſervantum per Boemiam, Poloniam & Auſtriam Vicarium. Inſtitutionis litteras produco, in quibus hoc ipſum officium Sedis Apoſtolicæ auctoritate exercuiſſe refertur. Gabriel Veronen. inſtituitur Inquiſitor per Boemiam.

Dilecto filio Gabrieli de Verona, Fratrum Minorum profeſſori, hæreticæ pravitatis Inquiſitori.

Apoſtolicæ Sedis providentia circumſpecta contra hæreticæ pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit ut cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundant, ſed in eorum verſutiis & pravis conatibus compeſcan- *Ex lib. 2. minori bullar. fol. 235.*

ſcantur, libenter intendit, & prout expedire cognoſcit, remedia adhibet opportuna. Cum itaque, ſicut ex fide dignorum relatione plurimorum nobis diſplicenter innotuit, in pleriſque regni Boemiæ & circumvicinis partibus nefanda Wicleffiſtarum ſeu Huſſitarum hæreſis, jam dudum per ſacrum Concilium Conſtantienſe damnata, in quo etiam auctores illius perfidiſſimæ ſectæ, viri impii, Joannes Huſ & Hieronymus, juſtitia exigente, igne conſumptè ſunt, ac deinceps per plures ſummos Pontifices Romanos prædeceſſores noſtros & Romanam Eccleſiam damnata, operante ſatore zizaniæ (proh dolor!) in dies erumpat, peſtiferumque virus fluum evomens, multorum ſimplicium animas ſuis tendiciis & palliatis coloribus, ſub prætextu ſimulatæ veritatis illaqueando decipiat, illas æterno ſatagens igni tranſmittere conſummandas: Nos huic veneno hæreſique nefariæ & labi peſtiferæ, quam ſupremis extingui affectibus anhelamus, omni ſalubri remedio quo poſſumus, occurrere cupientes, & ne hujuſmodi morbus inficiendo exereſcat ulterius, ſed cooperante Domino paſſim radicitus evellatur, ſalubriter providere volentes, ac ſperantes quod tu, quem tam magiſtra rerum experientia, quam etiam teſtimoniis fide dignis accepimus, jam per plures annos ad extirpationem ejuſdem perfidiæ etiam Apoſtolica deſuper auctoritate ſuffultum conſtanter laboraſſe, pro fidei zelo, Religionis devotione, vitæ munditia, & aliis multiplicum virtutum meritis, quibus te inſignivit Altiſſimus, per tuæ ſollicitudinis ſtudium lobem hujuſmodi extirpare, & orthodoxæ fidei fructuoſos palmites tranſplantare pro tua virilitate conaberis, tibi contra quoſcumque hæreticos eorumque adhærentes, complices & fautores, atque receptatores eorumdem, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis, conditionis vel præeminentiæ, etiamſi Communitates, Univerſitates & municipia fuerint, ubique locorum eos eſſe compereris, inquirendi, ac una cum Ordinariis, prout juris fuerit, procedendi, eos capiendi & carceribus mancipandi, ac juxta canonicas Sanctiones & ſanctorum Patrum inſtituta, prout cujuſque qualitas delicti exegerit, puniendi, ac brachium ſeculare, ſi opus fuerit, contra eoſdem invocandi, necnon ad veritatis lumen redire, aut hujuſmodi hæreſim abjurare volentes, ſi alias relapſi non fuerint, receptis ab ipſis prius abjuratione hæreſis & errorum hujuſmodi legitime & publice facienda, præſtandoque per eos juramento, quod talia deinceps non committent, nec talia vel alia committentibus iis ſimilia ſeu adhærentibus conſilium, auxilium ac favorem per ſe vel alios præſtabunt, ac alias in forma Eccleſiæ conſueta abſolvendi, ad noſtrum & ejuſdem Eccleſiæ gremium, necnon gratiam & benedictionem prædictæ Sedis reſtituendi & reponendi, omniaque alia & ſingula, quæ ad hujuſmodi peſtem reprimendam & radicitus extirpandam opportuna eſſe quomodolibet dignoſcantur, ac ad officium Inquiſitoris tam de jure, quam conſuetudine pertinet, faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi & exequendi, & ad præmiſſa omnia & ſingula, ſi & quando expedire videris, viros aptos & idoneos cum ſimili vel limitata facultate aſſumendi, ſubdelegandi ac deputandi, ipſoſque quoties tibi opportunum videbitur, revocandi, & loco ipſorum alios ſimiliter idoneos deputandi, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Igitur, fili dilecte, hoc onus per nos tibi injunctum, ad honorem Dei & animarum ſalutem cum omni promptitudine ſuſcipiens, ſtudeas ſic effeaciter ſicque diligenter illud exequi, ut per ſollicitudinis tuæ ſolertiam, radix hæreticæ pravitatis penitus evellatur, & vinea Domini Sabaoth fructus afferat Catholicæ puritatis, tuque exinde apud nos & dictam Sedem valeas non immerito commendari. Per hujuſmodi autem commiſſionem per nos tibi factam, locorum Ordinariis, quo minus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prædicta, prout

vo-

volunt dictæ canonicæ Sanctiones, exercere valeant, & quibuslibet privilegiis tibi tuoque Ordini, vel quibuſvis Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ſi qui ſint, a dicta Sede forſan conceſſis, nullum volumus præjudicium generari. Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno MCCCCLX. *anno* III.

EIDEM.

II. *AD ea quæ propagationem & incrementum Catholicæ fidei reſpiciunt, intenſis invigilamus affectibus, & iis, ut ſalutarem conſequantur effectum, Apoſtolicos favores libenter impertimur. Cum itaque, ſicut fideli relatione percepimus, tu exemplo vitæ, & prædicatione verbi Dei, hominum terrore depoſito, ſalutares fructus continue in Dei Eccleſia parere ſtudes, & ad extirpationem hæreſum, & præcipue nefandæ Huſſitarum ſectæ, quæ (proh dolor!) diebus iſtis, veluti cancer ſerpens per Boemiæ regnum & partes illi adjacentes, operante ſuaſore malorum, ſua venena diffudit in multarum perniciem animarum, non ſine tuæ vitæ ac ſociorum periculo ferventer ineumbis; Nos, qui Catholicam fidem noſtris potiſſime temporibus augeri, & hæreſes quaſcumque exterminari, necnon eos, qui in agro Evangelicæ prædicationis laborant, tutos & ſecuros eſſe a malorum hominum occurſibus deſideramus, tibi ut omnibus & ſingulis, te per loca non tuta ac periculoſa aſſociantibus, ac ſalvum conductum & fidelem aſſiſtentiam præſtantibus, quando ita expedire rebus gerendis cognoveris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, quod idoneos eligere poſſint confeſſores, qui confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, eos ab omnibus & ſingulis criminibus, exceſſibus & peccatis, præterquam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, toties quoties, durante quinquennio, & ubi perſonarum qualitas forte exigeret aut periculum immineret, etiam in ipſis reſervatis, præterquam per nos exceptis caſibus, & ſimiliter cum plenaria remiſſione ſemel dumtaxat in foro conſcientiæ, & in forma Eccleſiæ conſueta, abſolvere valeant, concedendi plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem: præſentibus poſt quinquennium minime valituris. Datum Romæ apud ſanctum Marcum anno &c.* MCCCCLX. XIII. *Kalend. Aprilis, anno* III.

Ibid. fol. 149.

III. Alium invenio deſtinatum huic muneri obeundo in partibus Gratianopolitanis fratrem Bartholomæum Egreſanum, virum doctum & Dei legis zelum habentem. Bulla excidit inſtitutionis. Angelum etiam de Bulſeno lego hoc anno inſtitutum Nuncium & collectorem in toto Florentinorum dominio, exceptis diœceſibus Lunenſi, Piſana, Piſtorienſi & Vulterrana, juxta formam, qua diximus alias in aliis locis deſignatum.

Fr. Bartholom. Inquiſitor Gratianopolitanus. Angelus Vulſinus Nuncius & Collector.

IV. Sigiſmundus Auſtriæ Dux, Nicolai Cardinalis Cuſani Epiſcopi Brixinenſis infenſiſſimus inimicus, direpta Eccleſia, incenſis caſtris, ipſum cepit & carceri mancipavit, eaque perpetravit, auctore ſceleſtiſſimo homine Gregorio de Heimburg, ut diris eum devoverit Pontifex, & de amborum fidei integritate plerique dubitarint. Graviſſimis prolatis cenſuris, miſſiſque, qui furentum exceſſus reprimerent, modis omnibus conatus eſt Pontifex Cardinalem liberare: Amandatus eſt, ut ſententiam fulminaret Martinus de Rotemburga Minorita; ſed dum Sigiſmundi ſatellites ejus vitæ inſidiantur, his ei litteris Pontifex fidelium implorat auxilium.

Dux Auſtriæ capit Cardinalem Cuſanum. Eum liberaturus mittitur fr. Martinus de Rotemburga.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

V. *MIttentes nuper ad Alemanniæ partes dilectum filium fratrem Martinum de Rotemburga, Ordinis Fratrum Minorum, pro verbi*

Lib. 36. bullar. fol. 20.

verbi Dei prædicatione & fidelium animarum ſalute, ne perfidi Sigiſmundi ex Auſtriæ Principibus, ſuorumque ſatellitum & adhærentium, neenon hæreſiarchæ illius Gregorii de Heimburg erroribus contaminarentur, ac etiam ad publicandos proceſſus noſtros contra prædictos dudum emanatos, accepimus eumdem fratrem Martinum injunctum ſibi miniſterium hactenus laudabiliter peregiſſe, ac confidi, quod id etiam deinceps debite continuabit, Chriſto animas lucrifaciendo: Cumque idem frater Martinus, uti etiam accepimus, propter præmiſſa perverſorum patitur in dies quamplures inſidias corporales; Nos igitur omnibus & ſingulis Chriſtifidelibus, qui eumdem fratrem Martinum in ſui miniſterii executione protegerint, hoſpitio receperint, ac eidem de neceſſitatibus providerint, aut ipſius ſecuritatis cauſa, eum eum de loco ad locum ob ſupradicta iter facere contigerit, conduxerint, aſſociaverint, ſibique humanitatis ſolatia exhibuerint, quoties id egerint, duos annos & totidem quadrageuas de injunctis eis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta miſericorditer relaxamus, præſentibus poſt uniut anni ſpatium minime valituris. Datum Romæ &c. VIII. *Kal. Novembris* MCCCCLXI. *anno* IV.

Fridericus Imperator ſcribit pro canonizatione Capiſtrani.

VI. Non deſtiterunt Fratres urgere apud Reges & Principes beati viri Joannis Capiſtranenſis canonizationem, eoque diligentius ſollicitabant, quo opportunius judicarunt eam promovere apud Pontificem tum Ordini addictiſſimum, tum Capiſtrano familiariſſimum. Has reperio litteras a Friderico Imperatore in hunc finem conceſſas.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, D. Pio II. Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac Univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, D. N. Reverendiſſimo.

Ex autographo.

Beatiſſime Pater, Domine Reverendiſſime. Religioſi Fratres Gabriel de Verona, ceterique Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia communiter nuncupatorum, in terris noſtris hæreditariis conſtituti, doctrinam fructiferam, morum quoque & beatæ vitæ converſationem bonæ memoriæ fratris Joannis de Capiſtrano, ejuſdem Ordinis, dum vixit, profeſſi, quos dudum laudabiles novimus ab experto, nobis ad memoriam ſincerit affectibus reducentes, tanto nos ergo illum amoris fervore accendere, ut quem viventem in ſeculo libenter colebamus, & nunc mortuum, quantum decuerit, ex intimis deſideramus venerari. Cum itaque, Beatiſſime Pater, præfatum fratrem Joannem de Capiſtrano, nedum in vita ſolum, verum & ab humanis exutum claruiſſe & coruſcare miraculis & prodigiis fama exclamat, ut arbitramur, merito benigne conſideranda; Sanctitatem Veſtram ea, qua poſſumus, devotione obſecramus, quateuus ſi negotium canonizationis illius apud S. V. & ſanctam Sedem Apoſtolicam agitari forſitan contigerit, etiam harum precum noſtrarum intuitu, proceſſus in hujuſmodi obſervari ſolitos, citius inſtituere, favorabili ex ſolita Beatitudinis Veſtræ clementia, rem ipſam committere ac dirigere mandare dignetur, adeo ut noſtram in his ſentiamus exauditam affectionem, ne inter alios forſitan pro hac re petituros, reputemur poſteriores, nobis ad exauditionem gratiſſimam pro ſingulari beneficio retognoſcendam. Datum XXIV. *Octobris anno* MCCCCLXI.

Ejuſ-

Ejuſdem Imperatoris ad Principes Epiſtola.

FRIDERICUS, Divina favente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Rex, Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ Dux, Comes Tiroli &c.

Univerſis & ſingulis Orthodoxæ fidei cultoribus Regibus Fratribus noſtris cariſſimis ſalutem, regnorum veſtrorum felicia incrementa, & fraterni amoris continuum incrementum; necnon Eccleſiaſticis & ſecularibus tum Electoribus, tum aliis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Miniſtris, Officialibus, Burgimagiſtris, Præſidibus, ac locorum quorumcumque Gubernatoribus, & Communitatum, ceteriſque noſtris & ſacri Imperii fidelibus dilectis, gratiam noſtram Cæſaream & omne bonum.

VII. *Sereniſſimi Reges, Fratres cariſſimi, venerandi, Illuſtres, generoſi, nobiles atque fideles dilecti. Doctrinam ſalutarem, morum & vitæ ſanctimoniam, quibus bonæ memoriæ frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum profeſſus, Regna, ditionem & terras noſtras, dum ageret in humanis, quemadmodum agnovimus ab experto, rigavit, facunditate commendabili ſubſecuta, intra mentis noſtræ areana interna meditatione penſantes, dignam arbitramur, ut quem libenter colebamus viventem in terris, nunc etiam a nobis ſublatum, pro noſtra decentia ſtudeamus venerari. Quod tanto libentius pro noſtra poſſibilitate exquirimus, quo tanti Viri multum, ut diximus, commendabilem vitam in terris, & poſt ejus tranſitum ipſum miraculis & prodigiis plurimorum fida relatione percepimus coruſcare. Cum itaque pro ipſius canonizatione affectus & deſideria noſtros ſanctæ tranſmittimus Apoſtolicæ Sedi, vos ſupradictos omnes & ſingulos, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, hortamur, quatenus pro Dei honore, & pro tam venerandi Viri ac operis hujuſmodi pietate, vobiſque ad gratiam complectentem, propoſito noſtro prædicto & favores impendere velitis, & auxilia promotivos, a Domino mercedem, atque a nobis gratiarum actiones recepturi condignas. Datum in oppido noſtro Gratz, ſub noſtri Imperialis ſigilli appenſione teſtimonio harum* XXIV. *menſis Octobris, anno Domini* MCCCCLXI. *Regnorum noſtrorum Romani* XXII. *Imperii* X. *undecimo Indictione.* *Ibidem.*

VIII. Hujus Capiſtranenſis Magiſtrum, Bernardinum Senenſem, ſuum compatriotam, duplici hoc anno Pius cohoneſtavit elogio, primo in bulla canonizationis ſanctæ Catarinæ Senenſis, ſecundo in ſuis commentariis, modo illius ſint, non Gobelini. Utrumque hic exſcribo. Elogia Pii II. de S. Bernardino Senenſi.

Inter alios autem, qui Deo placuerunt, & Divinam nobis clementiam placaverunt, urbs Senæ inter Etruſcos nobilis, ætate noſtra Bernardinum aluit, qui nobili loco natus, in adoleſcentiæ flore, mundo renunciavit, & ingreſſus beati Franciſci Religionem, tum Fratres ſui Ordinis procul abeſſe ab inſtitutis & Regula Patris reperiſſet, eos acriter correxit. Et tum eos omnes in viam reducere non poſſet, ſequeſtratis pluribus, quibus Regulam reſervare placuit, cum his Cœnobia frequentavit, quæ multa de novo correxit, & ſanctiſſimis Inſtitutis reformavit. Circuivit Italiam prædicando, vitia eliminavit, virtutes erexit. Mira ejus abſtinentia fuit, mira integritas, moderata gravitas, eloquii multa ſuavitas, multa doctrina. Et quoniam verus erat pau- *Ex bulla canoniz. S. Catarinæ Senen.*

paupertatis cultor, hoſtis pecuniæ, & omnium deliciarum inimicus, ſemper in ejus vultu ingens alacritas emicuit, & in mente ſumma quies, ut qui ſola innocentia gaudebat, nullius ſibi conſcius criminis, ſcandalis quampluribus in Italia obviavit, & multa miracula perpetravit, propter quæ adhuc vivens ſanctus habebatur, & miro plebium colebatur honore, nuſquam ſine populi frequentia & ſingulari reverentia receptus. Qui cum apud Aquilam Marſorum urbem, hujus vitæ curſum peregiſſet, a Nicolao V. prædeceſſore noſtro ipſo Jubilæi anno, cum Chriſtianus orbis ad purgandas vitiorum ſordes frequens Urbem inviſeret, inter Sanctos Chriſti Confeſſores relatus eſt.

Ex comen. Pii II. lib. 3.

IX. *Duo fuerunt eodem tempore viri apud Senenſes, moribus prorſus diſpares, Bernardinus & Antonius: ille optimus ſacræ Theologiæ Magiſter, canonicique juris Doctor, valde adhuc juvenis effectus, ſacram militiam in Ordine Minorum ſectatus eſt: hic peſſimus nihil unquam niſi arma ad quodcumque facinus parata geſtavit: ille prædicator eloquentia ac ſuavitate ſermonis, gravitateque præſtans, quocumque venit tanta cum hominum frequentia ut cum Eccleſiæ multitudinem non caperent, in plateis pulpita collocaverntur, pacem prædicavit; hic nulli ſervans fidem, belli ſemina ſparſit: ille nihil aliad curabat, niſi quæ ad religionem pertinent, ſecularium nihil cupiens: hic religionis contemptor nihil ſibi ſatis eſſe putabat: illum virginem obiiſſe prodiderunt: hic nullam Venerem intentatam reliquit: denique ille ſuis obediens ſuperioribus reformata Divi Franciſci Regula, vita auſteriore inſtituta, ſacratiſſimum Dei Jeſu nomen, in quadam tribus litteris depictum tabella circumferens, dum omnes homines hortatur, ut illud propriis in domibus ad dæmones expellendos ſervarent, omnibus amatus e vita deceſſit, & inter Chriſti Sanctos Confeſſores a Nicolao V. relatus eſt: hunc contumacem, omnibus odioſum &c.*

Capitulum Generale Divione 30. *Rodul. fol. 244 Marian. f. c. 14. Marc. 3. p. l. 4. c. 32.*

X. Tria hoc anno celebrata ſunt Capitula Generalia Ordinis Minorum. Primum PP. Conventualium Divione in Ducatu Burgundiæ, uti vere habet Rodulphus, non autem Aſſiſii, uti ſcribunt Marianus & Marcus, in quo confirmatus eſt Miniſter Generalis Jacobus a Sarzuela. Refrigeſcente erga hos Patres populorum caritate, pro ſumptibus Capituli fuit neceſſarium imponere cuilibet Conventui, videlicet ex majoribus, taxam ſexdecim aureorum. Acta hujus capituli perierunt.

Capit. Generale Obſervan. Ciſmontanorum 8.

XI. Secundum fuit Patrum Obſervantum, in Conventu antiquo Auximano Virginis Annunciatæ, Provinciæ Picenæ, die 1. Maii celebratum. Illuc profecturus Baptiſta Vicarius Generalis, per Berardum Herulum Cardinalem Spoletanum, ita ab Epiſcopatu ſibi commiſſo nuncupatum, obtinuit a Pontifice vivæ vocis oraculo, ut libere quem vellent Fratres Vicarium eligerent, uti ſub Eugenio fiebat, & electus ſtatim officium exerceret, quantumvis Miniſter Generalis confirmare differret. Id jam conceſſum videbatur per conſtitutionem Pii, qua Eugenianam reſtituit, voluit tamen Vicarius in cautela potius abundare. Deinde impetravit committi Capitulo plenam auctoriratem circa diſpoſitionem aut unionem Provinciæ Terræ Sanctæ & locorum Orientalium, & inſularum Rhodianæ & Cretenſis, necnon circa componendas moleſtas controverſias Provinciæ Dalmatiæ & Vicariæ Boſnenſis. Commiſſionis hoc eſt exemplar.

Dilectis filiis Vicariis Generali & Provincialibus, ceteriſque Vocalibus Ordinis Minorum de Obſervantia, in Generali Capitulo apud Auximum congregandis.

XII. *Et cunctos Religioſos in ſuis obſervantiis pro debito paſtoralis officii libenter proſequamur ſubſidiis & favoribus opportunis, ex ſpeciali tamen fervore devotionis, quam gerimus ad beatum Franciſcum, & ejus Ordinis ac Obſervantiæ profeſſores, univerſæ familiæ veſtræ ex corde tanto magis afficimur, quanto ex illo populo Chriſtiano jugiter cernimus prodiiſſe fructus uberiores, quibus non modicum in Domino conſolamur. Quapropter veſtris piis precibus inclinati, ut in Capitulo veſtro in Civitate noſtra Auximi celebrando, menſe Maii proxime adventuro, omnia & ſingula a vobis tractentur, ordinentur & diſponantur ſecundum Ordinis veſtri ac Regularis Obſervantiæ bonum & profectum, veſtris ſupplicationibus inclinati, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica vobis infraſcripta concedimus, indulgemus, committimus & declaramus. Primo videlicet ut de locis ſacratiſſimi Montis Sion, Sepulcri Dominici, Bethlehem vel aliis Terræ ſanctæ, loco Rhodi, Provincia Cretæ, vel aliis Provinciis aut locis diſſingendis denuo, aut applicandis vel ordinandis, pro meliori & quietiori ſive commodiori regimine, aut ſanctiori Obſervantia diſponere & ordinare poſſitis, omnimodam vobis concedimus auctoritatem & facultatem. Secundo, ut omnes & ſingulas differentias Provinciarum veſtrarum, & præſertim inter Provinciam Dalmatinam, & Vicariam Boſnenſem, ſive de locis vel Conventibus factis aut fiendis uni magis quam alteri parti per vos adjudicandis vel attribuendis, ſive de terminis Provinciarum & commodis, aſibus, queſtis vel auctoritatibus quibuſcumque, libere & licite, tam ex veſtra ordinaria poteſtate, quam ex noſtra & Apoſtolicæ Sedis commiſſione audire, diſcatere, componere, judicare, decidere & determinare valeatis, de majoris partis veſtri Capituli conſilio, judicio, & aſſenſu, prout pacti, bono, quieti ipſarum partium, Provinciarum vel locorum vobis videbitur convenire. Non obſtante conſtitutione ſeu exemptione per nos facta Vicariæ Boſnæ, cujus tenorem hic pro ſufficienter expreſſo habemus, & ceteris in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* XXVI. *Januarii* MCCCCLXI. *Pontificatus noſtri anno* III. *Ex regiſt. Ordin.*

XIII. In hoc Capitulo electus eſt Vicarius Generalis Ludovicus Vincentinus Provinciæ ſancti Antonii, vir venerabilis, religioſus & doctus, qui inter alia vitam ſancti Bernardini compoſuit, quæ per aliquot annos in choro legebatur. Guardianus Montis-Sion inſtitutus eſt Gabriel Mezzavacca Bononienſis; Provinciæ Terræ Sanctæ, Candiæ & locorum Orientalium, auctoritate Pontificia unitorum, Vicarius Raymundus Venetus. Boſnenſium & Dalmatinorum controverſia non potuit terminari, ad quam ſedandam neceſſe fuit ipſum Vicarium Ludovicum anno ſequenti eo proficiſci, & utroſque ſub unum caput Italicum congregare. Hujus Capituli acta cum reliquis capitularibus dabimus opportunius. Inter reliqua decreverunt, ut feſtum Viſitationis beatæ Mariæ cum octava celebraretur, & de feſtis Transfigurationis, ſancti Joſeph, ſancti Vincentii Ordinis Prædicatorum, & ſancti Nicolai Tolentinatis fieret deinceps officium; & cum dubitaretur, quo ritu celebrari deberent feſta peculiaria locorum, in quibus Fratres morabantur, Pontifex declaravit duplicium ritu peragenda. *Fit Vicarius Generalis Ludovicus Vincentinus.*

XIV. Electus Vicarius Ludovicus ſtatim miſit in Burgundiam Andream de

de Zutphana Vicarium Corſicanum, qui ſequentes perferret litteras ad Miniſtrum Generalem pro obtinenda electionis confirmatione, aliaſque dedit ad Magiſtros Nicolaum Spinellum & Franciſchinum Savonenſem, ejuſdem Miniſtri coadminiſtros, ut faciliori expeditioni aditum aperirent.

Petit confirmationem a Miniſtro Generali.

Reverendiſſimo Patri fratri Jacobo de Sarzuela ſacræ Theologiæ Magiſtro, totius Ordinis Minorum Miniſtro Generali &c.

Ex regiſtr. Ordinis.

REverendiſſime in Chriſto Pater, humillima ac filiali recommendatione præmiſſa. Inde mihi grande munus ucceſſurum conjecto, cum tuæ Reverendiſi. P. animum clementiſſimum erga me totamque familiam intellexeram, ut non dubitem imparem humeris meis facultatem gravequc pondus injunctum, facilius oppido me perlaturum, potiſſimum cum id mihi ſemper perjucundum extiterit, & ſingulari ſtudio conquiſitum, ut Præpoſitorum gratiam, e quibus tamquam ex capite Aaron cujuſvis benedictionis liquor derivatur in ſubditos, in Chriſto revcrenter ſuſpiciam. At in præſentiarum major uccciſitas majora favoris petit incrementa. Precor igitur exoroque pro mea virili Tuam Reverendiſſimam P. ut filiorum devotionem ſuſcipiens, ſic nos paterna benevolentia & pietate proſequaris, quod nos quoque in te liberorum officium, quemadmodum vehementer optamus, exercuiſſe conducat; hic enim muneribus, quibus nihil in hac vita dulcius, nihil domi ſalubrius foriſve conſultius, ſic nos Chriſti amor devinciat, ut & tu Pater, & nos Filii apud Deum & homines ſuaviſſimo cum odore vivamus. Et quod in primis Deiſervis queritandum eſt diebus his noſtris peſſimis, in quibus ad ſummum abundavit iniquitas, ita pax & concordia fovebitur, quod de terris penitus exulaſſe non apparebit. Ad hæc preces precibus addens ſupplico, ut decretum electionis de me quamvis immerito, factæ, juxta totius præſentis Congregationis rogatus, Apoſtolicæque proviſionis tenorem confirmare tuo Reverendiſſima P. dignetur; cui profecto in his omnibus, quæ Vicariatus mei opus concernent, aut filiale obſequium, ſemper paratiſſimus ero. Demum ne brevis ſermo diminuat, quod omnium noſtrum cordibus inſidet, ſic nos velim Reverendiſſima tua P. ſibi deditiſſimos intelligat, ut nihil ſit, quod pro tua laude, gloria, commodo & ſalute aliquando ſubiiſſe nos pigeat. Valeat Reverendiſſima P. tua, quam Deus nobis conſervet in ſoſpitate utriuſque hominis. Ex loco noſtro Annunciatæ apud Auximum in Provincia Marchiæ 11. *Martii* MCCCCLXI.

Annuit Miniſter.

XV. Reſpondit comiter & amice Miniſter Generalis, & abſque ulla mora miſit hoc confirmatæ electionis inſtrumentum.

In Chriſto ſibi cariſſimo fratri, & merito Reverendo Patri Ludovico de Vincentia, frater Jacobus de Sarzuela ſacræ Theologiæ Magiſter, necnon Ordinis ſacri Minorum Generalis Miniſter & ſervus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam.

CUm in Conventu Annunciatæ prope Auximum Provinciæ Marchiæ, Fratres de Obſervantia partium Citramontanarum ejuſdem Ordinis noſtri anno Domini MCCCCLXI. *prima die Maii, Apoſtolica auctoritate capitulariter convenerint, prout ex præſentatione mihi humiliter facta pleniſſime conſtat, fuerituc in illa præſentatione tam humiliter, quam devote ſupplicatum, quatenus te in meum jam dictum Vicarium quoad ipſos Fratres præfa-*

fatos confirmare dignarer. Volens igitur Apoſtolicis parere mandatis, & Obſervantiæ Regulari favere pro viribus, ſicuti eorum vita laudabilis meretur & requirit, præſentationi præfatæ & poſtulationi benigne condeſcendens, hanc electionem approbando, te, de cujus probitate, Religionis zelo, ſcientia, diſcretione multiplicique ſufficientia confido, in meum Vicarium Generalem Ultramontanum quoad Fratres omnes de Obſervantia vulgariter nuncupatos, confirmo & confirmatam denuncio per præſentes: mandans tibi & præcipiens, quantum mihi incumbit, ad meritum obedientiæ ſalutaris, ut præfatum Vicariatus officium ſecundum ritum ipſius Obſervantiæ Regularis exerceas, dando tibi omnem auctoritatem meam in utroque foro quoad totius dicti gregis Obſervantiæ Ultramontanæ gubernationem, & totale regimen peragendum; & ad meæ conſcientiæ exonerationem, tuæ diſcretioni ipſos regendos integraliter & ſine exceptione, prout in bullis Apoſtolicis ſuper hoc confectis expreſſe cavetur, ſpontanee derelinquo, præcipiens inſuper omnibus & ſingulis præſentibus & futuris Fratribus dictæ familiæ per obedientiam ſalutarem, ut tibi tamquam perſonæ meæ abſque ulla exceptione & contradictione, ut præfertur, pareant & obediant cum effectu. Vale in Chriſto Jeſu, & ora pro me. Datum Divione tempore noſtræ Generalis Congregationis, ſub ſigillo mei Generalatus officii, feria IV. *poſt Pentecoſten, anno quo ſupra.*

XVI. Tertium, quod diximus, Capitulum Generale celebrarunt Patres Obſervantes Ultramontani ſub feſtum Pentecoſtes in Conventu Salamantino, in quo ſuum officium abſoluit & dimiſit frater Joannes Mogin, ſubſtitutuſque eſt frater Zegerus Duſclare de Dixmuda Vicarius Provinciæ Franciæ, olim in Romana Curia pro familia Ultramontana Obſervantum Commiſſarius. Multa hic decreta ſunt, quæ cum reliquis Ordinis ſtatutis dabimus ſeparatim.

Capitulum Generale Obſervãtum Ultramont. octavum.

XVII. Floruerunt hoc anno doctrina inter Patres Conventuales in Provincia Calabriæ Franciſcus de Seminaria, Miniſter Calabriæ, ſubſtitutus ſuo conterraneo Guillelmo, a ſuo regimine per Joannem de Segura, Miniſtri Generalis Commiſſarium, abſoluto. Joannes Antonius de Crema Provinciæ Mediolanenſis. In Provincia ſancti Franciſci Petrus Fulginas ſacræ Theologiæ Magiſter, olim Provinciarum Terræ Sanctæ, Romaniæ & ſancti Franciſci Miniſter, qui hoc anno deceſſit in ſacro Conventu Aſſiſii. Inter Obſervantes Barnabas Interamnenſis, ejuſdem Provinciæ ſancti Franciſci Vicarius. Petrus Maurocenus nobilis Venetus Provinciæ ſancti Antonii, qui hoc anno perfunctus eſt Vicariatu Dalmatino, cui ſuffectus eſt Chriſtophorus Benna de Pyrrhano.

Florent viri docti ex Conventualibus.

Et ex Obſervantibus.

XVIII. Iſtorum hoc anno Antiſtitum occurrit memoria, Roderici Epiſcopi Malacitani in Hiſpania, ſub Archiep. Hiſpalenſi, & Joannis Epiſcopi Salonen. in partibus infidelium, ſub Archiep. Athenienſi, ſuffraganei Epiſcopi Friſingenſis. Roderici Demitriaden. in Theſſalonica, ſub Archiep. Lariſſeno. Rogerii de Arella Epiſcopi Solubrien. Eccleſiæ in confinibus Hungariæ, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, paulo antea ab infidelibus occupatæ, per obitum Gregorii, XV. Kalendas Junii. Conceduntur ei fructus Eccleſiæ Salpienſis unitæ menſæ Archiepiſcopali Tranenſi. Jacobi de Padula Epiſcopi Carthaginenſis in Africa.

Fr. Roderiens Epiſcopus Malacitanus. Fr. Joan. Salonen. Fr. Roderic. Demitriaden. Fr. Roger. Solubrien.

Fr. Jacob. Carthagin.

XIX. Nimis moleſtum & periculoſum probarunt Fratres ſibi fuiſſe regimen Sororum Tertii Ordinis, Bizocharum vulgariter nuncupatarum. Rigoroſo itaque decreto ſtatuerunt, ne deinceps illarum curam admitterent ſuperiores. Nihilominus acriter decertandum erat cum Epiſcopo Cornetano, Gubernatore Peruſino, qui hujus Inſtituti domum Corneti extructam,

Agunt Obſervãtes de dimittenda cura Sororum Tertii Ordinis.

inſtantiſſime cupiebat a Fratribus gubernari, nec ſufficiebat toties data repulſa, ut urgere deſiſteret, alias Fratribus addictiſſimus. Aretii, Magiſter Paulus Lucenſis Vicarius Provinciæ Tuſciæ earum curam ablegavit, multiſque in locis id ipſum ſuadebat Ludovicus Vicarius Generalis, ſuaſitque Baptiſta prædeceſſor. Ægre etiam omnes ferebant tantam undique diſcurrendi fœminarum licentiam, & ſuo ſtatui minime convenientem viſitandi poteſtatem Miniſtræ Generali conceſſam. Egerunt itaque cum Pontifice ut inane & indecens mulieri officium tolleretur. Annuit ille, dato hoc diplomate.

Dilectis filiis Vicariis Generali & Provincialibus Ordinis Minorum B. Francisci de Obſervantia &c.

Ex autographo. XX. *UT tollatur diſcurſus Sororum Tertii Ordinis de Congregationibus veſtræ curæ commiſſis, videlicet ſanctæ Annæ de Fuligineo, ſancti Houofrii de Florentia, ſancti Quirini de Aſſiſio, ſanctæ Margaritæ de_, Aſculo, ſanctæ Agnetis de Viterbio, ſancti Antonii de Peruſio, ſanctæ Eliſabeth de Aquila, ſanctæ Mariæ de Ancona, & ſanctæ Claræ de Reate, quæ omnes hactenus conveuire ſolebant ſingulis trienniis ad eligendam & præficiendam ſibi unam Generalem Miniſtram, quæ etiam cum nonnullis hinc inde Sororibus diſcurrendo viſitabat, miniſteriatus officia adimplendo, juxta conceſſiones ſibi factas per ſummos Pontifices ſel. rec. Martinum V. & Eugenium IV. prædeceſſores noſtros, quibus pro honeſtate ipſarum ſervanda in hac parte tantummodo derogamus, quia periculoſum & minus honeſtum eſt mulieribus, præſertim juvenculis, per alienas diſcurſare ſedes; veſtris & earumdem Congregationum ſupplicationibus annuentes, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica concedimus & declaramus atque decernimus, ut amota præſenti Generali Miniſtra amodo nulla alia eligatur, ſed unaquæque dictarum Congregationum Miniſtra in familia ſibi commiſſa, omnibus & ſingulis privilegiis &c. gaudeat, quibus ipſa Generalis Miniſtra in ſuo officio & in omnibus utebatur, univerſis & ſingulis libertatibus & indultis Tertio Ordini beati Francisci, & Congregationibus ipſis ab Apoſtolica Sede conceſſis in ſuo robore permanſuris.*

Cõceduntur eadem privilegia Conventui Portiunculæ quæ S. Franciſci Aſſiſi. Conv. Narnienſis. XXI. *Præterea declaramus & volumus, vobiſque per præſentes concedimus, quatenus Vicarius Proviuciæ ſancti Franciſci, & Guardianus ſanctæ Mariæ de Portiuncula ſive de Angelis prope Aſſiſium cum ſuis Fratribus libere & licite utantur & gaudeant omnibus & ſinguiis privilegiis & conceſſionibus Apoſtolicis factis Conventui ſancti Franciſci de Aſſiſio, quibus utuntur & gaudent in dicto Conventu Miniſter & Guardiauus Conventualium, ſicut hactenus ſervatum eſt; illis tamen exceptis, quæ Regulari Obſervantiæ ſunt contraria: Iu contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die* III. *Decembris* MCCCCLXI. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Supra n.12. XXII. Berardus de Erulis Cardinalis Spoletanus, de quo paulo antea locuti ſumus, extra urbem Narnienſem, in qua natus eſt, pulchrum cœpit Cœnobium ſub ſancti Hieronymi appellatione Obſervantibus ædificare; quod poſt aliquot annos Jacobus Cardinalis Papienſis ad illum ſcribens, his verbis commendavit: *Proximo Februario cum Narnia iter agerem, contemplatus ſum opus Cœnobii veſtra cura erectum, Fratrum frequentia, & ſtructura ipſa inſigne. Benedixi nomini veſtro.* Fundum conceſſerat pia Mancinella familia, reliqua Cardinalis adjecit, opuſque perfecit ſub Sixto IV. om-

Papien. ep. 454. an. 1472.

omnibus admirantibus quomodo vir mediocris facultatis frugaliſque vitæ, opus hoc & alia quæ generoſe abſoluit, auſit intentare. Vocati hoc anno Fratres ad inhabitandum, renuerunt venire, dicentes, opus magnificentius eſſe, quam illorum ſtatui convenit: adeoque ſæpe interpellanti tenaciter reſtiterunt, ut prius minis agendum fuerit, ſe ſcilicet ex Conventu ſancti Pauli prope Spoletum, ſui Epiſcopatus Sedem, eos ejecturum, quos paulo antea introduxit, deinde ad Pontificem recurrendum, ut flecteret renitentes. Demum juſſus parere Vicarius Generalis, nolentes introduxit. Varias hinc inde legi in regeſto Ordinis epiſtolas hujus argumenti.

XXIII. Ex iis aperte liquet, jam poſſediſſe Fratres Cœnobium prædictum ſancti Pauli, prius, uti alias indicavi, Clariſſarum habitaculum. Antiquiſſima eſt Eccleſia, quippe de qua ſanctus Gregorius inſigne illud miraculum reprobatæ a Deo perfidiæ narrat Arianæ, quod ipſius verbis plene hic referre non pigebit: *Cum ad Spoletanam urbem, Longobardorum Epiſcopus, ſcilicet Arianus veniſſet, & locum illic, ubi ſolemnia ſua ageret, non haberet, cœpit ab ejus Civitatis Epiſcopo Eccleſiam petere, quam ſuo errori dedicaret. Quod dum valde Epiſcopus negaret, idem qui venerat Arianus, beati Pauli Apoſtoli Eccleſiam illic eminus ſitam, ſe die altero violenter intraturum eſſe profeſſus eſt. Quod ejuſdem Eccleſiæ cuſtos audiens, feſtinus cucurrit, Eccleſiam clauſit, ſeris munivit. Facto autem veſpere, lampades omnes extinxit, ſeque in interioribus abſcondit. In ipſo autem ſubſequentis lucis crepuſculo Arianus Epiſcopus, collecta multitudine advenit, clauſas Eccleſiæ januas effringere paratus. Sed repente cunctæ ſimul portæ Divinitus concuſſæ, abjectis longius ſeris apertæ ſunt, atque eum magno ſonitu omnia Eccleſiæ clauſtra patuerunt. Effuſo deſuper lumine omnes, quæ extinctæ fuerant lampades accenſæ ſunt. Arianus vero Epiſcopus, qui vim facturus advenerat, ſubita cæcitate percuſſus eſt, atque alienis jam manibus ad ſuum habitaculum redactus eſt. Quod dum Longobardi in eadem regione poſiti omnes agnoſcerent, nequaquam ulterius præſumpſerunt Catholica loca temerare. Miro enim modo res geſta eſt, ut quia ejuſdem Ariani cauſa lampades in Eccleſia beati Pauli fuerant extinctæ, uno eodemque tempore & ipſe lumen perderet, & in Eccleſiam lumen rediret.* Eccleſiam hanc conſecravit anno MCCXXXIV. Gregorius IX. aſſiſtentibus Cardinale Epiſcopo Tuſculano, Patriarcha Conſtantinopolitano, & Antiſtite Meſſanenſi. Hic diu vixere Cherubinus Spoletanus, de quo frequens ſermo occurrit, & Joſephus Eugubinus, vir undequaque perfectus, per quem Obſervantum novella Congregatio plurimum accepit incrementi, primus hujus ædis juxta prophetiam beati Franciſci Papienſis a nobis alias relatam Guardianus.

Conv. S. Pauli Spoleti. *Tom. 12. ann. 1454. n. 63. Gregor. 3. Dialog. c. 29.*

Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 6.

XXIV. Nobili mulieri Thaddeæ de Malaſpinis, Marchioniſſæ de Fuſdenovo, Lunen. diœceſis in Tuſcia, conceſſa eſt hoc anno facultas ædificandi prope Eccleſiam ſancti Remigii, olim Monialium Ordinis ſancti Benedicti, extra muros urbis Maſſanæ pro Fratribus Obſervantibus domicilium: *Injunctum nobis* xt. Kalendas Martii. Exponebat illa cum univerſo populo nullum in prædicta urbe tunc fuiſſe Minorum domicilium, & ſe valde cupere habere eo in loco Fratres Obſervantes, propter uberes fructus, quos ubique producebant in populo. Atqui hinc fluctuat, quod alias ex Gonzaga ſcripſimus de Conventu Maſſano ſancti Bernardini, quem juxta hujus bullæ narrationem iſte præceſſit. An Thaddæa & populus ſtatim operi manus admoverint, mihi incompertum: Gonzaga anno MCCCCLXXVI. die VIII. Februarii a Jacobo Malaſpina Marchione traditum Cœnobium fratri Barnabæ Senenſi, tunc Guardiano Sarzanenſi, ab eoque admiſſum virtute facul-

Tom. 12. ann. 1454. n. 63. Conv. Maſſæ. *Lib. 3. de diverſ. form. an. 3. fol. 215.*

Tom. 11. ann. 1445. n. 30.

Gonz. in Provin. Tuſciæ Conv. 30.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

tatis ſibi a Sixto IV. conceſſæ „ Hic quidem errorem, & confuſionem ſubeſſe puto, eo quod Gonzaga duas Maſſas unam faciat, & utramque in „ littore Tyrrheni maris conſtituat, illam ſcilicet, quæ Civitas eſt in ditione marittima Senenſi, & alteram, quæ oppidum eſt in diœceſi Lunenſi in Tuſcia ad Macræ fluvii dextram, introrſum verſus Apenninum, „ Maſſa dicitur Carraria, a qua nobile & copioſum marmor quod illis in „ montibus cæditur, cognomen accepit *Carrarienſis*. Etenim in recenſu „ Conventuum Provinciæ Tuſciæ numero trigeſimo, utrumque Conventum, tam illum quem numero vigeſimo quarto, quam item trigeſimo „ adnumerat in eadem urbe maritima, unum ſancti Bernardini antiquiorem, alterum ſancti Franciſci recentiorem intra Civitatem conſtituit. At ille prior ſancti Bernardini extra illam urbem maritimam, iſte „ poſterior ſancti Franciſci intra oppidum Maſſæ Carrarienſis conſtructus eſt.

† *Vide Blondum & Albertum in Tuſcia.*

Conv. Modoetiæ. *Idem in Prov. Mediol. Conv. 9. Monum. MSS. Prov. Mediol.*

XXV. Sub Galeatio Maria Sfortia Duce Mediolanenſi, hoc anno Obſervantibus ædificari cœpit Conventus ad Modoetiæ oppidum x. m. p. ab urbe Mediolanenſi. Fundatorem ſcribunt beatum Damianum a Padua, virum ſanctiſſimum, inſignem prædicatorem. At hunc precibus & induſtria, Ducem & populum ab illo rogatos ſuis opibus judico conſtruxiſſe. Initium dedit & devotionem excitavit devota quædam imago beatæ Virginis miraculis frequens, cujus quotidiana beneficia innumeræ tabellæ votivæ appenſæ teſtantur. Fundum dederunt Canonici Collegiatæ Eccleſiæ Modoetiæ. Erectæ domus & Fratribus traditæ inſtrumentum a publico notario compactum ita incipit: *Cum verum ſit quod homines & perſonæ iſtius terræ Modoetiæ pro bonis moribus, religioſa vita, laudabiliſſi naque doctrina, ac bono odore exempli, quibus Fratres Obſervantes ſancti Franciſci ornati ſunt, affectarent hac in terra ſeu in territorio Modoetiæ habere unum locum ſive Conventum dictorum Fratrum pro conſolatione & gaudio ſpirituali, ac utilitate animarum &c.* Conventus valde commodus eſt, loci amœnitate, ſitus amplitudine, hortorum abundantia, aquarum irriguo, ædificii pulchritudine, atque acris ſalubritate Fratribus gratiſſimus. Ultimo hoc ſeculo totum ædificium reſectum eſt. Quatuor habet ſpatioſa clauſtra & capaciſſima ambulacra, ſacrarium omni paramentorum genere inſtructiſſimum. Eccleſiam etiam renovatam & conſecratam ornant elegantes picturæ, ſacellum præſertim beatæ Mariæ, ſacræ & miraculoſæ imaginis depoſitum, a quo reliqua ſtructura vocatur templum ſanctæ Mariæ de Gratiis.

Damianus a Padua. Ludovicus Bajaſſon. Fratres Modoetiani.

XXVI. In ea, loco tamen incerto, jacet prædictus Damianus, cujus imago ſupra portam primi clauſtri conſpicitur, necnon beatus Ludovicus Bajaſſon, Fundator Montis pietatis Modoetiani, translatus a ſacello ſancti Bernardini ad templi præcipuum. Habitum hic ſuſceperunt Modoetia oriundi, viri clariſſimi, vita & doctrina admirabiles, beatus Chriſtophorus, qui jacet Mediolani in cœnobio ſancti Angeli; Antonius, qui pie deceſſit in loco Maleti; Ludovicus, qui obiit in Eccleſia Collegiata ſancti Joannis Baptiſtæ Modoetiæ, dum populo magno prædicaret fervore. Confratres Diſciplinatorum reverenter conſervant ejus birretum, mantellum & femoralia. In Eccleſia multa ſunt nobilium ſepulcra, ibique ſepeliuntur Principes Aſculani, Modoetiæ domini.

Conv. Caſtrueli. *Gonz. in Prov. Brixiæ. Conv. 16.*

XXVII. Prope oppidum Caſtrueli, diœceſis Cremonenſis, quod ab urbe Brixienſi ſex tantum diſtat milliaribus, Duciſſa Mediolanenſis Blanca Maria Sfortia, domum Obſervantibus circa hunc annum ædificavit ſub titulo beatæ Mariæ de Brixianore. Laborioſe hic vitam tranſigunt Fratres, cum

ad

ad panem vitæ neceſſarium colligendum, per oppidula vicina, itinere aliquando nivibus, luto & aquis obſeſſo, oporteat diſcurrere. Hic aliquando habitavit beatus Amadeus, cujus oratorium & eremiticæ cellulæ adhuc ſuperſunt. Quorumdam Religioſorum Patrum cum opinione ſanctitatis deſunctorum Franciſci & Laurentii corpora hic requieſcunt.

XXVIII. In Phariæ * inſula Adriatici maris urbs eſt ejuſdem nominis, prope quam hoc tempore annuente Pio, cives conſiderantes, per centum milliaria nullum fuiſſe Minorum Cœnobium, unum extruxerunt Fratrum Obſervantum Provinciæ Dalmatinæ ſub appellatione ſanctæ Mariæ Gratiarum. A Turcis combuſtum cives melius refecerunt.

* *Al.* Faræ. Conv. Phariæ. *Idem in Prov. Dalm. Conv.* 15. *Lib.* 1. *de præben. & benef. vac. an.* 4. *fol.* 297.

XXIX. In eadem Provincia ad tertium ab inſulari Civitate Veglenſi lapidem, ſuper nemoroſum collem, qui ex amœniſſima & populoſa valle conſurgit, erat domus Minorum Conventualium, quæ prius extitit Benedictinorum, appellata ſanctæ Mariæ de Caſtiglione. Sed cum in ea neglectus eſſet Divinus cultus, duoque tantum Fratres, unus presbyter alter laicus cohabitarent, nobilis vir Joannes Frangipanis Comes, & cives Veglenſes hoc anno impetrarunt a Pontifice, ut daretur Obſervantibus. Ita factum, commiſſa poteſtate Epiſcopo Veglenſi.

Conv. Veglen. *Gonz. ibid. Conv.* 7. *Lib.* 1. *de exhib. & Regular. an.* 4 *fol.* 228.

XXX. Pro Patribus Conventualibus fuit conſtructa hoc anno Eccleſia ſub titulo ſancti Bernardini in oppido Collalti per illuſtrem Comitem Antonium Collaltum, filium quondam Comitis Baſilii, & Cœnobium adhærens fuit abſolutum die XXV. Aprilis anni MCCCCLXIX. Die vero IV. Januarii anno MDXLV. fuit combuſtum. Spectat ad Provinciam ſancti Antonii & Cuſtodiam Fori-Julii.

Conv. Collalti. *Radul. fol.* 272.

XXXI. Ante hunc annum clerici & laici oppidi Carmonæ, Hiſpalen. diœceſis, ædificaverant beato Martyri Sebaſtiano Eremitorum, cœperuntque adjungere domum Fratrum Obſervantum, ſed cum opus lente procederet, Joannes de Carmona laicus, unus ex oppidi Rectoribus, hoc anno ſupplicavit Pontifici, ut religioſam fabricam commendaret fidelium caritati. Ita fecit, perfectumque eſt opus anno MCCCCLXVII. civium oblationibus. Hic præfuiſſe Xenodochium, & Fratres iſthuc ex anguſto Eremitorio D. Benedicti in latere cujuſdam montis Meridiem verſus ſito, translatos ſcribit Gonzaga.

Conv. Carmonæ. *Lib.* 17. *bullar. fol.* 120.

Gonz. in Prov. Betic. Conv. 10.

XXXII. Hoc anno Pontifex conceſſit facultatem Alvaro Gomezio de Civitate Regali, Toletanæ diœceſis, domino loci ſancti Silveſtri, ejuſdem diœceſis, conſtruendi in loco de la *Mongia*, etiam Toletanæ diœceſis ſui dominii, juxta fontem, in quo beata Virgo apparuit, & aquis virtutem indidit curationum, Conventum Obſervantum, Cuſtodiæ ſanctæ Mariæ de Minoribus aggregandum, & perficiendi Eccleſiam beatæ Mariæ, quam illic inchoaverat. Suam etiam interceſſionem adhibuit Henricus Caſtellæ & Legionis Rex, cui Alvarus inſerviebat. Quid in hac re actum ſit, non comperio.

Conv. Mongiæ. *Lib.* 40. *bullar. fol.* 412.

XXXIII. In Provincia ſancti Jacobi ex licentia Roderici Gobate, in ſacra Theologia Magiſtri, Guardiani Conventus villæ Pontis-Veteris, abiit in inſulam de Taulo, Compoſtellanæ diœceſis, Gondiſalvus de Tranſmera, vir religioſæ vitæ, ibique in Eremitorio beatæ Mariæ multis annis cum uno ſocio vitam tranſegit ſanctiſſimam. Hoc autem anno conſcientiæ ſtimulis agitatus, ætate jam provecta, impetravit licentiam hujuſmodi vitæ proſequendæ, & Apoſtolicam benedictionem.

Fr. Gondiſal. de Tranſmera. *Lib.* 1. *de Regul. & proviſ. an.* 3. *fol.* 245.

XXXIV. In eadem Provincia Alvarus de Mayal, Miniſter Provincialis conſiderans domum beatæ Mariæ de Reyſes extra muros oppidi Avileſii,

Conv. Avileſi. *Lib.* 1. *de præben. & Regular. an.* 4. *fol.* 268.

leſii, Oveten. diœceſis, quam per aliquot annos Fratres inhabitaverant, ſitam in terra ſterili & montoſa, ſibi minime fuiſſe neceſſariam, præſertim cum in partibus circumvicinis plures haberent Fratres Conventus, eam dimittere decrevit, donavitque aſſentientibus Provinciæ Patribus, Matthiæ de Monte Regio, Ordinis beatæ Mariæ de Mercede, in regnis Caſtellæ, Legionis & Portugalliæ Provinciali. Donationem hoc anno Pontifex confirmavit.

An. 1459. n. 48. Conv. Niciæ. Gonz. in Prov. S. Ludov. Conv. 5.

XXXV. Dixi ſuperius, Annam Cypriam, Sabaudiæ Duciſſam, obtinuiſſe unam aut alteram facultatem Pontificiam in ſuo dominio Fratribus Obſervantibus domum ædificandi. Hoc anno invenio ejus & Conſulum Civitatis opera conſtructum ſanctæ Crucis Conventum extra muros urbis Niciæ in littore maris Liguſtici, prope fluvium Vari, fortiſſimi propugnaculi. Nomine Miniſtri & Provinciæ ſancti Ludovici die VII. Septembris domum acceptavit frater Franciſcus Ravennas. Illuc appellens numeroſa claſſe immanis ille pirata Barbaroſſa, urbemque depopulatus, occaſionem dedit Duci Sabaudiæ deſtruendi prædictum Conventum, ne deinceps præſidium eſſet inimicis, & offendiculum Civitati. Translati ſunt Fratres ad propinquam urbem vetuſtiſſimam Cimeliæ. In priori Eccleſia remanſerunt Fratrum plurimorum virtute & doctrina præſtantium cadavera, præſertim Dominici a Foſſa, viri integerrimi, qui ſub pulchro marmore jacet Altari coram majori. In primo illo Conventu hoſpes fuit Paulus III. in ſolemniſſimo illo congreſſu anno MDXXXIX. habito cum Carolo V. Imperatore, & Franciſco primo Rege Gallorum. Fuit etiam ibidem celebratum Capitulum anno MDXXXV. in quo electus eſt Miniſter Generalis Vincentius Lunellus.

Fr. Dominicus a Foſſa.

Fratribus Hungaris Pontifex multa concedit.

XXXVI. Fratribus Obſervantibus Provinciæ Hungariæ, qui proxime decurſis annis duodecim Conventus in eodem regno & regionibus vicinis per Turcas devaſtatis, perdiderunt, totidem recipiendi, faciendi aut reficiendi Pontifex conceſſit hoc anno poteſtatem. Vicario eorumdem auctoritatem dedit in regno Moldaviæ, magna ex parte per Fratres ad fidem converſo, & inter Ruthenos, Valachos & Armenos Paſtores animarum inſtituendi, aliaque largitus eſt, quæ ſequens dabit diploma.

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis beati Franciſci, de Obſervantia nuncupati, Provinciæ Hungariæ.

Ex l. 25. bullar. fol. 267.

Sacræ Religionis ſub qua mundanis deſpectis illecebris, cum abjectione ſpontaneæ voluntatis ſpiritu virtutum Domino famulamini, promeretur honeſtas, ut votis veſtris præſertim illis, quæ Divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos veſtris ſupplicationibus inclinati, aſſerentibus circa duodecim Eccleſias & domos Fratrum veſtri Ordinis proximis temporibus ab immaniſſimis Turcis Chriſti nominis inimicis deſtructas & combuſtas eſſe intra fines regni Hungariæ, & pariter in vicinis regionibus; ut loca duodecim intra ambitum regni & in vicinis regionibus infidelium, ſi vobis pia largitione concedantur, vel aliàs juſtis modis illa poteritis adipiſci, recipere & retinere, & in quolibet ipſorum locorum Eccleſiam ſive Oratorium cum campanili &c. & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione veſtra, & aliorum Fratrum dicti Ordinis & Obſervantiæ, ſervata debita diſtantia, conſtruere & edificare; necnon quoſcumque Fratres veſtri Ordinis exiſtentes ad id voluntarios, transferre & recipere, ac inibi una cum eiſdem Fratribus ſub Regularibus inſtitutis dicti Ordinis Altiſſimo famulari, Miſſas & alia Divina Officia celebrare, & verbum Dei prædicare libere & licite valeatis, Ordinarii loci

(ſi

(*ſi forte de jure quis eſſet, & actu præſens, aut minime tunc idoneus reperiretur*) *ſuper hoc & aliis licentia minime requiſita, juribus tamen parochialium Eccleſiarum & aliorum quorumcumque, quantum in vobis erit, ſemper ſalvis: Cum etiam audiverimus, Fratres dicti Ordinis tempore occaſionum in Chriſtianos per infideles factarum ad defenſionem occurrere, & arma ſimul cum laicis defenſibilia & offenſibilia parare ac contrectare, unde propter homicidia quæ ſequuntur & vulnera, Fratres ipſi irregularitatem excommunicationemque incurrerunt; Nos eidem Vicario pro tempore exiſtenti ſuper ſimilibus & excommunicationibus, Fratres abſolvendi, quoties fuerit opportunum, plenariam licentiam, auctoritate Apoſtolica concedimus & facultatem. Et nihilominus vobis & univerſis Fratribus in dictis domibus & locis pro tempore moraturis, ut omnibus & ſingulis privilegiis &c. Provinciæ veſtræ Hungariæ ſolummodo, ſive Boſnenſibus vobiſcum per Sedem Apoſtolicam conceſſis & in poſterum concedendis, uti & gaudere valeatis, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie indulgemus. Non obſtant. ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. &c. quibuſcumque. Iuſuper, quia uobis narrari curaſtis, maximam regni Moldaviæ partem, facieute Domino, veſtris prædicationibus & ſuaſionum inſtantia, ad fidei Catholicæ obedientiam eſſe converſam, uecnon ex Ruthenis, Valachis & Armenis, ac aliis hæreticis multos Dei noſtri dogmata accepiſſe, ne propter Ordinariorum & Rectorum parochialium Eccleſiarum, qui in regicuibus illis nulli hucuſque ſunt, carentiam, eorumdem uuper couverſorum animæ periclitentur; nos qui ex debito paſtoralis officii nobis injuncti, animarum ſaluti paterno ſtudio conſulere teneimur, Fratribus dicti Ordinis Provinciæ veſtræ, in ſacerdotio dumtaxat conſtitutis, qui ad hoc per Vicarium fuerint deputati, hujuſmodi perſonarum in Eccleſiis & piis locis, & cum tempus gravis infirmitatis requiret, in defectum Rectoram parochialium Eccleſiarum, confeſſiones audiendi, & pro commiſſis debitam abſolutionem, quoties opportunum fuerit, eis impendendi, injuncta perſonis eiſdem pro modo culpæ pœnitentia ſalutari, & aliis quæ de jure fuerint injungenda; necnon quouſque per Sedem Apoſtolicam bene & diligenter per vos informaudam, aliter proviſum fuerit, Eccleſiaſtica ſupradictis noviter converſis Sacramenta omnia admiuiſtrandi, atque in eorum locis, & apud Sedem Ordinariorum & Parochianorum omniuo ibi non exiſtentium vicibus plenarie fungendi licentiam plenariam vobis, auctoritate Apoſtolica, teuore præſentium concedimus & facultatem. Datum Tyburc anno &c.* MCCCCLXI. III. *Idus Septembris, anno* IV.

XXXVII. In eodem Regno vir nobilis Stephanus, Baro loci de Thorna, Strigonienſis diœceſis, *videns*, (ut ex ejus relatione Pontifex in ſuo narrat diplomate) *fructus uberes, quos Fratres de Obſervantia in regno Hungariæ tam exemplo vitæ, tum ſalutaribus eruditionibus doctrinæ Chriſtianæ, & continuis prædicationibus producunt aſſidue, cum magno augmento ſalutis animarum*; decrevit eis domum ædificare in aliquo loco idoneo, ſuis dominiis ſubjecto, præſertim cum in villis, terris, caſtris & locis ſuis nullam habuerint, nec intra centum milliaria Italica a loco ſuæ reſidentiæ, ullam poſſederint. Scripſit Pontifex Archiepiſcopo Strigonienſi, ut facultatem impertiret ædificandi.

Conv. in Hungaria. *L. 17. bullar. fol. 407.*

XXXVIII. Conceſſit hoc anno Pontifex nobili viro Jacobo, primo Comiti Hornenſi, diœceſis Leodienſis, licentiam ædificandi in loco idoneo ſui oppidi de Wert in Brabantia, lanificio & pannis percelebri, Conventum Fratrum de Obſervantia ſubjiciendum regimini Michaelis de Lira, Vicarii Provinciæ Colonienſis. Porro ille & conjux Joanna Comitiſſa Muer-

Conv. Wertenſis. *Lib. 3. de diverſ. form. an. 3. fol. 31. Gonz. in Provin. Germ. inferioris Conv. 20. Monum. MSS. ejuſd. Provin.*

Muerſiæ, ſtatim manus operi admoverunt, & extra oppidum loco palatii veteris, arce nova & pulchra ad ipſos muros conſtructa, Conventum inchoarunt, & paulo poſt hoc ipſo anno Joanna deceſſit. Jacobus ſtemmate Cliviæ Ducum, tum maxima pietate illuſtris, uxore defuncta, & ipſe mortem cogitans, mundum reliquit, factus Minorita in Conventu Hulſtenſi, qui in Flandria cenſebatur ſub Provincia Colonienſi ante Provinciarum diviſionem. Mortuus eſt anno MCCCCXLVIII. menſis Maii die III. ſepultus ante ſummum Altare hujus a ſe extructi Cœnobii, ubi hodie ſervatur funiculus multis nodis exaſperatus, quo lumbos ſuos tam arcte ſolebat adſtringere & carnem mordere, ut nunc quoque ſanguine tinctus videatur. Habuit Jacobus præter alios, duos filios, Jacobum primogenitum parentis in hæreditis ſucceſſorem, alterum Joannem Epiſcopum Leodienſem, utrumque paternæ pietatis hæredem. Jacobus mortuus eſt anno MD. & Ordinis noſtri religioſa veſte indutus, ſepultus in paterno ſepulcro. Joannes ejus frater jam tum Canonicus Leodienſis, cum initiatus eſſet ſacerdotio, & offerret Deo Miſſarum primitias, parens ejus Jacobus Minorita ſacerdos Leodici in Dominico ſancti Lamberti, Diaconi munere functus, Evangelium decantavit. Poſtmodum Epiſcopus Leodienſis anno MCCCCLXXX. a Sixto IV. Pontifice Maximo confirmatus, vitam cum morte mutavit anno quinto ſupra milleſimum quingenteſimum, & ſepultus eſt in hoc Cœnobio in veſte Franciſcana, teſte Bruſchio de Epiſcopis Leodienſibus. * Hanc in tam illuſtribus Fratribus Chriſtianam humilitatem, & in eorum parente Evangelicam paupertatem, ſi ſpectat impietas, grande ludibrium; ſi ſpectat pietas, rariſſimæ cenſebit pietatis exemplum. Ceterum ſenſit etiam hic Conventus ſævitiem Geuziorum, cum anno MDLXXVI. fugati Fratres, & anno ſequente reverſi iterum profligati ſunt, paulo poſt Cœnobio vaſtato & deſtructo, præter templum; anno ſeptuageſimo nono, quando oppidulum cum arce in poteſtatem rediit Ducis Parmenſis, Fratres Monaſterium repetentes, hactenus ut tempus & locus fuerunt, utcumque reparaarunt.

Vide an. 1458. n. 41.

** Sed verius diximus ſepultum in Cœnobio Montis-Lucis.*

XXXIX. In Germania magna facta eſt omnium Religionum, noſtræ præcipue, reformatio, commiſſa Friderico Archiepiſcopo Magdeburgenſi poteſtate, vitæ laxioris ſectatores ex Monaſteriis ſuæ diœceſis amovendi, & ſtrictioris Obſervantiæ ſubſtituendi. Ille aſſumptis Abbate in Berga extra muros Magdeburgenſes, Ordinis ſancti Benedicti, Præpoſito beatæ Mariæ Magdeburgen. Ordinis Præmonſtraten. & Vicario Provinciæ Saxoniæ Regularis Obſervantiæ Ordinis Minorum, viſitatis pleriſque domibus multa correxit & reformavit, introduxitque in domum oppidi Hallenſis Fratrum Minorum Obſervantinos. Cum vero ad viſitationem magni Conventus Magdeburgen. proceſſiſſet, reſtiterunt Patres Conventuales, invocatoque auxilio Hermanni Graven Cantoris Eccleſiæ ſancti Severi Erforden. Maguntinæ diœceſis, Conſervatoris ab eiſdem inſtituti, fulminatæ ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ contra Archiepiſcopum & Aſſiſtentes, tamquam contra privilegiorum & exemptionum a Sede Apoſtolica conceſſorum contemptores & violatores, appellationibus ad ſanctam Sedem interpoſitis. Frivola omnia & irrita hoc anno declaravit Pontifex, tamdemque introducta eſt reformatio.

Reformatur Ordo in Germania. *Lib. 3. bullar. fol. 42.*

XL. Similiter commiſſum hoc reformationis munus Joanni Epiſcopo Monaſterienſi, injunctumque ut omnes omnium Ordinum domos Conventuales ſuæ urbis & diœceſis valde ſub hoc tempus in diſciplina Regulari deformes, traderet ſuorum Inſtitutorum Religioſis ſectatoribus, adhibitis aliqui-

Præſertim in Epiſcopatu Monaſterienſi. *Lib. 2. de diverſ. formis anno 3. fol. 165.*

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 254.
1461.	an. 3. & 4.	anno 22.	

quibus Monachis reformatis, & duobus Fratribus Regularis Obſervantiæ, Ordinis Minorum, per Vicarium Generalem Ultramontanum deputandis, qui in hoc opere collaborarent. Diligenter mandata Pontificis executus Epiſcopus, ad religioſam vitæ normam ſui Epiſcopatus Regulares compoſuit.

Conv. Tyburtin. reformatur. *Comment. Pii lib. 5.* Illic moratur Pius II.

XLI. Hoc anno etiam traditus Obſervantibus Conventus Tyburtinus, inde ſumpta occaſione, quod Pius Pontifex declinaturus nimios calores æſtivos Urbis, menſe Julio Tybur ſeceſſerit. Illic apud Minores, loco edidito poſitos (exſcribo ex ipſis Pii commentariis) unde Urbem licebat inſpicere, & in ſubjectam planitiem Anienis curſum, & hortorum perplacida vireta, nec aliud erat quod oblectaret. Domus antiqua & ruinoſa, plena muribus fuit, qui ad magnitudinem cuniculorum huc atque illuc diſcurrentes, inquietas noctes reddebant. Venti quoque, quorum ditiſſima Civitas eſt, infeſti erant, nec pluvias arcere licebat in habitaculo rimoſo & nimium vetuſto, cujus reparandi Monachi, religioſi parum, nullam curam ſuſceperant. Hos Pontifex dejecit, cum eſſent Conventuales, & vitam ducerent inhoneſtam, & loco eorum Obſervantes introduxit. Domus illa ruinoſa & vetuſta, ut plurimum ceſſit palatio & hortis Ateſtinis (totius Europæ, ſive ædificii majeſtatem ſpectes, ſive ſitus qualitatem, proſpectus oblectamentum, aquarum abundantiam, ſive opacum nemus, umbroſos colles, anfractus viarum, ludicras paratas ſpectatoribus inſidias, multamque blandientium rerum varietatem expendas, longe celeberrimis) ea parte & loco conſtructis, recenſque Conventus firmo & pulchro opere ex altero latere Templi, induſtria maxime Theodoſii Romani, Tyburtini tertium Guardiani, fabricatus eſt. Horti Ateſtini.

Monaſt. Drepan. *Lib. 38. bullar. fol. 321.*

XLII. In Siciliæ urbe Drepanenſi, diœceſis Mazarenſis, Clariſſæ habitabant a viginti annis in domo ſanctæ Eliſabethæ, ipſis pia largitione fidelium conſtructa. Sed cum dubitarent, an tuta illic conſcientia permanere poſſent, non obtenta, priuſquam domum acceptarent, Apoſtolicæ Sedis licentia, hoc anno petierunt ſibi reatum dimitti, & domum confirmari. Petitioni libenter Pontifex ſubſcripſit, commiſſo rei examine Archiepiſcopo Panormitano. Sunt qui dicant Emanuelium familiam domum hanc ædificaſſe in antiquis ædibus ſancti Alberti. Nihil horum exprimitur, uti ſolet, in bulla Pontificia.

Monaſt. Burgi S. Sepulcri. *Lib. 1. de Regular. & privileg. an. 3. fol. 240.*

XLIII. In Burgo ſancti Sepulcri, ſeu Biturgia, tunc oppido, diœceſis Civitatis Caſtelli, ſub Innocentio IV. quædam mulieres religioſæ cupientes vivere, ſibi domicilium poſuerunt extra Burgi muros, prope Eccleſiam ſancti Leonis, ſibi cum aliquot menſuris terræ & vineæ partim emptis ab Abbate Brando, & Conventu Monaſterii ſancti Sepulcri, Ordinis Camaldulen. ſub quibuſdam conditionibus exiguo cenſu annuo donatam. Hæ poſtea ſanctæ Claræ Regulam profeſſæ, illic annis ferme ducentis quadraginta perſeverarunt. Sub hoc vero tempus bellorum injuriis deſtructo Monaſterio ſancti Leonis, Moniales tranſierunt ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Strata intra oppidum, ſuo Monaſterio, Pontifice aſſentiente, unitam, petieruntque Camaldulenſes, Eccleſiam priorem terræque portionem ſibi reſtitui.

Monaſt. Vanielis. *Lib. 1. de præbend. benef. &c. an. 4. fol. 266.*

XLIV. In oppido Vaniel, Colonien. diœceſis, ante annos ſexdecim vel circa, Clariſſæ Monaſterium fundari fecerunt ſub nomine ſanctæ Claræ ſolo conſenſu requiſito Theodorici Archiepiſcopi Colonien. non vero Sedis Apoſtolicæ. Hoc anno Pontifex a quibuſcumque, ſi quas proinde incurrerant, cenſuris abſolvit.

Anno Christi 1461.	Pii II. an. 3. & 4.	Friderici III. Imp. anno 22.	Religionis Minorum anno 254.

Monaſt. Burgenſe reformatur. *Lib. 1. de diverſi rebus formis an. 3. fol. 266.*

XLV. In Hiſpania duo ſunt hoc anno reformata Clariſſarum Monaſteria, Burgenſe unum extra urbis muros conſtructum, quod Nicolai V. auctoritate, rogante Joanne Caſtellæ Rege, Sancius de Canales, Generalis inſtitutus deformatorum Monaſteriorum Viſitator, reformare cœpit, & hoc tempore abſolvit Fructus de Cuellar in eodem officio ſucceſſor. Perpinianenſe alterum, Elnen. diœceſis, quod Aragonum Rex ſummo deſiderio cupiebat a diſſoluto vivendi genere ad religioſum revocare. Obtinuit itaque hoc anno committi Decano Barcinonenſi, ut ille ex Monaſterio Gandienſi, Valentinæ diœceſis, reformationis beatæ Coletæ Odettam Abbatiſſam cum duodecim Sororibus, vel ſi inde haberi non poſſent, ex Monaſterio de Liſignano ejuſdem Inſtituti, ad prædictum Perpiniani Monaſterium transferret, quæ illic remanere volentes Regularia docerent inſtituta; reliquas vero diſtribueret per Monaſteria Gerunden. Caſtillionis, & Empuriarum, aut ad alias Religiones permitteret tranſire.

Et Perpinianenſe. *Lib. 17. bullar. fol. 365.*

Monaſter. Arelatenſe. *Lib. 18. bullar. fol. 167.*

XLVI. Arelatenſes in Gallia Sorores in quadam profana domo per modum Monaſterii abſque Eccleſia & cœmeterio anguſte viventes, impetrarunt facultatem tranſeundi ad aliam domum ſitam infra limites parochiæ ſancti Laurentii, ſibi per quondam Joannem Raynardi teſtamento legatam, & ibidem Monaſterium ſub titulo ſanctæ Claræ conſtruendi.

Hoſpitale Trevirenſe Sororũ Tertii Ordinis. *Ex bulla originali.*

XLVII. In urbe Trevirenſi, vico Brolgas, hoſpitale erat ſancti Joannis Hieroſolymitani, in quo pauperes infirmi, peregrini & valetudinarii recipiebantur & alebantur. Sed ob bellorum incommoda proventus & reditus dicti hoſpitalis adeo attenuati erant, ut hujuſmodi miſericordiæ opera intermittere oportuerit, & domus ipſa ruinæ eſſet propinqua. Nobilis vidua Bona de Baudercuria, relicta Erhardi de Gimmenich Militis, piis addicta operibus, neglectam domum ab hoſpitalariis ſibi donari impetravit, ſuiſque ſumptibus refecit. Advenientibus innumeris infirmis & egenis illa, admiſſo Rectricis hoſpitalis miniſterio, neceſſaria quæque ſuppeditabat. Ut abundantius poſſet, rogavit Pontificem, ut ad ſerviendum infirmis & valetudinariis uti poſſet Sororibus Tertii Ordinis, quæ victu ſobrio & paupere veſtitu contentæ, per quas excuſari poſſent inſolita & magna ſtipendia, quæ numeroſa familia, tot infirmorum & peregrinorum curæ deputata, exigebat. Annuit piæ petitioni Pontifex, & huic loco eadem conceſſit privilegia & gratias, quæ alias largitus erat ſimili hoſpitali beatæ Mariæ de Sole, Tertii Ordinis ad ſanctum Audomarum.

Monum. MSS. Prov. Colon.

XLVIII. Poſtea advocatæ Sorores, in formam Monaſterii ſe compoſuerunt, conviventque clauſtraliter ferme quadraginta ex honeſtioribus, & claris familiis Civitatis. Præ ceteris Germaniæ Tertiariis reformate vivunt, pſalterium Gregorianum pſallunt cantu duplici, ſubalternis temporibus utentes choro, uno in clauſtro beatæ Eliſabethæ in domus penetralibus, altero plateæ contiguo in ſacello ſancti Joannis Baptiſtæ, quod ab Ordine ſancti Joannis prædicto cum domo partim auctoritate Pontificia, ut præmiſſum eſt, partim ex contractu emphyteutico obtinuerunt, quibus prænominata Bona anno ſequenti duas vicinas ædes cum pertinentiis adjecit. Hæ Sorores nunc labore manuum conſcribendiſque libris choralibus, & erudiendis per duas magiſtras civium juvenculis filiabus, vitam honeſte tranſigunt, & bene apud omnes audiunt. Velo utuntur nigro, & clauſuram ſervant perpetuam. Ex laicis quas vocant, habentque pauciſſimas, duæ, longa experientia probatæ, deſignantur exitrices, quæ ſi ſenio conficiantur, aut aliunde deficiant, ut emeritæ cum aliis manent recluſæ. Vivebant ſub regimine Provinciæ Franciæ uſque ad annum MCCCCLXXV. quan-

quando auctoritate Capituli Generalis Audomarenſis, & Joannis Cron Vicarii Generalis, tunc primum Provinciæ Colonienſi ſubjectæ ſunt. Deputantur earum obſequio Minoritæ duo, confeſſarius & ſocius ſacerdos.

XLIX. Simile hoſpitale erigere decrevit in oppido Inſulenſi, Tornacenſis diœceſis, in vico infirmorum Joannes de Camba, alias Gantoys, ſub titulo ſancti Joannis Baptiſtæ pro recipiendis infirmis, debilibus & decrepitis utriuſque ſexus perſonis, quorum obſequio octo voluit deputari Sorores Tertii Ordinis, ſub tribus votis, & regimine Vicarii Provincialis Franciæ regulariter victuris, quarum una appellanda erat Magiſtra, & eligenda a reliquis Sororibus, ex ſcientia tamen & conſilio quatuor adminiſtratorum hoſpitalis; & duos ſacerdotes, qui officia Divina & Miſſas quotidie celebrarent in ſacello hoſpitalis & capella Sororum. Hoſpitale Inſulan. *Lib. 18. Bullar. fol. 69.*

L. Sororibus ejuſdem Inſtituti in Haſſelt, Leodienſis diœceſis, ad tantum numerum excreſcentibus, ut nimis anguſte habitarent, conceſſit facultatem admittendi domos duas ſibi erogandas infra diœceſim Cameracenſem. Fratribus Tertii Ordinis Panormitanis adjudicavit Eccleſiam ſanctæ Annæ extra muros Panormi, ſupra Monaſterium ſancti Martini de Scala, ſitam in monte, pro ipſis fundatam & dotatam, prope quam multis annis habitaverunt. Sed cum alia eis obtigiſſet domus in urbe, locum illum deſeruerunt, eumque impetravit Paulus de Vicecomitibus Carmelita ſibi conferri cum juribus & pertinentiis. Inſormatus verius hoc anno Pontifex Eccleſiam non vacaſſe, juſſit reddi primis poſſeſſoribus. Domus Haſſel. *Lib. de exhibit. &c. an. 3. & 4. fol. 113.* Domus Fratrum Tertii Ordinis Panormitana. *Lib. 12. bullar. fol. 157.*

LI. Aliud hoſpitale in ſua patria ædificandi ex eleemoſynis ſibi erogatis & in ædibus quas emerat, conceſſit hoc anno Pontifex facultatem Gundiſalvo de Civitate regali, Ordinis Minorum Conventuali. Nobili viro Joanni de Malevoltis, loci de Gavarrino, Groſſetanæ diœceſis, Domino, animum addidit reficiendi Eccleſiam ſancti Joannis Baptiſtæ ejuſdem loci, & prope eum opportuno tempore ædificandi Conventum Fratrum de Obſervantia; cujus tamen veſtigium non reperio. Clariſſas terræ ſancti Geminiani, Vulterranæ diœceſis, a juriſdictione Fratrum Conventualium ad Ordinarii tranſtulit poteſtatem, ſed ſequenti anno Cardinalis Nicenus, Ordinis Protector, curavit eas committi curæ Fratrum Obſervantum, etſi illi duriſſime reſtiterint, opuſque fuerit minis & cenſuris a Cardinale & Vicario Generali prolatis, ut Vicarius Tuſciæ eas admitteret, vel confeſſarios deſignaret. Fratribus ſanctæ Mariæ Angelorum in planitie urbis Aſſiſii indulſit, ne quis in circuitu illorum Cœnobii domum ædificaret: *Sacræ Religionis.* III. Nonas Martii. Varia indulta. Hoſpitale Civitatis Regalis. Conv. Gavarini. Monaſt. S. Geminiani.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. TAurinorum Auguſtæ Epiſcopo expeditis litteris: *Superna diſpoſitione &c.* pridie Idus Januarii, ſummus Pontifex, eidem Antiſtiti, Univerſitati ſtudii & populo Taurinenſi facultatem conceſſit, ut Eccleſiam ſancti Salvatoris Minoris extra muros urbis, ſitam in loco, qui nunc vulgo dicitur, *al Baſtion verde*, Monachis & cultu Divino deſtitutam, in Cœnobium Fratrum de Obſervantia converterent: id etiam legimus in Annalibus, ſed breviter nimis: Ludovicus Romagnanus loci Antiſtes piiſſimus, animo ſæpe recolens quam ſingulari beneficio a Deo cumulatus ſuiſſet, cum anno aſſertionis humanæ MCCCCLXII. pridie Nonas quintiles, veſpertina hora, Taurini ante divi Silveſtri ædem, auguſtiſſimum Chriſti Corpus, quod a prædonibus raptum, collapſis & decumbentibus præ ve- *Ex Vatic. Harol. ad annum 1462. n. 14.*

F. Britius in Seraph. Subalpina lib. 2. fol. 35. 36.

neratione jumentis illud deferentibus, faſcibuſque, quibus includebatur abruptis, in aerem cum argentea pixide ſe ſublevaverat, in alterius hujus Simeonis ulnas, ſuppoſito calice, jam immortale & glorioſum deſcendit: pro munere grates redditurus, Obſervantum Patres accerſivit, quorum ope creditas ſibi oves enutriret, eiſque ſancti Salvatoris ſeu Solutoris æde Monachis deſtituta, & Epiſcopali Menſæ ſcripta, & quidquid agri circumſiſtebat, facta ſibi licentia a ſummo Pontifice, liberaliſſime conceſſa, brevi tantæ pietatis tot fructus percepit, quot Fratres, qui erant plus quam ſexaginta, ibi degebant, quos tot Angelos totve Franciſcos dixiſſes. Erigebatur autem ea ſacra ædes ſub titulo ſanctæ Mariæ Angelorum: multi ex primariis Cives, conſtructis exornatiſque proprio ære ſeptemdecim hujus Templi ſacellis, ibidem etiam vita functi tumulari volebant: ſingularem præ ceteris pietatem oſtendit Ruverea familia, cum in primario hujus Eccleſiæ Altari veteris ſuæ munificentiæ, venturæque nepotum magnificentiæ ſigna reliquit: effulſit etiam in alio Sacello Ferrariorum familia, Biellæ ſeu Bugellæ oriunda, pluribus titulis clara: etiam & Pallavicinorum pietas & nobilitas in ſtructura ſacelli, ſancto Ludovico Francorum Regi ſacri, ſplenduit: nec reticendum putamus, quam large & liberaliter hac ſacra æde decoranda opes ſuas profuderint Parpaleæ, Purpurati, Caprei, Paxerii, permultique Cives, qui generis nobilitatem, Principum favores, titulos, faſces, inſignia, divitias pro nihilo ducebant, niſi ſuiſſent in hoc opere omnia ſua cum pietate conjuncta. Monaſterii autem amplitudinem ex eo colligere poſſumus, quod illius muri bis mille, pavimentum vero tercentum quinquaginta perticarum ejus regionis menſuram excederent: ſed ſi lætus & pius hic, triſtis & impius de eodem Cœnobio ſermo recurret.

II. Weſtphaliæ Provinciam Germaniæ magnæ jam alibi aperuimus, nunc autem Monaſteriam, quod Mediolanum prius dictum videtur, vulgo *Munſter*, Civitas Weſtphaliæ primaria, regionis medium tenens, elegantiſſima occurrit, quæ valde munita, nobilitate civium, cleri frequentia, & quinque Collegiis clara, a Carolo Magno Monaſterii nomen accepit, cum antea *Minigradus* diceretur, jam pridem ſub titulo ſancti Patris Franciſci Cœnobium noſtris Fratribus conſtruxerat, pro quibus hoc anno pridie Idus Januarii ſunt quædam litteræ Apoſtolicæ: *Et ſi quibuslibet &c.* perſeverabat autem lis inter fratres Petrum de Marchena, & Joannem de Logrono, qui pro Vicariatu in Inſulis Canariis invicem contendebant; quamobrem ad eos compeſcendos exiit Apoſtolicum diploma: *Cum nihil ſit &c.* quo tempore Alphonſo de Bocanis, & ſuis ſociis concedebatur ibidem vivere in quodam Eremitorio, ut humiliter ſupplicaverant: *Decet Apoſtolicam &c.* XIV. Kalendas Februarii. Sarzana, quæ a Gothis ſolo æquata Luna in ora maris Thirreni, ad Macram fluvium, feliciter eadem in ora enata, Lunæ ſedem Epiſcopalem excepit, Monaſterium pro Clariſſis conſtructum pia religioſitate clarum habet, quod ſummus Pontifex hoc anno Fratribus Provinciæ Tuſciæ commendatum voluit: *Ad ea libenter &c.* IV. Kalendas Februarii: VI. Kalendas Maii fratrem Joannem de Porta Eccleſiæ ſancti Pauli præfecit: *Apoſtolatus officium &c.* In Archidiœceſi Moguntiæ Germaniæ ſuperioris eſt Cotigna Civitas, quæ cum Fratres noſtros ſummopere deſideraret, ut illis Cœnobium poneret, a Summo Pontifice licentiam obtinuit: *A ſupremo Patre &c.* II. Kalendas Maii; ſed hujus domus nihil apud quemquam legi.

ex Topogr. Ferrar.

Indic. ex Vatic.

Ex copia.

Ex Vatic.

Monaſter. Sarzanæ.

Joannes de Porta.

Vide Harold. ad hunc an. n. 2. Tom. 3. pag. 115.

Trium Capitul. Generalium narrationem exactiſſ habes a Waddingo hoc anno ſub n. 11. & ſeq.

III. De

» . III. De Apoſtolico viro Bartholomæo Catanio, præter notata a noſtris Gonzaga & Waddingo, ad gloriam Dei, Religioniſque conſolationem & beati Viri commendationem, hæc prætermiſſa in lucem revocamus: non ſolum Chriſti famulus Bartholomæus apud Majoricenſes virtutibus, ſanctitate atque ſcientia clarebat; ſed etiam in rebus agendis, & inimicorum animis componendis, tantam gratiæ prærogativam ab Altiſſimo acceperat, ut Majoricenſes Cives, & Foranei diſſentientes invicem, unanimi voto ad ſuas lites componendas pacemque ſtatuendam per compromiſſum illum elegerint. Declinabat autem id muneris venerandus Pater, timens ne inter alios componendos, litem alienam coram Deo ſuam faceret; maxime quod eſſet pecuniarum lis, difficillimæ diſcuſſionis. Partes vero ut Catanium moverent, Summo Pontifici humiliter ſupplicarunt ut ſub præcepto ſanctæ obedientiæ hoc officium caritatis venerando Patri injungere dignaretur: ſupplicationibus ergo condeſcendens ſanctiſſimus, tenoris ſequentis Apoſtolicum Breve ad Bartholomæum expediri juſſit. P. Bartolomæus Cattan. *Wadd. ad ann.* 1444.

Dilecto filio Bartholomæo Catanio, Ordinis Minorum de Obſervantia Profeſſori, Cuſtodi Majoricarum.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

» EXponi nobis fecerunt dilecti filii *Juratl Civitatis & Regni Majoricarum, ac Syndici Arteſanorum Civitatis & partis foraneæ ejuſdem Regni, compromiſſum in te, & dilectos filios nobilem virum Vitalem Caſtella* Dorich *& de Blanis in Regno Majoricano Locumtenentem, & Michaelem Saburgada legum Doctorem, Locumtenentem aſſeſſoris ejuſdem, pro componendis diſcordiis, quæ ſuper remiſſionibus generalium Computorum dicti Regni, non ſine gravibus contentionibus hactenus in dicto Regno vigerunt; itaut omnes tres in cognoſcendo & definiendo concordes eſſe deberetis: verum, ut accepimus, tu tamquam Religioſus, propter tui Ordinis inſtituta, ejuſmodi compromiſſum ſuſcipere, & juxta illud ſimul cum aliis definire recuſaſti & recuſas.* Litteræ Apoſtol. pro ſedanda lite.

» *Nos igitur cupientes eiſdem diſcordiis finem imponi, ſperantes, quod tua opera (ut accepimus) in hoc plurimum fructuoſa eſſe poterit, devotioni tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ injungimus & mandamus, ut hujuſmodi onus, quoties requiſitus fueris, prompte ſuſcipiens, taliter te habeas, & ſic diligenter operam præſtes tam ſupradicto facto in te compromiſſo, quam faciendo occaſione præmiſſorum, tam in cognoſcendo, quam definiendo, ut hujuſmodi diſcordiæ omnino ſedentur.* *Monum. MSS. Provinc. Major. Vide ſup. ad annum* 1458.

» *Non obſtantibus Conſtitutionibus, Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, juramento vel confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis quibuſcumque. Datum Romæ ſub annulo Piſcatoris* IV. *Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno* III. *Verderius in Carol. VII.*

» IV. Quarto Idus Julii Carolus VII. Franciæ Rex, dum ſuſpicatur ab aliis venenum, voluntaria inedia moritur, eique ſuccedit Ludovicus XI. Mozaram ſeu *Mazaram* in Sicilia Civitatem Epiſcopalem proximam Lilybeo promontorio, cujus incolæ olim orbitæ & Segeſtani, & a qua Valli Mazaræ nomen eſt, fuitque priſcis Romanis prima Provincia, cella panaria, & nutrix Romanæ plebis nuncupata, ex qua in Africam Imperii gradus factus eſt; Monaſterium Clariſſarum jam pridem olim ha- Monaſter. Mazarz. *Vide Wadd. ad an.* 1420. *n.* 27.

„ habuiſſe animadvertit Annaliſta, cujus diruti ac derelicti bona & jura, „ auctoritate Apoſtolica ad aliud Drepanenſe tranſierint: & nihilominus „ ibidem fundationis novi Monaſterii ſub invocatione ſanctæ Eliſabethæ „ pro Sanctimonialibus Clariſſis confirmationem ex Vaticani regeſto legi- „ mus: *Ex ſuſceptæ &c.* x. Kalendas: cum inter Fratres Provinciæ Ca- „ ſtellæ in Hiſpania vigerent nonnullæ diſſenſiones, maxime quod Vicariis „ Obſervantinis non omnes æque ſubeſſent, ob eas ſedandas Summus Pon- „ tifex Archiepiſcopo Toletano ſcripſit: *Inter ceteros &c.* IV. Idus No- „ vembris.

Indic. ex Vatic.

Diſſidia in Provincia Caſtellæ.

Indic. ex Vatic.

ARGUMENTUM.

Renovatur controverſia de ſanguine Chriſti. Imperator, Principes, urbes & oppida rogant ut Capiſtranus canonizetur. Florent ejus diſcipuli. Inſtituuntur Epiſcopi. Sedatur controverſia inter Boſnenſes & Dalmatas. Pelluntur urbe Fragenſi Minoritæ. Multa eis alibi conſtruuntur Cœnobia.

Reſurgit controverſia de Sanguine Chriſti. *Tom. I. An. 1351. n. 17.*

I. HOc anno graviſſima illa controverſia de ſanguine Chriſti denuo inter Prædicatores & Minores cœpit agitari. Alias acriter de hac re Barcinone ſub Clemente VI. actitatum narravimus, & aperte monſtravimus, poſt vehementes coram hoc Pontifice habitas diſputationes nihil hucuſque fuiſſe definitum. Porro inde hoc tempore cœpit initium, quod beatus Jacobus a Marchia in nobili Lombardiæ urbe Brixienſi, in concione, quam ſummo mane die Reſurrectionis, Aprilis XVIII. habuit ad populum, dixerit Sanguinem Chriſti in paſſione fuſum, fuiſſe a Divinitate ſeparatum, & conſequenter non eſſe adorandum cultu latriæ. Die Lunæ ſequenti frater Baptiſta Ordinis Prædicatorum ex ſuggeſto magno ardore contrarium docuit, & aſſertionem beati Jacobi falſam dixit & erroneam. Hinc orti rumores in populo, admirantibus pleriſque, virum doctum, & prædicatorem Apoſtolicum adeo deſipuiſſe, ut in craſſum hunc inciderit errorem. Sedaturus murmur, & populo ſatisfacturus Jacobus Brixienſis Ordinis Prædicatorum, pravitatis hæreticæ Inquiſitor in Lombardia, & Riparia Januenſi, ſub horam Completorii illius diei humaniſſimas has beato Jacobo, ſibi caro & venerando litteras miſit, rogans ut opinionis male intellectæ velamen ab oculis ignaræ gentis auferret; neque enim ipſe induci poterat, ut crederet eum populos docuiſſe, quod alias per Sedem Apoſtolicam aperte fuerat condemnatum.

B. Jacobi Picenſi de Sanguine Chriſti effuſo ſententia.

Impugnatur a Fr. Baptiſta Ordinis Prædicatorum.

Inquiſitor Briſien movet B. Jacobum erroris.

Reverendo in Chriſto Patri fratri Jacobo de Marchia, Evangelicæ doctrinæ prædicatori egregio, Ordinis Minorum, tamquam Patri honorando.

Ex autographo. II. *REverende Pater, humili ſemper commendatione præmiſſa. Quia ſemper ſingularem habui reverentiam ad V. P. & omni eam ſemper veneratione & honore proſecutus ſum, ideo eidem, quæ & famæ vellire, & populi, cujus ſaluti intenditis, utilitati conducant, ſignificare decrevi. Relatum mihi eſt a compluribus V. P. heſterno die in publica prædicatione dixiſſe, quod in morte Chriſti quatuor ſeparationes factæ ſint, quarum prima dicebatur corporis & animæ, ſecunda Divinitatis ab humanitate, tertia Sanguinis a corpore, quarta Sanguinis a Divinitate. Verum de tribus prioribus*

ribas nulla prorſus dubitatio eſt ; de quarta vero , Sanguinis ſcilicet a Divinitate , apud multos orta videtur admiratio . Ego autem ſciens V. P. in ſcripturis exercitatiſſimam eſſe , & vos velati veteranum & emeritam militem diu ſtudiis inſudaſſe , & pro communi ſalute populi laboraſſe , nec narrantibus illico fidem adhibui , nec vos ita prædicaſſe reſpondi ; dixique referentibus , aut eos V. Paternitatis ſermonem non ſanc intellexiſſe , aut ſi cum intellexerint , non rectè narrare . Itaque duxi humiliter ſignificandum V. P. quatenus velit populo declarare , quæ dixit , ne ulla remaneat in eorum cordibus dubitatio aut error , & ſolita prudentia veſtra dubitantibus facere ſatis . Hoc enim condemnatum fuit in Cathedrali Eccleſia Barchinonenſi de mandato Domini Clementis Papæ VI. & rationes præterea Doctorum in oppoſitum eſſe non dubiam eſt : nam Sanguis Chriſti effuſus pretium eſſe dicitur redemptionis humanæ , ſicut Leo Papa , & Bernardus & ceteri Doctores indubitanter aſſeverant ; itaque ſi ab eo Divinitas ſeparata fuiſſet , remanſiſſet pura creatura , & per conſequens finitæ virtutis ; unde nec ſufficiens ad redimendum hominem ullo pacto fuiſſet . Præterea ſi ſanguis Chriſti in cœna Domini conſecratus fuiſſet per triduum , quando Chriſtus in ſepulcro fuit ; aut tunc adorandus fuiſſet adoratione latriæ , aut non ; ſi fuiſſet adoratus adoratione latriæ , tunc , cum eſſet Divinitas ſeparata , adoratio latriæ exhibita fuiſſet puræ creaturæ , quod inconvenientiſſimum judicatur ; nec etiam adorarctur alia adoratione , quia primum , ſcilicet in cœna , fuit adoratus adoratione latriæ : Hinc etiam ſuffragatur quod dona Dei & vocatio ſunt ſine pœnitentia , nec videtur ratio , ſi ſemel Divinitas accepit ſanguinem , quare reliquerit . Multa ſunt alia ad hanc rem pertinentia , quæ (arbitror) V. P. non ignorat . Hæc P. Reverende rogo ea caritate V. P. ſuſcipiat , qua a me ſcribuntur . Veniſſem ego perſonaliter , niſi occupatiſſimus extitiſſem . Valeat feliciter V. P. cujus orationibus humiliter me commendo .

V. Paternitatis filius , frater Jacobus de Brixia , Ordinis Prædicatorum , Inquiſitor pravitatis hæreticæ in Lombardia .

III. Vir ſanctus morem geſturus Inquiſitori , & eorum , quæ prædicaverat , rationem redditurus , die Martis ingenti fervore ex roſtris dixit , omnia ſe toleraturum æquanimiter , præter unam objectæ hæreſis aut erroris injuriam : *hic enim* , inquit , *totius ædificii concutitur fundamentum , & tot annorum , quibus per ampliſſima regna prædicavi , doctrina in ſuſpicionem vocatur , ac ſi quem in populis prodaxi fructum , frigido hoc iniqui rumoris vento decoquitur & penitus diſſipatur . Nihil dixi novum neque peregrinum , ex meo non prodiit cerebro iſta doctrina , non in meo conflata eſt capite , magiſtros habui antiquos , & Doctores clariſſimos , qui præirent ; eos ſecutus ſum , qui alios Catholice docuerunt , & quorum laus eſt in Eccleſia.* Productiſque Bonaventuræ Cardinalis , Richardi & Mayronis codicibus , ex iis legit aperte , quæ in concione pridem diſtinctiſſime explicavit , deinde ſe vehementer admirari aſſeruit , quempiam in crimen hæreſis vocare , quod Catholici docuerunt magiſtri , neque quidquam dixit contra hanc aſſertionem ſolide objici poſſe , per quod poſſet condemnari . Male hæc habuerunt Inquiſitorem , & acriter commoverunt , omnemque exerens poteſtatem , peremptorium hoc citationis decretum eodem die tranſmiſit .

B. Jacobus rationem reddit ſuæ doctrinæ .

Citatur peremptorie ab Inquiſitore .

Not

Nos frater Jacobus de Brixia, ſacræ paginæ profeſſor, Ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Lombardia & Riparia Januenſi, a ſancta Sede Apoſtolica conſtitutus, fratri Jacobo de Marchia Ordinis Minorum, prudentiam ſectari.

IV. *Quia nobis relatu fide dignorum innotuit, quod poſt monitionem, qua tibi inſinuavimus cum omni reverentia, minus Catholice, dictum, Divinitatem a Sanguine Chriſti in cruce pendentis fuſo fuiſſe ſeparatam, hodie vero protervius id in populum ſpargere voluiſti, id etiam quod per Eccleſiam determinatum eſt, contradictione dicti tui hæreticum appellans; ideo tenore præſentium te requirimus & monemus primo, ſecundo & tertio & peremptorie, nihilominus tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna mandamus, quatenus aut dictam tuam ſententiam revoces ut erroneam & hæreticam, antequam de hac Civitate recedas, aut coram nobis de fide reſponſurus compareas cras in mane ante horam Tertiarum in Conventu ſancti Dominici de Brixia noſtræ reſidentiæ, aſſignantes tibi dictum terminum pro primo, ſecundo, tertio & peremptorio termino, ac canonica monitione. Alioquin ſi hæc mandata noſtra, quod non credimus, contempſeris, ex nunc prout ex tunc prædicta trina canonica monitione præmiſſa, in & contra te prædictam excommunicationis ſententiam auctoritate Apoſtolica, qua fungimur, ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgamus. In quorum fidem præſentes fieri juſſimus, & regiſtrari, noſtrique ſigilli impreſſione muniri, de quarum præſentatione, relationi cujuslibet nuncii cum juramento dabimus plenam fidem. Datum Brixiæ die* xx. *Aprilis anno* MCCCCLXII.

Stephaninus de Lorinis Notarius de mandato D. Inquiſitoris ſcripſit.

V. Delatorum calumniæ tribuendum eſt, quod in citatoria adjungitur, videlicet beatum Jacobum *contradictione dicti ſui hæreticum appellaſſe id, quod per Eccleſiam determinatum erat*; neque enim quidquam dixit adverſus contrarium ſentientes, ſed ſuam ſolam ſtabilivit ſententiam, & a fœda hæreſis nota voluit indemnem. Negavit conſtanter quidquid contra eam ab Eccleſia Catholica definitum, & quam adverſarii obtendebant, Clementis deciſionem dixit prorſus efficiam. Rationes porro ab Inquiſitore in ſua primordiali epiſtola non erant tanti ponderis, ut propter eas ab hac aſſertione, tamquam erronea, Jacobo fuerit recedendum, nec ad contrariam tamquam ad fidei articulum penitus accedendum; ſi enim docte expendantur, profecto facile diſſolventur. Porro Inquiſitoris auctoritas, & Jacobi virtus probe omnibus nota, vulgus incertum in ſtudia traxit contraria, tantuſque in urbe ortus eſt tumultus, ut Bartholomæum Maripetrum Brixienſem Antiſtitem, virum pium & doctum, beato Jacobo addictiſſimum, oportuerit conciliandæ paci ſuam operam interponere. Ad ſe itaque vocatos Inquiſitorem, Jacobum, & Baptiſtam in nobili conſeſſu doctorum, & graviſſimorum virorum, rationes utriuſque partis excepit, expendit, dijudicavit; cumque nihil authenticum, neque autographum neque exemplar Clementinæ, quæ toties inculcabatur, conſtitutionis exhiberi poſſet, perſuaſit Inquiſitori, ut citatorias revocaret, eoque conſentiente, ipſe Pontifex eaſdem laceravit, dixitque utramque ſententiam impune & Catholice poſſe prædicari, donec placeret Sedi Apoſtolicæ, quid tenendum eſſet, definire.

Ortam hinc rumbam conatur Epiſcopus ſedare.

finire. Omnia hæc confirmabunt publica inſtrumenta, ab Urbano ſcriba Imperiali tunc confecta. Primum eodem die jubente Epiſcopo, ex ipſius Notarii prodiit officina: ſecundum menſe ſequenti dedit teſtimonium Epiſcopi Vicarius Generalis. Utrumque ex ipſis exſcribo autographis.

In Chriſti nomine. Amen.

VI. *Anno a nativitate ejuſdem* MCCCCLXII. *Indict.* X. *die* XXI. *menſis Aprilis in Civitate Brixiæ, in Epiſcopali Palatio Brixienſi, præſentibus venerabili & ſapienti Decretorum Doctore Domino Benevenuto de Vanejo de Padua, Canonico Brixienſi, Generali Vicario infra nominati Reverendiſſimi Domini D. Epiſcopi Brixienſis, & egregio & ſapiente Juriſperito D. Laurentio de Patriis canſidico Brixienſi, teſtibus rogatis & notis; Venerabilis & religioſus vir, dictus frater Jacobus de Brixia ſacræ Theologiæ profeſſor, Ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis Inquiſitor &c. in præſentia, & ad inſtantiam & requiſitionem Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, D. Bartholomæi Maripetri, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Brixienſis &c. dixit, & ſponte confeſſus fuit, quod heſterna die ipſe dictus Inquiſitor revocavit & annullavit præceptum emanatum ex parte ipſius D. Inquiſitoris contra R. P. D. fratrem Jacobum de Marchia ſacræ Theologiæ profeſſorem, Ordinis Minorum, & quod ipſe Dominus Epiſcopus de conſenſu ipſius Domini Inquiſitoris, & etiam dicti fratris Jacobi de Marchia ipſum præceptum fregit &c. per quod quidem præceptum idem Dominus Inquiſitor mandabat Domino fratri Jacobo, quod revocare deberet id, quod dixerat, Divinitatem a Sanguine Chriſti in Cruce pendentis fuſo ſeparatam fuiſſe, aut quod comparere deberet coram ipſo Domino Inquiſitore reſponſurus de fide &c. ut latius in ipſo præcepto continetur. De quibus mandavit idem Dominus Epiſcopus per me Notarium publicum fieri inſtrumentum.*

Reconciliationis factæ primum teſtimonium. *Ex autographo.*

Ego Stephanus filius Fauſtini de Lorinis de Claris, civis Brixien. publica Imperiali auctoritate Notarius, & Epiſcopalis Curiæ Brixien. ſcriba, præmiſſis adfui, mandatoque prælibati Domini Epiſcopi, atque rogatus hoc inſtrumentum ſcripſi.

Aliud Vicarii Generalis teſtimonium.

Univerſis & ſingulis Chriſtifidelibus, ad quos præſentes pervenerint, Benevenutus de Vanejo de Padua, Decretorum Doctor, Canonicus Brixien. Reverendiſs. in Chriſto Patris & Domini, Dom. Bartholomæi Maripetri, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Brixienſis, Ducis, Marchionis & Comitis, ad præſens in remotis agentis, Vicarius Generalis, ſalutem.

VII. *Rationi & honeſtati conſentaneum videtur, ac ſæpenumero expedit veritati teſtimonium perhibere, ut omnis tollatur falſa ſubmurmuratio, quæ fortè pias aures tum perturbavit. Hinc eſt quod cum venerabilis P. frater Jacobus de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia, verbi Dei clariſſimus & Catholicus prædicator, ac hæreticæ pravitatis a ſancta Sede Apoſtolica univerſalis Inquiſitor deputatus, qui hac quadrageſima decurſa maximo cum devotionis fervore, & fructu non modico verbum Dominicum in hunc populum Brixienſem ſeminavit, in Reſurrectionis Dominicæ ſolemnitate ſacratiſſima accommodate populo prædicaſſet, quod a ſanguine Chriſti effuſo*

Secundum teſtimonium. *Ex autographo.*

in paſſione Divinitas ſeparata fuiſſet, ſecundum ſacrorum Theologorum ſententias, Dominorum Bonaventuræ, Richardi de Media villa, & Franciſci de Mayrone, omnium Ordinis Minorum; cujus contrarium cum prædicaſſet vir religioſus Ordinis Fratrum Prædicatorum, dictus frater Baptiſta, eadem die vel ſequenti poſt Nonas, idque intelligens venerabilis vir, dictus frater Jacobus dicti Ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Lombardia, litteras familiares ad ipſam venerabilem Patrem dictum fratrem Jacobum tranſmiſiſſet, quibus monebat eam, ut quod prædicaverat, retractare deberet tamquam erroneum & damnatum per ſel. rec. Dominum Clementem VI. ſummum Pontificem, & poſtera die idem Dominus Inquiſitor in Lombardia litteras citatorias ipſi Domino fratri Jacobo de Marchia miſiſſet, quibus præcipiebat eidem ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, ut dictam ejus ſententiam tamquam erroneam & hæreticam revocare deberet, antequam de hac Civitate recederet, aut quod coram ipſo Dom. Inquiſitore compareret de fide reſponſurus, ut latius in ipſis litteris continetur datis Brixiæ XX. *Aprilis proxime præteriti. Et cum in populo ob eam rem murmur invaleſceret, antedictus Dominus Epiſcopus ad ſe vocatis Dominis prædicatoribus & Inquiſitore prædictis, adſtante magna Eccleſiaſticorum Doctorum & nobilium concione, & intellecta rei ſerie & veritate, auditiſque rationibus & auctoritatibus ipſorum Dominorum Fratrum Jacobi & Baptiſtæ, quia neque copia, tranſumptum aut originale ipſius extravagantis Dom. Clementis antedicti apparebat; de conſenſu & voluntate præfati Dom. Inquiſitoris revocantis dictas citatorias litteras, eaſdem laceravit, mandavitque idem Dom. Epiſcopus pro pace & concordia hominum, & ut omne murmur, quod jam in populo pullulaverat, evaneſceret, quod in futura proxima prædicatione quilibet ipſorum Dominorum prædicatorum Fratrum Jacobi & Baptiſtæ publice ad populum prædicarent, neutram prædictarum propoſitionum hæreticalem eſſe, ſed quod quilibet quam opinionem vellet ſectaretur, ſtantibus variis opinionibus ſacrorum Theologorum, donec & uſquequo per Sanctiſſimum Dominum noſtrum Papam, ejuſque ſanctam Sedem Apoſtolicam, ad quam hujuſmodi dubietatet dirimere ac decidere ſpectat, aliud mandaretur & ſtatueretur; ſicque cum pace & laude Dei actum eſt ſummo cum applauſu omnium. In cujus rei fidem & teſtimonium requiſitus has meas litteras patentes ſigillo meo ſolito ſigillatas fieri mandavi. Datum in Epiſcopali palatio Brixienſi die* XI. *menſis Maii* MCCCCLXII. *Indictione* X.

Stephanus de Lorinis Epiſcopalis Curiæ Brixien. Notarius & ſcriba, mandato præfati Domini Vicarii ſcripſit.

B. Jacobi fama denigratur.

VIII. Nihilominus non defuerunt, qui virum Dei beatum Jacobum traducerent, & tamquam hæreticum calumniarentur. Authenticam habeo retractationem fratris Andreæ de Caſſia, filii Joannis Vannis, Ordinis Eremitarium ſancti Auguſtini, profitentis in publico conſeſſu coram Epiſcopo, Vicario Generali, multiſque viris urbis Camerini ſe temere nimis Jacobum hunc dixiſſe hæreticum, motum tamen ex falſo, qui ſpargebatur, rumore. Eadem etiam adverſa fama, & falſa ſuſpicio animos poſſedit civium Cremenſium, apud quos invaluit calumnia prædicatæ hæreſis, & iniquum infamiæ additamentum, eum propterea a Brixienſibus confuſum receſſiſſe.

Injuſte traducti teſtificantur Brixienſes.

Brixiæ audita hac impoſtura, ſui muneris judicarunt urbis Rectores & cives teſtimonium perhibere veritati, quod dupliciter perfecerunt, primo datis ad Cremenſes litteris, ſecundo confectis multis teſtificatæ innocentiæ inſtrumentis. Exemplaria produco. *Ma-*

Magnifico & generoſo Domino Poteſtati & Capitaneo, ac ſpectabilibus Præſidentibus magnificæ Civitatis Cremæ &c.

IX. *Magnifice & generoſe Domine, & ſpectabiles fratres cariſſimi. His ſuperioribus diebus & annis multa intelligentes de ſingulari doctrina & vitæ ſanctimonia clariſſimi prædicatoris fratris Jacobi de Marchia, & litteris & plurimis nunciis noſtris ſummo ſtudio & diligentia inſtitimus, ut R. P. ſuam in Civitate noſtra haberemus, & tandem Divino numine & ejus clementia, voti noſtri compotes effecti ſumus. Nam & nos viſere in Civitate noſtra in quadrageſima proxime decurſa, ſancte & Catholice prædicare dignatus eſt, cum ſumma laude omnipotentis Dei, & hujus populi noſtri conſolatione, fructu uberrimo, & animarum noſtrarum ſalute. Intelligentes itaque ſumma cum diſplicentia, quod in veſtro loco Cremæ publicatum fuerit Reverentiam ſuam hæreticam opinionem prædicaſſe, & tamquam confuſum a nobis diſceſſiſſe; dignum nobis putavimus pro ſumma noſtra & incredibili in eum obligatione & reverentia, magnificentiæ & ſpectabilitati veſtris in teſtimonium veritatis rem ipſam paucis enarrare, ut ſi quid de eo neguiter dictum fuerit, veritas habeatur, & lingua maledicens ſupprimatur. In die Reſurrectionis Dominicæ cum idem R. P. populo accommodate in mane prædicaſſet, in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti quatuor factas fuiſſe ſeparationes, ſcilicet animæ a corpore, Sanguinis a corpore, Divinitatis ab humanitate, & Divinitatis a Sanguine effuſa ſecundum ſacrorum Theologorum ſententiam, videlicet Dominorum Bonaventuræ, Richardi de Media-villa, & Franciſci de Mayrone & aliorum plurimorum: & venerabilis religioſus frater Baptiſta Ordinis Prædicatorum in die ſequenti poſt prandium contrarium prædicaſſet, videlicet Divinitatem numquam ſeparatam fuiſſe a Sanguine effuſo; venerabilis Dominus frater Jacobus dicti Ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis Inquiſitor in Lombardia, hoc ſentiens, eadem die per litteras familiares ipſum R. Patrem monuit, ut dictam ejus ſententiam tamquam erroneam revocaret; & cum Pater ipſe inhærens auctoritati ſacrorum Theologorum in opinione perſeveraret, idem Dom. Inquiſitor poſtridie litteras citatorias ipſi R. Patri tranſmiſit, quibus eidem præcepit ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis, ut dictam ejus ſententiam tamquam erroneam & hæreticam revocaret, antequam de Civitate noſtra recederet, aut quod coram ipſo Inquiſitore reſponſurus de fide compareret. Ex quo maximum murmur in populo invaleſceret, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus noſter ipſum R. Patrem, & venerabiles Inquiſitorem, & fratrem Baptiſtam prædictos ad ſe advocavit, & adſtante magna clariſſimorum Doctorum & nobilium Civium multitudine, intellecta rei ſerie & veritate, & auditis rationibus & auctoritatibus utriuſque partis deductis, mandavit utriſque pro pace & quiete, & ut populi murmur ſublevaretur, quod in die ſancti Georgii prædicarent & prædicare deberent, utramque opinionem teneri poſſe, donec & uſquequo per Sanctiſſimum Dominum noſtrum, quem in hac re conſulere decreverat, & ad quem tales dubietates decidere ſpectat, aliud mandaretur & ſtatueretur: ſicque cum laude Dei & pace actum eſt, & de concurſu ipſius Inquiſitoris litteræ illæ citatoriæ, tamquam non rectè emanatæ & factæ, revocatæ fuerunt, & demum cum tanta acceptatione, gratia & benevolentia & reverentia a nobis receſſit, ut hæc Civitas noſtra dum erit, numquam ejus R. P. immemor eſſe poſſit. Brixiæ die* XVII. *Maii* MCCCCLXII.

Ex copia authentica.

Communitas & Conſiliarii Brixiæ.

Ex autographo. X. *Quamquam ſancta & Catholica doctrina R. P. Dom. fratris Jacobi de Marchia non modo in tota Italia, ſed ferme ubique terrarum adea valgata & celebris ſit, ut non teſtimonio, nec alla noſtra commendatione egeat, nec etiam aliqua malevola obtrectatione obſcurari poſſit; tamen ſumma cum diſplicentia noſtra intelligentes, per nonnullos delatores in quibuſdam locis promulgatum extitiſſe, ipſum R. Patrem in die Reſurrectionis Dominicæ quamdam opinionem erroneam apud nos prædicaſſe, & tamquam confuſum a Civitate noſtra diſceſſiſſe: Dignum & conſentaneum nobis viſum eſt, pro veritate, & pro ſumma noſtra in Reverentiam ſuam fide & devotione, univerſis & ſingulis, ad quorum manus præſentes noſtræ pervenerint, denotare ipſum R. Patrem non opinionem allam erroneam, ſed doctrinam ſanctam & Catholicam, & a ſanctiſſimis Doctoribus Eccleſiæ comprobatam prædicaſſe cum ſumma laude Omnipotentis Dei, & tanto hujus populi noſtri concurſu, applauſu, fructu & conſolatione, quantum dici aut excogitari poſſit. Et quidquid contra ejus Catholicam doctrinam oppoſitum fuit, id omne cum laude ſua tamquam indebite factum retractatum extitiſſe. Et demum cum tanta gratia, acceptatione & omnium benevolentia & reverentia a nobis diſceſſiſſe, ut ejus reverenda memoria nulla rerum vel temporum varietate unquam a mentibus noſtris deleri aut obſcurari poſſit. In quorum fidem has noſtras litteras fieri fecimus, & regiſtrari, ſigillique noſtri impreſſione muniri. Brixiæ die* XVII. *Maii* MCCCCLXII.

Communitas & Conſiliarii Brixiæ.

Lanfrancus de Milis, magnificæ Communitatis Brixiæ Cancellarius, ex mandato ſcripſit.

Inquiſitor B. Jacobum ad diſputationem provocat.

XI. An vero hæc, aut ſi quæ alia Inquiſitorem pupugerint, animoſe & ardenter nimis ad publicam diſputationem Jacobum invitavit, & ad oſtendendum, qua fretus auctoritate, Inquiſitoris munus in commiſſa ſibi provincia exercuerit, requiſivit. Tenor hic eſt litterarum.

Reverendo in Chriſto Patri fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum, in Chriſto honorando, ubicumque fuerit.

Ex autographo. *Reverende Pater, humili commendatione præmiſſa. Intellexi poſtquam ex Brixienſi urbe receſſi, quod V. P. poſt reconciliatas amicitias, poſt compoſitam pacem, quam certe putabam eſſe perpetuam, quamvis noſtra ex parte nulla inimicitia aut diſcordia intervenerit, multas novitates circa materiam Sanguinis ſuſcitaverit, quod valde & ultra modum fam miratus, eam maxime a noſtris Fratribus nihil penitus fuerit poſtmodum innovatum. Neſcio cujus ſuaſione aut quo ſuggerente id V. P. fecerit, cum ex ea re nihil niſi ſcandalum in populo oriri poſſe videatur. Nunciatum præterea mihi fuit, quod poſt noſtrum ad capitulum receſſum ſollicitaveritis, & in publica prædicatione dixeritis, vos dediſſe operam, ut hæc materia in remotioribus partibus diſputetur; ideo quia magis conveniens videtur, at hic, ubi primo quæſtio mota fuit, & tumultus exortus, hujus rei veritas clucefiat, ne ſubterfugere aut tergiverſari putemur, V. P. ad diſputationem publicam invitamus, & omni modo requirimus, aſſignantes & ſtatuentes diem Jovis proxime futuram, aut diem Dominicum ſequentem, prout vobis commodius fuerit: quod ſi V. P. occupatione legitima teneretur, vobis optionem damus, ut infra quindecim*

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 255.
1462.	an. 4. & 5.	anno 23.	

decim dierum terminum diem vobis eligatis quemcumque volueritis, offerentes nos per dictos quindecim dies ad expectandum paratissimos, modo nobis aliquid significetis: notificantes quod nobiscum portabimus Richardum, Bonaventuram, & habemus etiam sanctum Thomam, ut veritas verborum nostrorum in publica dictorum fiat omnibus manifesta. Et quia vos in provincia mihi delegata, pro Inquisitore gessistis, & ipsius Inquisitionis auctoritatem exercere voluistis, ideo auctoritate officii mihi a Sede Apostolica delegati, vos requiro, ut mihi de dicta vestra auctoritate coram Ordinario Brixiæ pleniorem fidem faciatis, & scripta, si quæ habetis pro hac auctoritate, monstretis, ut etiam eorum scriptorum copiam habeam & authenticum, alioquin faciam ut melius mihi de jure ac Religionis honestate videbitur. Valete felix in Christo. Ex Brixia die XXII. *Maii* MCCCCLXII.

Vester in Domino conservus frater Jacobus de Brixia, hæreticæ pravitatis Inquisitor in partibus Lombardiæ.

XII. Disputationem ad contentionem & æmulationem potius, quam ad veritatem indagandam, indictam Jacobus neglexit, sed exercitæ in hæreticos Inquisitionis facultatem generalem a Sede Apostolica sibi commissam, Pontificiis edocuit instrumentis, quorum nos etiam suis locis exscripsimus exemplaria. Interim pessime Vir sanctus ubique audivit, adjecto rei gestæ turpi incremento, uti fama vel infamia loquax solet, quæ sua per mendacia crescit, & veris addere falsa consuescit. Etenim non solum a Sanguine fuso in passionis triduo dixerunt eum voluisse separatam Deitatem, sed etiam ab ipso corpore, atque ita ab aliis etiam disputari scripserunt, retuleruntque adversarii Pio Pontifici. Inde commotus Apostolicus Pastor, extemplo scripsit Vicario Generali Fratrum Observantum, ne permitteret amplius ista prædicari aut disputari, donec a Sede Apostolica, quid tenendum esset, decerneretur; jussitque mitti viros doctos, qui de hac re pertractarent. Id ipsum scripsit adversæ partis tutelaribus.

B. Jacobus & consocii accusantur immerito falsi dogmatis.

Jubet Pontifex utramque partem ab hac controversia abstinere.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Minorum de Observantia in partibus Lombardiæ.

XIII. *Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus non sine displicentia singulari, quod propter ea, quæ a Religiosis quibusdam Ordinis tui, & Prædicatorum de Sanguine Salvatoris nostri in passione effuso, & ejus corpore in sepulcro jacente, contrariis assertionibus prædicantur ac disputantur, gravia scandala in populis oriuntur, cum ii ab utroque separatam fuisse* Divinitatem, *illi vero non fuisse affirment. Gravis admodum res nobis est visa, tum propter veritatem, quæ unica est, tum propter simplicium animas, quæ prædicantium exemplum secutæ, devotionem suam in perversum zelum convertunt. Ut ergo nascenti huic malo, ne incrementum accipiat, celeriter occurratur, mandamus tibi in vim obedientiæ salutaris, ac sub excommunicationis pœna latæ sententiæ, quam non parens ipso facto incurras, quatenus statim acceptis præsentibus, sub eisdem pœnis, omnibus & singulis obedientiæ tuæ subjectis districte inhibeas, quibus & nos præsentium tenore sub iisdemmet pœnis inhibemus, ne de cetero, quousque aliud a Romana Sede in mandatis habuerint, de præfatis articulis quoquo modo directe vel indirecte, publice vel privatim, palam seu occulte disputare vel prædicare præsumant. Mandantes quoque devotioni tuæ sub censuris eisdem,*

Ex regist. Ordinis fol. 136.

dem, ut aliquot ex tua obedientia principales homines doctos, & verum Dei zelum habentes, ad Nos & Apoſtolicam Sedem per totum menſem Septembris perſonaliter mittas, reportaturos a nobis, quod fieri & obſervari ſtatuamus in poſterum. Hoc idem quoque ſub ſimili forma Fratribus Prædicatorum prædictis, per alterum Breve noſtrum mandamus. Det operam devotio tua, ut omnia celeriter & cum diligentia fiant, ſicut certe de tua bonitate confidimus. Datum Viterbii ſub annulo Piſcatoris die ultima Maii MCCCCLXII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

Vicarius Generalis Pontificis patet præcepto.

XIV. Admiratus eſt vehementer de illo additamento *corporis a Divinitate ſejuncti*, Vicarius Generalis, nihilominus ad omnes Provincias ſimiles his, quas ad Guardianum Brixienſem, litteras tranſmiſit.

Venerabili P. Fr. Danieli de Bergomo Guardiano Conventus Brixiæ.

Ibidem;

HOnorande Pater in Chriſto, cum commendatione plurima ſalutem. Heſterna die delatum eſt ad me Breve S. D. N. quo mihi per graves pœnas injungitur, ut ad ſingulas quaſque Provincias ſcribam, quod nullus prædicator aut frater de Chriſti Sanguine ſuper terram effuſo, aut corpore in ſepulcro jacente, eam ab utriſque ſeparatam fuiſſe Divinitatem noſtros prædicatores aſſerere, Sanctitati Suæ fuit nunciatum, publice ſeu occulte diſputare præſumant, quouſque per Apoſtolicam Sedem fuerit hæc controverſia diffinita. Etſi de corpore jacente in ſepulcro falſum ſit, quemquam noſtrum credere aut habuiſſe ſermonem, & per hoc Breve ſurreptitium reputare poſſemus, volo tamen, ut pro ea parte, quam de effuſo Sanguine veram eſſe noſtri aſſeverant Doctores, & quæ a noſtris eſt Fratribus prædicata, tuos & proximorum locorum commonefacias Fratres, ne diſpatent publice aut occulte, ſi ſummi Pontificis pœnas evadere optant, quæ Brevis infliguntur tenore, cujus alligatam copiam ad te mitto, quam & tu ad præfata loca abſque mora tranſmittas. Litteras quas ſcribo P. Vicario Provinciæ, per eclerem & ſpecialem nuncium protinus ad ſuam Paternitatem facias deportari. Vale & ora pro me. Mantuæ XII. *Junii* MCCCCLXII.

Fr. Ludovicus Vincentinus Vicarius Generalis &c.

Monet Pontificem ſe & ſuos indigne tractatos.

XV. Monuit deinde Pontificem impoſturæ, curavitque per alios in Curia explicari, nihil unquam actum de ſeparatione Divitatis a corpore, & proinde magnam ſibi ſuiſque irrogatam injuriam, rogavitque ut revocatis illis litteris, liceret ſibi innocentiæ Jacobi, aliorumque Fratrum in hac re teſtimonium perhibere. Benignum & pium hoc acceperunt reſponſum.

Dilectis filiis Vicario Generali, & reliquis Fratribus Ordinis Minorum, Regularis Obſervantiæ.

Ibidem.

DIlecti filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus & moleſte plurimum, quod Brevia noſtra Vicariis Generalibus Ordinis veſtri ac Fratrum Prædicatorum ob ſedandas ortas inter vos & dictos Fratres Prædicatores de Sanguine Chriſti in paſſione effuſo, contentiones miſſa, non rectam formam, uti a nobis fuerat conſtitutum, habuerant, eo quod in illis, ut accepimus, continebatur vos prædicare ac diſputare a Sanguine Chriſti in paſſione effuſo, & a corpore in ſepulcro jacente ſeparatam fuiſſe Divinitatem. Quod quidem de corpore in ſepulcro jacente, ut aſſeritis, aliquis veſtrum mi-

minime prædicavit, ſed de Sanguine ſolum effuſo, ut nonnulli Catholicorum Doctorum in ſuis operibus ac libris affirmant, & id nempe de corpore in ſepulcro jacente prædicare ſeu tenere eſſet hæreticum. Ex quo, quia prædicta Brevia id ſonabant de Chriſti corpore, nobis denunciatum eſt, inter plurimos Italiæ populos cum maximo ſcandalo Religionis veſtræ divulgatum eſſe, dilectum filium noſtrum fratrem Jacobum de Marchia Ordinis veſtri, quem in ſuis prædicationibus ſemper fuiſſe Catholicum, & pro Chriſtianæ fidei defenſione plurimos labores ſuſtinuiſſe comperimus, fuiſſe (quod minime verum eſt) comprehenſum, & confuſibiliter carceri mancipatum tamquam hæreſim ſapientem atque prædicantem. Proinde veſtris piis petitionibus inclinati, Brevia prædicta in hac parte revocamus & annullamus, vobiſque & veſtrum cuilibet, tenore præſentium concedimus & annuimus, ut ubique apud populos, in quibus id de prædicto fratre Jacobo, vel forte de alio quocumque Ordinis veſtri Fratre falſo fuiſſe divulgatum perſenſeritis, veſtram in hac re ac præfati fratris Jacobi innocentiam privatim ac publice demonſtrare valeatis. Datum Tuderti ſub annulo Piſcatoris die IV. *Decembris* MCCCCLXII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Pontifex revocat priores ſuas litteras.

XVI. Brixia profectus in patriam beatus Jacobus, accepit multa contra ſe ſpargi ab Inquiſitore, atque illud maxime quod contra Religioſos ſancti Dominici commoverit populum Brixienſem, multoſque interemptum iri, niſi malum opportune averteretur. Litteris rogavit Epiſcopum, ut ſi quid ſimile contigerit, reſcriberet, aut calumniam ſuo abſtergeret teſtimonio. Ita Epiſcopus reſpondit.

Aſſa ſpargitur in Jacobum calumnia.

Reverendo in Chriſto Patri, Domino fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum, Patri optimo.

Reverende in Chriſto Pater, accepi litteras P. V. in quibus mihi ſcribit Inquiſitorem undique eam diffamaſſe, eo impenſius quod commoveritis populum hunc meum Brixienſem adverſus Fratres & Ordinem ſuum pro materia ſeparationis Divinitatis a Sanguine, adeo quod niſi fuiſſet adhibitum remedium, multi homines forent interempti: Pro qua re P. V. rogat, utrum verum ſit, vel ne, velim eidem aliquid litterarum dare. Ego, mi Pater, nuſquam intellexi, nec aliquatenus perſenſi ea, quæ vobis inferuntur per Inquiſitorem, & vehementer admiror, ipſum tam aperte & imprudenter mentitum eſſe, quamquam id de tali viro, dedito virtuti & Religioni, difficile ſit mihi credere; Paternitas enim veſtra in ea materia pertractanda ſemper modeſte locuta eſt, nec ob hanc cauſam ortus eſt aliquis rumor vel tumultus in populo iſto adverſus Ordinem ſancti Dominici, quin imo & Ordinem & Inquiſitorem hunc ſemper & publice & privatim laudavit. At, utcumque ſit, rogo P. V. non magni faciat ea verba, nam, ut novit, bonis & probis viris numquam calumniæ & detractiones deſunt, & tamen veritas & virtus inconcuſſa perſiſtunt. Me Paternitati V. commendo, & rogo oret Deum pro me, paratus &c. Ex Brixia die V. *Auguſti* MCCCCLXII.

Ex originali.

B. Maripetrus Epiſcopus Brixien.

XVII. Monuit etiam per litteras Pium Pontificem commotæ in ſe tempeſtatis, objectaque infamia diminui fructum ſuarum prædicationum. Favorabile & honorificum hoc ab eo accepit reſponſum.

Jacobum confolatur Pontifex.

Di-

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Observantia professori.

Ex autographo.

Dilecte fili, salutem & Apostolicam benedictionem. Intelleximus ob nonnulla, quæ a devotione tua prædicata nuper dicuntur, infamatum te a plerisque de hæresi esse, & infamiam hujusmodi ex eo molestiorem tibi videri, quod tuarum prædicationum fructus perire appareat. Cupientes itaque consolationi tuæ, qui utiliter in vinea Domini es operatus, paterne consulere, tuæ caritati notum facimus per præsentes, non constare nobis te hæreticum esse, aut male de Catholica fide sentire, sed bonum, devotum & religiosum famulum Dei a nobis habitum esse & haberi. Datum Pientiæ sub annulo Piscatoris die XXV. *Septembris* MCCCCLXII. *Pontificatus nostri anno* V.

Convocat examinandæ veritati viros doctissimos.

XVIII. Crescente porro ubique tumultu, & latius se diffundente rumore, vehementique studio utraque parte inardescente, & in suas sententias socios attrahente, Pius Pontifex quæstionem gravissimam, tanto doctorum virorum conatu agitatam, & duarum illustrium Religionum præsidiis utrinque propugnatam & oppugnatam, decrevit committere cœtui doctissimorum hominum coram se diligenter examinandam. Admonuit itaque selectissimos Italiæ viros, ut sub Natalitia Dominica Romæ convenirent de hac quæstione disputaturi. Jacobus interim illustres quosque Academiarum Romæ, Perusii, Patavii, Neapolis, & Florentiæ Theologos per litteras consuluit, rogavitque ut quid in hac re sentirent, exponerent. Medicos vero, utrum sanguis esset pars essentialis corporis, aut informaretur anima? diligenter curavit interrogandos, probe sciens præcipuum asserendæ aut denegandæ unionis hypostaticæ cum sanguine fundamentum, hinc esse desumendum. Hæc sunt hujus controversiæ sub hunc annum initia; progressum & finem in sequentibus annis dabimus opportunius.

Regnorum Principes & urbes scribunt pro Canonizatione Capistrani. *Tom. 12. anno 1456. n. 121.*

XIX. Hoc anno communibus votis unitisque suffragiis omnes ferme Principes, Antistites, urbes Germaniæ, Poloniæ, Boemiæ & Hungariæ decreverunt Canonizationem Joannis Capistrani a Pio Pontifice compostulare. Litteras dederunt ferendas cuidam Minoritæ, viro gravi & docto, qui obiit in itinere, uti alias indicavi, easque sub mortem commendavit generoso militi Assisiati, qui ex Germania redibat. Ille domi reposuit, pauloque post in Germaniam rediit, ubi decessit. Filii nepotes suspicantes sacrum quid tot chartis, schedis & pergamenis contineri, capsulam, qua claudebantur, decenter reposuerunt, longoque annorum curriculo neglexerunt, donec ego ea in urbe per aliquot hærens dies, & Ordinis monumenta perquirens, percepi, in domo illa scripturas multas, rem nostram concernentes asservari. Accessi, rogavi domicilii virum ut apud se neglectas, mihi forte opportunas, ostenderet. Fecit ille perquam benigne, & capsulam tradidit libenter. Summa lætitia conspexi, quas hic produco litteras ad Pium Pontificem directas, pergameno exaratas, magnis mirisque sigillis obsignatas, & dum aliquas refero, omnes video ad eumdem canonizandi Capistrani scopum collimare. Urbano VIII. Pontifici, multis Cardinalibus, virisque Principibus ostendi, quibus valde placuit communem illarum regionum opinionem circa Capistrani sanctitatem conspicere, jusseruntque in commodum tempus reservari, aliquando fortassis effectum habituras. Interim ego exemplar lectori exhibeo; tædium fortassis pariet multitudo, recreabit tamen varietas, & delectabit argumentum.

San-

Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino Dom. Pio, Divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Domino noſtro Reverendiſſimo.

XX. *Beatiſſime Pater, Domine Reverendiſſime. Religioſi fratres Gabriel de Verona, ceterique Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia communiter nuncupati &c.* repetit eaſdem litteras quas dedit anno præcedenti uſque ad finem, *pro ſingulari beneficio recognoſcendum. Datum in oppido noſtro Gretes* XX. *die menſis Octobris, anno Domini &c.* MCCCCLXII. *Regnorum noſtrorum Romani* XXII. *Imperii* II. *Hungariæ vero* IV. Imperator Fridericus.

Fridericus Divina favente clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ac Auſtriæ, Stiriæ &c. Dux.

EIDEM.

XXI. *Beatiſſime Pater & Domine clementiſſime, humillima recommendatione ad devota pedum oſcula beatorum. Arbitramur Sanctitatem Veſtram non latere celeberrimam famam morum, & vitæ honeſtatem, beataque converſatione uberrimam, ac fructiferam doctrinam, Religioſiſſimi viri quondam fratris Joannis de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, dum in humanis continebatur, copioſiſſime imo largiſſime tam per verbi Divini ſeminationem, quam per varia, ut audivimus, prodigiorum miracula, populis Domino cooperante in nonnullis Regnis, Ducatibus, Provinciis inſtruendo, & ampliando ſplenduiſſe, orthodoxamque fidem ſcripturis authenticis approbando, multumque populum virtutibus decoravit, & a diverſis vitiis & malis conſuetudinibus removit, & ſalubernimis ipſius doctrinis ad cultum fidei Chriſtianæ convertit. Quem etiam Sanctitati V. ob inſignia ipſius merita non ſolum in vita, ſed jam ab humanis exutum, magnis miraculis & prodigiis plurimis in locis clareſcere intelleximus; non ſufficimus recommendare. Percepimus etiam apud Sanctitatem Veſtram, Imperialem Majeſtatem pro ſui Canonizatione ſatis eſſe ſollicitam, plurimoſque alios Principes, ceteroſque Barones & Comites ex ſpeciali devotione apud eamdem Sanctitatem Veſtram, eumdem fratrem Joannem de Capiſtrano promoviſſe. Nos igitur, qui Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia gratuite in Domino noſtro, ubi poſſumus, fovemus & obſervamus, Sanctitati Veſtræ humillimis precibus ſupplicamus una cum antedictis Fratribus pro rei tam dignæ expeditione celeri atque votiva, pro quo Omnipotens Deus Veſtram dignetur Sanctitatem in ſtatu proſpero & tranquillo longævo tempore feliciter conſervare. Datum ex Ratiſpona, XXIV. die menſis Octobris, anno Domini &c.* LXII. Comites Palatini Rheni.

Ejuſdem Sanctitatis V. devoti filii Joannes & Sigiſmundus fratres, Comites Palatini Rheni, ac ſuperioris & inferioris Bavariæ Duces &c.

EIDEM.

XXII. *Beatiſſime Pater, ad devota pedum oſcula beatorum. Domine clementiſſime. Præſentatæ ſunt mihi Imperiales litteræ, quibus intellexi Majeſtatis ſuæ deſideria ad Sanctitatem Veſtram pro Canonizatione bo-* Ropertus Dux Bavariæ, Adminiſtrator Ratiſponen.

bonæ memoriæ Joannis de Capiſtrano tranſmiſſa, ex quibus ſic ſcriptis, per Fratres Minores de Obſervantia hortatus fui ad favorem in hujuſmodi & auxilium apud Sanctitatem Veſtrom impendendum. Quore Beatiſſime Pater, piis devotionum affectibus plurimum rogito, & preces humiles fundo, quotenus Beatitudo Veſtra dignetur, prout juſtum & pium fuerit, hoic rei intendere pro gloria & honore Eccleſiæ & Sanctitatis Veſtræ, quam conſervare dignetur, & ſalvare Omnipotens per tempora longiora feliciter & votive. Datum Ratiſponæ die XXIV. *menſis Octobris, ſub anno & Nativitate Domini* MCCCCLXII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ. Devota Creatura Rupertus Comes Palatinus Rheni, & Bavariæ Dux, necnon Adminiſtrator Eccleſiæ Ratiſponen.

EIDEM.

Marchio Brandeburgi.

XXIII. *Beatiſſime Pater, & Domine clementiſſime, poſt devota pedum oſcula beatorum humillimo recommendotione præmiſſa, cum parotiſſimo animo in ſingulis obſequendi. Didici Sereniſſimum Dominum Imperatorem, Dominum utique meum gratioſiſſimum, cum nonnullis Sacri Imperii Principibus atque Communitotibus apad Sanctitatem Veſtram ex imis ſollicitum pro concnizatione religioſiſſimi quondam frotris Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum, qui dum ſpiritus vivox ſuos regeret artus, orthodoxa Religione & ſolutari doctrina ſe quaſi immortalem reddidit, ut & nunc mortali ſarcina exutus pervulgata ſoma circamquaque miraculoſis inſignibus ad ſidera uſque elatus clare perſonetur. Ob hoc nempe, & quia ſui Ordinis Fratres ſingulari favore complector, eamdem Veſtram Sanctitosem devotiſſimis offectibns orans, quatenus id ipſum Veſtra Sanctitas ſingulari gratia votive perficere dignetur, in hoc precibus omnium noſtrum orontium ſpe æternæ mereedis benigne annaendo. Ex Ratiſpona die Dominica ante feſtivitatem ſanctorum Simonis & Judæ, anno Domini &c.* LXII.

Ejuſdem Veſtræ Sanctitatis obedientiſſimus Albertus Marchio Brandeburgen. & Burgigravius Nurimburgen. &c.

EIDEM.

Dux Sleſiæ.

XXIV. *Sanctiſſime Pater, Domine mi metuendiſſime, poſt mei humillimam ſubjectionem captantem pedum oſcula beatorum. Arbitror ſanctitatem veſtram non latere celeberrimam famam morum, & vitæ honeſtatem &c.* Eædem ſunt cum litteris Comitum Palatinorum Rheni. *Ego igitar, qui Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia grosuite in Ducatu meo ubi poſſum, foveo & obſervo, concurro humillimis precaminibus una eum antedictis Fratribus ad Sanctitatis Veſtræ pedes pro rei tam dignæ expeditione celeri atque votiva. Datum Wolaviæ die Saturni* XXVI. *menſis Julii, anno &c.* MCCCCLXII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humillima creatura Conradus Albus Dux Sleſiæ & Olſmcen. &c.

Alii Sleſiæ Principes, & Anhaltenſis.

XXV. Ejuſdem tenoris litteras dederunt Hedigis & Fridericus Sleſiæ Duces ſub feſtum ſancti Jacobi in Legnitz. Suas quoque ejuſdem tenoris addi-

didit Bernardus Princeps in Anhalt, Comes Aſcaniæ, datas in caſtro ſuo Berunborg ſabbato poſt feſtum ſancti Ægidii Abbatis anno MCCCCLXII.

EIDEM.

BEatiſſime Pater, Domine & Domine clementiſſime, promptiſſimam atque humillimam obedientiam, fideique Catholicæ firmiſſimam conſtantiam, poſt oſcula pedum beatorum. Cum Altiſſimi Dei atque Salvatoris noſtri ineffabilis clementia, ſicut ab initio creationis mundi uſque in præſentem diem hominem (ad ſui quem imaginem & ſimilitudinem ex ſola ſua melliflua bonitate plaſmavit) ad finem ultimum non ceſſet vocare, etiam temporibus noſtris infeliciſſimis, quibus totus mundus in maligno poſitus eſt, eidem exemplar ſpeculumve Sanctitatis tranſmittere dignatus eſt, eum ſcilicet fratrem Joannem de Capiſtrano, Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, vita, ſtatu & moribus, quibus in prædicando ſacrum Evangelium in inclito regno noſtro Poloniæ, dum agebat in humanis, pollebat, doctrinam ſalutarem ſpurſit, morum beatæque vitæ converſationem, & quammaxime prædictæ Religionis Obſervantiam Regularem, & vitam oblitteratam multorum in lumen reduxit per viam, quæ omnia & ſingula ſequentibus ſignis miraculiſque confirmavit, quibus eum non tantum in vita, verum etiam in morte, necnon & poſt mortem decoravit Altiſſimus. Quò fit ut & Dei pietatem, & tanti viri merita ſincere ad memoriam revocantes, tanto nos erga ipſum fervoris amore accendunt, ut quem viventem in carne mortali colebamus, etiam nunc corpore exutum, ex intimis deſideramus venerari, qui, ut aſſeritur, in regno Hungariæ ubi corporaliter requieſcit, poſt mortem multa per Dei clementiam inter fideles Chriſti miracula ab alto pro meritis ſibi Divinitus conceſſis operatur. Cum igitur tam ſanctum & piiſſimum opus ad laudem Omnipotentis Dei, totiuſque Hierarchiæ cæli procuratur, veſtræ Beatitudini prece, qua poſſum, ſuppliciori ſupplico, quatenus præfatum Patrem Joannem de Capiſtrano latius per procuratores & promotores ejuſdem facti de virtutibus & prodigiis, quæ Deus per ejus merita operatur, commendandum, canonizare, & prout dignum fuerit, Sanctorum catholago adſcribere ob honorem Dei, gloriam Sedis Apoſtolicæ, & pro augmento Orthodoxæ fidei Catholicæ, deſtructionem pravitatis hæreticæ, & confirmationem fidelium Chriſtianorum dignetur Beatitudo Veſtra, quam Deus ſanam & felicem ad multos annos conſervare dignetur pro mea conſolatione, & ſtatu & honore Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum Poznaniæ die Martis, IV. menſis Januarii, anno Domini MCCCCLXII. Palatinus Leopolien.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humillimus filius Andreas Odruvaſch de Sprouva, Palatinus Leopolien. & terrarum Ruſſiæ Capitaneus generalis &c.

EIDEM.

XXVI. *BEatiſſime Pater & clementiſſime Domine, poſt devotiſſima pedum oſcula beatorum. Quantis virtutibus meritiſque beatæ memoriæ frater Joannes de Capiſtrano, dum in humanis ageret, claruerit, nedum una ſed plures per orbem nationes cognoverunt, & præ aliis cunctis Veſtra Beatitudo novit optime, quot ſanis doctrinis Eccleſiam Dei ædificaverit; propter quæ apud infinitas fideles Chriſtianæ perſonas ejus multa devotiane* Petrus Cardinalis Auguſten.

celebris memoria colitur. Unde & Imperatoria Mnjeſtns, nc Fratres Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia, multis clarere mirnculis aſſerentes eumdem, illius canonizationem ſumma devotione deſiderantes, requiſverunt & per me ad hoc opem conferri. Cumautem, clementiſſime Pater, hoc ſanctum deſiderium, juſtum & rationabile videatur, ſuppiico propterea elementiæ veſtræ devotis precibus, quatenus circa hanc materiam preces offerendas miſericorditer exaudire dignetur; in en ſingularem gratiam mihi & multis Chriſtifidelibns conferet Beatitndo Veſtra, quam Omnipotens Dsus pro felici ſtatu ſanctæ matris Eccleſiæ feliciter dignetur conſervare. Ex Ratiſpona die XXII. *Octobris anno Domini* MCCCCLXII.

Ejaſdem Sanctitatis Veſtræ humilis ſervulus
Petrus Cardinalis Auguſten.

EIDEM.

Epiſcopus Cracovien.

XXVII. *Beatiſſime Pater & Domine grntioſiſſime. Splendor & rara virtutum magnitudo & operum, quibns & in fide Orthodoxæ religioniſque noſtræ defenſione, dilatatione & incremento, & in diligendo Deo ædificandoqae proximo, & in aſperitnte vitæ paupertatem profundam exprimente, vir ſacerrimns & inſignis frater Joannes de Capiſtrano, ſub Ordine & Regula ſancti Franciſci militans, dum ſub carnis ſarcina inter mortales viveret, emicuit; ſtupenda quoque miracuin, quibus mortuis vitam, cæcis viſum, ſardis auditum, paralyticis, contractis, & variis oppreſſis languoribus ſanitatis uſum ad ſui nomini invocationem, ſuaque prece, intercеſſione & ſuffrngio Divinitas concedendo ipſum extulit, dignificavit, & in cœlicolarum numerum tranſluliſſe monſtravit: Ingens inſuper affectus, labor, cura & ſtudium, quæ vir ille apud regiones & populos Polonorum, erudiendo, argaendo, obſecrando, &, reſecatis vitiis & abaſibus, virtutes & mores optimos plantando, ſemen qaoque multiplex ſuæ ſanctimoniæ & vitæ, in diuturna duraturum tempora relinqnendo, impendiſſe compertns eſt, a me exigunt, ut Sanctitatem Veſtram pro illius canonizatione omni conata, niſu & ſtudia, omni interceſſione, prece & ſuffragio defatigem; ſi enim aliorum beatorum virorum Deo placentium, & in pari religione populos intra Alpes ædificantium, per anteceſſores Sanctitatis Veſtræ facili & liberali annuentia, ſammoqne conſenſn nomen amplificntum eſt, dignificatum & honoratum, quanta ampliori, ut cum venia ceterorum loqnar, hic nmplitudine, honore & canonizatione dignus eſt, qui labore & prædicatione Ciſalpina parum contentus, etiam illam in Tranſalpinas nationes tranſferens, majorem Europæ partem, vitæ & doctrinæ ſuæ ventilabro purgatam, rigatam & illnſtrem reddidit; qui mundi & carnis, quibus illium & paterna faceſſio, & major ſanguis hæredem & compotem fecerat, abdicatis illecebris, altiſſimam egeſtatem, candore vitæ & virore munditiæ ſectatus, in moderni maiignitate temporis, vir vere Apoſtolicus, prout ernt, cenſebatur; qui poſt annorum quadraginta, quibus in diffundendo verba vitæ, in extirpanda confutandaque hæreſi nocte interdiuque conſtantiſſime, & jugem in modum deſudavit, decurſum, nullamque ſibi cum ætate, quæ illi contigernt, decrepitn faciens controverſiam, ad propulſandam Turcorum rabiem, quam etiam potentes Orbis Principes pertimuiſſe notatum eſt, cum tenui & inermi, quem ex voluntariis militibus adunaverat, exercitu, finem dierum ſuorum martyrio conſumaturus, profectus, ſuperbum illum & noſtræ fidei ac religioni inſultantem Turcorum Ca-*

Cæſarem, armis ſuorum meritorum, & fidei non ſecus quam Amalechitas quondam Moyſes, oratione vicit & conflixit, & ab obſidione caſtri Alberegalis, cujus ſibi muris & mœniis demolitis & ſolo æquatis conquiſitionem Tureus facilem deſtinabat, turpiter operibus deſertis, fugere coegit? Quæ res ſola, ſi innumerabilia alia, & humanam fidem credulitatemque tranſcendentia, quibus futura impleuda & impleta, ipſam quoque Veſtræ Sanctitatis ad Apoſtolicæ Sedis faſtigium aſſumptionem prædicere longe ante ſcitus, non extarent, ſuffiecre eenſet humanum judicium ad præfati beati viri glorificationem. Humilius itaque quo poſſum V. Sanctitatem devoto & attento ſtudio deprecor, dignetur Sanctitas Veſtra his & aliis in auditorio Veſtræ Sanctitatis ſingillatim uberiuſque deducendis, attentis, præfatum virum beatum Joannem Capiſtranum pro Dei honore, fidei ſanctæ augmento, converſione infidelium, & exterminio hæreticorum, numero Sanctorum & cathalogo adſcribere, & Divorum cæleſtiumque conſortio apud cœtum fidelium aggregare; ut de tam nobili & inſigni patrono univerſalis Eccleſia gratuletur, & gaudeat ac floreat, regio noſtra exultet, barbaruſque & hæretieus contremiſcat; ut qui apud triumphantem Hieruſalem beatorum conſortio, & inæſtimabili dulcedine viſionis Dei, ut communis præſupponit credulitas, perfruitur, militantem ſuis meritis & ſuffragiis ſngiter adunare ſentiatur, quatenus hæc tam frequens Sanctorum in tempus veſtri Pontificatus accidens glorificatio, & laudem perpetuam apud mortales Veſtræ Sanctitati accumulet, & mercedem tandem poſt cineres tribuat ſempiternam. Datum Melfiin. III. Decembris, anno Domini MCCCCLXII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humilis & obſequentiſſimus ſervitor
Jacobus Graeovien. Epiſcopus.

Eidem.

XXVIII. *Obedientiam & reverentiam ad pedum oſcula beatorum. Venerunt ad me, Beatiſſime Pater, his diebus nonnulli Fratres Ordinis Minorum, quos de Obſervantia vocant, ex parte fratris Gabrielis de Verona Commiſſarii Vicarii Generalis præfati Ordinis de Obſervantia, quaſdam mihi Sereniſſimi Romanorum Imperatoris hortatorias litteras præſentantes, devoteque rogantes, ut pro paſtorali cura a Veſtra Sanctitate mihi commiſſa, de laudabili vita devotiſſimi quondam fratris Joannis de Capiſtrano dicti Ordinis, familiari quidem converſatione, dum viveret, mihi notiſſimi, necnon miraculis, quibus ipſum & Domini, & nobiles atque populares totius hujus terræ una voce, fama celebri clarniſſe proclamant, eamdem Veſtram Sanctitatem fideliter adviſarem. Pro portiuncula igitur curæ meæ, Piiſſime Pater, quam, uti debeo, ita gerere vehementer deſidero, ut Sanctitatis Veſtræ, Sediſque Apoſtolicæ reverentia, hominumque nedum meæ diœceſis, verum totius orbis devotio continuo augerentur incremento. Quod quidem perfacile ſolita Sanctitatis Veſtræ elementia efficietur, ſi religioſiſſimum illum virum Joannem Capiſtranum, examinata primum cauſa, uti fit, conſueto rigore, in Sanctorum cathalago deſcribendum pronuntiuverit. Eſt revera, Beatiſſime Pater, in mea diœceſi ampliſſimum hominum non levium teſtimonium de rigidiſſima, religioſiſſima virtuoſiſſimaque, dum apud eos erat, ipſius vita; extat etiam vulgo latiſſima fama, qua & ego plurimorum creberrima recitatione aceeperam, & in diet accipio, per ipſum devotiſſimum quondam virum plurima ſupra naturam Divinitus miraculoſeque facta fuiſſe. Eam itaque*

Epiſcopus Olomucen. *Vide an.* 1461. n. 7.

que de præſtantiſſimo quondam viro his brevibus pro rata fidem præſto, ipſumque juxta Fratrum ſuorum vota, pro ſuis meritis humillima affectione recommitto. Quod ſi Beatitudo Veſtra me ipſoſque votive exaudierit, ſibique locum præmiumque laborum terreſtrium apud ſuperos ſtatuerit, Fratres ſuperſtitet ad religioſiſſime beateque vivendum inducet, ac populi Chriſtiani devotionem mirum augebit in modum, ad Dei laudem, Sanctorumque congratulationem, Sedis quoque Apoſtolicæ reverentiam & honorem. Ex oppido Wiſchaw, Olomucen. diœceſi, anno a Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti MCCCCLXII. *Indictione decima, die vero Jovis prima menſis Julii, Pontificatus ejuſdem Sanctitatis Veſtræ anno* IV.

Per Prothaſium Epiſcopum Olomucen.

EIDEM.

Epiſc. Miſſnen. XXIX. *POſt devota pedum oſcula beatorum cum devotiſſima immediatæ ſubjectionis profeſſione, ac humillima recommendatione, atque ea qua decet honoris & reverentiæ debitæque obedientiæ delatione. Beatiſſime Pater, ſanctitatem veſtram credo ſæpenumero clare accepiſſe celeberrimam famam morum, & vitæ honeſtatem, beatamque converſationem religioſiſſimi viri fratris Joannis de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, dum ageret in humanis, quem profiteor etiam aliquandiu in diœceſi mea Miſſnen. vitam laude, præconio, gloria & honore dignam egiſſe, ſuaviſſimas doctrinas pro incremento fidei Orthodoxæ, vulgi etiam totius eruditione, admodum docto eloquio, pia utique exhortatione ſingulis diebus fudiſſe, hereſes quaſcumque in primis perſecutum fuiſſe, ludos in omni genere nefarios damnaſſe, & infinitos ferme obſtinatos ad pœnitentiam reduxiſſe, exemplo & verbo juſtis honeſtiſſimiſque, honore dignis claruiſſe, quem ſanctitati veſtræ ob inſignia ipſius merita non ſufficio recommendare. Accepta igitur informatione quod ſanctitas veſtra atque Imperialis Majeſtas pro canonizatione ejuſdem pii Patris ſit ſatis ſollicita, cum & ego humilis creatura Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia gratuite, ubi poſſum, foveam, cadens una cum dictis Fratribus ad ſanctitatis veſtræ pedes, humillimis recurro precaminibus, ut pro laude Dei & honore omnium Sanctorum, ac incremento totius Eccleſiæ militantis, pro canonizatione ejuſdem pii Patris intendere velitis, meque humilem creaturam eadem Sanctitas veſtra recommendatum ſuſcipiat; reddo enim me obligatum ad omnem obedientiam ſanctitati veſtræ jugibus temporibus. Quam Altiſſimus conſervare dignetur feliciter & longæve pro regimine Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Ex caſtro meo Mogelin, anno Domini* MCCCCLXII. XI. *die menſis Auguſti.*

Humilis creatura Gaſpar Epiſcopus Miſſnen.

EIDEM.

Epiſc. Eyſtæten. XXX. *BEatiſſime Pater, ad devota pedum oſcula beatorum, Domine clementiſſime. Redditæ ſunt mihi jampridem litteræ Imperiales, quibus intellexi Majeſtatis ſuæ deſideria, quæ pro celebritate nominis colendi ac vere beati Viri olim fratris Joannis de Capiſtrano gerit, atque precibus ſuis meas quoque adjicere rogatus ſum. Libenter profecto hæc tam pia vota juſtiſſimi Imperatoris, ſi tanti eſſet auctoritas mea, promoverem. At virtutes*

tes Viri, multa ac varia, quæ pro ſancta Catholica geſſit Eccleſia, non omnino filere me ſinunt, quin ſanctitati veſtræ ſupplex ſim. Non dubito, beatiſſime Pater, beatitudo veſtra tanto faciliorem preeibus meis, atque adeo omnium ſe præbebit, quanto ſpectatior eidem & notior Viri tam præclari vita fuit. Vidit clementia veſtra religioſam ſeveritatem ejus; audivit ſaluberrimam doctrinam, quæ non modo Allemaniam noſtram, verum magnam Chriſtianæ Univerſitatis partem abunde refecit. Itaque minime dubito, quin pro his claris virtutibus & ſalubri prædicatione immortalitatem nominis reddere ſtudeat ſanctitas veſtra, & eum, qui vita ſanctiſſima, & poſt mortem miraculis claruit claretque, cœlicolarum numero adſcribat. Quod ut beatitudo veſtra faciat, humiliter ac ſummo ſtudio ſupplex oro: ſatisfaciet precibus meis, ac expectationi vulgi, quod eumdem Joannem & viventem coluit, & mortuum inter ſanctos venerari non dedignatur. Omnipotens pro felici incremento Eccleſiæ ſuæ ſanctæ longæve conſervare dignetur ſanctitatem veſtram colendiſſimam, cujus pedibus me & Eccleſiam meam humiliter commendo. Datum in oppido Berchingen 1. Octobris, anno Domini MCCCCLXII.

Ejuſdem ſanctitatis veſtræ humilis minimuſque Capellanus,
Joannes Epiſcopus Eyſteten.

Eidem.

XXXI. *Beatiſſime Pater, & Domine, Domine colendiſſime. Si ſtatus & perſonæ meæ lege vetita abuti non metuerem, vel ſi rationis intelligentiæque propriæ inertiam non videar ipſemet accuſare, cuperem ſanctitati veſtræ egregii & olim viri Domini Joannis de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, virtutem mihi cognitam ex vitæ exemplo & opere relucentem, ad cujus canonizationem altiorum pluriamque perſonarum preces ſanctitatem veſtram reor nunc puiſandam ac permonendam, fidei teſtimonio affirmare, & mulierculæ exiguum æs gazophylacio deferentis affectu ſpei confiſus, humillima & ſuccincta, licet indocta oratione, cum venia ſanctitatis veſtræ ceteris me conformare. Non mihi denique dumtaxat, ſanctiſſime Pater, ſed magnæ parti totius orbis reſonuit, illuxitque digniſſimi illius viri vitæ virtus & meritum, qui corruptibilium adhuc forma fungens, omni cura, labore & ſollicitudine, viribus etiam humanis, niſi cœlitus animetur, intolerabili, incorruptam omnibus legit Divinæ pectoribus doctrinam, quæ non minus ex ejuſdem vitæ exemplo, virtute & factis, quam verbo emicuit, aſſiduus inſerebat, errores hæreſeſque, & ceteras Chriſtianæ religioni noxias contrariaſque vepres toto conatu & ſtudio evellebat, fugabat, & tamquam Chriſti agricola non ſine centeno fructu & uſura ſuper commiſſa cura de culpa ſollicitus excolebat. Illius quippe quamvis genus, perſona, opes, & ceteræ naturæ qualitates & additamenta totius fere Europæ & Alemaniæ incolis fuere primum ignota, ſola virtus, ſcientia, veritatis profeſſio, & plurimæ aliæ laudabiles animi dotes notitiam nominiſque famam apud ſingulos illi tunc genuerunt & auxerunt, gratumque ac carum in conſpectu Principum, Prælatorum & univerſorum populorum reddiderunt. Hujus ego præſentiam in Uratislavia tunc agentem accipiens, rogatu, comitatu operaque propriis in Cracoviam hilaris conduxi, ubi Monaſterio Ordinis ſui fundato, certos dies in verbo, doctrina & exemplo ignaros benigne & more paterno erudiens, laborioſe conſumpſit. Abſuit cito Eccleſiæ & Civitati Cracovien. utiliſſimus ille pater; abeſt jam & ſeculo, cujus, ſi in eo moderno turbine non mediocri, poſt opti-*

Caſellanus Cracovien.

optimæ memoriæ olim Domini Thomæ, ultimi Epiſcopi Cracovien. digniſſimi deceſſum, ſtudio pro ipſa ſede contendentium injecto & fato, eadem Eccleſia Cracovien. mereari valeret vivam præſentiam, fuiſſet revera a tantis periculis, ſcandalis preſſuriſque, quibus nunc immerſa eſt, eruta & præſervata; intrepidus enim unicuique ſtatuum & perſonarum veritatem, prout ſemper conſueverat, fateri non formidaret, neque vereretur perſonarum contendentium jura, & ad ipſam ſedem ingreſſum laudare aut reprobare. Quo autem nunc gradu negotia ejuſdem Eccleſiæ Cracovien. ſiſtant, Veſtræ Sanctitatis Legatus Reverendus Dominus Archiepiſcopus Creten. poſtquam ſeiſcitabitur, veriſſime ſingula poterit explorare, & plenariæ ejuſdem Sanctitatis Veſtræ agnitioni innuere vel reportare. Quid dominum fecerit vir & ſervus Jeſu Chriſti, cujus nomen ſicut in ore & in corde, & in omni actione confidentiſſime geſtitabat, ferociſſimo Theucro, Albam Regalem tunc fortiſſime expugnanti, qui in omnibus ſuis fere jam deſperatione victoriæ percuſſis, parvis ex Polonia, paucioribuſque adhuc ex Hungaria exercitibus, qui ſecum aderant, ſæpe bona impetrata & reſtituta, victricia arma & animos perſuadens & mandans, in Theucrum alacer irruit, & magis Divinæ gratiæ manu, precesque & merito propriis, quam pugnatorum parvitate proſtravit, & ab obſidione urbis illius recedere coegit. Cujus rei veritatem planiori aliorum documento Sanctitatem Veſtram confido diutius expertam, vix aliquis certe dubitare queat tam dignum virum, qui ex fructu operum ſuorum aperte cognoſcitur, poſt tot tantoſque labores ſuos, poſt hunc que notabilem triumphum celerius corpore exutum, quin & carnis hoſtiſque noſtri inviſibilis altero potitus in agone triumpho, victor in cælum rapitur. Quod etiam prodigia ad ſepulcrum ejus, prout plerorumque non ficta fama teſtatur, percrebreſcentia confirmant; ita ut quemadmodum ſub hujus corporis mole gradiens, ſeipſum laudi cultuique Divino, ſic & poſt mortem ſpiritum devoverat Chriſto, in cujus gloria regni nunc creditur exultare. Supplex itaque Sanctitatem Veſtram, licet indignus, exoro, quatenus ex eis teſtimoniis, quæ plurima ad Sanctitatem Veſtram confluxiſſe credo, veritate indagata & exculta, ad canonizationem hujus digni viri, proutcumque fas eſt, dignetur animo pariter & effectu conſurgere, & pro laude Jeſu Chriſti, in cujus nomine omnia recte agenda fiunt & optantur, pro ſanctæque matris Eccleſiæ religione, & univerſæ plebis Chriſtianæ, ſingulariter tamen Fratrum & Monaſteriorum Ordinis hujus immenſa jocunditate non dedignetur rem hanc, cum digne cenſeatur, pie exequi, retributionem Divinam, & totius populi gratitudinem Sanctitas Veſtra pro eo acceptura. Datum in Thanezin die Martis XXVIII. *menſis Decembris, anno Domini* MCCCCLXII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humilis exorator & ſervus Joannes de Thanezin Caſtellanus Cracovien.

EIDEM.

Capitaneus Woſchoviez.

XXXII. *Orthodoxæ fidei conſtantiam, Catholicæque religionis profectum, necnon ſic promptitudinem obediendi, ut ſeſe offeramus ad pedum Veſtræ Sanctitatis oſcula beatorum. Cum itaque bonum ipſum quanto communius, tanto ſit Divinius, nec Cunctipotens univerſa creatorum genera ad ſui indigentiam plaſmaverit, quinimo ipſe, qui bonorum noſtrorum non eget, ſua mera pietate tantum voluit, dixit & ſtatuit facta ſingula ſua hominum utilitatibus ſervitura, ut nedum ipſe omnium rerum creator, rector*

ctor & conſervator ſuis ſanctiſſimis Apoſtolis & diſcipulis, ceteriſque juſtis quamplurimis ſe miniſtrare in hunc mundum veniſſe aſſereret, ſed & quod ſtupendiſſimi amoris eſt indicium, Eccleſiæ reprobis unus pro omnibus ſubditus extitiſſe videatur, ut ſic lumen omnem hominem tamquam ſupra candelabrum poſitum, non ſub modio abſconditum, virtutum meritis illuſtraret. Quapropter, ſanctiſſime in Chriſto Pater & Domine colendiſſime, illius motus caritate, qui lumen ſuorum ſic coram hominibus lucere juſſit, ut videntes etiam huic ſeculo defunctorum opera bona, bi qui in tenebris errorum, & in umbra mortis ſedent delictorum, glorificent patrem, qui in cœlis eſt, ſupplici corde, cernua devotionis inſtantia unanimiter petimus, quatenus felicis recordationis virum ac Patrem, fratrem videlicet Joannem de Capiſtrano, ſacri Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, dignemini adſcribere Sanctorum cathalogo in terris, quem ſic Altiſſimus glorificavit, ut creditur, in excelſis, ut dum labilem adhuc hanc ſuſtineret vitam, omni fere hora eumdem ſanctæ vitæ hominem proclamaret; cujus denique fama ſanctitatis, miraculorum inſuper & Divinorum prodigiorum gratia plena eſt omnis terra; quod utique R. P. frater Gabriel de Verona, una cum ceteris ſuis Fratribus Ordinis prælibati, coram nobis deifice converſantibus, claris virtutum exemplis, veriſque teſtimoniis non ceſſant approbare, & certa experientia cogit exequendum. Quibus ſic exauditis gratioſe poſtulatis, Deilaus, honor & gloria, Romanæ Eccleſiæ, & univerſalis fidei incrementum ſuſcipict, omnis demum perfidia hæreticæ pravitatis patietur detrimentum, Chriſtiana quoque corda, ut novit Veſtra Sanctitas, conſolationem pariter & robur percipiunt in Domino ſingulare. Datum in Woſchowa die Martis XXVIII. *menſis Decembris, anno Domini* MCCCCLXII.

Albertus Goriky Capitaneus Woſchovien. & Caſtellanus Landen. Veſtræ Sanctitati pronus ad pedum oſcula beatorum &c.

EIDEM.

XXXIII. *Sanctiſſime clementiſſimeque Pater ac Domine, ſeipſos humillimos ad pedum oſcula beatorum. Non ambigimus auribus Sanctitatis Veſtræ dudum inſonuiſſe celeberrimam morum, vitæ & honeſtatis famam, commendabilem converſationem, Apoſtolicamque uberrimam doctrinam religioſiſſimi viri quondam Joannis de Capiſtrano, Fratrum Ordinis Minorum de Obſervantia, dum in humanis continebatur, copioſiſſime, imo largiſſime tam per verbi Divini ſeminationem, quam per variorum prodigiorum & miraculorum coruſcationem populis, Domino cooperante, in nonnullis regnis, ducatibus ac provinciis inſtruendo, prædicando & ſuffragando reſulſiſſe, verum etiam adverſariis ac emulis Orthodoxæ fidei perfidiſſimis veluti leonibus rugientibus, quem devorarent, quærentibus, Chriſtianiſſimi fidem publicando, ſaluberrimis quoque ipſius doctrinis ad cultum ſacræ fidei convertendo, viam cunctis Chriſticolis ſalutiferam, Sedi Apoſtolicæ ſubjugalibus, ejuſdem cultoribus ſollicitiſſime exhortando verbis, atque prodigiis approbando ratificavit, & a diverſis vitiis, malis conſuetudinibus, ludorum ſpurcitiis removit, Divinoque cultu ferventem atque diligentem reparavit. Quem nunc Sanctitati Veſtræ ob inſignia ejus merita non ſolum in vita, imo ab humanis exutum prodigiis miraculiſque in locis clareſcere ſcientes, non ſufficimus recommendare. Accepimus etiam apud Sanctitatem Veſtram Imperialem Majeſtatem pro ſui canonizatione, plurimoſque alios Principes, ceteroſque Domi-*

Urbs Noviſenſis.

nos ex ſpeciali ipſorum devotione apud eumdem fratrem Joannem de Capiſtrano promoviſſe. Nos igitur qui Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia grasuite, ubi peſſimus, fovemus, eorumdem tam ſancto deſiderio, quorum etiam precum ac noſtrarum humilium intuitu eidem Sanctitati Veſtræ recommendamus; extant enim aperta miracula, quæ patentibus teſtimoniis apud Sanctitatem Veſtram liquide patebunt; nemo enim ex nobis eſt, qui vitam doctrinamque ſuam, cum aliquando apud nos verbum Divinum continuaverat, juxta judicii noſtri parvitatem ſufficienter laudare poterit atque probare. Recurrimus igitur una cum antedictis Fratribus ad Sanctitatis Veſtræ pedes pro rei tam dignæ expeditione celeri atque votiva ex Civitate Noviforenſi clementer exaudire, & miſericordiſſime ſuſcipere, atque perſonaliter exaudire. Datum in Novo-foro XIII. *Kalendas menſis Julii, anno Domini* MCCCCLXII. *noſtræ Civitatis ſub ſigillo.*

Humiles ſervitores & obedientiæ filii, Conſules Civitatis Noviforen.

EIDEM.

Urbs Brunen.

Conv. Brunen.

XXXIV. *Beatiſſime Pater, clementiſſime Domine, humillima ſubmiſſione cum devotis pedum oſculis beatorum. Veſtræ Sanctitatis oratores religioſi viri Fratres Minores, de Obſervantia nuncupati, ex incluſo novæ fundationis Cœnobio mœnibus urbis noſtræ contiguo, cum ſublimia merita venerandi recordii fratris Joannis de Capiſtrano haud modo in vita, quin potius eo jam humato, ad ſarcophagum tumuli ejus emicuiſſe ſuperſatis etiam noſtri climatis populares illuſtribus præditi miraculis, ejus ipſius viri laudiſſonam famam detegerent; contemplantibus denique nobis ampliſſimis ac egregiis beneficiis, quibus in puſillo noſtræ Civitatis grege prævius inſignem beatis & ſanctiſſimis geſtibus auxit devotionis fervorem, facillimum perſuaſimus magnum & ingens nobis adeſſe deſiderium, ſi quid poſſimus, atque etiam ſi vigoris ſit circa tanti viri eximiique laudem, omni niſu ſollicitari; claruerunt enim apud nos ejus ineffabilis doctrinarum profunditas, confertus & præcopioſus ſanctimoniæ & devotionis ardor, & inter cetera fere innumeros in regno Boemiæ & Marchionatu Moraviæ ſchiſmatum vepribus, & aliarum incredulitatum ſanie labefactatos promiſcue Barones, militares, civiles, rurales utriuſque ſexus homines, pervigili ſtudio, laborioſa doctrina ad viam veritatis reducendo, Eccleſiæ ſanctæ gremio reconciliando, reſtituit filios peculiares, & compendioſe dicere, quidquid undique virtutis, beneficentiæ in orbe extitit, firmiter credimus in eo viro excellentiſſime fuiſſe coacervatum. Perſtrepente demum eo apud nos, quod Majeſtas Imperialis, ac plerique Principes, Magnates, urbiumque Præſides, ejus canonizationi annitenterentur, nihil electius, nilque ſalubrius nobis profecto afferri potuit, quam frugiferæ bujuſce rei adoptio, ſed ſuper amnia validiſſimum tam celebris materiæ actualis progreſſus. Ea de re Sanctitatis Veſtræ pedibus una cum prædictis Fratribus in humum provoluti, ob gloriam nominis Dei magnopere precamur obteſtamurque, quatenus ea ipſa Sanctitas Veſtra huic ſanctæ rei, quod ſuum eſt, pro indicta a Deo clementia velit gratioſe accommodare, incrementum Divini honoris ex culmine viri benemeriti abundantiſſime cumulatura, quod ut Sanctitas Veſtra facere dignetur, iterum atque iterum devotius exoramus. Ex Bruna pridie Idus Julii, anno Domini* MCCCCLXII. *per*

Sanctitatis Veſtræ humillimos filios, Magiſtrum civium, Judicem, necnon novos & antiquos Conſules Civitatis Brunen.

EI-

EIDEM.

XXXV. *Sanctiſſime clementiſſimeque Pater & Domine, ſe ipſos humillimos ad pedum oſcula beatorum. Non ambiguimus auribus Sanctitatis Veſtræ dudum inſonuiſſe celeberrimam &c.* ut in præcedenti epiſtola Civitatis Noviforenſis. *Datum Niſze die Lunæ* XII. *menſis Junii, ſub anno Domini* MCCCCLXII. Urbs Niſzenſis.

Humillimus Magiſter civium, Conſuleſque Civitatis Niſze, Eccleſiæque ſubditi &c.

EIDEM.

XXXVI. *Sanctiſſime Pater, gratioſiſſime ac clementiſſime Domine, obedientiam humillimam, atque Chriſtianam fidelitutem ad oſcula pedum beatorum. Virtutum opera, vitæque irreprehenſibilis claritas, ac doctrinæ ſalus, quibus dum in humanis eſſet, Reverendus Pater & devotiſſimus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia claruit, exemplar inſigne fuit, ac univerſam nedum noſtram, ſed multarum terrarum gentem fœcundavit, nos exteris ad teſtimonium præbendum & petendum inducunt, & faciunt ferventiores, quanto ſincerius hanc ſuam Civitatem præ aliis dilexit, in qua per plures menſes quotidianis prædicationibus innumera bona effecit, multum populum virtutibus inſignivit, a diverſis vitiis, malis conſuetudinibus, ludorum ſpurcitiis removit, & Divino cultui ferventem atque diligentem reparavit. Tacemus de multis pulcherrimis Eccleſiis & clauſtris per eum contra hæreticam pravitatem extructis, in quibus Divinum augens honorem, Catholicæ fidei non debile poſuit fundamentum. Nec nobis dubium, imo mundum non neſcire credimus, quantis miraculis in vita fulſit, quæ imo tota ejus vita Sanctitatem Veſtram minime latentes, verius teſtimonium ſuæ ſanctitatis proponunt; inter cetera tamen, ne tanti Viri ſanctitatem taceamus, unum recitamus, dum apud nos eſſet, pluribus præcedentibus annis, ut vetus propheta, omne quod jam huic Civitati & nobis accidit, ad punctum prædixit, quod in ſcriptis redigere longum eſſet, & ſuæ ſanctitatis non modicum eſſe teſtimonium putamus, de quo Wratislavienſis plebs bodie gaudet, & ſuæ ſpei ancboram tamquam in propbetiam ſtabilivit. Et quia, ut ſuſcepimus, plures, præcipue Chriſtianiſſima Cæſarea Majeſtas, ac Excellentiſſimi Domini & Chriſtianæ Civitates apud Sanctitatem Veſtram precibus inſtent, petant & deſiderent, ut Veſtra Sanctitas pro canonizatione ſua invigilet atque intendat. Igitur pietate Beatitudinis Veſtræ, & ſuis meritis, quibus ut non ambigimus, apud Deum potens eſt, has humillimas atque devotas preces noſtras ante pedes beatos una cum aliis Chriſtianis præcordialiter ſtuduimus effundere, quatenus ad laudem Dei, & Sanctorum ſuorum bonorem, totiuſque militantis Eccleſiæ gloriam, & Veſtræ clementiſſimæ Paternitatis æternam & benedictam memoriam, canonizationi & ſanctitati tanti Patris intendere, & juxta immenſam prudentiam Sanctitatis Veſtræ, cui hanc rem ſubmittimus, hujuſmodi Chriſtianas preces, quantum poſſibiles fuerint, miſericordiſſime ſuſcipere, & paternaliter exaudire V. Sanctitas ne dedignetur, quam Altiſſimus in cunctis viis cuſtodiat & dirigat proſperam, tempora per longiora ſaniſſime victuram, noſtram in unicam conſolationem. Datum Wratislaviæ die* XV. *menſis Julii, anno Domini* MCCCCLXII. Urbs Wratislavienſis.

Ejuſdem Veſtræ Sanctitatis humiles ſervitores & obedientiæ filii Conſules Civitatis Wratislavien.

Eidem.

Civitas Olomucenſis. XXXVII. *Sanctiſſime Pater & clementiſſime Domine, ſeſe humillimos ad pedum oſcula beatorum. Non ignoramus, auribus Sanctitatis Veſtræ jam dudum intonniſſe celeberrimam famam, morum & vitæ honeſtate, beataque converſatione fructiferarum affatim doctrinarum religioſiſſimi viri quondam fratris Joannis de Capiſtrano, Ordinis Minorum de Obſervantia, dum in humanis conſtituebatur, copioſiſſime, imo largiſſime tum per Divini verbi ſeminationem, tum per varia prodigiorum miracula populis, Domino cooperante, in nonnullis regnis, ducatibus & provinciis inſtruendo & anxiliando coruſcaſſe; qui etiam adverſariis Chriſtianiſmi permaximis, tamquam leonibus rugientibus, quem devorent, quærentibus, fortiſſime reſiſtebat, Orthodoxam fidem publicando, & ſaluberrimis ipſius doctrinis ad cultum ejuſdem fidei convertendo, viam cunctis Chriſtifidelibus ſalutiferam Apoſtolicæ Sedi ſubjugalibus, ejuſdemque cultoribus, ſollicitiſſime exhortando, prædicando denunciavit, ratificavit & approbavit verbis necnon operibus. Quem etiam Sanctitati Veſtræ ob inſignia ipſius merita non ſolum in vita, ſed jam ab humanis exutum magnis miraculis & prodigiis plurimis in locis clareſcere ſcientes, non ſufficimus recommendare. Accepimus propterea apud Sanctitatem Veſtram Imperialem Majeſtatem pro ſui canonizatione ſatis eſſe ſollicitam, plurimoſque alios certos Principes & terrarum dominos atque Communitates ex ſpeciali ipſorum devotione apud eamdem Sanctitatem Veſtram ipſum conari promovere. Nos igitur, qui etiam in Civitate noſtra Fratres dicti Ordinis Minorum de Obſervantia gratuite obſervamus atque fovemus, eoſdem in tam ſancto ſuo deſiderio hanc etiam precam noſtrarum humilium intuitu eidem Sanctitati Veſtræ humiliime recommittimus. Extant enim aperta miracula, apud nos cum aliquando morarctur, per ipſum, ut præmittitur, acta, quæ clariſſimis teſtimoniis, ſi opportunum fuerit, apud Sanctitatem Veſtram liquide patebunt. Recurrimus ergo una cum antedictis Fratribus ad pedes Sanctitatis Veſtræ pro rei tam dignæ expeditione celeri atque votiva. Ex Civitate Olomucenſi feria ſecunda ante feſtum ſanctæ Margaritæ Virginis, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXII.

Per ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humillimos Magiſtrum civium, & Conſules Civitatis Olomucen.

Eidem.

Urbs Legnicen. XXXVIII. *Beatiſſime Pater, gratioſiſſime clementiſſimeque Domine, reverentiam obedientiamque perfectam, necnon fidelitatem ſanctam Chriſtianam ad oſcula pedum beatorum. Virtutum opera inſignia, vitæque irreprehenſibilis claritas, ac doctrinæ ſalus &c.* ut in num. XXXVI. mutatis mutandis uſque ad *noſtram in unicam conſociationem. Datum in Legnicz die Mercurii* XXI. *menſis Julii, anno Domini* MCCCCLXII.

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humiles ſervi, & veræ obedientiæ filii Proconſul & Conſules, totaque Communitas Civitatis Legnicenſis, diœceſis Wratislavienſis.

Eidem.

Academia & Univerſitas Lypſiæ. XXXIX. *Cum humillima obedientia, ac devotiſſima reverentia ſeipſos ad pedum oſcula beatorum. Beatiſſime Pater & Domine cle-*

clementiſſime. Quoniam litteris hortatoriis Cæſareæ Majeſtatis uobis nuper exhibitis, quidam Fratres Ordinis ſancti Franciſci, qui de Obſervantia uuncupantur, ex parte Vicarii eorum Generalis nobis devotis rogatibus ſupplicarunt, ut de vita & converſatione devotiſſimi quondam fratris felicis memoriæ Joannis de Capiſtrano, Ordinis ejuſdem, quantum experientialiter & veraciter nobis conſtaret, litteratorie fidele perhibere teſtimonium diguaremur coram Veſtra Sanctitate, ſuo tempore producendum. Nos tam ſanctæ intentioni, tam pio deſiderio favorabiliter annuentes, ea, quæ diligenti inveſtigationis indagine de eodem eximio viro nobis cognita fuere, memoriter recollegimus, pura ac ſimplici uarratiuue his noſtris litteris recitamus. Conſtat enim nobis, quod poſtquam idem vir venerabilis ante aliquot annos in Alemania circumeuudo, & loca varia perluſtraudo, ſuis prædicationibus & doctriuis multos, in via morum obliquis anfractibus gradientes, ad Chriſtianæ vitæ rectitudinem reflectere ſatagiſſet, etiam ad nos in oppidum Liptzk perſonaliter declinavit, ubi ultra integrum menſem contiuue perſeverans, devoto quodam atque efficaci placidoque exhortationis genere Evangelicam atque Apoſtolicam differeret veritatem, nunc arguendo, nunc obſecrando, uuuc increpando, jam etiam blando, jam rigido, jam compunctivo, ſemper omnibus grato, namquam infructuoſo hortatu, nonnulla Theologicæ veritatis abdita referando, quaſdam etiam Chriſtianæ converſatiouis regalas, juxta ſacrorum cauonum inſtituta, limpidius declarando, ſana doctrina, ſobrio ſermone concionatus eſt ad utriuſque ſtatus populum, attentione devotiſſima ſuſpenſum, & ad ſui exhortationem non mediocriter emendatum. Nam hujuſmodi ſuis exhortationibus allecti, iuſra breve tempus ex nobis pluſquam ſeptuaginta ſcholares & magiſtri, poſtpoſitis hujus muudi phaleramentis, ſuæ Religionis habitum aſſumpſerunt. Commune etiam vulgus ſuis admonitiouibus compunctum, multas ludorum hactenus conſuetorum levitates, multas etiam ſolatiorum obſcœnitates protinus proſtergavit. Nec mirum, quonium bonæ vitæ exemplaritas, & jucundæ elocutionis celebritas, quæ in ipſo ſecundum omnium æſtimationem ſplendide viguerunt, facilius & efficacius juxta Pſalmiſtam voci ſuæ vocem dedere virtutis. Hac itaque gratia duplici, inſuper & miraculorum gloria, de quibus fama pervulgata eſt, & multi apud nos aſſerunt experientiam ſe habere, idem religioſiſſimus Pater copioſo Dei munere præditus, exiſtimatione plurimorum ſanctitatis titulo inſigniri meruit adhuc vivens, & ideo miris eum laudibus etiam ad ſidera ſuſtuleruut, uec modo dubitant ipſum pro ſuis tam ſtrenuis laboribus, & tantæ ſollicitudinis opera ſuperne beatitadiuis bravium meruiſſe. Hæc itaque uoſtra & aliorum teſtimonia, Beatiſſime Pater, Sanctitas Veſtra ponderet & examinet diligenter, & ut juſtus & unicus paterfamilias in domo militantis Eccleſiæ penſet & judicet, quid & quantum mercedis tribuendum ſit ſic tam inclyto operario, qui in vinea Domini Sabaoth tanto tempore, tam operoſe, tam fructuoſe & fideliter pro diurno denario laboravit, ut ſic ei quod ſuum eſt, ſecundum legem juſtitiæ tribuatur. Et Dominus Jeſus Deus noſter Veſtram dignetur Sanctitatem in ſtatu proſpero & tranquillo, & longævo tempore feliciter conſervare. Datum in oppido Lieptzk, anno Domini MCCCCLXII. *in craſtino ſancti Bartholomæi, Rectoratus ſub ſigillo.*

Lipſiæ multi a Capiſtrano ad Religionem cõverſi. *Vide Tom.* 12. *an.* 1452. *n.* 23.

Veſtræ Sanctitatis devotiſſimi oratores Rector, Magiſtri & Doctores Almæ Univerſitatis ſtudii Lieptzk. Merſeburgen. diœceſis.

Et-

EIDEM.

Oppidum Boleslaviæ. XL. *Sanctiſſime pliſſimeque Pater, ac Domine digniſſime, obedientiam perfectam, necnon fidelitatem Chriſtianam cum debita reverentia ad pedum oſcula beatorum. Celeberrima morum, vitæ & boneſtatis fama, commendabiliſque converſatio ac doctrinæ ſalus, quibus & multis aliis virtutum indiciis & boneſtatum, dum in humanis continebatur R. P. ac devotiſſimus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, effulſit & claruit tum per verbi Divini ſeminationem, quæ innumera bona effecit, multum populum virtutibus inſignivit & innovavit, a variis malis conſuetudinibus, ludorum ſpurcitiis, diverſiſque aliis vitiis removit, & Divino cultui excellenter habilitavit, tum per variorum prodigiorum ac miraculorum coruſcationem, nos ceteris ad præbendum teſtimonium inducunt, & faciunt ferventiores. Præterimus de nonnullis pulcherrimis clauſtris & Eccleſiis per eum contra hæreticam pravitatem conſtructis, in quibus Divinum augens honorem, Orthodoxæ fidei non debile, ſtabilivit fundamentum: quem nunc ſanctitati veſtræ ob inſignia ejus merita non ſolum in vita, imo ab humanis jam exutum, prodigiis miraculiſque in locis clareſcere ſcientes, non ſufficimus recommendare: ſed una cum aliis Civitatibus Chriſtianis, quæ, uti ſuſcepimus, apud veſtram ſanctitatem inſtant pro canonizatione ſua, humillimas atque devotas preces ante pedes beatos fundimus præcordialiter, quatenus ad laudem Dei, & Sanctorum fuorum honorem, totiuſque militantis Eccleſiæ gloriam, & veſtræ clementiſſimæ Paternitatis æternam & benedictam memoriam, canonizationi & ſanctitati tanti Patris intendere, & juxta immenſam prudentiam ſanctitatis veſtræ, cui hanc rem ſubmittimus, hujuſmodi preces Chriſtianas, quantum poſſibiles fuerint, clementer & miſericordiſſime ſuſcipere, & paternaliter exaudire veſtra ſanctitas non dedignetur. Quam omnipotens Deus in cunctis vitæ proſpere dirigat & cuſtodiat nobis in ſingularem conſolationem. Scriptum die menſis* XXVII. *Julii, anno Domini* MCCCCLXII. *noſtri oppidi ſub ſigillo.*

Humiles ſervuli, & veræ obedientiæ filii Proconſul & Conſules, totaque Communitas oppidi Boleslavien.

EIDEM.

Urbs Gotliczen. XLI. *Sanctiſſime Pater, clementiſſime Domine, cum omni reverentia ſe humillimos ad devota pedum oſcula beatorum. E priſcorum ſcriptis accepimus, egregia facinora animi immortalia jore, uſque etiam poſtera laude creſcentia, viros virtute claros monumentum exegiſſe ære perennius, quod non imber edax, non Aquilo impotens poſſit diruere, aut innumerabilis annorum ſeries & fuga temporum; præterea nihil virtute fore optatius e majoribus natu didicimus, quæ hominum memoriam efficit quammaxime longam, haud injuria, quoniam hæc æterna apud Deum immortalem quieſcit, quæ virtutum bonarum amatores præmio immarceſcibili beat atque coronat. Sane etiam atque etiam rogati atque obteſtati, ut teſtimonio fideli famam omni laude dignam fel. mem. devoti, verum virtuoſiſſimi quondam Patris Joannis de Capiſtrano Ordinis Minorum proſequeremur; conſiderantibus itaque nobis hujus viri clariſſimi, devotiſſimi item Patris, innumeram virtutum copiam, profitemur eumdem in Civitate noſtra vitam laude, præconio, gloria & bono-*

nore dignam, aliquandiu egiſſe, ſuaviſſimas doctrinas pro incremento fidei Orthodoxæ, vulgi etiam totius eruditione, admodam docto eloquio, pia utique exhortatione ſingulis diebus, dum apud nos eſſet, fudiſſe, hæreſes quaſcumque in primis perſecutum fuiſſe, ludos in omni genere nefarios damnaviſſe, & quod dictu mirabile eſt, infinitos ferme obſtinatos ad pœnitentiam reduxiſſe exemplo ac verbo, jacto probiſſimoque homine digna claruiſſe memoria apud Deum & homines: & quia prædicta vidimus & audivimus, perpetuo gaudio immortalem credentes, ſupplici prece ſanctitatem veſtram oramus, dignetur ſanctitas veſtra ad laudem Dei, ſanctorum honorem omnium, militantis etiam Eccleſiæ incrementum, pro canonizatione ejuſdem ſæpe dicti Patris intendere, ut quem clamantem verbo & exemplo claro in terris audivimus, devotius pro nobis orantem veneremur in cœlis. Sanctitatem veſtram omni ſtupore atque honore colendam omnipotens Deus cuſtodiat, & uſque in portum ſalutis, quod ardentius optamus, perducat. Datum die penultima menſis Julii, anno Domini MCCCCLXII.

Humiles ſanctitatis veſtræ Proconſules Conſuleſque Civitatis Gorliezen. diœceſis Miſnen.

EIDEM.

XLII. *Beatiſſime Pater, Domine clementiſſime, debitam in omnibus ſummo capiti & unico ſanctæ Eccleſiæ Vicario Jeſu Chriſti reverentiam, filialem obedientiam, Chriſtianæ religionis fidem enodantes, cum devotis oſculis pedum beatorum. Quoniam vetus Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper contextam inimicatim per fruſtra decerpit, & Chriſti vineam vulpes exterminant, & inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons ſignatus & hortus concluſus ſit, poſſit intelligi, malis omnibus crebreſcentibus, utilius foret hortationem fieri a malis actibus retrahere, & animas Deo lucrifacere, ut quoſvis vitiorum abuſus extingueret, & malum a medio exularet. Sane hoc ipſum noviſſimis his periculoſis temporibus præ ceteris Divinum ſemen in corde fidelium ferentibus vir devotus, doctrina aſſiduus, vita bona perſpicuus, Pater in docendo optimus, vitæ Regularis obſervantiſſimus frater Joannes de Capiſtrano, veſtræ ſanctiſſimæ Paternitati minus incognitus, mundi partes diverſas viſitando, malum extirpando, bona prædicando, ſatagebat verbo & exemplo Chriſti veſtem confuendo, cœleſtem plantando vineam, perfontem gratiæ ad hortum gloriæ perveniendi iter intimavit, ut converteret corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, & Domino plebem perfectam præpararet, Divina ſequente & per eum operante tunc gratia, ut novo inviſo modo ad eum audiendum ab externis locis, cum aliquandiu in noſtri loco oppidi prædicavit, homines confluerent, & intuentes cum omnes ſtupebant ſuper doctrina ejus, & devotionis moti fervore, non quid ſignarent verba ſcientes, idiomate extraneo præpediti, ut hominem hunc viderent, vocem ſolam ſentientes, diligenter illius ſermoni pluſquam ejus, cujus verba intelligunt, intendebant. Immortalis eſt adhuc inter viventes ſua memoria, nam & quæ fecerat, nota ſunt apud Deum & homines; intendebat ſiquidem omnes ſalvos fieri & ad veritatis notitiam pervenire; & ſua doctrina & vita ab errorum tenebris in lumine gratiæ lumen percipientes gloriæ, ſpe ſalvi ad Deum converſi ſunt. Hi relinquentes infidelitatis, hæreſis, ſchiſmatis pravitatem: li deponebant elationis faſtum; ii reſignantes iniquitatis cen-*

Urbs Budeſſina.

ſum

Vide Tom. 18. ann. 1451. n. 40.

ſum, ſacra ludorum renunciantes, ceteraque occulta, Divina ſpirante gratia, ut credimus, innumera deteſtanda vita a cordibus hominum removens, ſicut corde converſi fuerant, id ipſum opere exteriori deſignantes, ut quod pro vanitatis iniquæ occaſione multo comparabant pretio, libera voluntate ſine cujuſquam coactione ad pedes ejus offerentes, incendio tradiderint, ut & nos ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur; rogati ſiquidem & motivis incitati arduis id facimus per præſentes, quod merito non rogati voluntarie faceremus, nam & in medio noſtri operari conatus eſt ſalutis omnium incrementa. Cum vero non liceat quemquam poſt hanc vitam ſanctum & beatum eſſe dicere, niſi quem ſancta Romana mater noſtra Eccleſia ſanctorum catalogo adſcriptum prædicat & teſtatur, ad V. S. P. Imperialis celſitudo affectum dirigit, & plurium devotorum ſuſpiria, idipſumque larga Fratrum ſuorum de Obſervantia requirunt lamenta; & nos licet indigne præſumimus, humilioribus tamen, ut poſſumus precibus, ut filii pauperes, cum aliis pariter comportamus noſtra vota, ut opus veſtræ ſanctitatis præcipuum, ſibi & non alteri aſſignatum, pro Catholicæ & Orthodoxæ fidei commodo, & Chriſtifidelium omnium ſingularis ſpei incitamento, canonizationem, ut ſuis miraculis pulſat, ejus Patris devotiſſimi, prout veſtræ ſanctitati viſum fuerit opportunum, dignemini ad ſalutem ſuam id poſcentium, opere complere & effectu, ut gaudeant homines eum habere interceſſorem in cœlis, quem hic doctorem prædicantem audierunt in terris; in hoc nos & noſtra, & quæ in hac re fieri debeant, ſubmittentes. Ipſe autem, cujus res ſic geritur, ſuis precibus apud Deum terminaret, noſque obſecrationes plurimas offerentes, gregi ſuo Deus vos ſanum hic cuſtodiat, & poſt hujus vitæ felicem tranſitum collocet in æterna. Datum ex Budeſſin, die ultima menſis Julii, noſtræ Civitatis ſub ſigillo, anno Domini MCCCCLXII.

Ejuſdem veſtræ ſanctitatis humiles ſervuli & veræ obedientiæ filii,
Proconſul & Conſules Civitatis Budeſſin.

Eidem.

Oppidum Camenzii.

XLIII. *Sanctiſſime Pater, ſumme Pontifex, uniceque Jeſu Chriſti Vicarie, cum omni reverentia filialis obedientiæ continuum incrementum, ad devota pedum oſcula beatorum. Navigantes inhujus arvi pelago, quantis agitamur procellarum inſultibus, Sanctiſſimam Veſtram Paternitatem omnino credimus non ignorare. Sed piiſſimus ille orbis opifex, qui vacillantes refocillans, tum Sanctorum meritis, tumque clariſſimorum virorum vita, moribus & doctrinis, tamquam fluctuantem naviculam remis nautiſque peritis relevat atque regit, nos quaſſos, ac pene naufragos paterna ſua manu ſuſtentare non eſt aſpernatus in devotiſſimo piiſſimoque illo patre Joanne de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quem Dominus velut Abrahamde Ur Chaldæorum, ut in terra noſtra peregrinus eſſet, eduxit, cujus vita cum apud nos oppidulo, plebeque noſtris, quatriduanis fatagebat laboribus, vineam Domini ſaluberrimis imbribus perrigavit, tantopere profecto, ut ne ejus rores etiam decem jam annis elapſis extant exſiccati, ſed erit ſibi memoriale illud in ſempiternum; fulgebat namque in hoc piiſſimo Patre vita aſpera, Religio vera, morum gravitas, ſcientia perfecta, doctrina efficax. At ipſe totus veræ Religionis exemplar imitabile effulſit, ita ut ejus laudes proclamare, ſcribere deficimus. Verum cum Sanctiſſimæ Veſtræ Paternitati magnorum plurimorumque oratibus pro canoniza-*

zatione, ac eathalogo Sanctorum inſcriptione ejuſdem devotiſſimi patris inſtantiſſime humillimeque, ut percepimus, exiat ſupplicatum, quo magis ipſorum preeatus noſtrit adauctis precibus efficacius celeriuſque exaudiantur, Sanctiſſimam V. Paternitatem eum debita ſubmiſſone ad V. P. judicium, quantum poſſibiles fuerint, intimis præcordiis exoramus, ut gaudeant homines eum habere interceſſorem in cœlis, quem hic doctorem prædicantem audierunt in terris, ac ut ejus meritis ipſe cœlorum opifex Sanctiſſimam Veſtram Paternitatem incolumem conſervare dignetur tempora per longiora. Datum Camenez die Martii III. *Auguſti, anno &c.* MCCCCLXII. *Civitatis noſtræ ſub ſigillo.*

Humiles & veræ obedientiæ filii, Proconſul, Conſuleſque Jurati oppidi Camenez, Miſnenen. diœc.

EIDEM.

XLIV. *Sanctiſſime Pater, ac elementiſſime Domine, ſeſe humillimos ad pedum oſcula beatorum. Non ignoramus auribus Sanctitatis Veſtræ jam dudum intonuiſſe celeberrimam famam &c.* ut ſupra numero XXXVII. *Datum Freibergk die Veneris* VI. *menſis Auguſti, ſub anno Domini* MCCCCLXII. *noſtræ Civitatis ſub ſigillo.* Oppidum Freibergæ.

Humiles ſervuli & veræ obedientiæ filii, Proconſul & Conſules, totaque Communitas oppidi Freibergen. Miſnenſis diœceſis.

EIDEM.

XLV. *Sanctiſſime Pater ac Domine digniſſime, obedientiam perfectam debita cum reverentia, ad pedum oſcula beatorum. Quia magnorum facta, honorumque laudes & merita perpetuo non condecet ſilentio prætermitti, ut ipſa relatione continua in eorum teſtimonium, & ceteris in exemplum fama veriloqua prædicet in remotis, hinc eſt quod ſingulari benevolentia ac conſideratione præhabita ſuper venerando Patre ac devoto fratre Joanne de Capiſtrano Ordinis Minorum, de Obſervantia nominatorum, ſecundum ſuorum morum virtuoſorum exigentiam, vitæ laudabilis, famæ redolentis, commendabiliſque converſationis, dum in humanis agebat, ipſum fuiſſe atteſtamur; præſertim laborum ſuorum aſſiduitas aliquandiu nobiſcum moram trahendo claruit, dum per verbi Divini effuſionem, qua plurima bona fructificavit, multitudinem populi ad viam virtutis reduxit, a malis conſuetudinibus & enormitatibus compeſcuit, a taxillorum ludis, & hujuſmodi ſimilibus vanitatibus nocivis ſemovit, & Divino ſervitio condecenter adaptavit; verum etiam plurimis miraculis reſplenduit. Cujus quidem honorandi fratris Joannis de Capiſtrano celebris vitæ famam ad Veſtræ Sanctitatis pedes eo ferventius cupimus humiliter pervenire. Quorum ſingulorum reſpectu una cum aliis oppidis fidem Orthodoxam confitentibus, quæ, ſicuti clare didicimus, apud Veſtram Sanctitatem precibus ſingitant humilibus, quibus poſſunt, pro ipſius canonizatione, ut eathalogo inſcribatur Sanctorum; nos pariter preces devotas ante pedes beatos dirigimus, quatenus ad Dei laudem, ſuæque Genitricis, ſuorum Sanctorum honorem, necnon totius militantis Eccleſiæ incrementum, Veſtræ Sanctiſſimæ Paternitatis ſempiternam memoriam, canonizationi & ſanctitati tanti præfati patris intendere, ac* Oppidum Dreſdæ.

juxta permagnam ſapientiam Veſtræ clementiæ, cui hanc rem relinquimus, orationes noſtras favoroſe exaudire Veſtra Clementia non dedignetur. Quam Rex Altiſſimus confortet, & felicibus ſucceſſibus faciat abundare. Datum Dreſdæ &c. die nona menſis Auguſti, anno Domini MCCCCLXII.

Humiles ſervi & totius obedientiæ filii, Proconſul & Conſulet, totaque Communitas oppidi Dreſdæ, Miſnenſis diœceſis.

EIDEM.

Oppidum Miſnen.

XLVI. *Beatiſſime Pater, piiſſime ac clementiſſime Domine, Chriſtianam fidelitatem humillima cum obedientia ad pedum oſcula beatorum. Cum in mari hujus tabeſcentis mundi diverſos contrarioſque motus fidei, vitiorum, malarumque conſuetudinum Reverendus olim Pater devotus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, per virtutum opera, vitæque irreprehenſibilis claritatem ac doctrinam ſalutarem removit, & Divinum cultum ferventer atque magnifice reparavit, ac ſuis prædicationibus innumera bona effecit, ita quod vita ejus deifica apud nos multipliciter exaltata exiſtit. Et quia, ut ſuſcepimus, plures, præcipue Chriſtianiſſima Cæſarea Majeſtas, ac Excellentiſſimi Domini, & Chriſtianæ Civitates Sanctitatem Veſtram precibus inſtent, petant & deſiderent, ut Veſtra Sanctitas pro canonizatione ſua invigilet atque intendat. Igitur pietate Beatitudinis Veſtræ, & ſuis meritis, quibus, ut non ambigimus, apud Deum potens eſt, moti, has humillimas atque devotas preces veſtros ante pedes beatos una cum aliis Chriſtianis præcordialiter ſtuduimus effundere, quatenus ad laudem Dei & Sanctorum ſuorum honorem, totiuſque militantis Eccleſiæ gloriam, & Veſtræ clementiſſimæ Paternitatis æternam & benedictam memoriam, canonizationi & ſanctitati tanti Patris intendere, & juxta immenſam prudentiam Sanctitatis Veſtræ, cui hanc rem ſubmittimus, hujuſmodi Chriſtianas preces, quantum poſſibilet fuerint, miſericordiſſime ſuſcipere, & paternaliter exaudire Veſtra Sanctitas ne dedignetur. Quam Altiſſimus in cunctis viis cuſtodiat, & dirigat proſperam tempora per longiora ſaniſſime victuram, noſtram in unicam conſolationem. Datum Miſnæ anno Domini* MCCCCLXII. *die* X. *menſis Auguſti, noſtro ſub ſigillo præſentibus inferius appenſo.*

Humiles ſervi & totius obedientiæ filii, Proconſul & Conſules, totaque Communitas oppidi Miſnen. & ejuſdem diœceſis.

EIDEM.

Oppidum Oſchatz.

XLVII. *Obedientiam perfectam necnon fidelitatem Chriſtianam cum debita reverentia ad devota pedum oſcula beatorum. Veluti lumen perfulgidum ſub modio recondi non expedit, ſed in candelabri reponi cacumine, ut ab omnibus inviſum videatur, ita honeſtorum ſplendidæ laudes, & merita taciturnitate perpetua minime fileantur, ſed lucida enodatione cunctis decet referari, ut veritatis teſtimonio ceteris pateant in exemplum, & normam vivendi præbeant regularem, atque laudiſona fama ipſos per remota climata decorabit. Itaque Pater Sanctiſſime, auribus Sanctitatis Veſtræ lacide intonamus, licet dudum inſonuiſſe minime dubitemus, ſuper R. P. fratre Joanne de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum,*

torum, quoniam vir devotus, doctrina veraci assiduus, ac vita bona extiterat perspicuus, bonus in ore, melior in opere, celeberrimus in moribus, vitæ & honestatis fama commendabilis, ac refulgenti conversatione laudabilis, dum in humano versabatur ergastulo, qui & plures minus notas regiones, provincias, Civitates & oppida visitando, verbo Divino renovavit, malum eradicans, bonum prædicans, diligenterque satagebat ad lucem cunctos reducere æternam, dum verbo & exemplo formam tribueret veritatis. Nostro siquidem tum in oppido Dei semen salutifere seminavit, ingentem vulgi cohortem ad eum audiendum ab externis locis induxit ejus celeberrimi nominis fama, & plures super sermone ejus admodum stupebant, devotionis fervore moti, non quid signarent verba, scientes, idiomate Latino ignari, solam tamen vocem audientes, diligenter plusquam aliorum verba quæ percipiunt, attendebant; viva enim ejus in populo prædicatio & sancta vita, cujus non præteriit celebris memoria, & ea, quæ egerat, mirum in modum nota sunt apud Deum & homines. Cupiebat namque omnes fieri felices, & veritatis tramitem sua doctrina attingere, ab errore tenebrarum in lacem gratiæ revocans multos, qui spe gloriæ ad Deum conversi, vanitates & iniquas consuetudines reliquerunt, uti ludorum taxillos, choreas, comessationes & usuras, aleas ac superstitiones diabolicas, & sic vanitatum instrumenta, quæ pro hominum usu multo compararunt pretio, sponte ad pedes ejus offerentes cremanda obtulerunt. Ea itaque quæ de præstantissimo quondam viro vidimus, loquimur nunc, & in ejus famam redolentem pro rato testamur, & ad Vestræ Sanctitatis pedes humiliter conamur personare. Et quia intelligentes quod Imperii Romani Celsitudo affectum dirigit, & plurium devotorum suspiria, idipsumque Fratrum suorum desiderant preces & lamenta, uti & nos indigni filioli una cum aliis, quorum scripta nostrum venerunt in conspectum, affectamus, ut a Sancta Romana universali Ecclesia catbalogo inscriptus, beatus publice prædicaretur & canonizaretur. Nos igitur clementiæ Sanctitatis Vestræ flexis genibus devote supplicamus, quatenus pro laude Dei, fideique Catholicæ commodo, ac Christifidelium sinceræ spei incremento, canonizationi hujus devotissimi Patris dignemini diligentiam adhibere, juxta inscrutabilem sapientiæ vestræ clementiam, cui hanc rem submittimus, hujusmodique multiplices Christianorum preces, quantum possibiles fuerint, clementer suscipere & paternaliter exaudire V. Sanctitas non dedignetur. Quam cunctipotens Deus pro consolatione nostra, & aliorum, qui sub Christianæ fidei protectione respirant, incolumem conservare dignetur tempora per longæva. Datum ex Offchatcz, Misnen. diœc. die tredecima mensis Augusti, sub anno Domini MCCCCLXII. *& nostræ Civitatis sigillo.*

Humiles servi & veræ obedientiæ filioli, Proconsul & Consules, totaque Communitas oppidi Offchatcz, Misnen. diœcesis.

EIDEM.

XLVIII. *Omni cum reverentia obedientiæ filialis debitum famulatum ad pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater, licet ad piam Sedis Apostolicæ dignitatem cum devotæ supplicationis humilitate recurrere oporteat, quoties necessariæ conditionis materia noscitur intervenire, maxime tam nec de justitia petitionis ambigitur, nec de benignitate Apostolicæ clementiæ dubitatur: Sanctissime itaque Pater, supplicarunt nobis nonnulli Religiosi Ordinis sancti Francisci, Observantiales Fratres, cum instantia* Oppidum Haynense.

non modica, ut Veſtræ Sanctitati ea, quæ in oppido Haynenſi, villis ac caſtris circumjacentibus de vita laudabili, converſatione honeſta, ac fama celeberrima fel. mem. religioſi viri quondam fratris Joannis de Capiſtrano, nobis oc noſtræ Communitati conſtarent, dignaremur propalare, & teſtimonium laudabile de fratre prememorato dare: de quo tale dicimus & affirmamus teſtimonium, quod ipſe erat tempore quo nobiſcum erat conſtitutus, bonorum operum in ſua propria perſona efficaciſſimus executor, in aliis vero perfectiſſimus perſuaſor fuit. Etenim ille tenebroſa peccatorum corda ſuarum luce doctrinarum & prædicationum penetravit, & veterem hominem exuens, novo homine ad imaginem Dei formato, populum in prædicto oppido decenter veſtivit. Ideo, Sanctiſſime Pater, Veſtræ Paternitati juxta petitionem nobis a dictis Fratribus porrectam, cum debitæ venerationis oſculo, humiliter ſupplicamus, quatenus ad prædictorum Fratrum ferventi deſiderium, ad ſæpedicti Joannis de Copiſtrano canonizationem juxta canonicas ſanctiones pectoris veſtri ſcrinio reconditos, procedere dignemini; de qua Eccleſia militans gaudebit ſpecialiter in terris, & Angelici ſpiritus lætanter exultabunt in cœlis. Datum Hayne die XIV. *menſis Auguſti, anno Domini* MCCCCLXII.

Veræ obedientiæ filii, humiles quoque ſervuli, Proconſul & Conſules, totaque Communitas oppidi Haynenſis.

EIDEM.

Oppidum Turgaw.

XLIX. *Sanctiſſime ac Beatiſſime Pater, poſt humillimam recommendationem, & pedum oſculo beatorum. Per gratiam ſummi & ineffabilis creatoris notiri, a quo omnia bona deſcendunt, & per laudabiliſſimam providentiam & operationem, & per virtutem & perſeverantiam &c. Sanctiſſime Pater, licet ad piam Sedis Apoſtolicæ dignitatem cum devotæ ſupplicationis humilitate recurrere oporteat &c.* ut in præcedenti uſque ad finem. *Datum Turgaw, anno Domini* MCCCCLXII. XV. *menſis Auguſti, noſtræ Civitatis ſigillo ſubappenſo.*

Humiles ſervi, & totius obedientiæ filii, Proconſul & Conſules, totaque Communitas oppidi Turgaw, Miſnenſ. diœceſis.

EIDEM.

Oppidum Wittembergæ.

L. *Sanctiſſime Pater, ſumme Pontifex, unicæque Jeſu Chriſti Vicarie, eum omni reverentia filialis obedientiæ continuum incrementum ad devota pedum oſcula beatorum. Navigantes in hujus arui pelago, quantis agitamur procellarum inſultibus, Sanctiſſimam Veſtram Paternitatem omnino credimus non ignorare &c.* ut ſupra num. XLIII. uſque ad finem. *Datum Wittemberg* XVII. *die menſis Auguſti, anno Domini* MCCCCLXII.

Humiles & veræ obedientiæ filii, Proconſul & Conſules atque Jurati oppidi Wittemberg, Brandemburgen. diœc.

EIDEM.

Oppidum Grymenſe.

LI. *Cum devotorum pedum oſculis condigna cum reverentia ad quævis Veſtræ Sanctitatis mandata ſeipſos ſemper ultroneos & indefeſſos. Splendor paternæ luminis, qui ſua mundum ineffabili illuminat claritate, pia*

pia vota fidelium de ſua clemcutiſſima Majeſtate ſperuutium tunc præcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas Sanctorum meritis & precibus udjuvatur. Hinc eſt Sanctiſſime Pater & Domine gratioſiſſime, Veſtræ Sanctitati conamur notificari, quod ad noſtrum Conſulatum quidam Fratres Obſervantioles, Ordinis S. P. Franciſci cum littera promotoria Illuſtriſſimi & Invictiſſimi Domini D. Friderici Imperatoris, Domini noſtri gratioſiſſimi, humiliter acceſſerunt, & perlecta littera Imperatoria, nobis ipſorum commiſſa oretenus & litteratorie exponentes, demum humillime ſupplicantes, quateuus ad Veſtram Sanctitatem de vita & converſatione devoti fratris Joannis de Capiſtrano, in quantum nobis conſtaret, ſcriptotenus referare vellemus. Viſis ergo & cognitis eorum rationabilibus precibus, Veſtræ Sanctiſſimæ caritati conamur aperire, quod ille prænotatus frater Joauues Capiſtranus fel. mem. vere noſtro judicio ſit diguus omnibus honoribus & virtutibus; ipſe euim pura fulgebat caſtitate, caritate & bonitate, ita quod ipſum omnes contuentes & audientes, ex ſuorum morum urbunitate in ejus amorem, & ad cultum Divinum profilierunt repentiue. Ipſe etiam vineam Domiui indefeſſe die noctuque cum omni ſtudio eoluit, zizaniam eradicando, tritico puriſſimo ſemiuando. Igitur, Sanctiſſime Pater, Veſtræ Paternitati juxta petitionem cum debito venerationis oſculo humiliter ſupplicamus, quatenus ob prædictorum fervens deſiderium ad ſæpedicti Joannis de Capiſtrano canouizationem, juxta canonicas ſanctiones in ſanctiſſimi pectoris veſtri ſcrinio recouditus, procedere dignemini; de quu Eccleſia militans gaudebit ſpecialiter in terris, & Angelici ſpiritus lætanter exultabunt in cœlis temporibus æviternis. Datum Grymme anuo Domini MCCCCLXII. *feria ſexta poſt Agopiti martyrii.*

Humiles ſervi & totius obedientiæ filii, Proconſul, Conſules, totaque Communitas oppidi Grimmenſis, Merſeburgen. diœc.

Eidem.

LII. *Obedientiam ſedulam cum ea, qua decet humillima reverentiu ad pedum oſcula beatorum. Sanctiſſime Pater & Domiue clementiſſime. Etſi humauum geuus ab orci Principibus, gratiæ ſiccantibus humorem, nonnumquam modo horridæ tempeſtatis varias in culpas disjicitur, non tamen a Domino derelinquitur, ſed de ſua gratia confiſum, placido muuimine Sanctorum prece & auxilio in dies confovetur. Sane Fratres quidam Ordinis ſancti Franciſci, de Obſervantiu nuncupati, eorum Vicario procurante Generali, litteris celſæ Majeſtatis Cæſareæ hortatoriis nobis ſollicite ſupplicarunt, ut vitæ modum & feriem devotiſſimi quondam piæ memoriæ Joannis de Capiſtrano Ordinis ejuſdem, apud nos viſum & cognitum, in ſui famam dilataudam pandere non recuſaremus. Nos vero ad laudem & honorem ejus merito divulgandum tanto placidius effurgimus, quanto pietatem ſuam nobis uberius novimus impertitam. Etſi fama denſa, per totius Germauiæ aream volitans, eum clamat virum Deo & hominibus dilectum fuiſſe, vita durum, moribus gravidum, ſcientia clarum, ac totius religionis Chriſtianæ exemplar conſpicuum, ad id tamen adjicimus & teſtamur, quod vidimus. Ipſe namque poſt multos ſudores viarum varia Alemaniæ loca peragrando, & ſemen verbi Dei non inaniter ſpargendo, ſeſe nobis in oppidum noſtrum contulit. Ex piiſſimo ſuo pectore ſalutarem doctrinam Evangelicæ & Apoſtolicæ veritatis mira prudentia & modeſta eloquentia non piguit differere; quo gregem collectum*

Oppidum Lypſiæ.

læta

læto fovebat pabulo, miro modo ultra mellis Hiblæi dulcedinem, arte utens & ingenio, multa doctrinæ salubris abdita in lucem elimando, regulas & normas expositas utriusque populi statui aptissime non absque cura pervigili applicando, quo abusus plurimos genti nedum laicali, sed & clero abstulit, ludorum levitates, & solatiorum turpitudines morumque anfractus in nobis prorsus enervavit. Inter quæ unum nota dignum & dictu mirum egit. En tam apte tamque opportune Religionis prærogativas ediderat, ut almæ Universitatis nobiscum degentes scholares demulsi, infra mensis spatium, quo nobiscum resederat, septuaginta ex eis vel forte plures Ordini suæ Religionis jungi non erubuerunt, totos se Deo devoventes; inter quos alii magisterii honore, alii sanguinis claritate, alii divitiarum abundantia, & corporis alii claruerunt proceritate. Quod utique, etsi in eo, omnium judicio, vitæ integritas, & placidus eloquii voluptas copiosa circumstans facilius reddidit, fieri tamen potuisse vix creditur, nisi intus doctor hujusmodi sacri spiraminis, qui erudire potuerat, adfuisset. Ad hæc adjicimus, quod idem devotissimus Pater, Almipotentis singulari munimine, fama plurimorum prodigiorum, multa bona in populo dicitur peregisse, certitudinem de hoc se habere asserentes, eorumque judicio non immerito beatitudinis meruit gloria sublimari, qui eum etiam vivum laudibus claris etiam ultra sidera elevarunt. Quare & spes quidem certa nobis videtur, ipsum pro tam duris laboribus in dies peractis, & pietate tam rara apud alios visa, perennis gloriæ bravium meruisse. Quod tamen his & aliis undecumque confluentibus testimoniis in alveum Sanctitatis Vestræ attentis, eidem Beatitudini Vestræ diligentius examinandum committimus, cui data solum & tributa est hæc potestas, hanc conferre mercedem. Votive tamen desideramus, ut qui nos singulari fovit caritate, honorem beatitudinis pro suis assiduis laboribus impendi meruerit, ut tandem invocetur in cœlis auxiliator, qui in terris frugi visus est eruditor. Demum Salvator piissimus unicus Dominus noster Jesus Christus conservare Vestræ Sanctitatem felici statu laute & prospere tempora longiora Beatitudinis dignetur. Datum Lipck anno Domini MCCCCLXII. *die Martis* XXIV. *Augusti, nostro sub sigillo.*

Vide Tom. 12. an. 1452. n. 23. & hoc an. n. 59.

Vestræ Sanctitatis humiles & devoti obedientiæ filii, Proconsul & Consules oppidi Lipck, Merseburgen. diœcesis.

EIDEM.

Oppidum Excellusten. LIII. *Omni eum reverentia obedientiæ filialis debitum famulatum ad pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater, licet ad piam Apostolicæ Sedis dignitatem cum devotæ supplicationis humilitate recurrere oporteat &c.* ut supra num. XLVIII. usque ad finem, mutatis mutandis. *Datum in Excelluſt, anno Domini* MCCCCLXII. *trigesima die mensis Augusti, Civitatis nostræ sub sigillo.*

Humiles servi & totius obedientiæ filii, Proconsul & Consules, totaque Communitas oppidi Excelluſt, Brandemburgen. diœc.

EIDEM.

Civitas Magdeburgen. LIV. *Obedientiam sedulam cum ea, qua decet, humillima reverentia ad pedum oscula beatorum. Sanctissime Pater & Domine clementissime. Quoniam litteris hortatoriis Cæsareæ Majestatis nobis exhibitis*

zis &c. ut ſupra num. LII. mutatis mutandis uſque ad *conſervare diguetur. Datum Magdeburgi, anno Domini* MCCCCLXII. *die Jovis ſecundæ menſis Septembris, noſtro ſub ſigillo.*

Veſtræ Sanctitatis humiles & devoti obedientiæ filii, Procouſules, Conſules & Magiſtri unionum Civitatis Magdeburgenſis.

EIDEM.

LV. *SE totum cum humillima recommendatione ad oſcula pedum Sanctitatis. Quoniam uaturam aſpidis accipit, qui dure precibus petentium non aſſentit; hinc eſt, Sanctiſſime Pater, Veſtræ Sanctitati antedictæ harum ſerie litterarum duximus ſignificare, quod devoti ac religioſi Fratres Ordinis Minorum Provinciæ Saxoniæ, nobis cum inſtantia debita ſupplicarunt, ut litteras noſtras ad prædictam Veſtram Sanctitatem dirigeremus pro canonizatione ferventiſimi prædicatoris, devoti Patris, pie memoriæ fratris Joannis de Capiſtrana, qui aliquandiu in Civitate noſtra, funditus viginti-quinque vicibus per damnatam hæreſim Huſſitarum deſolata & depauperata, publice, notorie ac manifeſte Lubaneu. ac aliis Civitatibus circa uos jacentibus laudabiliter converſatus eſt, docenteque experientia, quamplurima ſigna apud infirmos & fragiles in medio multorum, poſt invocationem uominis Jeſu Chriſti, Domini noſtri, & ſancti Patris Bernardini operatus eſt; & ſpecialiter in Civitate noſtra Lubanenſi prædicta, unum Vicarium Eccleſiæ Ordinis Minorum, apud uos pro tunc ſuper ſuſtentaculis ambulantem, Deo propitio, reſtituit ſanitati. Quare uos eidem Veſtræ Sanctitati præclariſſimæ humillima prece obuixe ſuppliceamus, ut ad canonizationem præfati fratris Joannis de Capiſtrano, ejus dignis meritis exigentibus, pro Dei honore, & ut fides Chriſtiana exinde augmeutetur, menteſque fidelium inflammentur, procedere dignemini, Veſtram quoque Sanctitatem piam, favorabilem & benignam reddere pro præmiſſorum executione, pro quibus nos juxta omnem poſſibilitatem apud Sanctitatem Veſtram ſæpedictam, cui nos devotiſſime recommendamus, veluti filii obedientiæ dignis noſtris obſequiis facimus obligatos. Datum in oppido Lubaueu. noſtro ſub ſigillo, anno* MCCCCLXII. V. *die menſis Septembris.*

Oppidum Lubanen.

Miraculum Capiſtrani in hac urbe.

Conſulatus & Jurati oppidi Lubanen.

EIDEM.

LVI. *CUm ſubjectiſſima ac devotiſſima ad pedum oſcula beatorum inclinatione ſeipſos, Beatiſſime Pater & Domine clementiſſime. Quoniam juſtis & boneſtis ſupplicum votis, præcipue his, quibus Altiſſimus, qui in Sanctis ſuis extitit & eſt glorioſus, ampliùs honoratur prædicaturque mirabilis, quam mortalibus & vanitati ſubjectis, fas eſt affectibus ſatagentium proſequi opportunis, præſertim cum præclaræ Cæſareæ Majeſtatis hortatoriis litteris, per quoſdam Fratres Ordinis ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatos, procurante eorumdem Vicario Generali, ad id provocemur, ut teſtimonium perhibeamus veritati, qualiter videlicet devotiſſimus quondam colendæ memoriæ P. Joannes de Capiſtrano dicti Ordinis, apud nos aliquando viſus & cognitus ſe geſſerit, veritati innixi pandamus; facundam enim eſſe conſtat auctoritatem veritatis, & de ſe gignere, quod ipſa eſt, dignoſcitur; uam diſſenſa ſæpe veram parit convenientiam, quod manifeſtis abſcondit ſermonibus, qua probata fiat auctoritas, ſine qua uceeſſe eſt ut non valeat auctoritas.*

Oppidum Hallenſe.

Ad

Ad laudem igitur & honorem Domini Dei noſtri, tanto placidius movemur ad hanc propalandam veritatem de geſtis apud nos tam digniſſimi Patris, quanto pietatem & devotionem tanti viri, qui uberrime apud nos ſulcis cordium plurimorum ſementem Divini ſermonis efficaciter remiſit & mandavit, novimus impertitam. Ceteram Omnipotens Deus, qui verbo cuncta creavit, cujus potentiæ nihil eſt difficile, mirabilia ſua in dicto tam præclaro viro tam excellenter oſtendit, ut tota Saxonia adinſtar vernantium florum nidore ſuaviſſimo, velutique Chriſti odore fragantiſſimo, longe lateque repleretur. Clamat tota Saxonia hunc Deo & hominibus dilectum fuiſſe, vita auſterum, moribus maturum, ſcientia præclarum, imo totius Chriſtianæ Religionis exemplar præfulgidum. Idem nos vidimus, hoc teſtamur; nam poſt plurima periculoſaque viarum diſcrimina propter Boemorum inſidias, quos ad ſanctæ Romanæ Eccleſiæ unionem conatus eſt reducere, ſalvo ſibi, ut fertur, negato conductu per damnatæ memoriæ hominem Joannem de Rockenſano, multis heu erroribus fermentatum, ejuſque ſectatores a fide devios, ne in vacuum cucurriſſet, ſemen verbi Dei non ſine fructu per Thuringiam, Miſniam, Saxoniam aliaque vicina ſparſit loca. Tandem etiam ad noſtrum divertit oppidum, nobiſque ex piiſſimo pectoris ſui arcano largiter doctrinam ſalutarem Evangelicæ & Apoſtolicæ veritatis miro conatu, zelo fervido, modeſtaque eloquentia & prudentia differere non pigait: nam utriuſque ſexus copioſiſſimum gregem longe lateque, etiam de remotis mundi terminis confluentem, Divina illuſtratus gratia, a contemptu mundi evocavit, & ad amorem cœleſtium, regulas & normas, expoſitiones, quibus etiam id conarentur, pervigili cura provocavit: plurimos inſuper abuſus ab omni ſtatu abſtulit, ludorumque levitates, & muliercularum curioſitates vanoſque ornatus, ac alias turpitudines morumque anfractus apud nos penitus enervavit. Inſuper & nota dignum egit, quod uſurarum tam Judæorum, quam etiam Chriſtianorum vorago, contractuſque Divinis non conſentanei legibus, penitus apud nos in exilium ſunt relati. Nam perfida hac Judæorum gente, dum legibus hujuſmodi Divinis ſubdi nollet, penitus radicituſque a nobis avulſa, dicta vitia cum ſuis auctoribus procul a nobis exiſtunt repudiata. Multi inſuper ob frugem vitæ melioris, ſeculo repudium dantes, Ordini Religionis dicti Patris apud nos ſe junxerunt. Et revera firmiſſime credimus, & nullatenus hæſitamus, nequaquum tam præclara dicti Patris geſta, humana dumtaxat peracta induſtria, ſi doctor internus, unctioque Divina eumdem non docuiſſet. Aſſerunt inſuper quamplures, quamvis id non viderimus, qualiter ſingulari munere Altiſſimus, ſignis & prodigiis cooperantibus, ejuſdem tam pii Patris ſermones confirmaverit. Qua de re ſolida tenemus ſpe, quod pro tam ſtrenuis laboribus fructuoſiſque operibus per tantum virum peractis, aliiſque tam miris apud quamplurimos viſis, verus Chriſti athleta æternæ vitæ immarceſcibilem adeptus ſit coronam. Quod tamen aliunde etiam confluentibus fide dignis teſtimoniis Veſtræ Beatitudini diligentius committimus examinandum, cui deſuper ſolum hæc collata eſt poteſtas. Id tamen flagitamus, ut qui cœlitus irroratus ſingulari nos fovit pietate, & pro iis aliiſque quamplurimis perennis vitæ ingredi meruit manſionem, tamdem apud Altiſſimum adſit nobis auxiliator, qui in terris viſus eſt efficaciſſimus eruditor. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, Deus noſter, Veſtram dignetur Sanctitatem in ſtatu tranquillo & proſpero, longævo tempore feliciter conſervare. Datum Hallis, anno Domini MCCCCLXII. *ſexta die menſis Septembris, noſtro ſub ſigillo.*

Veſtræ Sanctitatis humiles & devoti obedientiæ filii, Proconſules & Conſules, unionumque Magiſtri oppidi Hallis, Magdeburgen. diœc.

Vide Tom. 12. an. 1451. n. 57. & an. 1452. n. 10. & ſeqq.

Et-

EIDEM.

LVII. *SE totum cum humillima recommendatione ad oſcula pedum ſanctitatis. Quoniam naturam aſpidis accipit, qui dure precibus petentiam non aſſentit. Hinc eſt ſanctiſſime ac beatiſſime Pater, veſtræ ſanctitati antedictæ harum ſerie litterarum duximus ſignificare, quod devoti ac religioſi Fratres Ordinis Minorum, nobis eum inſtantia debita ſuppliicarunt, ut litteras noſtras ad prædictam veſtram ſanctitatem dirigeremus pro canonizatione ferventiſſimi prædicatoris, devoti Patris, piæ memoriæ fratris Joannis de Capiſtrano, qui aliquandiu in Civitate noſtra Lewemburgenſi, ac aliis Civitatibus circa nos jacentibus, honorifice ac laudabiliter converſatus eſt, docenteque experientia, quamplurima ſigna & prodigia apud infirmos & fragiles in medio multorum per invocationem nominis Jeſu Chriſti Domini noſtri, & S. P. Bernardini operatus eſt, & ſpecialiter debiles, cloudos, qui dudum & per multos annos miſerabiliter in dicta noſtra Civitate jacuerunt, & advenientes, aſtripotentis Dei adjatario reſtituit ſanitati. Quare nos eidem veſtræ ſanctitati præclariſſimæ humillima prece obnixe ſuppliicamus, ut ad canonizationem præfati fratris Joannis de Capiſtrano, ejus dignis meritis exigentibus, pro Dei honore, & ut fides Chriſtiana exinde augmentetur, menteſque fidelium inflammentur, procedere dignemini, veſtram quoque ſanctitatem piam, favorabilem & benignam reddere pro præmiſſorum executione, pro quibus nos juxta omnem poſſibilitatem noſtram apud ſanctitatem veſtram, cui nos accuratiſſime recommendamus, velut veri filii obedientiæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, noſtriſque obſequiis id proponimus remereri. Datum in Civitate Lewemburgenſi noſtra ſub ſigillo in die Nativitatis glorioſiſſimæ Mariæ Virginis intemeratæ, anno Domini* MCCCCLXII.

Civitas Lewemburgenſis.

Veſtræ ſanctiſſimæ & beatiſſimæ Paternitatis Proconſul & Conſules Civitatis Lewemburgen. ad mandata.

EIDEM.

LVIII. *CUm ſubjectiſſima ac devotiſſima ad pedum oſcula inclinatione, ſeipſos humilitatis ac obedientiæ filios, beatorum. Virtutum opera, vitæque irreprehenſibilis claritas ac doctrinæ ſalus, quibus, dum in humanis eſſet, Reverendus Pater & devotiſſimus frater Joannes de Capiſtrano, Ordinis Fratrum Minorum claruit, exemplar inſigne fuit, ac exigaam noſtri oppidi habitationem & incolatum, multarumque terrarum gentem fœcundavit, nos, ceteris licet exſtiores, ad teſtimonium præbendum & petendum inducunt & faciunt ferventiores, quanto ſincerius hanc ſuæ inſpexit oculo caritatis, in qua per aliquot dies prædicationibus uberrimis bona non modica effecit, imo populum multum virtutibus inſignivit, a diverſis vitiis & malis conſuetudinibus, ac ludorum ſpurcitiis revocavit, & Divino cultu ferventem ac diligentem reparavit. Nec nobis dubium, imo mundum non neſcire credimus, quantis miraculorum virtutibus in vita fuiſit, quæ, imo tota vita ejus ſanctitatem veſtram minime latere poteſt, verius teſtimonium ſuæ ſanctitatis proponunt; de cujus etiam fama laudabili adhuc multorum cordium reſonat devotio. Et quia, ut ſuſcepimus, plures, præcipue Chriſtianiſſima Majeſtas, ac Excellentiſſimi Domini, & Chriſtianæ Civitates apud ſanctitatem veſtram precibus inſtent, petant & deſiderent, ut veſtra paterna*

Oppidũ Arnſtetenſe.

ſanctitas pro canonizatione ſua invigilet atque intendat. Pietate igitur beatitudinis veſtræ, & ſuis meritis, quibus, ut non ambigimus, apud Deum potens eſt, moti, has humilitatis & devotionis preces veſtros ante pedes beatos una cum aliis Chriſtianis præcordialiter fluduimus effundere, humiliter inclinati, quatenus ad Dei omnipotentis laudem, & Sanctorum ſuorum honorem, totiuſque militantis Eccleſiæ gloriam, & veſtræ clementiſſimæ Paternitatis æternam ac benedictam memoriam, canonizationi & ſanctitati tanti Patris intendere, & juxta immenſam prudentiam ſanctitatis veſtræ, cui hanc rem ſubmittimus, hujuſmodi Chriſtianas preces, quantum poſſibiles fuerint, benigniſſime ſuſcipere & paternaliter exaudire veſtra ſanctitas non dedignetur. Quam Altiſſimus in cunctis viis cuſtodiat, ac proſperam dirigat, tempora per longiora ſaniſſime victuram, noſtram in unicam conſolationem. Datum noſtro ſub ſigillo die XV. *menſis Septembris, anno* MCCCCLXII.

Humiles & devoti obedientiæ filii, Proconſules & Conſules oppidi Arnſtetenſis, Moguntinenſis diœceſis. V. S.

EIDEM.

Oppidum Coburgk.

LIX. *Sanctiſſime Pater, ſumme Pontifex, unicque Jeſu Chriſti Vicarie &c. Navigantes in hujus arvi pelago &c.* ut ſupra in litteris Civitatis Camenez num. XLIII. *Datum die Veneris* XV. *menſis Septembris, noſtri oppidi Coburgk ſub ſigillo, anno Domini* MCCCCLXII.

Humiles & veræ obedientiæ filii, Proconſul Conſuleſque & Jurati oppidi Coburgk, Herbip. diœceſis.

EIDEM.

Civitas Nurembergæ.

LX. *Sanctiſſime in Chriſto Pater & Domine clementiſſime, & humillima & devotiſſima ſubjectione præmiſſa ad beatorum pedum oſcula. Beatiſſime Pater & Domine clementiſſime, venerunt ad nos his diebus nonnulli Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupati, pro parte fratris Gabrielis de Verona, præfati Ordinis & ejuſdem Vicarii Generalis, ſereniſſimi ac invictiſſimi Romanorum Imperatoris hortatorias litteras præſentantes, quibus ſua celſitudo ſignificat affectus & deſiderio tranſmiſſa Apoſtolicæ Sedi pro canonizatione bonæ memoriæ devotiſſimi fratris Joannis de Capiſtrano, ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ, ut in hac re favorem & auxilium apud ſanctitatem veſtram impendere curaremus, prout in eiſdem latius continetur. Dignis itaque laudibus proſequentes affectum, quem ad viros religioſos, & ad operam religionis ſedule habemus, intuenteſque præclara ac præcelſa merita præfati devotiſſimi fratris Joannis, virtutum præſtantiam, magnitudinem ſuorum meritorum, Divini cultus ac Orthodoxæ fidei Catholicæ defenſionem & augmentum, quibus ut apis argumentoſa deſerviens, fructuoſus & ſedulus enitere apud nos viſus eſt, allectiva dulcedine merito nos inducunt, ut apud V. S. ſpeciali favore, eaque quæ ad ipſius decorem, ſuique laudis & honoris promulgationem deſervirunt, proſequamur; cum idem mundi relictis illecebris, & mundanis omnino relegatis affectibus, carnem ſuam macerando & tormentando, ſecundum ordinem magni Melchiſedech, ſacra propinavit verbo & exemplo, vineam Domini plantavit & fecundavit, ambulantibus in regione umbræ mortis melliflue præbuit itinera caritatis, crucem Domini ba-*

bajulando, ſeipſum pro peccatis omnium non deſiit immolare; nam ſuæ ſalutiferæ prædicationes, & religioſa opera ejus, quibus auditorum cordu aſſidue refovere conatus eſt, jam faciunt apud nos, & non paucas alias Civitates Alemaniæ, quæ nigredine laſciviæ, maliſque conſuetudinibus, ludorum ſpurcitiis, ceteriſque ſpectaculis, ac mundi vanitatibus erant, inſtigante perſecutore generis humani tenebratæ, ferventer elucere; quod in veritate ſcitur, & fama publica de eo proteſtatur. Igitur pietate beatitudinis veſtræ, & ſuis meritis, quibus, ut ſperamus, apud Deum potens eſt, piis devotionum affectibus moti, humillimas atque devotas preces noſtras ante pedes beatos una cum aliis Chriſtifidelibus præcordialiter ſtuduimus effundere, quatenus ad laudem Dei, & Sanctorum ſuorum honorem, totiuſque militantis Eccleſiæ gloriam, & veſtræ clementiſſimæ paternitatis æternam & benedictam memoriam, beatitudo veſtra dignetur, prout juſtum fuerit, huic ſacræ rei gratioſe intendere, & juxta immenſam S. V. prudentiam, cui hanc rem ſubmittimus, hujuſmodi Chriſtianas preces, quantum poſſibiles fuerint, miſericorditer ſuſcipere, & paternaliter exaudire V. S. ne dedignetur. Quam Altiſſimus pro conſolatione noſtra, & omnium fidelium ſub Chriſtianæ fidei protectione reſpirantium, incolumem conſervare dignetur per tempora longiora. Ex Nuremberga XVII. *menſis Septembris, anno Domini* MCCCCLXII.

Veſtræ ſanctitatis humiles & devoti Oratores, Proconſules & Conſules Imperialis Civitatis Nuremburgenſis.

Eidem.

LXI. *Sanctiſſime Pater & Domine clementiſſime, ſervitutum affectibus præmiſſis. Recepimus per manus Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, apices glorioſiſſimi ac invictiſſimi Romanorum Imperatoris, quibus celſitudo ſua ſignificat affectui & deſideria ſua, tranſmiſſos Apoſtolicæ Sedi pro canonizatione bon. mem. fratris Joannis de Capiſtrano, hortando nos in hac re auxilium apud ſanctitatem veſtram impendere & favorem, prout in eiſdem latius continetur; cujus pio deſiderio tanto avidiores animis, tantoque proniores pro modulo parvitatum noſtrarum id exequimur, quanto nobis conſtat præfatum venerabilem Patrem, dum in humanis ageret, commendabilem vitam omnibus vere ſanctis moribus fulgentem duxiſſe. Fuit ſiquidem vir potens in opere & ſermone, æthereа pariter coruſcans converſatione, quippe ſua fœcunda facundia ac prædicatione noſtram hanc Civitatem illuſtravit & fœcundavit, virtutibus decoravit & moribus informavit. Quare, beatiſſime Pater, piis devotionum affectibus plurimum rogitantes, preces fundimus, beatitudo veſtra dignetur, prout juſtum fuerit, huic rei intendere pro gloria & honore Eccleſiæ Orthodoxæ, Sedis Apoſtolicæ & nominis ſanctitatis veſtræ. Quam conſervare dignetur & ſalvare Salvator omnium per tempora longiora feliciter & votive. Datum Bambergæ* XX. *menſis Septembris, anno Domini* MCCCCLXII. Urbs Bamberga.

Veſtræ ſanctitatis humiles & devoti obedientiæ filii, Proconſules & Conſules Civitatis Bambergen. ejuſdemque diœceſis.

Eidem.

LXII. *Sanctiſſime ac beatiſſime Pater, ad devota pedum oſcula beatorum, humilitatem, devotionem & obedientiam tam debitas, quam condignas. Domine clementiſſime; certi Fratres Ordinis Minorum, de Obſervan-* Urbs Ratiſpona.

vantia nuncupati, bis diebus litteras ſereniſſimi & invicti ſſimi Romanorum Imperatoris ſigillo ſuo Imperiali munitas nobis demonſtrarunt, celſitudinis Cæſareæ affectus & deſideria Apoſtolicæ Sedi tranſmiſſa continentes pro canonizatione bon. mem. viri devotiſſimi fratris Joannis de Capiſtrano, adviſaruntque iidem Fratres ut & affectibus ac deſideriis ipſius Illuſtriſſimi Imperatoris acquieſcentes, pro eadem re & noſtram ſupplicationem S. V. clementiæ impendere curaremus. Nos itaque adviſationem hujuſmodi benigne ſuſcipientes, intuenteſque & penſantes fructus, quibus præfatus devotiſſimus frater Joannes de Capiſtrano, dum in humanis ageret, apud nos, & abunde nobis vicinos, in prædicatione Orthodoxæ fidei Catholicæ, & pro defenſione ejuſdem ac augmento deſerviens, verbo & exemplis clarior emicuit, vineam Chriſti fœcundando, quodque ejus opera religioſa apud nos, & in nobis vicinis Civitatibus plurimis, fructus uberes ac tantos circa vulgum produxerunt, quod & plurimi ex eiſdem religioſis operibus & doctrinis viri devotiſſimi, vitiis & conſuetudinibus ſqualidis, quibus inſudarunt, relegatis, in virtuoſe viventium atque agentium turba deambulantes, & plurimos ad vitam ſalubrem inducent, & inductos fine facient iter ſuum adoptato & felici conſummare, plene confidimus. Quoniam ergo, Pater beatiſſime, rumor vitæ & doctrinæ viri ejuſdem, quibus mirabiliter claruit, nos inducunt, ut canonizationem ejus merito fiendam pie valeamus credere; S. V. conſilio ſaniori rem hanc ſacram, quantum poſſibilis extiterit, ſubmittentes, humillime ac devotiſſime ſupplicamus, quatenus benignitatis & clementiæ veſtræ ſanctitas preces noſtras hujuſmodi, quas pie credimus Chriſtianas, dignetur gratioſius ſuſcipere, & paternis affectibus exaudire: quam & ſanctiſſimam Paternitatem veſtram dator totius boni Altiſſimus pro noſtra, ac totius Eccleſiæ militantis conſolatione & protectione fidei Catholicæ reſpirantem tempora dignetur per longæva conſervare incolumem. Ceterum & nos ad pedes beatos benedictionibus Apoſtolicis & meritis ejuſdem participare confidentes, humillime commendamus. Ex Ratiſpona die Jovis ſeptima Octobris, ſub anno Domini MCCCCLXII.

S. V. clementiſſimæ devoti Proconſules & Conſules in Ratiſpona.

Eidem.

Civitas Auguſtæ. LXIII. *Beatiſſime ac clementiſſime Pater & Domine, ad devota pedum oſcula beatorum; quidquid poterint obſequii, reverentiæ & honoris debita cum humilitate & obedientia. Sanctiſſime Pontifex, ſuperiori die ſereniſſimi Imperatoris noſtri litteræ nobis fuerunt præſentatæ, quibus Cæſareæ Majeſtatis ſuæ affectus & deſideria, quæ pro illuminatione & magnificentia nominis præcolendi, vereque Divini viri, olim fratris Joannis de Capiſtrano gerit, copioſius eluceſcunt, atque ut hujuſmodi celſitudinis ſuæ literis noſtras quoque adjicere curaremus, hortari voluit. Nos itaque ut in ſingulis, ita in hoc uno præcipue celſitudini ſuæ obediro, moremque pro debito gerere cupientes, attendenteſque quod ejuſdem Fratris devotiſſimi, dum aliquot diebus urbem noſtram verbum Dei prædicando incoluiſſet, vitæ puritas, famæ integritas, opera denique religioſiſſima & profecto vere miraculoſa, doctrina pariter & exemplis abunde claruerunt, qui non in Italiæ ſolummodo vel Alemaniæ, quinimo diverſis mundi partibus certamina paſſionum non ſolum ipſe appetiit, ſed ad hæc toleranda etiam alios accendit. Fortis itaque præ-*

præliator Dei intra claustra teneri noluit, quinimo Divini certaminis campum, atque pro fide Christi mortis subire periculum non formidavit, ita ut pro his ineffabilibus fama, vita & virtutibus immortalitatem comparatam, per eum nobis reservandam non dubitemus. Eapropter, clementissime Præsul, Pater ac Domine gratiosissime, S. V. devotissime exoramus & petimus, ut eum, qui vita & morte, doctrina, fama & miraculis velut sol resplenduit, claretque, cui pro laboribus multis, pro moribus eastis, pro actibus strenuis celsioris loci præmium debetur, pro meritis pie recommendatum suscipere, atque ut vivens in carne sub Sanguine Christi Ecclesiam propagavit, ita V.S. mortuum cœlicolarum numero adscribere, precesque nostras fide & devotione Christiana judicare, & gratiosius exaudire dignetur. Quam sanctissimam Paternitatem vestram largitor omnium Deus pro fidei Ecclesiæque suæ sanctæ conservatione, regimine incrementoque felici incolumem conservare dignetur ævo longiori; cujus pedibus sanctis nos ac nostros, totamque Communitatem nostram humiliter commendatam obedientissime subjicimus. Ex Augusta die Martis XII. *Octobris, anno Domini* MCCCCLXII.

Clementissimæ sanctitatis vestræ devotissimi Consules & Proconsules, totaque Communitas Civitatis Augustæ.

Eidem.

LXIV. *Beatissime Pater & Domine clementissime. Intelleximus nonnullos Reges, Principesque Catholicos pro canonizatione olim venerabilis patris fratris Joannis Capistrani de Ordine Minorum Sanctitati Vestræ supplicare, inter quos & Dominus noster Serenissimus Princeps Dominus Casimirus Rex Poloniæ super eadem re preces scripsit speciales. Et quia, nedum hæc nostra Cracovienſis Civitas, verum etiam totum Poloniæ regnum ex persona dicti venerandi Patris, dum ad has applicuerat partes, maximum lætitiæ receperat fructum, tum in vitiorum extirpatione, plantatione que per continuas prædicationes virtutum, ac diversorum hominum curatione ægritudinum, in tantum quod præfatum Patrem non ex Italia, de qua ortus fuerat, missum, sed de cœlo intuebamur elapsum, qui etiam plura Monasteria Ordinis sui Observantiæ strictissimæ in partibus nostris instituit & erexit, sic quod in toto Poloniæ regno præfatus olim vir pretiosissimus gloriam de se nulla ætate delendam reliquit. Quare beneficiis talis & tanti Patris pulsati, eidem Sanctitati Vestræ & nos majoribus, quibus valemus, supplicamus precibus, quatenus præfatum olim sanctissimæ memoriæ virum fratrem Joannem de Capistrano canonizare, & catalogo adscribere Sanctorum dignemini gratiose, attento quod ipse nedum in vita, sed etiam post mortem miraculis coruscat, pront ad nos hæc fama multorum devenit veridicorum relatu. Datum Cracoviæ die Saturni quarta mensis Decembris, anno Domini* MCCCCLXII. Capitulum Cracoviæ.

Ejusdem Vestræ Sanctitatis inutiles exoratores Administrator & Capitulum Ecclesiæ Cracovienſis.

Eidem.

LXV. *Beatissime Pater & Domine clementissime. Obedientiam humillimam atque Christianam fidelitatem ad oscula pedum beatorum. Intelleximus nonnullos Reges, Principesque Catholicos &c.* ut in præcedenti usque Urbs Cracoviæ.

uſque ad *per continuas prædicationes virtutum. Unum recitamus, dum apud nos in hac Civitate eſſet, futura contingentia ut Propheta omnino, quod noſtræ Civitati ac nobis jam accidit, ac aliis perſonis ad punctum prædixit, quod in ſcriptis noſtris reducere longum eſſet, & ſuæ ſanctitatis non modicum eſſe teſtimonium putamus. Qui etiam plura clauſtra & Monaſteria* Ordinis *ſui, unumque apud Civitatem noſtram Obſervantiæ ſtrictiſſimæ, ac in partibus noſtris ſolemnia inſtituit & erexit &c.* ut in præcedenti uſque ad finem *devenit veridicorum relatu. Quam ſanam & felicem Altiſſimus in longos dies conſervare dignetur pro regimine Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & noſtram in unicam conſolationem. Datum Cracoviæ die quintadecima menſis Decembris, anno Domini* MCCCCLXII. *ſub ſigillo noſtri Conſulatus.*

Ejuſdem Sanctitatis Veſtræ humiles ſervitores & obedientiæ filii Conſules Civitatis Cracoviæ.

EIDEM.

Urbs Coſten.

LXVI. *Beatiſſime Pater, Domine ac Pater Reverendiſſime, ut ad filios ac natulos ſanctæ matris Eccleſiæ, in ejus gremio enutritos & enutriendos, ſpectare dignoſcitur & decet, debitam reverentiam depreſſis cervicibus, proſtitutis corporibus ad oſcula pedum beatorum, omnique modo, quibus Deo & Beatiſſimæ Paternitati Veſtræ obedire oportet, obedientiam ac executionem præceptorum cum humilitate. Quia religioſi ac devoti Fratres Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupati, in districtu noſtro extra oppidum noſtrum ſituati, per fructiferam doctrinam & bonæ vitæ converſationem, utriuſque ſexus homines etiam & ſtatus ad vitæ æternæ præmium non ceſſant invitare, eoſque laudibus dignis, ut & aliis Chriſtifidelibus poſſimus æquari, exardeſcentes, favoris ſpecialis & amoris proſequimur favoribus, & in futurum, Deo duce, proſequi ſperamus. De quorum collegio ejuſdem Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia fuit bo. me. frater Joannes de Capiſtrano, quem nonnulli ex noſtris concivibus noverunt & conſpexerunt vita in humana, ejuſque laudabiles actus lucidis affectibus ad memoriam reducentes. Recolentes tum ab expertis, tum etiam fidis relatibus veridicorum, quod ii noſtri coincolæ, qui virentem affectibus devotis in ſeculo colebant, quantum decuerit, ex intimis deſiderarent venerari, not eodem accenſi deſiderio, hoc ipſum ex corde facere deſideramus. Cum itaque, Beatiſſime Pater, præfatum fratrem Joannem de Capiſtrano, nedum ſolum in vita verum etiam ab humanis exutum, claruiſſe & coruſcare miraculis & prodigiis, fama celeberrima partibus in noſtris palam exclamet, ex voluntate Divina pro honore ejuſdem Divinitatis, & devotione, ac augmentatione Chriſtifidelium, & ſanctæ matris Eccleſiæ ſuſtentatione, Sanctitatem Veſtram, ea, qua poſſumus, devotione & honoris exhibitione obſecramus, Veſtræ Sanctitatis innata & ſolita benignitatis clementia ipſum præfatum Joannem in cathalogum Sanctorum citius adſcribere, inſtituere, dirigere mandareque dignetur benigniſſime & gratioſe, Dei pro honore, Veſtræque Sanctitatis ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, ac totius Chriſtianitatis refugio & adjutorio ſingulari. Datum in Coſten. feria quarta ipſo die beati Thomæ Cantuarienſis, anno Domini* MCCCCLXII.

Conv. Coſten. *Vide an.* 1457. n. 74.

V. S. Parati in omni obedientia, Procenſul, Conſules, ac tota Communitas Civitatis Coſten. regni Poloniæ, ſerculi.

Ei-

EIDEM.

LXVII. *VEnerabilis Pater, in Chriſto Sanctiſſime mi venerande, Ple, bone, totius mundi ſtupor atque ſuadela. Et quia ſat ampla diffuſa ſunt prædicata laudum præconiis per mundum totius ævi, hinc Orthodoxæ fidei meræ conſtantiam, religioniſque ſanctæ profectum, veri & amoris zelum obedientiæ cum promptitudine ita noſmetipſos offerimus ad beatorum Veſtræ Sanctitatis pedum oſcula. Nempe communis boni robur Jeſus Chriſtus omnium creator, rector & conſervator ſeipſum pro nobis obtulit, ut ipſum lumen virtutum meritis oppido illuſtraret, verum & omnem hominem in hunc mundum venientem, ſpeciem hominis idem ipſe ſuper omnia creata diligendo ſpeciali affectione, Patri in cœlis reconciliavit, voluntarie pro omnibus ſubditus extitiſſe voluit, eo in omnibus ſacræ paginæ teſtante, ut & ipſi affectæ in candore tanti luminis coram hominibus palam eorum operibus ſic lucere videantur, glorificando Patrem, qui in cœlis eſt. Quapropter, Beatiſſime Pater & Domine, Domine colendiſſime, ſupplici ac humili corde, intimaque devotione unanimiter obſecramus, ut dignemini gratioſe adſcribere catalogo Sanctorum in terris virum ac P. fratrem Joannem de Capiſtrano ſacri Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, quem & ipſe Altiſſimus glorificavit, ut creditur, in cœlis; etenim dum adhuc labilem in mundo duxerat vitam, fere omnium ora eumdem hominem ſanctæ vitæ approbarunt, palam proclamando. Ejus inſuper ſanctitatis fama, miraculorum etiam & Divinorum prodigiorum gratia uberoſa & plena eſt omnis terra, quod utique R. P. frater Gabriel de Verona, ſuis cum ceteris Fratribus Ordinis prætactis, coram nobis deifice converſantibus, claris & admodum lucidis veris exemplis & teſtimoniis non ceſſant approbare, & certa experientia cogit exequendum. Quibus interea ſic exauditis, gratioſe poſtulando, laus Domino Deo, honor & gloria, Eccleſiæque Romanæ Univerſali fides incrementum ſuſcipiet, ipſaque prævitas hæretica patietur detrimentum, corda quoque Chriſtiana, ut novit Sanctitas Veſtra, percipient conſolationem & robur ſanctæ fidei in Domino pariter ſpeciale, decuſque ſalutis abundanter. Datum in Wſchovva die Veneris ultima menſis Decembris, anno Domini* MCCCCLXII. Urbs Wſcovven-ſis.

Proconſul, Conſuleſque, ac tota Communitas Civitatis Wſchovven. humiles filii & ſemper obedientes.

EIDEM.

LXVIII. *SAnctiſſime Pater, Domine, Domine clementiſſime, parotiſſimam & humillimam obedientiam, ſanctæque fidei Catholicæ robuſtiſſimum atque æviternum ſtabilimentum, poſt devotam pedum deoſculationem beatorum. Quoniam ſummi opificis atque Redemptoris noſtri immenſa, inexhauſibilis, inexplicabiliſque pietas & clementia, uti a primævo omnium conditorum inſtanti, uſque in præſentium decurſus temporum, hominem, quem ſuæ conformem imagini, non alienumque ſimilitudini, ex ſingulari ſua bonitate ſuaviſſima procreavit, non ceſſat ad terminum evocare ultimum, etiam noſtrorum infauſtorum devolutionibus temporum, quibus fere totus, prout clarius ac patentius facto proditur vario, mundus in maligno cernitur poſitus, eidem exemplar perfectiſſimum ſpeculumve ſanctitatis translegare conſueta ſua largitate dignatus eſt, videlicet fratrem Joannem de Capiſtrano, Or-* Urbs Gobilini.

Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, vita ſanctum, ſtatu laudabilem, venuſtum moribus, virtutibus glorioſum, quibus in evangelizando ſacri Evangelii eloquium in inclyto noſtro Regno Poloniæ, ceteriſque multis circumadjacentibus terris & partibus, vita adhuc comite coruſcabat, dogmatis ſalutiferi, priùs veprium urticarumque climinata malitia, ſparſit ſemina. O quam beatum, imo felicisſimum regnum, & terra quævis benedicta, quæ tanti viri ſancti fuit viſitata præſentia! beatior propagatrix, ſed beatiſſima retentrix. Quot per varia vitiorum abrupta divagantes, ad viam directionis ſunt reducti ſalutifere? quot tenebris peccatorum excæcatis, veritatis diffundendo lumen, viſum perfectæ cognitionis attulit? quot abominationes a longo in mundum diffuſas, in alearum, teſſerarum & hujuſmodi ſimilium ludis, pompaticas in cultibus veſtium exquiſitiones, ſpecula & quæcumque alia diſcrimina inenarrabilium vanitatum inſtrumenta diligens agri Dominici cultor vigili conamine eradicavit, laudabiliſque & beatæ converſationis, ſignanter Religionis prænominatæ incrementum in Obſervantia regulari amplificavit copioſum? Plura Fratrum centena ſuo merito, fauſto & benefico, vitæque præclariſſimæ exemplo congregavit, Cœnobia quamplurima in noſtro regno & aliis prope aſſiſtentibus terris conſtruxit. Quæ omnia ſequentibus ſignis, prodigiis, portentis & miraculis in diverſis diverſarum infirmitatum generibus ipſa Dei clementia in laudem & gloriam per ſervum ſuum prædictum confirmavit, approbavit, & communi noſtra & multorum aliorum experientia præhabita ferme per univerſum orbem divulgavit; quibus cum non tantum in vita, verum etiam & in morte & poſt mortem Altiſſimus decoravit. Quo fit ut & Dei pietatem, & tanti viri merita ſinceriter ad noſtram reducentes memoriam, quæ nos erga ipſum tanto fervoris inflammant amore, ut quem olim in carne agentem mortali, digno colebamus veneratu, etiam corpore ſolutum ex intimis affectuoſiſſime venerari exoptamus, qui, ut liquet, corporaliter in regno Hungariæ requieſcit. Poſt ſuum pium deceſſum multa per Omnipotentis Dei uſitatam clementiam inter Chriſticolas miracula e ſummo pro meritis ſibi divinitus elargitis, patrat & operatur. Cum igitur tam ſanctum, tamque piiſſimum opus ad Omnipotentis laudem, & jugem Divinæ Majeſtatis honorem & gloriam, totiaſque Hierarchiæ cœlicæ procuratur & diſponitur præconium, Veſtræ piiſſimæ ac clementiſſimæ Sanctitati precatu, quo valemus, ſupplicamus humiliori, quatenus præfatum Patrem beati felicisque recordii fratrem Joannem de Capiſtrano (cujus merita virtutum & laudum ejus præconia non dubitamus V. B. in experientia certa & probata latius habere) canonizare, & prout dignum fuerit, Sanctorum catalogo adſcribere, ad honorem, ut præfertur Dei, gloriam Sedis Apoſtolicæ, & pro augmento Orthodoxæ fidei Catholicæ, deſtructione pravitatis hæreticæ, & conſervatione fidelium Chriſtianorum dignetur S. V. Quam Deus incolumem atque felicisſimam ad multos annorum defluxus conſervare dignetur pro omnium noſtrum ſpecialiſſima conſolatione, & ſtatu & honore Eccleſiæ ſuæ ſanctæ. Datum in Cobilino, alias in Venecliis Poloniæ, decima menſis Januarii, anno Domini MCCCCLXII.

Albertus Heres una cum Proconſule, Conſulibus, & tota Communitas Civitatis prænotatæ humillimi Veſtræ Sanctitatis ſervi & filii.

LXIX. Hæ aliæque litteræ, majoris prolixitatis vitandæ gratia omiſſæ, propter cauſam ſupra relatam, ad Pii Pontificis manus non pervenerunt. Illas

Anno Chris ti 1462.	Pii II. an. 4. & 5.	Friderici III. Imp. anno 23.	Religionis Minorum anno 255.

Illas porro grato erga Magiſtrum ſtudio collegerunt ejuſdem ſanctiſſimi viri diſcipuli, & ſocii, qui hoc tempore præſertim in Polonia floruerunt. Inter hos emicuit Ladislaus a Gelnono Hungarus, origine Scytha, virtute multa præditus & doctrina, qui cum duodecim Fratribus in Scythiam proficiſcens, gentem ſuam, a qua prodierat, ad fidem Chriſtianam converſurus, impeditus eſt a Duce Moſchoviæ ſchiſmatico, Latinis ſumme infeſto; unde reverti coactus adhæſit Capiſtrano, ab eoque iuſtitutus eſt, uti alias diximus, Guardianus Cracovienſis. Multa patravit miracula, atque inter hæc aſellum mortuum, ſarcinulis deferendis deſtinatum, ſuis precibus in itinere Moſcovitico reſuſcitavit. Sepultus eſt honorifice in choro Conventus Warſavienſis, ad dextrum Altaris majoris, ubi plurimæ conſpiciuntur tabellæ votivæ. Plura ſcripſit opuſcula, a quo etiam hos inconditos rithmos ſuam exprimentes converſionem ferunt compoſitos.

Fr. Ladislaus a Gelnono. *Chron. MSS. Polon. Gonz. in Prov. Polon. Conv. 2.*

To. 12. an. 1453. n. 4.

Anno Chriſti milleno quadrin. ſexin. ſecundo,
Ad vincula ſancti Petri accepi vincula clauſtri,
Me Petrus genuit in Gelnono, Petrus & almus
Clauſtro me clauſit, vinclaque mea tulit.
Grates Deo reddo cantando cum cythariſta:
Dirupiſti mea vincula, Alme Deus.
Gratia ſit miſero, ut perſolvam vota mea,
Ut bene perſolvam, gratia ſit miſero.

Sed hæc carmina videntur innuere, hoc anno MCCCCLXII. initiatum fuiſſe; quod ſi ita ſit, non potuit diſcipulus eſſe Capiſtrani defuncti anno MCCCCLVI. Hunc obiiſſe anno MOV. ſub illud tempus dicemus.

LXX. Melchiſedech Polonus, inter ejus diſcipulos connumeratur, qui Vartæ ad dextram chori partem ſepultus eſt, vir zelotes, ſuæ profeſſionis integerrimus cultor, paupertatis & puritatis ardens amator. In bona vegetus ſenectute Fratribus ſui tranſitus tempus prædixit, & ex morientis ore viſus eſt prodiiſſe ſplendidiſſimus radius, qui ad cœlos uſque pertingebat. Stanislaus de Huynia habitu a Capiſtrano donatus eſt, qui per hoſpitalia circuiens, abjectos quoſque & infirmos maxima inviſebat caritate, omnes inducens ad peccatorum confeſſionem, & Sacramentorum receptionem. In mortis agone circumdare voluerunt in magna multitudine ſpiritus tartarei, ſed ignito ſuæ caritatis ſpiritu, tamquam flamma e fornace prodeunte, illos abegit, uti ipſorum unus poſt ejus mortem exorcizanti Sacerdoti in obſeſſa confeſſus eſt.

Fr. Melchiſedech Polonus.

Fr. Stanislaus de Huyma.

LXXI. Clymacus Cobilinius, de cujus ad Ordinem receptione, & prædicta per Capiſtranum ejus virtute, alias locuti ſumus, ſummo ſtudio & & labore hoc tempore propagando inhiabat Inſtituto. In moribus compoſitus, inceſſu gravis, vita exemplaris, in omnibus humillimus, apud nobiles in pretio habebatur & a Fratribus amabatur. Seculares facile illum ad fundandos admittebant Conventus; iiſdemque, donec difficultates omnes ſuperabantur, a Fratribus præficiebatur. Omnes ſtatim bibliothecis, tamquam ſumme ad evitandum otium & curandas animas neceſſariis, inſtruebat. Sua virtute & prudentia duritiem fregit cleri Gneznenſis acriter contradicentis fundationi Conventus Cobilini, quam ille meditabatur in bonis paternis. Lithuaniam peragravit, & Vilnam ac Caunam Obſervantes, reſiſtentibus Conventualibus introduxit. Romæ plurimum deſudavit pro impetranda licentia, ut per Pruſſiæ regionem idem propagaret Inſtitutum. Tandem

Fr. Clymacus Cobilinus. *To. 12. an. 1453. n. 5.*

in Poloniam tranſumptis, authenticatiſque ſub Vicecancellarii Apoſtolici ſigno & ſigillo, viginti quinque Ordinis Minorum, & tribus Tertii Ordinis privilegiis ſeu inſtrumentis, obtentoque Indulgentiarum diplomate pro recitando pſalterio beatæ Virginis, rediit in Poloniam ſimul cum Stanislao Slapenſi ſocio, ubi plenus bonorum operum & dierum pie quievit.

Fr. Gabriel Epiſcop. Cluſinus. *Cobellin. in Comment. Fil II. lib. 9. Ex actis Conſiſtor.*

LXXII. Pius Pontifex oppidum patrium hoc anno in urbem erexerat Epiſcopalem, & a ſuo nomine *Pientiam* appellavit. Epiſcopum præfecit Joannem Cinugium, nobilem Senenſem, a Cluſinæ Eccleſiæ vinculo abſolutum; huic vero Eccleſiæ Archiep. Senenſi ſuffraganeæ paſtorem dedit fratrem Gabrielem Picolomineum ſuum conſanguineum, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Kalendis Septembris. Obiit Senis apud ſuos Conſodales anno MCCCCLXXXIII. Eccleſiæ ſancti Papuli, ſub Archiep. Toloſano, fratrem Joannem de Porta Burgundum, ſacræ Theologiæ Magiſtrum, per obitum Raymundi, VI. Kal. Maii. Obiit anno MCCCCLXVIII. Bethlehemitanæ, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, fratrem Joannem Berratinum, ſacræ item Theologiæ Magiſtrum, per obitum Guillelmi, VI. Kal. Septembris. Cambalienſi Archiepiſcopali in Tartaria, fratrem Alexandrum de Caffa, per obitum Bartholomæi Caponis de Pera, Kalendis Decembris, quem commendatum voluit Protectoribus officii Compararum ſancti Georgii urbis Januenſis. Thephliſienſi in Media, ſub Archiep. Voſpren. fratrem Henricum Wonſt, in ſacra Theologia Baccalaureum, per obitum alterius Henrici, II. Kal. Januarii. Obiit anno MCCCCLXIX. invenio enim ei ſuffectum Joannem Yminh, Ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini, VI. Idus Julii eodem anno. Ad beneficia Eccleſiaſtica & Prioratus promoti fuerunt frater Nicaſius Mercorii, inſignis Theologus, qui per plures annos quatuor libros ſententiarum legit, & a ſacris concionibus fuit Eliſabethæ Comitiſſæ de Charaloys; & frater Richardus Fitz Joan. vir in Philoſophia, Metaphyſica & Theologia apprime eruditus, nobilis viri Richardi Principis Poviſcorum confeſſarius.

Fr. Joan. S. Papuli.

Fr Joan. Bethlehemitan.

Fr. Alex. Archi. Cambalien.

Fr. Henricus Thephliſien.

Fr. Nicaſius Metchorii.

Fr. Richardus Fitz Joan.

Ex lib. 17. bullar. fol. 266.

LXXIII. Res Boſnenſes eo majori ſtudio curabat Pontifex, quo judicabat magis idoneas ad reſiſtendum hæreticis & ſchiſmaticis, ne latius diffunderentur in propinqua regna Catholica. Audiens itaque in illa Provincia magnam fuiſſe penuriam virorum in Philoſophia, ſacris Canonibus & Theologia peritorum, ex aliis Provinciis illuc deſtinavit viros doctos, & præſertim fratrem Petrum de Mili, in eodem regno natum cum ſociis quatuor, qui in optimis Ciſmontanis & Ultramontanis Academiis ſub doctiſſimis viris audierunt, juſſitque aliquot Conventus capaciores deſtinari ſtudiis litterariis. Id factum pleno omnium Fratrum aſſenſu in Congregatione Provinciali, in qua variis decretis ſubſcripſerunt tot Cuſtodiarum præfecti, ut numeroſiſſimam & latiſſimam illam tunc fuiſſe Provinciam convincatur. Singrapharum ſeriem, ne Cuſtodiarum notitia omnino depereat, hic exſcribam.

Deſtinantur in Boſnam viri docti.

Cuſtodes Provinciæ Boſnenſis.

Ego Fr. Philippus de Raguſio Vicarius Boſnæ ſupradicta confirmo manu propria.

Ego Fr. Ludovicus de Nemorellis Cuſtos Cuſtodiæ Boſnæ ſupradicta confirmo &c.

Ego Fr. Franciſcus de Raguſio Cuſtos Cuſtodiæ Cethinæ ſupradicta &c.

Ego Fr. Marinus de Corzula Cuſtos Cuſtodiæ Stagni ſupradicta &c.

Ego Fr. Helias de Poſega Cuſtos Cuſtodiæ Greben. confirmo &c.

Ego Fr. Dionyſius de Sclavonia Cuſtos Cuſtodiæ Corbaviæ confirmo &c.

Ego

Ego Fr. Philippus de Crovatia Cuſtos Cuſtodiæ S. Hieronymi confirmo &c.
Ego Fr. Jacobus de Uſſora Cuſtos Cuſtodiæ S. Mariæ confirmo &c.
Ego Fr. Petrus de Mili Cuſtos Cuſtodiæ S. Catarinæ confirmo &c.

LXXIV. Perſeverabat adhuc inter hujus Provinciæ & Dalmatiæ Fratres diſcrimen circa juriſdictionis limites, Cœnobiorum numerum, & collectarum terminos, offendebantque Pontificem crebræ inde tranſmiſſæ querelæ. Juſſit itaque ut Vicarius Generalis ſe illuc transferret, & his controverſiis finem jam tamdem imponeret. Abiit, fecit, compoſuit, editiſque pro utraque parte neceſſariis conſtitutionibus, pacem, ſub uno capite unitis Provinciis (etſi valde unioni reſtiterint Boſnenſes, utpote numero plures & conditione potiores) induxit, ſed non ſtabilivit. Hoc illud commiſſionis inſtrumentum. Diſſidium inter Boſnenſes & Dalmatas.

Dilecto filio fratri Ludovico de Vincentia, Fratrum beati Franciſci de Obſervantia Vicario Generali Ciſmontana.

LXXV. *Dilecte fili ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Per alias litteras noſtras mandavimus dilecto filio fratri Baptiſtæ de Levanto, tunc Generali Vicario Fratrum de Obſervantia, Ordinis beati Franciſci partium Ciſmontanarum, prædeceſſori tuo, ut pro pace componenda inter Provinciam Boſnæ & Dalmatiæ illuc perſonaliter accederet. Scripſimus inſuper dilectis filiis Generali & Provincialibus Vicariis, ceteriſque Vocalibus, Ordinis prædicti de Obſervantia, in Generali Capitulo apud Auximum anno præterito congregatis, ut omnes & ſingulas differentias Provinciarum veſtrarum, & præſertim inter Provinciam Dalmatinam & Vicariam Boſnenſem componere, decidere & determinare valerent. Accepimus poſtremo nihil per prædictos, ex voluntate partium non invicem convenientium deciſum aut determinatum fuiſſe, quin potius aliquos Fratres Provinciæ Dalmatiæ ab obedientia Vicarii Provinciæ illius contra Apoſtolica indulta, quorumdam ſecularium dominorum favore ac patrocinio ſe poſtmodum ſubtraxiſſe. Quod nobis moleſtiſſimum, ac univerſæ familiæ tibi commiſſæ periculoſiſſimum decernentes, tibi, quem audivimus utrique parti ſuperiorem præfatumque eſſe, committimus & mandamus in vim obedientiæ ſalutaris, ut quamprimum commode poteris, perſonaliter accedens, Fratres rebelles ad te advoces, & per cenſuras compeſcas a tali rebellica & temeraria locorum occupatione. Indulgemus præterea & declaramus, ut pro meliori & commodiori regimine ordinare poſſit de Provinciarum illarum, Boſnæ videlicet & Dalmatiæ locis vel Conventibus factis aut fiendis, uni magis quam alteri parti per te adjudicandis vel attribuendis, ſive de terminis Provinciarum, & commodis uſibus, quæſtis, vel auctoritatibus quibuſcumque decidere & determinare, aut Provincias illas dividere aut unire, & ad unius capitis regimen adducere ex noſtra valeas & Apoſtolicæ Sedis commiſſione. Nos vero, ut noſtra hæc juſſio ſortiatur effectum, omnibus ac ſingulis Fratribus in loca Cerſati, & Veglæ rebellibus commorantibus, & utrique Dalmatiæ & Boſnæ Vicaria, ceteriſque Fratribus Provinciarum prædictarum præſentibus & futuris, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus & mandamus, ut quidquid in prædictis feceris, ſtatueris & ordinaveris, fine aliqua contradictione obſervent, ac faciant obſervari: Quæ omnia per te tunc acta, rata habebimus, & ex nunc approbamus. Quacumque alia in prædictis alias forſan facta determinatione & ceteris in contrarium facientibus non obſtantibus* Ex autographo: Pacem ſtabilicturus ad eos mittitur Vicarius Generalis.

quibuſcumque. Datum Viterbii ſub annulo Piſcatoris die XIII. *Maii* MCCCCLXII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Ex reg. Ordinis. Ex Ariminenſi tractu Fratres recedunt propter interdictum.

LXXVI. Pontifex diris devoverat ſolemni apparatu Sigiſmundum Pandulphi Malateſtam, Arimini Regulum, religionis fideique expertem, ei obſequentes aut adhærentes cenſuris irretivit, ditionemque omnem ſacris interdixit miniſteriis. Ludovicus Vicarius Pontificem convenit, petivitque explicaret, quid circa tot Conventus ſui Inſtituti in illa poſitos ditione fieri placeret. Juſſit, ut omnes eo recederent, relictis duobus aut tribus ad domorum cuſtodiam, atque hi interdicti formam obſervarent. Ita factum, etſi inſaniens Sigiſmundus in Fratres proinde ſæviret.

Gobellin. in Comment. Pii II. l. 8.

LXXVII. Pius hoc anno tabificam luem in Urbe graſſantem declinaturus, ad propinquas Farneſiæ gentis poſſeſſiones ſe contulit, oppidum, quod *Caput montis* vocant, Vulſinenſi adjacens lacui, incoluit, exinde lacus inſulas duas, & Cœnobia indidem condita in una ſancti Franciſci, in altera ſancti Auguſtini inviſit; exin apud Minores prandium in prato ad umbram populi paratum ſumpſit, quod Religioſi, ut Pontificem digne ſuſciperent, per oppida circumjecta multis diebus antea mendicaverunt; Pium enim oraverant, ne ſua cibaria dedignaretur, neve Monachorum contemneret apparatum: Neque ille contempſit fercula, quæ appoſita fuerunt, edit, & vinis uſus eſt mendicatis, ne pauperem menſam faſtidire videretur. Pranſus eſt uno die cum Fratribus; verum Fratres multos dies ipſe pavit. Paulo poſt etiam apud Aquam pendentem apud Minoritas religioſo hoſpitio exceptus eſt.

Pius Pontifex Minoribus liberaliter convivit.

Minoritæ Pragenſes male habent. *Cochl. lib. 12. de reb. Huſſit.*

LXXVIII. Paſſi ſub hoc tempus Franciſcani in urbe Pragenſi calumnias, contumelias & injurias a malorum omnium fatore Joanne Rochizana, conqueſti ſunt apud Wenceslaum Eccleſiæ Pragenſis Adminiſtratorem. Templum, cui præerat Rockizana, vicinum erat domui Minorum, atque inde, uti dicitur, *aliquid mali propter vicinum malum*, evomebat in eos univerſis ſuis concionibus varias contumelias. Monuit hominem Wenceslaus, ut ab injuriis abſtineret. At ille exagitatus querela, multo deinceps quam prius, magis inſolentiuſve ad vexandos miſeros cum ſuæ adminiſtrationis auctoritate incubuit, vetans, ne præter præſcriptum ſuum ſermocinarentur; ne ægrotos cum Sacramento Euchariſtiæ ſub una ſpecie viſitarent, ne mortuos a calice abhorrentes ſepelirent. Itaque multi ſine Viatico decedebant, & ad ſepeliendum extra portas Civitatis efferebantur. Diſpoſuit item in omnibus domibus, qui perſcrutarentur, ſi quem invenirent inquilinum a ſecta illorum diſſentientem, ut eum urbe exturbarent. Nec injuriam paſſis ullum propius, quam Romæ perfugium; quippe ſolius Romani Pontificis cenſuras Podiebratius Rex, Rochizanæ, & Huſſitarum Protector, aliquantiſper reverebatur, quas poſtea contempſit, eoque tandem perventum eſt, ut ſacræ Romanæ Eccleſiæ, rituſque Catholici cultores, & præ ceteris Minores, urbe fecerit exulare.

Conv. Taurinen. *Lib. 17. bullar. fol. 174. & l. 41. fol. 241.*

LXXIX. Univerſitas, ſtudium & populus Taurinenſis in regione Pedemontana, ſummopere cupiens apud ſe habere Fratres Regularis Obſervantiæ, rogavit Pium Pontificem, ut ſibi liceret Eccleſiam ſancti Salvatoris minoris extra urbis muros ſitam, & a Monaſterio ſancti Jacobi de Sturia Ordinis Vallis umbroſæ, Taurinen. diœceſis, dependentem, Monachis & cultu Divino deſtitutam, menſæ Epiſcopali unitam, adaptare uſui prædictorum Fratrum, & vicinum conſtruere Cœnobium. Accedente horum precibus interceſſione Ludovici & Annæ Ducum Sabaudiæ, Pontifex aſſenſit, binaſque dedit ad Epiſcopum Taurinenſem litteras, ut Civium Principum-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 255.
1462.	an. 4. & 5.	anno 23.	

pumque votis ſatisfieret. Aliter rem narrat Gonzaga, dicens circa hunc annum ex Pii conceſſione a prædictis Principibus fundatam domum intra urbis muros, ſub nomine ſancti Thomæ. Ex duabus bullis Pii hoc anno datis, ego primam exſcripſi narrationem; quid ſi poſt inchoatam vel completam apud ſanctum Salvatorem domum, bellorum vel aliunde ſumpta occaſione, Conventum intra urbem Principes tranſtulerint? *Gonz. in Prov. Genuæ Conv. 11.*

LXXX. Ab urbe Converſana in Apulia diſtat aliquantulum Conventus Minorum Obſervantum, a ſancta Maria de Inſula nuncupatus, & hac de cauſa illic conſtructus. Oberranti cuidam puellæ extra urbem Divinitus revelata fuit quædam imago beatæ Virginis ſub ſpecu deliteſcens. Exhumata plurimis cœpit coruſcare miraculis, qua de cauſa Joannes Antonius Aquaviva Urſinus, Comes Converſanus, uti habet Gonzaga, eo ipſo in loco, quo imago latuerat, Conventum ædificavit. Ut ita faceret, facultatem conceſſit Bartholomæus Roverella, tit. ſancti Clementis Presbyter Cardinalis, tunc in regno Siciliæ citra Farum Apoſtolicæ Sedis Legatus, quam poſtea confirmavit Paulus II. ſpeciali diplomate dato VII. Kalendas Novembris anno MCCCCLXIX. in quo ſupradictum fundatorem vocat Julium Antonium de Urſinis de Aquaviva, Adriæ Ducem; aitque Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Inſula ibidem præextitiſſe, & ſpectaſſe ad Epiſcopum & Capitulum Converſanum, ſive Cuperſanum. Conv. Converſani. *Idem in Prov. S. Nicol. Con. 10.*

LXXXI. Philippus Calandrinus Sergianenſis, tit. S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis, Epiſcopus Bononienſis, Nicolai V. uterinus frater, ſummopere dolens, patriæ ſuæ Sergiani, vulgo *Sarzane*, Cœnobium Minoritarum, a S. Franciſco (uti erat traditio) conſtructum, ad ſummam miſeriam redactum, a Conventualibus fuiſſe ferme derelictum, egit efficaciter cum Miniſtro Generali, ut ad Obſervantes transferretur, rogavitque Ludovicum Vicarium Generalem, ut admitteret. At Fratres Provinciæ Tuſciæ valde reſtiterunt receptioni, nec Domini Cardinalis precibus aut minis flecti potuerunt, allegantes, Conventum penitus deſolatum, curam habere adnexam Monaſterii ſanctæ Claræ, quam nullatenus ſuſcipere volebant. Precibus Cardinalis inductus Pontifex, unum atque alterum Breve Vicario Generali direxit, ut admitti curaret. Dum tamen Fratres variis modis tergiverſarentur, præcepit Marco Bononienſi, ut Sergianum iret, & utriuſque domus curam in ſe ſuſciperet, donec aliter provideretur: *Scripſimus ſuperioribus diebus*. die XXVI. Julii. Anno ſequenti unitus fuit Provinciæ Januenſi, ejuſque curam Fratres ſuſceperunt. Conv. Sergiani reformatur.

LXXXII. Fratres Regularis Obſervantiæ Provinciæ, quæ nunc appellatur ſancti Ludovici, duo habebant oratoria, unum beatæ Mariæ de Bellegarde ſeu *de pulchro viſu*, prope oppidum Taraſconis, Avenionen. diœceſis, & aliud prope oppidum de Inſula, Elnen. diœceſis in confinibus Cataloniæ, in quibus pauci Fratres conſiſtebant. Petierunt hoc anno a Pontifice, ut liceret ea in domos conventuales reducere, in quibus exactius diſciplina regularis poſſet obſervari. Indulſit Pontifex, ſcriptis litteris ad Præpoſitum Arelatenſem, & Decanum ſancti Petri Avenionenſem. Primum in formam Conventus reduxit vir nobilis Raymundus de Monteſalco, dominus caſtri *de la Motta*, prope quod exiſtebat Eremitorium. Secundum a piis viris ædificatum, ſemel atque iterum deſtructum fuit propter bella, quæ vigebant inter Gallos & Hiſpanos. Tertio refectum eſt ſub Philippo II. Hiſpaniarum Rege, magno vicinorum oppidorum bono, a quibus propinqui hæretici propelluntur, qui ſuos errores ubique diſſeminare non ceſſant, ſed Religioſorum ſtudio, & perpetuis concionibus impediti, fideles popu- Conv. Bellegard. *Lib. de exhib. & Regul. an. 4. fol. 234.* Conventus Inſulæ S. Mariæ de Remediis. *Gonz. in Prov. S. Ludov. Con. 27.* *Idem in Prov. Catalon. Con. 12.*

populos contaminare non potuerunt. Diſtat hic Conventus mille paſſibus ab oppido Inſula, & totidem a Galliæ confinibus, adnumeraturque Conventibus Provinciæ Cataloniæ, ſub nomine ſanctæ Mariæ de Remediis.

Con. Mozoreti. *Idem in Provin. S. Bonav. Conv. 34. Pisq. & Feder. de hoc Conventu.*

LXXXIII. Vir nobilis & ſtrenuus miles Ludovicus a Chalonio, dum in Italia ſub Gallorum inſigniis contra Aragonios militaret, caſu vel conſulto Conventum quemdam Fratrum Minorum combuſſit. A confeſſario fratre Laurentio Perreſſino juſſus, ut alium eiſdem ædificaret in caſtro ſuo Mozoreti, jacto primo lapide XXVI. Martii hoc anno conſtruxit. Illic ſepultus jacet quidam Minorita Sabaudus, notæ pietatis vir, quem ferunt Chriſti ſtigmata recepiſſe. Principes Auriaci huic Conventui plurimum beneſaciunt.

Tom. 10. anno 1424. n. 14. Conv. Villæ novæ Equitum. *Lib. 10. bullar. fol. 301.*

LXXXIV. Alias dixi de Conventus beatæ Mariæ de Villalvini prope Villam novam æquitum, vulgo *de los cavalleros*, Palentinæ Diœceſis humili principio, ſub titulo Eremitorii. Hoc anno Pontifex conceſſit facultatem nobili viro Gutterio de Quexada, prædicti oppidi de Villa nova Domino, ut in Conventum exædificaret, Fratribuſque traderet Minoribus vicaturis ſub correctione & viſitatione Miniſtri Generalis, & Provincialis ſancti Jacobi. Nunc ſubeſt Proviciæ Conceptionis. Multis annis paruit Patribus Conventualibus.

Conv. Pacenſis reformatur. *Lib. 39. bullar. fol. 257.* Et Toletanus. *Lib. 40. fol. 233.*

LXXXV. Reformationem domus S. Franciſci urbis Pacenſis commiſit hoc anno Pontifex illius Civitatis Epiſcopo, ita deprecante Rege Henrico & multis viris nobilibus, eamque tradi juſſit Vicario Generali Regularis Obſervantiæ. Domum etiam Toletanam, rogante eodem Rege & urbis nobilibus, juſſit reformari per Archiepiſcopum & Miniſtrum Generalem, ac committi regimini Miniſtri Provinciæ Caſtellæ, qui eamdem exerceret in Fratres hujus domus ſuperioritatem, quæ conceſſa ei fuerat in alios Fratres reformatos, videlicet Conventum *del Abrojo & Aquilera*, & reliquorum Cuſtodiæ (inquit diploma) fratris Lupi de Salinas, idque ipſum anno ſequenti præcepit, non obſtante quod Patres Conventuales multa pro ſe allegaverint, deſtructionem præſertim ſtudii generalis, quod in eo Conventu florebat, inde ſecuturam.

Conv. Theſagii. *Ex lib. 17. bullar. fol. 306.*

LXXXVI. In regno & diœceſi Boſnenſi ſub hoc tempus conſtructum Conventum Obſervantum in villa Theſagii per nobilem virum Radivoum Charſtich, indicat Pontificis diploma, quo noviter erectam Eccleſiam inviſentibus multas elargitur Indulgentias.

Conv. Inſulæ Arcani. *Monum. MSS. Provin. Hibern.*

LXXXVII. In Hibernia ſub hunc annum conſtructus eſt pro Fratribus Regularis Obſervantiæ Conventus Inſulæ Arcani, diœceſis Roſſenſis, a Domino Idriſcolio, qui ædificato in eadem inſula munitiſſimo caſtro, vicinum portum maritimum tutiorem reddidit a pyratarum incurſionibus. Commodus erat valde locus & amœnus, ſed prædonibus nimium expoſitus. Caſu ventis & procellis agitati illuc appulerunt quidam Mercatores Waterfordienſes, & qui caſtrum cuſtodiebant, prædæ inhiantes, nave in ſuam poteſtatem redacta, mercimoniis ſpoliarunt. Illi convocatis aliis, ductiſque pluribus navigiis, inſulam & caſtrum expugnaverunt, Monaſterium diripuerunt, ipſam etiam campanam abſtulerunt. Etſi hanc unus illorum pronepos reſtituerit, non tamen injuriam omnem inultam reliquit Deus; qui enim huic interſuerunt direptioni, male habuerunt, variiſque ſunt incommodis affecti.

Conv. Muineachani. *Monum. MSS. Prov. Hibern.*

LXXXVIII. In oppido Muineachani, diœceſis Clauderenſis in Hibernia, hoc anno inchoatum eſt Cœnobium Minorum per Feylinium Bernardi Mac-Mahonum, Dominum de Uriella, celebre, religioſum, amplum & nu-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 255.
1462.	an. 4. & 5.	anno 23.	

numeroſæ capax familiæ. Aliqui vetuſtius faciunt, aſſerentes ſub annum MCCCCVII. ab alio familiæ Mac-Mahonæ fuiſſe conſtructum. Sed primæ opinioni adſtipulantur libri antiqui Annalium ejuſdem familiæ. Excurrentes Angli hæretici in illam Regionem, expilatum & direptum locum deſtruxerunt, fratrem Patritium Bardæum alioſque occiderunt, domumque demum obtinuit Eduardus Blane hæreticus Anglus, Regni Hiberniæ Conſiliarius, Gubernator Comitatus Uriellæ, qui ex lapidibus & ruderibus in alio loco cc. P. diſtante magnificam ſibi domum conſtruxit.

LXXXIX. Ante quatuor annos Conventus oppidi Gottingenſis, diœceſis Maguntinæ, vetuſtæ conſtructionis reformatus eſt per Nicolaum, tituli ſancti Petri ad Vincula Presbyterum Cardinalem, tunc in Germania Sedis Apoſtolicæ Legatum. Sed cum Miniſter Provinciæ Colonienſis, cujus fidei jurejurando obſignatæ, illum commiſerat Cardinalis, reformationi non faveret, ſed Obſervantibus adverſaretur occulte, rogantibus Ottone Duce Brunſuicenſi, & Guillelmo ſeniore, ac Henrico Ducibus Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus, translatus eſt Conventus ad Provinciam Saxoniæ, & commiſſus regimini Vicarii Regularis Obſervantiæ. Poſtea, prædominante hæreſiarcha Martino Luthero, ejus aſſeclis ceſſit in prædam. Demum anno MDCXXVIII. in Capitulo Provinciali Fuldenſi Provinciæ Colonienſis, præſide Reverendiſſimo Joſepho Bergaigne, Commiſſario Generali ſuper Provincias Germanicas, Belgicas & adiacentes, poſtea digniſſimo Epiſcopo Silvæducenſi, nunc Archiepiſcopo Cameracenſi, commiſſa eſt Guardiano Lutreenſi cura domum illam recuperandi.

Conv. Gottingen. reformatur. *Lib. 39. fol. 104. & lib. 43. fol. 149.*

Monum. MSS. Prov. Colon.

XC. Nicolaus de Gueſinghen laicus Auguſtanus donavit domum ſeu poſſeſſionem, quam habebat extra oppidum Campidonenſe, diœceſis Auguſtanæ, pro extruenda domo Fratribus Obſervantibus. Commiſſa rei diſquiſitione Petro, tituli ſancti Vitalis presbytero Cardinali Epiſcopo Auguſtano, compertum eſt id expedire, deditque hoc anno Pontifex aſſenſum.

Conv. Campidonenſis. *Lib. 40. fol. 393.*

XCI. Ante aliquot annos Uladislaus Dux Sileſiæ dederat Minoritis *quemdam locum, hortum, aream in ſuburbio oppidi de Gorau, diœceſis Uratislavienſis in loco arenoſo, Reverin nuncupato, conſiſtentem, cum piſcaria longa & lata, & agro ſibi adjuncto, pro ſua & parentum animarum ſalute*, ut ibidem Conventum ædificarent. Porro illi impigre domum conſtruxerunt, aſſentiente Petro Epiſcopo, & ſub hunc annum Fratres introduxerunt. Rogarunt Primislaus Dux Theſchinenſis, Uladislai jam defuncti germanus Frater, & Margarita Duciſſa majoris Glogaviæ, Provinciæ Sileſiæ, ut factum Pontifex ſua auctoritate confirmaret. Ille hoc anno ſcriptis Epiſcopo Uratislavienſi litteris approbavit.

Conv. Gorau. *Lib. 41. fol. 121.*

XCII. Nobilis vir Guillelmus, Dominus de Bylandt de Hedell, & de Monte, locorum Trajectenſis diœceſis, impetravit hoc anno facultatem a Pontifice conſtruendi in loco opportuno ſui dominii domum Fratribus Regularis Obſervantiæ. An ita fecerit, vel quo loco, mihi incompertum.

Lib. 2. de diverſ. & benef. an. 4. fol. 10.

XCIII. Amſterodami (quod Hollandiæ Civitas eſt, etſi recens, illuſtris tamen mercimonia & commodiſſimo portu, unde navigia ſolvunt in totum orbem terrarum, olimque Religione Catholica & Divino cultu inſignis) domum poſuerunt Minores ad annum MCCCIV. quæ hoc ipſo reformata, tradita eſt Obſervantibus. Verum optimo Religionis colore in Geuziorum mutato ſuligine, menſe Junio anni MDLXXVIII. iſti, clam introductis multis ſuæ factionis, Catholicos adoriuntur, irruunt in noſtros Fratres, vulnerant, percutiunt, expellunt Civitate Magiſtratum, optimoſque Catho-

Conv. Amſterodami. *Monum. MSS. Provin. Germaniæ inferior.*

tholicos (inter quos fuit etiam Pater Arnoldius ab Iſca) furioſe arreptos navibus exportari jubens, nulla honeſtatis, nulla venerandæ canitiei habita ratione. Inde feruntur in reliqua Monaſteria: Templa, ſacella, Altaria exſcindunt, imagines ſacras dejiciunt, ſupellectilem & ſacrata vaſa diripiunt, Sacramenta polluunt; in Deum impii, in homines ſcelerati, in juramentum proprium & conſcientiam perjuri & perfidi. Totum noſtrum deſtructum, & ſolo æquatum eſt Cœnobium, niſi quod unico dormitorio pro libitu ſuo abutantur. Cum Anabaptiſtæ anno circiter trigeſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum tentaſſent Amſterodamum, fruſtra tamen, viri, fœminæ, nudi diſcurrentes per plateas, & furioſe vociferantes, Væ, Væ, Væ, & illi comprehenſi & puniti fuiſſent, eo miſſus Pater Venerabilis frater Bartholomæus a Middelburgo concionaturus contra ſectam iſtam nefariam. Fecit cum magno fructu & laude, ut jure diceretur totam Civitatem in Catholica fide confirmaſſe, & ad eam multos reduxiſſe. At nunc illa oppreſſa, Calviniſtæ dominantur. Libera ſunt Judæorum orgia, Anabaptiſtarum, & Lutheranorum. Gummariſtæ, qui rigidi Calviniani, cum Arminianis inter ſe plus odio Vatiniano maxime pugnant. Forte an urbi venturum, quod vir quidam vaticinatus eſt ejuſmodi ad eam alloquio. *Diſſidio crevi ſti, Diſſidio peribis.*

Conv. Bergæ ad Zomam. *Ex eiſdem Monum.*

XCIV. Berga ad Zomam fluvium, oppidum eſt Brabantiæ pulchrum, nunc a Geuziis adeo multis propugnaculis munitum, ut a Catholicis fruſtra aliquoties tentatum ſit. Hoc anno prope mœnia, loco commodo Fratribus Obſervantibus Cœnobium ædificatum eſt a Marchionibus Bergenſibus. Poſtea a Geuziis ſunditus everſum eſt, neque ruinæ apparent veſtigia. Inde profligati ſunt Fratres die XV. Auguſti, beatæ Virginis Mariæ Aſſumptioni ſacra, ipſo quo Amſterodamo expulſi ſunt Conſodales.

Monaſt. Gandienſe. *Gonz. in Provin. Valent. Monaſt. 4. Ann. 1461. n. 45.*

XCV. Hoc anno initium accepiſſe Monaſterium Gandienſe Clariſſarum, reformationis beatæ Coletæ ſcribit Gonzaga. Sed hunc annum præceſſiſſe manifeſte probant quæ diximus anno præcedenti de reformando Monaſterio Perpiniani per Sorores Gandienſes. Primæ hujus Monaſterii fundatrices ex urbe Liſignani, quæ in Gallia Celtica eſt, prodierunt, atque hinc exierunt ſeptem Monaſteriorum inſtitutrices, Gerundenſis & Caſtillionis Empuriarum in Catalonia, Ulyſſipponenſis in Luſitania, Valentini, Alicantini in regno Valentiæ, Riojæ & Madritenſis in Caſtella. Floruit hæc domus ab ipſis reformationis initiis ad hoc uſque tempus nobiliſſimis & ſanctiſſimis Virginibus, quarum fama per omnem reſonat Hiſpaniam. Vetuſtius eſt ipſum Monaſterium; quippe derelictum & ruinoſum reparavit, & facultatibus auxit nobilis vir Ludovicus de Vico miles Valentinus, Conſiliarius, & Magiſter rationum Joannis Regis Aragoniæ, & prædictis reformatis tradidit Clariſſis. Omnia percipiet exacte lector ex bulla Pauli II. quam ſub annum MCCCCLXV. dabimus in regeſto, ex qua multa corrigere poterit in Gonzagæ narratione.

Monaſt. Amſterodami. *Monum. Provin. German. Inferior.*

XCVI. Amſterodami, de quo paulo ante locuti ſumus, inſigne erat ſub hoc tempus Monaſterium Clariſſarum primam Regulam ſectantium. Sed irruentibus Geuziis in urbem, eamdem cum Fratrum Cœnobio ſubiit ſortem. Ejus loco hæretici pauperum domunculas ædificarunt. Habet crudelis impietas mantella, quibus nequitatem ſuam ſpecie pietatis velet, in tempore tamen a Deo revelandam.

Monaſt. de Bethelhem Barcinonenſe. *Lib. 19. bullar. fol. 203.*

XCVII. Aldonciæ viduæ relictæ Gerlimi Muſet Barcinonenſis, ex peregrinatione Hieroſolymitana reverſæ, & ſociabus ab ea eligendis, Pontifex hoc anno conceſſit, ut extra muros Barcinonenſes domum ædificarent So-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno
1462.	an. 4. & 5.	anno 23.	255.

Sororum Tertii Ordinis, ſub invocatione ſanctæ Mariæ de Bethlehem. Ita habet diploma Pontificium. Sed valde diſcrepat Gonzaga, qui Monaſterium vocat ſanctæ Mariæ in Hieruſalem, fundatricem Hieroſolymis reverſam, Raphaelam Pageſam, Sarriæ oppido, diœceſis Barcinonenſis oriundam. Sociam addit Antoninam Deo devotam, Piſis adductam, ut opus adjuvaret. Sive a Bethlehem, ſive a Hieruſalem Monaſterium nuncupetur, certe in fundatricis perſona magnum eſt diſcrimen; forte Aldoncia defuncta, Raphaela itineris & peregrinationis comes in partem ſollicitudinis ſucceſſit, & Piſanam advocavit. Utcumque ſit, domum poſuerunt in ſuburbio prope mare ad Occidentem, ubi prius habitabant Sorores Ordinis Prædicatorum, translatæ ad Monaſterium Montis-Sion. Illic longo tempore vixerunt ſub tertia ſancti Franciſci Regula, inſtituta prima Præfecta Raphaela, ſecunda Antonina. Dum hæc ad arctiorem vitam aſpiraret, ſaventibus Regibus Catholicis Ferdinando V. & Eliſabetha, evocatæ ſunt quatuor Clariſſæ ex Monaſterio ſanctæ Trinitatis Valentino, ſub ann. MCCCCXCIX. quæ ſui Ordinis introduxerunt diſciplinam. Hinc prodierunt primæ inſtitutrices Monaſteriorum Calaritani & Ilerdenſis.

Gonz. in Provin. Catalon. Monaſt. 2. Diego de Comitibus Barcinonen. l. 23. c. 23.

XCVIII. Monaſterium beatæ Mariæ de Conſolatione, loci de *Calabazanos*, Ordinis ſanctæ Claræ, Palentinæ diœceſis, de quo ſæpè locuti ſumus, tali virtutis & pietatis fama crevit, ut innumeræ Virgines nobiles ex præcipuis Hiſpaniæ familiis, illic recipi contenderent, nec potuerint Moniales reſiſtere parentum precibus Principumque favoribus. Hoc itaque anno Leonora fundatrix, Petri Manrique, regni Legionenſis Præfecti olim uxor, tunc ejuſdem Monaſterii Monialis profeſſa, provide conſiderans gravamen Monaſterii, atque inde ſecuturam ruinam, rogavit Pontificem, juberet ne ultra numerum quinquagenarium amplius aliqua reciperetur, niſi præcedente Eneci Manrique Epiſcopi Caurienſis, ſui filii conſenſu. Cujus votis Pius aſſenſit. Dedit inſuper facultatem eidem Epiſcopo admittendi liberam reſignationem præſtimonii villæ de *Paredes de las Navas*, Palentinæ diœceſis, per Magiſtrum Joannem Manrique, Archidiaconum de Valpoſta in Eccleſia Burgenſi faciendam, illudque uniendi prædicto Monaſterio cum aſſenſu Epiſcopi Palentini. Conceſſit etiam Beatrici de Guzman, Comitiſſæ de Paredes, Roderici Manrique uxori, licentiam ingrediendi prædictum Monaſterium, in quo mariti mater & ſorores erant Moniales profeſſæ.

Monaſt. de Calabazanos. Lib. 2. de exhib. & Regular. an. 4. fol. 118.

Ibid. fol. 254.

Lib 1. de diverſ. ann. 6. fol. 115.

XCIX. Similem licentiam conceſſit Beatrici Manrique Comitiſſæ de Haro, Calaguritanæ diœceſis, Petri de Velaſco Harenſis Comitis conſorti, ut quotieſcumque placeret, ingredi poſſet Monaſterium ſanctæ Claræ villæ de Medina, Burgenſis diœceſis, in quo duas habebat filias, unam Monaſterii Abbatiſſam, alteram Monialem profeſſam. Impetraverat alias a Calixto III. licentiam ingrediendi Monaſteria incluſarum illius regionis vicibus octo ſingulis annis. Sed cum illa & conjux juxta prædictum Clariſſam Monaſterium Methymnenſe fundaverint hoſpitale pauperum, in quo magna anni parte reſidebant, pauperibus & infirmis humiliter & pie deſervientes, cupiebat etiam Comitiſſa infirmis Monialibus famulari, & propterea liberum habere acceſſum ad interiora Monaſterii. Ita rem omnem referunt litteræ Pontificiæ.

Fega Monaſterium Methymnenſe Beatricis Manrique pietas. Lib 2. de diverſ. form. an. 5. fol. 13.

C. Injunxit hoc anno Pontifex Epiſcopo Baſileenſi, quod alias juſſit Nicolaus V. ut Monaſterium ſanctæ Claræ Minoris Baſilicæ, diœceſis Conſtantienſis, in diſciplina Regulari penitus diſſolutum, omnino reformaretur, & committeretur regimini Fratrum Regularis Obſervantiæ. Monaſterium etiam

Monaſt. Minoris Baſilicæ reformatur. Lib. 40. bullar. fol. 178.

Monaſt. Vallis-Oſſanæ in Sardinia. *Lib. 41. fol. 11.*

etiam ſancti Leonardi de Valle-Oſſana, Saſſerenſis diœceſis in Sardinia, propter bellorum & temporum injurias ferme penitus deſtructum, Monialibus deſtitutum, ſola remanente Eccleſia, eaque ruinoſa, cupiens Pontifex reſtaurari, commendavit illud cum omnibus bonis & pertinentiis Bernardo Jover presbytero Arborenſi.

Domus Sororum Tertii Ordinis Pinciana. *Gonz. in Provin. Conception. Mon. 31. Ex lib. 39. Reg. Innoc. VIII. fol. 78.*

CI. Joanna Hermoſilla & Beatrix ex fratre neptis inchoatam a ſe Domum in villa Pinciana pro Tertii Ordinis Sororibus, poſtquam multæ eis adhæſerunt, hoc anno obtinuerunt in Collegium Regulare virginum erigi ſub gubernio Fratrum ejuſdem Inſtituti. Joanna ad Abbatiſſæ vel matris (uti habet diploma Pontificium) munus aſſumpta, ab Innocentio VIII. anno MCCCCLXXXVII. impetravit, ut ad regimen Minorum Obſervantum transferrentur. Ab illo itaque tempore reguntur a Fratribus Provinciæ Conceptionis, religioſe & honeſte audientes in populo. Multas habuerunt pias & devotas Religioſas, præſertim dictam Beatricem, quam *ſanctæ Abbatiſſæ* nomine compellant. Ejus oſſa exhumata poſt annos quadraginta ſeptem, ſuaviſſime redolebant, & ad decurum ſepulcrum translata ſunt, ubi Deus ad ejus invocationem miracula patrare dignatus eſt, ob quæ hæ reliquiæ a Pincianis in veneratione habentur. Bullam Innocentii ſub præfato anno dabimus in regeſto.

Domus duæ Senenſes. *Lib. 39. bullar. fol. 142.*

CII. Duo erant Senis hoc tempore Sororum Tertii Ordinis habitacula, unum Caſtri veteris, alterum Campanſtii nuncupatum. Utrique hoc anno Pontifex indulſit, ut a Fratribus Regularis Obſervantiæ gubernarentur, *uti hactenus*, inquit, *bene, laudabiliter, & recte gubernata ſunt*, non obſtantibus ejuſdem litteris paulo antea publicatis, quibus inhibuit Religioſis omnibus, *ne de regimine Monaſteriorum Monialium Civitatis Senenſis ſe quomodolibet intromitterent*.

Conv. Cracovien. perit incendio. *Cromer. l. 24. rer. Polon. in fine. Miechov. l. 4. c. 61. Lib. 23. bullar. fol. 78.*

CIII. Hoc anno die XXVII. Aprilis horribili incendio media ferme pars urbis Cracovienſis in Polonia ad Meridiem & Occidentem exarſit. Periit inter alias ſacras ædes domus Franciſcanorum, ſtructura, Regum munificentia & amplitudine inſignis, depaſcente igne ad ima uſque fundamenta univerſum ædificium. Hortatus eſt Pontifex piis efficacibuſque litteris, ut reſtaurando templo, reficiendoque Cœnobio fideles quique concurrerent. Rogante beato Jacobo a Marchia rigoroſis legibus cavit, ne a Bibliotheca Conventus Montis-Prandonis, Aſculanæ diœceſis, diſtraherentur libri ab eodem diligenter collecti. Fratres Ordinis & Confraternitatis numeroſæ Tertii Ordinis in urbe Aquilana, leges & ſtatuta non obſervantes juſſit habitu ejuſdem Sodalitii ſpoliari. Domum ſanctæ Mariæ Angelorum, ſive de Portiuncula Aſſiſiatem eiſdem gratiis, privilegiis & exemptionibus, quibus gaudebat magnus Conventus ſancti Franciſci ejuſdem urbis, affecit: *Exigit ſacræ Religionis*. pridie Nonas Decembris. Ad preces nobilis mulieris Thereſiæ de Guevarra, Eneci de Guevarra, magni Seneſcalli regni Siciliæ citra Farum Sororis, aliorumque profeſſorum Tertii Ordinis (ſub quo *Reges & Reginas, aliaſque nobiliſſimas perſonas uberrimos fructus honoris & honeſtatis in Dei Eccleſia produxiſſe* teſtatur) omnes utriuſque ſexus illius Inſtituti in regno Caſtellæ Conſodales ſub illa Regula militantes præcepit a Fratribus Regularis Obſervantiæ gubernari: *Pia Deo & Eccleſiæ*. III. Idus Julii.

Varia Pontificis conſtituta.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. Ferrandus in Apulia devicto Joanne Duce Andegavenſi, in Regni
» Neapolitani poſſeſſione firmatur. Demetrius ac Thomas Deſpoti, ſan-

„ ſanguine Fratres, Paleologorum in Imperio Orientali reliquiæ, invicem
„ graves inimicitias enutrientes, armis contendebant: Demetrius autem
„ ſe imparem Thomæ cognoſcens, a magno Turca ſuppetias imploravit,
„ ac obtinuit, ſed in ſuum & Fratris exitium. Nam eos hujuſmodi bello
„ fractos, callidus Turca, Chriſtianorum hoſtis ſuis deſpotiis expoliavit.
„ Cum Januenſes Francorum inſolentiam morum ferre non poſſent, habitis
„ auxiliis a Franciſco Sforcia Duce Mediolani, per Fulgoſios & Adurnos
„ ex præcipuis Genua expulerunt, in caſſum poſtea Renato Andegavenſi
„ maritima Claſſe laborante.

„ II. Georgius Boemiæ Rex ſuorum prædeceſſorum laudabili exemplo
„ ſanctimonialibus Clariſſis Znoymæ in Diœceſi Olomucenſi omnia ſua
„ jura, & privilegia illis conceſſa confirmavit, ut Regium diploma infra-
„ poſiti tenoris apertiſſime probat. Georgius Rex Boemiæ confirmat.

GEORGIUS Dei gratia Boemiæ Rex, Moraviæ Marchio, Lucemburgenſis, & Sleſiæ Dux, ac Luſatiæ Marchio.

Ad perpetuam rei memoriam. Univerſis.

„ *Licet omnium Religioſorum loca Chriſtifidelium pia devotione Divino*
„ *cultui mancipata, mentis noſtræ ſit protegere, & gratioſius conſer-*
„ *vare; præcipue tamen fragili ſexui fœmineo, Deo immortali, in vitæ ſan-*
„ *ctimonia, mundi abdicatis deliciis, famulanti, ac locorum ejus conſerva-*
„ *tioni clementiores nos exhibere debemus; cum debili naturæ earum ac*
„ *conditioni, & natura ipſa & Religio Orthodoxa plus perſuadeat miſereri;*
„ *quales eſſe intelligimus Religioſas, & devotas nobis dilectas Abbatiſſam,*
„ *Virgines, ac totum Conventum ſanctimonialium, Ordinis Minorum ſanc-*
„ *tæ Claræ Monaſterii in Znoyma, pro quibus ſerenitati noſtræ fuit humili-*
„ *ter ſupplicatum, quatenus ipſis, & Conventui ipſarum, de conſueta libe-*
„ *ralitate noſtra, omnia & ſingula jura, privilegia & indulta, ac omnes*
„ *litteras, libertates, gratias, poſſeſſiones, bona & commendabilia, con-*
„ *ſuetudines univerſas, a divæ memoriæ ſereniſſimis Principibus Regibus*
„ *Boemiæ & Marchionibus Moraviæ prædeceſſoribus noſtris, ac aliis Prin-*
„ *cipibus data & conceſſa, datas & conceſſas, innovare, ratificare, &*
„ *gratioſe confirmare dignaremur.* Mon. MSS. Provincia Boemiæ.

„ *Nos igitur, qui Eccleſiarum commodum promovere deſideramus, votis*
„ *illis libenter annuimus. Et non per errorem, aut improvide, ſed ſana men-*
„ *tis noſtræ deliberatione, procerum, & fidelium noſtrorum accedente con-*
„ *ſilio, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Regia Boemiæ, & Marchio-*
„ *nali Moraviæ, omnia & ſingula eorum jura, privilegia, indulta, ac*
„ *omnes litteras, libertates, gratias, poſſeſſiones, bona, & commendabiles*
„ *conſuetudines univerſas, dictæ Abbatiſſæ, Virginibus, & toti Conventui*
„ *Ordinis Minorum ſanctæ Claræ in Znoyma, Olomucenſis Diœceſis, a præ-*
„ *fatis Regibus Boemiæ, & Marchionibus Moraviæ, ac aliis Principibus*
„ *Prædeceſſoribus noſtris data & conceſſa, datas & conceſſas, prout rite, &*
„ *rationabiliter proceſſerunt, cum omnibus earum punctis, clauſulis, arti-*
„ *culis & ſententiis, ac ſi de verbo ad verbum hic eſſent earum tenores ex-*
„ *preſſi, innovavimus, approbavimus, & confirmavimus, innovamus, ap-*
„ *probamus & præſentibus gratioſe confirmamus. Decernentes & volentes*
„ *ea ſingula habere robur perpetuæ firmitatis.*

„ *Mandamus igitur univerſis & ſingulis Baronibus, Nobilibus; ſignan-* Vide ad ann. 1411.

„ *ter autem Capitaneo, & hic Camerario Moraviæ, quatenus dictam Abbatiſſam, Conventum & Monaſterium præfatum in ſuis juribus, privilegiis, ac bonis & donationibus quibuſcumque, necnon in hac noſtræ confirmationis gratia quovis modo non impediant, turbent aut moleſtent, quin potius eas manutenent, protegant & defendant; prout noſtram indignationem Regiam cupiunt evitare.*

Indicul. ex copia. „ *In quorum fidem has noſtras litteras fieri, & ſigilli noſtri Regii juſſimus appenſione muniri. Datum Pragæ die* XXVII. *Martii, anno Domini* MCCCCLXII. *Regiminis noſtri anno* IV.

„ III. Summus Pontifex miſſo fratre Paulo de Luca Florentiani: *Cum dilecti filii &c.* VI. Kalendas Maii; & expeditis litteris pro Religioſis habitantibus in Conventu *Terſath*, Provinciæ Boſnæ: *Optat dilectus &c.* XVI. Kalendas Julii; Indulgentiam conceſſit pro Conventu ſanctæ Mariæ de Stroncone, Narnienſis Diœceſis: *Splendor paternæ &c.* III. Kalendas Junii. Patrum Conventualium Procuratori Eccleſiam ſancti Salvatoris de Urbe prope Montem-Curtum: *Licet ea &c.* IV. Idus Julii; novo Conventui oppidi *Goran* in Sileſia ad majorem Fratrum commoditatem, quamdam petiam terræ addidit: *Ils, quæ pro Divini &c.* VIII. Idus Novembris; reſcripſitque pro bonis Conventus ſanctæ Mariæ de gratiis, juxta oppidum Montis Prandoni, præſidentatus Farfenſis, & Diœceſis Aſculanæ: *Ob ſacræ Religionis &c.* pridie Nonas Decembris, conceſſit pariter Fratribus Minoribus de Obſervantia Ultramontanis Indulgentias Stationum Romæ, dicentibus ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis, & viſitando ſeptem loca; cujus quidem conceſſionis ex Roderico piis Lectoribus copiam facere non piget.

Ex Vatic.

Emanuel. Roder. in nova Collect. privilegiorū tom. 1. fol. 127.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Joanni Mongini Vicario Generali Ultramontano, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia &c.
Salutem &c.

„ IV. *Digna exauditione vota perſonarum humilium, maxime Divinis laudibus, ſacræque Religionis Obſervantiæ deditarum, Apoſtolico convenit favore proſequi; ipſarum preces, præſertim ex quibus ſine cujuſque præjudicio, honor Dei, & animarum ſalus provenire valeat, favorabiliter exaudire.*

„ *Cum itaque nuper ex parte dilecti filii Zegerii Guardiani de Dixmuda, Ordinis veſtri Minorum, pro tua familia in noſtra Romana Curia tui Commiſſarii expoſitum fuerit, dilectos filios Fratres Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia Regulari, continue in Ultramontanis partibus degentes, ad quam ſinceram gerimus devotionem, gratias, & indulgentias ad ſuam animarum ſalutem & ſpiritualem conſolationem, a nobis in humilitate frequenter, & ſæpiſſime deſiderare; ut in dulcedine Divini amoris per nos conſolati, ſemper & eo ferventius ad Apoſtolicam noſtram Sedem, cui ſecundum Regulæ ſuæ Inſtituta ſpecialiter ſunt ſubjecti, in dies majorem devotionem acquirant, quanto ſe ſenſerint in Divina pietate benignius de indulgentiis & gratiis ſpiritualibus conſolatos. Unde ſæpe contingere poteſt, aliquos ex ſupradictis Fratribus, quodam fervore ad acquirendas indulgentias in alma Urbe, in locis ſanctis, in diebus ſtationum, viſitan-*

tibus

„ *tibus hujuſmodi loca & ſtationes conceſſas extendi ; ex quo tibi Vicario*
„ *Generali & aliis ſuis Prælatis tibi ſubjectis , ad obtinendam licentiam vi-*
„ *ſitandi almam Urbem inſeſti ſunt & moleſti . Unde etiam per diverſos di-*
„ *ſcurſus , Religioſis omnibus inutiles & nocivos , diverſa ſcandala oriun-*
„ *tur , ita ut id , quod ipſis aliquo modo videtur in devotione , potius tamen*
„ *propter ſuprascripta , atque etiam propter diſtantiam locorum , & itineris*
„ *perplexitatem , in ſuarum poſſit cedere periculum animarum & detri-*
„ *mentum .*

„ *Quare pro parte ipſius tui Commiſſarii prædicti humiliter petitio nobis*
„ *oblata continebat , quod ipſos Fratres paterno affectu miſericorditer reſpice-*
„ *re , ipſiſque Fratribus tuæ Ultramontanæ familiæ in augmentum devotionis*
„ *& ſpiritualis exercitii , de hujuſmodi indulgentiis , in alma Urbe , in locis*
„ *ſacris & diebus ſtationum per Romanum Pontificem conceſſis , de Apoſtolica*
„ *& conſueta pietate providere dignaremur .*

„ *Nos igitur , qui omnium Religioſorum , maxime illorum , qui in vera*
„ *& indubitata Obſervantia Deo ſervire , & votis ſua in populi ædificatio-*
„ *nem reddere cordialiter affectant , curam gerimus ſingularem , & etiam in*
„ *omnibus , quæ ad Dei laudem & devotionis augmentum , & ſuarum uni-*
„ *marum ſalutem . . . paterno affectu conſolari cupimus .*

„ *Pium & laudabile ipſius Commiſſarii tui deſiderium pluri-*
„ *mum commendantes , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati , affectantes*
„ *omnes Fratres de Obſervantia tuæ familiæ Ultramontanæ a diſcurſibus*
„ *præſervari , & quantum cum Domino valemus , ad fervorem devotionis*
„ *accendi , & in quietis ſpiritu Domino famulari , tibi Vicario , ac tuis pro*
„ *tempore ſucceſſoribus , ceteriſque Fratribus tuæ familiæ , præſentibus &*
„ *futuris , quod omnes & ſingulas indulgentias & remiſſiones , viſitantibus*
„ *ſacra loca almæ Urbis &c. in diebus ſtationum , per nos , & Romanos*
„ *Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſas , quas hic volumus de ſingulari*
„ *gratia , ac ſi præſentibus inſererentur , haberi pro ſufficienter expreſſis , in*
„ *veſtris locis promereri poſſitis , per præſentes pie concedimus , & ſpeciali*
„ *dono gratiæ indulgemus ; ac eas ad veſtra loca , pro vobis dumtaxat exten-*
„ *dimus & prorogamus : ita tamen quod ordinatis in veſtris locis in honorem*
„ *& reverentiam Dei , ſuæque benedictæ matris Mariæ , Apoſtolorumque*
„ *Petri & Pauli , omnium Sanctorum & Sanctarum ſpecialium titulis ad in-*
„ *ſtar ſacrorum almæ Urbis , in quibus ſtationes ſervantur , ipſiſque diebus*
„ *debitis viſitatis , quoties hujuſmodi indulgentias , ſeu gratius ſpirituales*
„ *promereri deſideraveritis , aut quilibet veſtrum deſideraverit , ſeptem*
„ *Pſalmos & alias devotas orationes æquivalentes , ſecundum diſcretionem*
„ *veſtrorum Confeſſorum , qualibet vice , pro nobis & ſucceſſoribus noſtris ,*
„ *ſanctaque matre Eccleſia & cuncto populo Chriſtiano , dicere cum devotione*
„ *debebitis , at quilibet veſtrum dicere tenebitur & obligabitur : alioquin*
„ *hujuſmodi indulgentiæ vobis minime ſuffragentur . Non obſtantibus Con-*
„ *ſtitutionibus Apoſtolicis , ceteriſque in contrarium facientibus qui-*
„ *buſcumque .*

„ V. Animadverſio ipſius Roderici . Circa quam indulgentiam notan-
„ dum eſt primo , quod ter jam , ut videtur , conceſſa fuerat . Primo enim ,
„ anno Domini MCCCCLIX. menſis Martii die XIII. ad inſtantiam prædicti
„ R. P. Zegerii , tunc Commiſſarii Romani , idem D. Papa Pius II. hoc con-
„ ceſſerat ad triennium . Et ſecundo , ad ſupplicationem D. Nicolai de Cuſa
„ Cardinalis , tituli ſancti Petri ad Vincula , in perpetuum idem Dominus
„ Papa nobis elargitus eſt . Tertio vero , quarta die Martii idem confirma-

vit ,

„ vit, declarans Fratres laicos poſſe dicere loco ſeptem Pſalmorum *Pater*
„ *noſter*, ſecundum diſcretionem ſuorum Prælatorum, de quo habetur
„ teſtimonium ejuſdem R. P. Zegerii Vicarii Generalis taxantis *Pater no-*
„ *ſter* dicenda a Fratribus laicis, ſcilicet viginti, ac totidem *Ave Maria*.

LITTERÆ VICARII GENERALIS SUPER STATIONIBUS.

In Chriſto ſibi cariſſimis venerandis Patribus, Fratribus noſtræ familiæ, Ordinis Minorum de Obſervantia vulgariter nuncupatorum, Ciſmontanarum partium, frater Zegerius Reverendiſſimi P. Miniſtri Generalis Ordinis noſtri Minorum, quoad Fratres de Obſervantia vulgariter nuncupatos Ciſmontanarum partium, Generalis Vicarius, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam, & præſentibus fidem adhibere indubiam.

„ VI *Cum nuper anno* MCCCCLIX. *menſis Martii die* XIII. *ad meam*
„ *humilem inſtantiam, ſanctiſſimus Dominus noſter Papa Pius*
„ *Fratribus noſtræ familiæ, in conſolationem animarum ſuarum & in*
„ *augmentum devotionis, pie & miſericorditer conceſſerit, quod mediantibus ſeptem Pſalmis Pœnitentialibus cum Litaniis, pro ſtatu ſanctæ matris Eccleſiæ dicendis, poſſint promereri omnes indulgentias almæ Urbis, etiam in diebus ſtationum, ad triennium duraturas: quas quidem indulgentias idem ſanctiſſ. Papa vivæ vocis oraculo confirmavit* XV. *die menſis Martii, anno* MCCCCLX. *Ne tamen expirato tempore, ipſi Fratres jam multipliciter per hujuſmodi indulgentias in Chriſto conſolati, quamcumque evagationis occaſionem acciperent, per devotam petitionem, & ſanctam informationem Reverendiſſimi Domini Nicolai de Cuſa Cardinalis, tituli ſancti Petri ad Vincula, ipſe ſanctiſſimus Dominus noſter hujuſmodi indulgentias perpetuo ipſis Fratribus pie confirmavit & conceſſit, & ad Sorores ſanctæ Claræ extendit. Prout in ſupplicatione, manu propria ipſius Reverendiſſimi Domini Cardinalis ſignata, clarius continetur; cujus forma ſubſequitur & eſt talis.*

„ Cum Fratres Minores in Regulari Obſervantia ſub Vicario Gene-
„ rali Ultramontano, Domino famulantes, ſpirituales theſauros indulgen-
„ tiarum dietim cumulare cupiant; humiliter a Sanctiſſimo Domino noſtro
„ petiit, ut ipſi certas Capellas & loca devota, in ſuis Eccleſiis & Oratoriis
„ contenta, viſitando, illas & eaſdem indulgentias promereri valeant, quas
„ perſonaliter viſitando Eccleſias, Oratoria, Capellas & Altaria in alma Urbe
„ conſiſtentia, etiam in diebus ſtationum, promereri poſſent; attento, quod
„ per iſtam piam conceſſionem nulli præjudicium infertur, a Fratribus mul-
„ ta materia evagationis nocivæ aufertur, eiſque occaſio plurima occupa-
„ tionis ſanctæ confertur: & extendatur hujuſmodi gratiæ conceſſio ad
„ Moniales ſanctæ Claræ in Obſervantia Regulari ſub Vicario Generali
„ Ultramontano viventes, & ſufficiat Sanctiſſimi Domini noſtri conſenſus,
„ per Reverendiſſimum Dominum Cardinalem ſancti Petri ad Vincula
„ relatus. Placet Sanctiſſimo Domino noſtro quandiu in Obſervantia fue-
„ rint: & quod ſeptem Pſalmos Pœnitentiales cum Litaniis dicant viſitan-
„ do loca per eos deputanda. N. Cardinalis ſancti Petri, manu propria,
„ anno MCCCCLXII. die XX. Februarii.

„ *Et ne in hoc Fratres quovis modo dubitare poſſent, eamdem ſupplica-*
„ *tionem in forma idem Sanctiſſimus ſecundario confirmavit quarta die Mar-*
„ *tii cum declaratione, quod Fratres Laici dicere poſſint loco ſeptem Pſal-*
mo-

„ *morum*, Pater noſter, *ſecundum declarationem ſuorum Prælatorum, prout*
„ *in ſimili ſupplicatione, manu ejuſdem Domini Reverendiſſimi ſignata*
„ *clarius apparere poteſt. Et ne propter diverſitatem Prælatorum diverſi-*
„ *mode ipſi Fratres Laici, quantum ad numerum de* Pater noſter *graventur,*
„ *volo, quod quilibet Frater Laicus pro hujuſmodi indulgentia dicat viginti*
„ Pater noſter, *ac totidem* Ave Maria; *& ne ingrati videamur de tanto*
„ *beneficio, obſecro in viſceribus caritatis Chriſti omnes Fratres meos, qua-*
„ *tenus ſemel ſaltem in eorum vita velint Sacerdotes dicere unam Miſſam*
„ *pro Sanctiſſimo Domino noſtro, unam pro Reverendiſſimo Domino Cardi-*
„ *nali, & pro omnibus, qui pro hujuſmodi indulgentiis laboraverunt, ter-*
„ *tiam pro conſervatione noſtræ Familiæ, & ſuæ Obſervantiæ unione,*
„ *quartam pro me pauperculo veſtro ſervo, licet inutili, & quintam pro*
„ *animabus defunctorum, pro quibus ego obligatus ſum, vel aliquis ex no-*
„ *ſtris potuit eſſe obligatus: Fratres vero Clerici & Laici dicant quinquies*
„ *quindecim* Pater noſter & Ave Maria, *ut ſic tamquam grati de beneficio*
„ *tam ſingulariſſimo, Deo gratias reddere, & gratiam ampliorem promere-*
„ *ri inſimul valeamus. Iſtis ergo omnibus conſideratis, per præſentes vo-*
„ *bis omnibus certifico, quod omnes Fratres noſtræ Familiæ, ac etiam So-*
„ *rores ſanctæ Clarę nobis ſubditæ, viſitando certas Capellas, & alia loca*
„ *per Superiores deputata in eorum Conventibus, Locis ſeu Eremitoriis ob*
„ *reverentiam Eccleſiarum & ſacrorum Locorum, ac etiam Altarium Urbis*
„ *Almæ, poſſunt promereri, & promerentur omnes & ſingulas indulgen-*
„ *tias, ac ſi perſonaliter in Alma Urbe conſtituti viſitarent Eccleſias, Loca*
„ *ſacra, & Altaria ipſiuſmet Almæ Urbis, dicendo Pſalmos ſeptem, vel*
„ Pater noſter, *ut dictum eſt; & hoc quoties voluerint, & devotioni ſe dede-*
„ *rint quolibet die anni, & qualibet hora diei.*

„ *Dat. in ſignum veritatis omnium prædictorum anno Dom.* MCCCCLXII.
„ *in Conventu Salamantino die* XV. *Novembris, ſub ſigillo officii mei, ac ſigno*
„ *manuali. Frater Zegerius Generalis, & ſervus Familiæ Ciſmontanæ, licet*
„ *immeritus.*

„ VII. Anna Cypria, Jani Cypri, Jeruſalem & Armeniæ Regis, nec- Menſe Auguſti
„ non Charlotæ Borboniæ conjugum filia, Ludovico Sabaudiæ Duci Nico- ak Pignonius.
„ ſiæ copulata anno MCCCCXXXII. Maii die ſecunda, hoc anno MCCCCLXII.
„ die XI. Novembris cum habitu Minoritico pie obdormivit in Domino;
„ ac in ſacello ſanctæ Mariæ ad Bethlehem, quod ipſa Gebennæ in Eccleſia
„ Fratrum Minorum ſumptuoſe excitaverat, & omni cum magnificentia
„ affabre conſtrui ſecerat, Regali pompa tumulata fuit: eam omnium mu-
„ lierum pulcherrimam dixit Oliverius; at ejus eximio corporis decori ſi
„ pietatem & religionem addideris, ut par eſt, miraculum caſti amoris eam
„ fateberis: & quidem hæc herois Regia, Religionis & pietatis amantiſſima,
„ in Eccleſia ſancti Patris Dominici Chamberii, ad honorem ſanctæ Annæ
„ Genitricis Matris Dei Mariæ aliud Sacellum ter magnificum Regia libe-
„ ralitate fundavit: præterea vero duo Cœnobia noſtris Fratribus de Ob-
„ ſervantiæ, quos maxime diligebat atque venerabatur, conſtruxit; unum
„ ſcilicet ſub invocatione Divi Thomæ Taurini, & alterum Niciæ ſanctæ
„ Crucis: quibus elegantem Eccleſiam noſtræ Dominæ de Cognin prope
„ Chamberium adde, & merito dices plurima laude dignam. Ita ferme
„ auctor hiſtoriæ præcitatæ ex Martyrologio Eccleſiæ ſancti Franciſci Ge-
„ bennæ, & altero Martyrologio Eccleſiæ ſancti Dominici Chamberii elicit.

AR-

ARGUMENTUM.

Moleſtum durat de Sanguine Chriſti certamen. Jacobus Piceni & Angelus Boiſenus Commiſſarii deſtinantur Pontificii. E Boſna transferunt Minoritæ Corpus ſanctæ Lucæ Evangeliſtæ. Curantur res Hieroſolymorum. Obſervantes varii ſub unum caput rediguntur. Moritur ſanctus Didacus Complutenſis: ejus geſta, miracula & canonizatio referuntur. Mors & acta beatæ Catarinæ Bononienſis deſcribuntur. Florent viri illuſtres. Inſtituuntur Epiſcopi. Multiplicantur domicilia.

An. 1463. n. 18. Vitæ Comment. Pii II. lib. 11.

Protrahitur in longum controverſia de ſanguine Chriſti.

I. INDICTAM diximus diſputationem circa controverſum dogma de Sanguine Chriſti publice habendam coram Pio Pontifice circa Natalitia Domini anni præteriti. Prorogatus eſt terminus ad tempus magis opportunum poſt feſta Paſchalia hujus anni, deinde ad alia tempora non ſemel protractus, neque ante menſem Decembris hujus anni licuit inire certamen. Decertabant interim peculiaribus ſtudiis Prædicatores & Minores, nullum non moventes lapidem, ut ſuam quique firmarent ſententiam; duces ſuarum aſſertionum, illi Jacobum Brixienſem, hi Jacobum Picenum ſequentes, & ſummopere collaudantes. Partium contentioni modum poſiturus Pontifex, rei hactenus peractæ judices conſtituit Alanum, tit. ſanctæ Praxedis Cardinalem, dictum Avenionenſem, & Beſſarionem Cardinalem Tuſculanum, appellatum Nicenum, utriuſque Ordinis Prædicatorum & Minorum Protectores. Vocatus & interrogatus uterque Jacobus circa controverſiæ initium & progreſſum, non ſemel cauſam ſuam unuſquiſque coram Cardinalibus defendit, donec demum partibus ſufficienter auditis, & cauſa mature diſcuſſa, viſum eſt controverſiæ finem imponere, adverſanteſque animos ad pacem revocare. Statuto itaque die vocati ſunt in conſeſſum Gabriel Barcinonenſis, Ordinis Prædicatorum Generalis Procurator in Curia, cum aliis ejuſdem Inſtituti Conſodalibus, & ex Ordine Minorum Franciſcus de Ruvere Savonenſis, Miniſtri Generalis coadjutor, Ludovicus Vincentinus Vicarius Generalis Obſervantum, & Jacobus Aſculanus: in quorum conſpectu, præmiſſo per Cardinalem Alanum gravi ſermone, ad pacem & concordiam exhortatorio, judicatus eſt Brixienſis in quibuſdam defeciſſe, & in aliis exceſſiſſe, juſſuſque proinde, ut errati veniam a Piceno poſtularet. Irruens hic in genuflexi amplexus, rogavit ut ſurgeret, dixitque: *etſi inter nos diſſidia orta & protracta ſint, ego nunc omnem doloris affectum depono, & te deinceps in venerabilem Patrem meum habere propono.*

Ineunt pacem Duces controverſiæ.

II. Ultra ſatisfactionem hanc a Cardinale datam Piceno, aliam adjecit Pontifex, tradito hoc honorario inſtrumento & innocentiæ teſtimonio, iis locis, quibus diffamatus erat, publicando.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex autographo.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum ſuperiori anno de tuis prædicationibus in partibus Lombardiæ, in quibus de ſeparatione Divinitatis a pretioſo Sanguine Chriſti, tempore paſſionis effuſo, mentionem feciſti, nonnulli Fratres Ordinis Prædicatorum, ſicut accepimus, ita ſcandalizati fuerint, ut etiam dilectus filius frater Jacobus de Brixia, ejuſdem Or-

Ordinis, hæreticæ pravitatis in dictis partibus Inquiſitor, non parum in te invectus fuerit, & de hæreſis crimine te, ut aſſeris, accuſaverit. Nos volentes propterea integritati fidei & vitæ tuæ conſulere, quì ab ineunte ætate ad hunc uſque ſenectutis diem laudabiliter & fructuoſe populo Chriſtiano & verbo & exemplo profuiſti, ac quotidie prodeſſe non deſinis, ac fidelium de te opinionem illæſam conſervare cupientes, tenore præſentium declaramus, te, licet conſultius eſſet ea de re non prædicare, abſque tamen alicujus infamiæ nota, & hæreſis vel periculo vel ſuſpicione, opinionem illam ſecundum Ordinis tui doctores prædicare & aſſerere potuiſſe, cum nec antea nec uſque in præſentem diem a nobis, aut a Sede Apoſtolica dicatur aliter diffinitum, declarantes non recte te a prædictis hominibus accuſatum fuiſſe. Idcirco volumus, & ita tibi injungimus, ut in omnibus illis locis, in quibus hujuſmodi inter vos altercatio fuit, has noſtras litteras per prædicatores tui Ordinis publice in ambone, ſemel tantum in quolibet prædictorum locorum legi, & coram populo publicari facias. Poſtmodum vero nullam amplius de hac re verbum fieri volumus, quouſque quid in ea retinendum ſit, per nos & Sedem prædictam fuerit determinatum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. *Martii* MCCCCLXIII. *Pontificatus noſtri anno* V.

III. Ita viſum eſt controverſiam honorifice compoſitam, jam finem accepiſſe, neque amplius de hac re quidquam agendum. Sed iterum vehementius commoti ſunt animi, occaſione inde accepta, quod Prædicatores proceſſum Barchinone anno MCCCLI. contra Franciſcum Bajulum, uti diximus, compactum, cui potiſſime illorum innitebatur ſententia, ex Archivo Aragonenſi Romam tranſvectum, ſecreto authenticari procurarint, dato per Ordinis Procuratorem hoc ſupplici libello.

Nova occaſio turbarum.

Tom. 8. an. 1451. n. 13.

Beatiſſime Pater.

PRo parte devoti oratoris veſtri fratris Gabrielis de Barchinona, in Curia Romana Procuratoris Ordinis Prædicatorum, ſupplicatur Sanctitati Veſtræ, quod, cum quidam Fratres dicti Ordinis de partibus Aragoniæ detulerint ad Romanam Curiam certos proceſſus factos contra nonnullos, qui prædicaverant Divinitatem in triduo mortis Chriſti ſeparatam a Sanguine, per Inquiſitores hæreticæ pravitatis, ac certa conſilia in Theologia & Jure Canonico peritoram, ac revocationes factas per dictos Inquiſitores, & illas ex Archivis Inquiſitorum illarum partium evexerint, & earumdem ſcripturarum inſpectione apparet, prout eſt, quod ſint multum antiquæ, nec faciliter poſſent recognoſci manus Notariorum. Quare ut dictarum ſcripturarum & actorum & conſiliorum, quæ habent referri ad prædicta archiva, memoria & copia in Italia remaneant, dignetur prælibata Sanctitas Veſtra committere Auditori Cameræ veſtræ Apoſtolicæ, ut compellat dictos tales, qui detulerint ſcripturas hujuſmodi, ad producendum illas; quibus productis, ſi evidenter apparebit illas eſſe ita antiquas quod non poſſint recognoſci propter antiquitatem illarum, pro recognitis habeat, & tranſumptam fieri, cui tanta fides adhibeatur, quanta originalibus litteris exhibetur. Et quia prædicta pro pietate fidei fiunt, etiam mandare dignemini, ut gratis authenticentur; non obſtantibus quibuſcumque in contrarium facientibus, cum clauſulis opportunis.

IV. Cauſam commiſit Pontifex Berardo, tit. ſanctæ Sabinæ Cardinali Spoletano, jubens ut ſub ſilentio & ſine ſtrepitu res perageretur, & examinaret

Proceſſus Barcinonen. in Curia examinatur, & tranſcribitur.

naret prædicti inſtrumenti robur & qualitatem. Ita fecit, cauſam proſequente & urgente ſupradicto Jacobo Brixienſe Inquiſitore, qui procuratorio nomine a Gabriele ſubſtitutus eſt. Compertum eſt nullas ibi extare Clementis (quem articulum definiſſe contendebant) ſed ſolius Joannis, tit. ſanctæ Sabinæ Cardinalis, Ordinis Prædicatorum litteras, *etſi ex mandato* (inquit ipſe) *Pontificis ſcriptas*, quarum virtute proceſſus compactus, & Bajulus ad retractationem publicam in domo Epiſcopi Barchinonenſis die VI. Auguſti anno MCCCLI. compulſus eſt. Addita etiam multorum doctorum Theologorum & Juriſperitorum conſultationes & judicia circa hunc & alios articulos congeſta, nulloque laborabat proceſſus foliorum octodecim, ſuſpicionis aut cancellationis vitio, ſed notarii ſyngrapha carebat, quam proceſſus tutelares temporis vetuſtate dicebant conſumptam, ita ut neque percipi neque legi poſſet. Tranſcribi juſſit Cardinalis totum proceſſum, ut exemplar authenticum remaneret in Curia, & autographum ad archivum Aragonenſe, unde extractum eſt, fideliter remitteretur. Subſcriptum eſt exemplar Tybure hoc anno Indict. XI. die Sabbati XX. menſis Auguſti per duos notarios, Joannem Inis clericum diœceſis Trajectenſis, & Guillelmum Molitoris clericum diœceſis Leodienſis.

Minores quibuſdam conceſſibus irritant Prædicatores.

V. Aliam etiam commotionis cauſam miniſtrarunt Minores nimium extollentes opinionem ſuam, magnificanteſque Confodalem Picenum, cui ſcilicet Cardinales impenſe faverint, & Pontifex honorificentiſſimum tradiderit teſtimonium. Brixienſi inſuper malum imminere dicebant, & graviter puniendum propter ea, quæ in Picenum egerat imprudenter. Admonitus Pontifex, etiam Brixienſis cauturus honori, honorabile hoc illi conceſſit diploma.

Dilecto filio fratri Jacobo de Brixia, Ordinis Prædicatorum & Theologiæ profeſſori, Inquiſitori hæreticæ pravitatis in Provincia Lombardiæ.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Differentiam, quæ inter te, & dilectum filium fratrem Jacobum de Marchia, Ordinis Minorum profeſſorem, ſuper pretioſo Chriſti Sanguine tempore paſſionis effuſo, ſuborta erat, ita putavimus ſopiendam, ut nec eidem Jacobo, ejus litteras in forma Brevis conceſſimus, nec tibi aliquid exinde ſcandali aut infamiæ oriretur, nec in ea re quidquam ageretur, donec a nobis & a Sede Apoſtolica aliter eſſet definitum. Quia tamen informati ſumus, quoſdam Ordinis Minorum formam litterarum noſtrarum eidem Jacobo conceſſarum excedentes, ſuis prædicationibus tibi infamiam intuliſſe, aſſerentes te propterea officio Inquiſitionis & gradu Magiſterii fore privandum, & aliis etiam pœnis gravioribus puniendum. Nos indemnitati tui honoris & ſtatus proſpicientes, harum ſerie declaramus, nullam tibi privationis aut alterius mulctæ pœnam propterea eſſe infligendam; & cum non ſine cauſa ipſum Jacobum citaveris ex debito tui officii, nihil tibi fuccenſendum, aut ullam infamiam aſcribendam; quandoquidem nullæ etiam a nobis litteræ emanaverint, ex quibus in aliqua parte debeas puniri aut infamari: & ſi forte per inadvertentiam emanaſſe comperiretur, illas tibi non intendimus in aliqua præjudicare. Datum Tybure ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. Auguſti MCCCCLXIII. Pontificatus noſtri anno V.

Statuit Pontifex contra Turcam proficiſci.

VI. Nihil amplius hoc anno in re iſta peractum eſt, protracta controverſia in annum ſequentem, & nonniſi ſub Pii mortem terminata. Decreverat autem optimus Pontifex ſe murum opponere pro Iſrael, & Chriſtianorum

norum Principum tepidos frigidoſque in cauſa fidei animos ſuæ caritatis igne inflammare, & domi torpentes, vel mutuis diſcordiis ſe invicem conſumentes, raro & inaudito exemplo ad profectionem contra Turcas excitare. Poſtquam in Conventu Mantuano ſe nihil profeciſſe, neque miſſis ad Reges & Principes Legatis, ſcriptiſque creberrimis litteris quidquam obtinuiſſe circa ſociale bellum Turcarum Imperatori, Chriſtiani nominis exterminium meditanti, communibus auxiliis inferendum, conſpexit, ſtatuit ipſe in Aſiam proficiſci, ſuiſque copiis, auxiliari Chriſtianiſſimo Principe Burgundo, decertare, imminentemque cervicibus Chriſtianorum ſæviſſimam plagam vel omnino avertere, vel ſaltem retardare. Colligendis itaque militum ſtipendiis totus incumbens, multos deſtinavit miniſtros, & prædicatores Cruciatæ per omnes diſtribuit Provincias. Jacobum Picenum, quem in hoc opere tot annis probavit ſolertiſſimum, Commiſſarium inſtituit in Provincia & Ducatu Spoletano, tribuens ei facultatem, ut per omnes Civitates & terras concionatores huic miniſterio idoneos diſtribueret, juſſitque ut ipſe Peruſium iret, populum ad ſubſidia ferenda hortaturus. Pontificia do inſtrumenta, adjectis humaniſſimis Jacobi Amanati, Cardinalis Papienſis, Pontifici cariſſimi, litteris.

B. Jacobus Picenus inſtituitur Commiſſarius Cruciatæ.

Dilecto filio Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia profeſſori.

VII. *Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Notos habet devotio tua Prædicatores Ordinis tui, qui ad ſanctam Cruciatam prædicandam, publicandaſque litteras Apoſtolicas deſuper editas apti ſunt atque idonei. Propterea volumus, ac tibi harum ſerie mandamus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut ſtatim receptis præſentibus, per omnes Civitates & terras Ducatus Spoletani & ſpecialis commiſſionis, prædicatores acceptos, & ipſi miniſterio aptos & utiles tranſmittas, qui devote & diligenter populis annuncient Chriſtianæ Religionis periculum, & fidei Catholicæ neceſſariam defenſionem, ac noſtram perſonalem profectionem, meritum quoque ac præmium indulgentiarum conceſſurum auxilia & ſubſidia conferentibus pie ac ſacræ expeditioni contra Turcos, nominis & ſanguinis Chriſtiani atrociſſimos hoſtes: In Eccleſiis etiam Cathedralibus, aut aliis commodioribus, de conſilio Ordinarii loci capſam unam inſtituant in loco tuto, tribus diverſis clavibus munitam, quarum unam Ordinarius, unam ipſe prædicator, tertiam alius ab eis deputandus teneat, in qua eleemoſynarum & contributionum hujuſmodi pecuniæ recondantur, ac ſerventur in uſum dictæ expeditionis: Et omnia alia faciant & exequantur, quæ ad piam hujuſmodi cauſam neceſſaria & opportuna fore cognoverint. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* VIII. *Novembris* MCCCCLXIII. *Pontificatus noſtri anno* VI. *Ex autographo.*

Eidem.

VIII. *Quoniam gravia pericula fidei Chriſtianæ propter ſævitiam Turcorum imminere cernebamus, nec fideles Potentatus, a nobis ſæpe admoniti, excitari potuerunt, ut ad depellendum commune diſcrimen inſurgerent. Nos, ne diutius hæc mala invaleſcerent, decrevimus in proximo Junio perſonaliter proficiſci ad ſanctam expeditionem, prout jam publicavimus. Et quoniam res operoſa & magni ſumptus eſt, nec facultates* *Ex autographo.*

tates noſtræ ſufficiuat ferre tantam molem, oportet ut auxilia Chriſtifidelium undique conquiramus, quibus adjati poſſimus onus hoc, quod pro Chriſto ſubire ſtatuimus, perferre. Eapropter volumus, & devotioni tuæ in virtute ſanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, quateus ſine dilatione te transferas ad Civitatem noſtram Peruſii, atque ibidem hujuſmodi decretum noſtram ferventer publices, & populo Peruſino Verbum Dei evangelizes, ac illum moneas & inducas, ut quandoquidem advenit tempus acceptabile, agnoſcant ſalutare Dei ſui, & pro fidei defenſione conferant larga mana de bonis ſibi ab ipſo Deo collatis, ut pro terrenis cæleſtia recipiant, & vitam æternam conſequantur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die VII. *Novembris* MCCCCLXIII. *Pontificatus noſtri anno* VI.

EIDEM.

Ex autographo. IX. *PUtamus quod audieris profectionem noſtram & expeditionem, quam contra Turcos paramus, quam ſolemniter publicavimus ſuperioribus diebus. Fili, ad hanc ſanctam expeditionem quotidie paramus neceſſaria, & toto conatu noſtro exquirimus adjumenta. Scimus eſſe tibi datam a Domino in prædicationibus gratiam, & libenter verbum tuum audiri in plebibus. Mandamus igitur tibi in virtute ſanctæ obedientiæ, ut, omni excuſatione & mora poſthabita, te conferas ad Civitatem noſtram Peruſii. Ibi prædicabis propoſitum noſtrum ſecundum tenorem litterarum Apoſtolicarum, quas edidimus. Accinge te ergo gladio tuo circa femur tuum: clama, ne ceſſes, exalta vocem tuam tamquam tubam, annuncia Populo Peruſino pium propoſitum noſtrum, & laborem, quem pro communi ſalute ſuſcipimus. Denique non ceſſes admonere & inducere fideles, ut in tanta neceſſitate non deſerant Patrem ſuum & Dominum, Pontificem Romanum vadentem tanto fervore ad defenſionem populi Chriſtiani: ſubveniant nobis & adjuvent pia incæpta noſtra eleemoſynis & oblationibus, ut pro terrenis cæleſtia accipiant, & vitæ æternæ præmium conſequantur. Tu vero de his, quæ egeris, in dies nos facias certiores. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die* XV. *Novembris* MCCCCLXIII. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Reverendo P. noſtro cariſſimo fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Ex litteris originariis. X. *VEnerabilis Pater noſter cariſſime, ſalutem in Domino. Videbit Paternitas Veſtra, quæ ſcribit piiſſimus Pater noſter Vicarius Chriſti, & paſtor animarum noſtrarum; ſenex invalidus, ultra vires & ſortem ætatis pro ſalute omnium navigaturus eſt contra hoſtes Evangelii & fidei, in quo ſalvamur. Rarus hic zelus in Eccleſia fuit. Exemplum omnino novum. Sperandum eſt Redemptorem noſtrum, cujus agitur cauſa, piis oculis aſpecturum tam ſanctam intentionem, & daturum ſucceſſus inauditis cæptis felices. Scio Beatitudinem ſuam multum ſpei collocaſſe in prædicationibus veſtris, & expectare fructum aliquem iſthic Peruſii opera veſtra. Rogo caritatem veſtram, reſpondeat deſiderio ſuo, & adjuvet ſenex ſenem. Nihil unquam prædicatum eſt ſanctius, nihil utilius, nihil etiam neceſſarium magis. Hic Dominus Jeſus a ſervis ſuis extremam poſſibilitatem requirit, quandoquidem Vicarium ſuum mittit, & de communi Chriſtianorum conſervatione agitur. Sanctitas ſua vos diligit, & veſtris conſiliis multum credit. Propter litteras Paternitatis Veſtræ & conſilium ejus, ſuſpendit materiam ſanguinis,*

nit, & in ea decidere nihil voluit. Eo magis ſublevandus & adjuvandus eſt hic conatus ſuus, quo & animus ejus ad veſtram dilectionem eſt inclinatus. Non ſcribo plura, quia ſcio & ſemper ſcivi Paternitatem Veſtram non ſolum voluiſſe pro fide prædicare, ſed etiam libentiſſime mori. Bene valete, & orate Deum pro ſanctiſſimo Domino noſtro, & me filio veſtro. Romæ XIV. *Novembris* MCCCCLXIII.

Filius Veſtræ Paternitatis Ja. Cardinalis Papienſis manu propria.

Alios mittit Pontifex Prædicatores Cruciatæ.

XI. Idem etiam munus prædicandi & prædicatores aſſignandi in Provincia Patrimonii injunxit Pontifex fratri Angelo de Bulſeno, Obſervantum Ciſmontanorum Procuratori; in Provinciis Marchiæ Anconitanæ & Maſſæ Trebariæ, fratri Bartholomæo de Colle, in Civitate Lucenſi & ejus dominio, fratri Baptiſtæ de Saxoferrato, ſacræ Theologiæ profeſſori, paulo antea a Vicario Generali ad Provinciam Romanam multis doctrinæ & probitatis encomiis, ut doceret, tranſmiſſo, Regularis Obſervantiæ profeſſoribus, quos & Nuncios Apoſtolicos in iis Provinciis nuncupavit. Litteræ commiſſionum eædem fermæ ſunt, Provinciarum nominibus, aliiſque paucis mutatis. Quas accepit Angelus, exhibeo.

Dilecto filio fratri Angelo de Bulſeno, Ordinis Regularis Minorum. de Obſervantia, Nuncio noſtro.

Ex l. 2. minori bullar. fol. 45.

XII. *Cum pro ſacra expeditione, ac pro neceſſaria defenſione fidei Catholicæ periclitantis nuper ediderimus litteras Apoſtolicas, per quas populo fideli oſtendimus grave periculum immineas Chriſtianæ Religioni, & patefeeimus zelum & fervens deſiderium noſtrum ad pium & ſanctum opus, ac inſuper ſuſcipiendi laboris & itineris præmium, & etiam in conſecutionem aperuerimus, mandaverimuſque eaſdem per univerſum orbem Chriſtianum publicari & annunciari per diverſos Nuncios & Oratores noſtros, ut vox noſtra ubique ſonans, inſpirante ac juvante Domino, Civitates fideles excitet, & animos eorum commoveat ad obviandum ingruenti diſcrimini, propellendoſque nominis & ſanguinis Chriſtiani hoſtes atrociſſimos Turcos. Volentes pium hoc & laudabile inſtitutum profectionis noſtræ adverſus illos notam facere peculiaribus filiis noſtris dilectis Patrimonialibus, quos non dubitamus, voce paſtoris & Patris eorum audita, laudem Deo & plauſus devoto meate dataros, eique poſſibilia præbituros in tanta neceſſitate ſuæ matris Eccleſiæ vim patientis, & labantis gregis Dominici, ad cujus ſanguinem ebibendum lupi rapaces anhelant; exiſtimanteſque ac plurimum confidentes in tua caritate & prudentia, quod ea quæ tibi commiſerimus, diligenter & ſollicite exequeris. Volumus, ac tibi in vim ſanctæ obedientiæ mandamus, quatenus, omni exceptione aut excuſatione remota, in Provinciam noſtram Patrimoni beati Petri in Tuſcia perſonaliter profeiſcens, per te ipſum vel alios prædicatores, tui ſeu alterius cujuſcumque Ordinis Mendicantium Regularium, litteras ipſas Apoſtolicas, & omnia in eis contenta publices ac fideliter annuncies, ſeu publicari & annunciari per alios, ut præfertur, mandes & facias, animos ad devotionem concitare ſtudeas, & populos omnes Civitatum, terrarum & locorum quorumcumque dictæ Provinciæ ad ſanctam expeditionem, ac perſonalem ejus profectionem ſuſcipiendam, vel ſaltem eleemoſynas pecuniarum, frumenti, rerum & bonorum quorumcumque, juxta facultates ea-*

cujuſque, ſecundum formam litterarum publicatarum per nos in publico conſiſtorio, contribuendum indicas, & tota induſtria exhorteris, neceſſitatem & periculum, ac præmia denique æterna proponens. Declarantes commiſſionem hanc noſtram Civitates, oppida, terras & loca quæcumque complecti, quæ ab urbe Roma, mari, & Tyberi, ac flumine Paleæ uſque in agrum Senenſem excluſive continentur. Et ut melius & commodius eam exequi poſſis, univerſis & ſingulis Rectoribus, Gubernatoribus, Epiſcopis ceteriſque Prælatis, Prioribus, Univerſitatibus, & perſonis nobis & Eccleſiæ Romanæ mediate vel immediate ſubjectis, Eccleſiaſticis & ſecularibus, & omnibus aliis & ſingulis, quorum intereſt, harum ſerie diſtrictius, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipiendo mandamus, quatenus tibi in præmiſſorum & infraſcriptorum executione faveant atque aſſiſtant, ac favorem, auxilium & conſilium præſtent in quibuſcumque ſanctam expeditionem & commiſſionem tuam concernentibus illos duxeris requirendos; de manſione quoque pro te & ſociis, notario & curſore decenter provideant, & benigne, ut decet, recipiant & tractent. Volumus autem, ac ſub eadem pœna mandamus, ut publicationi, annunciationi & prædicationibus tuis hujuſmodi, & aliorum Nunciorum ac prædicatorum, quos ad dicta loca duxeris tranſmittendos, dilecti filii Gubernator Provinciæ prædictæ Patrimonii in Civitate ſuæ reſidentiæ, & ſimiliter Magiſtratus, Poteſtates, Priores, & Officiales dictorum locorum quorumcumque, quibuſvis dignitate ac nominibus cenſeantur, Caſtellanis tantum exceptis, interſint & ſint præſentes atque audiant, compellantque populos & Judæos omnes, ut pariter interſint. Epiſcopi quoque & eorum Vicarii, ac alii curam habentes, populos eorum moneant & inducant; & interim dum prædicatur, tabernæ & apothecæ claudantur ſub pœna per Poteſtatem imponenda, & pro dimidia ſibi, & dimidia Cameræ Apoſtolicæ applicanda. Ipſi etiam Epiſcopi cum Cleris ſuis, & omnes & ſinguli religioſi Prælati & ſubditi, Monachi præterea & Moniales etiam recluſi & recluſæ, cujuſcumque Ordinis & profeſſionis, collegialiter ſimul exeuntes & ſimul redeuntes conveniant, & ſingulis diebus, dum prædicabitur, ſeparati & ſejuncti a populis audiant verbum Dei; prædicatores quoque ac religioſi cujuſvis Ordinis, quos ad hoc miniſterium quomodolibet adimplendum aptos & idoneos duxeris, requiſiti a te, prædicent, & alia fideliter & devote perficiant, quæ eis injungere & mandare volueris, ſub ejuſdem excommunicationis latæ ſententiæ pœna, omnibus aliis omiſſis, excuſationeque & contradictione poſtpoſita. Theſaurarius inſuper capſas & ciſtas confici, clavibus muniri faciat, & alia ad idem miniſterium neceſſaria adimpleat & exequatur, prout erit expediens: dantes tuæ devotioni harum ſerie facultatem viſitandi & monendi omnes officiales, & etiam Caſtellanos dictarum terrarum Eccleſiæ, ac earum Barones & Dominos ſpirituales & temporales, ipſoſque & populos eorum, ut præfertur, per te vel alium ſeu alios ad devotionem excitare & commovere, quibus mandamus, ut tibi in iis, quæ noſtro nomine illis referes, plenam & indubitatam fidem adhibeant; & ſi quos eorum inveneris contrarios, & in Apoſtolicam Sedem, vel Romanam Eccleſiam detractionibus invehentes, aut retrahentes, vel quoquo modo impedientes alios a ſubventione & contributione hac pia & neceſſaria, hos publices excommunicatos auctoritate Apoſtolica, ſeu aliter per Poteſtates & Judices temporales mandes & facias pro eorum demeritis puniri, & omnia alia & ſingula exequaris, quæ in præmiſſis diſcretioni ac conſcientiæ tuæ pro ſancta cauſa fidei neceſſaria & opportuna fore cognoveris, ad quæ uberius exequenda plenam & liberam facultatem & poteſtatem concedimus per præſentes. Contrariis non obſtantibus qui-

quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno &c. MCCCCLXIII. X. *Kalend. Decembris &c. anno* VI.

XIII. Turcæ hoc anno Regno Boſnenſi, perfidia potiſſimum Radacis Manichæi, Chriſtianum ſe mentientis, longe lateque potiti, Stephanum Regem capiunt, & contra fidem datam occidunt, mox in omnes Chriſtianos deſæviunt. Profligati inter alios Franciſcani ex munitiſſima arce Jayczæ, de qua dictum eſt ſuperius, felici auſu, dum Urbs diriperetur, corpus ſancti Lucæ Evangeliſtæ, illuc Conſtantinopoli translatum, ſubtraxerunt, & Venetias delatum, Chriſtophoro Mauro, piiſſimo Principi ea conditione donarunt, ut liceret eis domos & habitacula, quæ in dominio Veneto ſub nomine & regimine Provinciæ Boſnenſis hactenus poſſederant, libere & ſub patrocinio Reipublicæ deinceps incolere, alioſque adderet Sereniſſimus Princeps Conventus Provinciæ Dalmatiæ colligendis Fratribus Boſnenſibus e ſuis ſedibus expulſis. Sacri pignoris Religioſos delatores pius Princeps honorificentiſſime proſecutus, Reliquias in Templum ſancti Nicolai ad littus extructum, ex navi deferri curavit, quas ſolemni apparatu ad Eccleſiam ſancti Bernardini, alias a ſancto Jobo nuncupatam, a ſe mirifice in hunc finem exornatam transferre, & pretioſa theca reponere cogitabat.

Minoritæ profligantur e Provincia Boſnenſi. *An.* 1458. *n.* 35. *Regiſt. Ordin. ſub hunc annum. Gonz. in Provin. S. Anton. Con.* 7. Ferunt Venetias corpus S. Lucæ.

XIV. Interim ſparſo rumore, verum corpus ſancti Lucæ a trecentis annis Patavii aſſervari in Cœnobio ſanctæ Juſtinæ, Ordinis ſancti Benedicti, cœptum eſt de hoc recenter allato dubitari. Propere convolarunt Venetias Abbas, Monachi & cives aliquot Patavini nobile ſuum depoſitum defenſuri, adverſamque fidem infirmaturi. In re graviſſima, ne temere videretur quidpiam attentare, aut contra urbem Patavinam ſtatuere, miſit Princeps viros illuſtres, qui reliquias Monachorum diligenter inſpicerent, & qua fide conſtarent, prudenter examinarent. Non illæ erant Monaſterii tabulæ aut monumenta, quæ dubium omne repellerent, & certam fidem extorquerent; juſſus proinde Bernardus Juſtinianus Venetus, in Urbe Orator, Pii Pontificis judicium expetere. Erat tunc Venetiis Pontificius Legatus Cardinalis Nicenus, cui cauſam examinandam, & judicium ferendum Pius Papa commiſit. Ille per Sypontinum Archiepiſcopum Nicolaum Perottum, eruditione & rerum agendarum peritia clarum, obſervato judicii ordine, auditis utrinque partibus, diſcuſſiſque rationibus non ſemel prolatis, tamdem ſententiam hanc ſolemni ritu ex publico protulit tribunali.

Altercatur de veritate corporis.

In nomine Domine. Amen.

XV. *Nuper ſanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus noſter, Dominus Pius Divina providentia Papa II. quaſdam litteras Apoſtolicas in forma Brevis, annulo piſcatoris ab extra clauſas & ſignatas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ut prima facie apparebat, nobis Beſſarioni, miſeratione Divina Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali, Patriarchæ Conſtantinopolitano, Apoſtolicæ Sedis Legato de latere, hac in cauſa & cauſis hujuſmodi Commiſſario Apoſtolico, per certum ejus miſſum præſentari fecit, quas nos cum ea, qua decuit reverentia recepimus, hujuſmodi ſub tenore. Venerabili fratri Beſſarioni Epiſcopo Tuſculano. S. R. E. Cardinali Niceno, Sedis Apoſtolicæ Legato. Pius Papa II. venerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venit ad noſtram notitiam relatu dilecti filii Bernardi Juſtiniani, militis & Oratoris Veneti, quod poſt lugendam*

Decernitur verum ſancti Lucæ corpus illud eſſe Venetias allatum.

dam directionem Bosnensis regni a sævissimo Turcarum tyranno proxime factam, Fratres quidam ex Ordine Minorum Observantum fnga sanctem quærentes, cum e regno illo recederent, ne vacui in Italiam redirent, venerandum corpus sancti Lucæ Evangelistæ (ut ajunt) secum deportaverunt, quod eum delatum esset ad terras Venetorum, significata eis re, ut se habebat, Dux & dominium illud, ut sunt Religionis præcipuæ erga Sanctorum Reliquias, summo studio publicisque decretis corpus prædictum ad eorum urbem honorifice & summa cum veneratione devehendum esse constituerunt. Cum intentis animis huic rei studerent, & corpus jam in littore Veneto apud Ecclesiam sancti Nicolai delatum esset, subortus est rumor, corpus ejusdem Evangelistæ, jam inde a Juliani Apostatæ temporibus, e Constantinopoli Paduam translatum. Propter quod cum in dubio & ancipiti sint, cupiantque hujusmodi dubietatem submoveri, ne religio fidelis populi, & veneratio sanctarum Reliquiarum intercidat, committimus & injungimus fraternitati tuæ per præsentes, ut rem hanc ea diligentia & industria, quibus opus est, investigare & inquirere procures, & super inde eam provisionem facere, & id constituere, quod, veritate comperta, ad Dei honorem & sancti Evangelistæ venerationem, ac popnli devotionem cognoveris expedire. Super omnibus plenam tibi auctoritate Apostolica concedimus harum serie facultatem. Tybure sub annulo Piscatoris, die penultima Augusti, MCCCCLXIII. Pontificatus nostri anno V. Quarum quidem litterarum vigore, citatione legitima, venerabili Patri Domino Theophilo Abbati sancti Georgii majoris de Venetiis, Ordinis sancti Benedicti, & Congregationis sanctæ Justinæ, tamquam conjunctæ personæ intimanda, & in valvis Ecclesiæ sancti Georgii majoris Monasterii prædicti affigenda, ad finem, ut idem Dominus Theophilus Abbas eamdem citationem venerabili P. Bernardo Abbati, ac Conventui Monasterii Ecclesiæ sanctæ Justinæ de Padua, Ordinis & Congregationis prædictorum, in qua quidem Ecclesia corpus sancti Lucæ Evangelistæ, de quo in dictis præinsertis Apostolicis litteris fit mentio, collocatum fore asseritur, intimaret & notificaret pro parte illustrissimi & serenissimi principis Cristophori Mauri, Dei gratia Ducis Venetiarum. Et hanc causam pro inquisitione veritatis dumtaxat ut principalis prosequentis & eam defendentis contra eosdem Abbates & Conventum Monasterii sanctæ Justinæ, omnesque alios & singulos sua interesse putantes, & in executione citationis hujusmodi nominandos, per nostrum in hac causa Auditorem in forma solita & consueta, decreta, concessa & emissa. Ipsaque executione debite, prout decreta & concessa fuerat, demandata, comparuerunt judicialiter coram eodem Auditore nostro providus vir Magister Jacobus de Parleonibus, assertus Procurator dicti Domini Christophori Ducis Venetiarum, prout de sua procurationis mandato legitimam promisit facere fidem, atque etiam & post fecit ex una, & eo, necnon præfatus Dominus Bernardus Abbas Monasterii sanctæ Justinæ ex adverso principalis supradictus, citra tamen quorumcumque procuratorum suorum per eum constitutorum revocationem, tam suo, quam Conventus præfati Monasterii nominibus, partibus ex altera. Et idem Magister Jacobus ipsi Domino Bernardo Abbati præsenti terminum peremptorium ad dicendum & excipiendum quidquid verbo vel in scriptis contra dictas præinsertas litteras Apostolicas nobis præsentatas dicere sive excipere vellebet, per dictum Auditorem nostrum præfigi & assignari obtinuit. In quo quidem termino comparentibus coram eodem Auditore nostro judicialiter eisdem Magistro Jacobo ex una, & Bernardo Abbate, ac religioso viro Luca Priore Monasterii sanctæ Justinæ prædicti nominibus, quibus supra, partibus ex altera, idem Magister Jacobus ac-

accuſavit contumaciam, & aſſeruit eorumdem Abbatis & Prioris licet præſentium, nihil tamen contra præfatas litteras Apoſtolicas dicere curantium. Et ulterius libellum, ſive ſummariam in hac cauſa petitionem, facto realiter & in ſcriptis ſub horum verborum ſerie obtulit atque dedit.

Coram vobis reverendiſſimo in Chriſto Patre & præſtantiſſimo Domino D. Beſſarione, miſeratione Divina Epiſcopo Tuſculano, S. R. E. Cardinali, Patriarcha Conſtantinopolitano, & in Civitate Venetiarum &c. Sedis Apoſtolicæ Legato, necnon a ſanctiſſimo Domino noſtro ad infraſcripta ſpecialiter delegato &c. nomine ſereniſſimi Principis, Illuſtriſſimique Domini D. Chriſtophori Mauri, Dei gratia inclyti Venetiarum Ducis &c. compareo ego Jacobus de Parleonibus legum Doctor, & narro, dico & expono, quod proximis diebus ſumma diligentia & cura ipſius ſereniſſimi Principis, & Illuſtriſſimi dominii, venerandiſſimæ Reliquiæ glorioſi Evangeliſtæ Lucæ mirabiliter, & Divina in ſanctos ſuos cooperante gratia, de impiorum Turcarum manibus, poſtquam nuper ab eis regnum Boſnæ miſerabiliter occupatum eſt, ſervatæ, & ad loca præfati illuſtriſſimi Dominii per quoſdam Fratres Ordinis Minorum de Obſervantia, delatæ, tandem ad hanc Civitatem ſumma omnium expectatione devectæ fuiſſent, & in Eccleſia ſancti Nicolai de littore collocatæ, eſſetque jam de mandato ejuſdem ſereniſſimi Principis, illuſtriſſimique dominii magna & ſolemnis præparatio, juxta morem & conſuetudinem hujuſmodi inclyti Senatus in ſimilibus facta, ad honorificentiſſime devotiſſimeque hujuſmodi ſanctiſſimum corpus ſuſcipiendum, atque in aliquo convenienti urbis loco, in templo videlicet divi Bernardini, alias ſancti Job nuncupato, ad totius populi & omnium Chriſtifidelium devotionem ac venerationem collocandum: Quædam in urbe ſucciamatio facta eſt, quod jam multis retroactis temporibus hujuſmodi Evangeliſtæ Lucæ corpus in Eccleſia ſanctæ Juſtinæ de Padua fuiſſet cum magna illius populi devotione veneratum: propter quam rem ne nliquod inter Chriſtifideles maxime in veneratione ſanctorum corporum, ſuboriretur ſcandalum aut dubitatio, fuit, antequam ad venerationem dicti corporis ſancti procederetur ulterius, de prædictis omnibus, prout ſe habebant, per præfatum illuſtriſſimum Dominum ad ſanctitatem D. N. data notitia, ut ſanctitas ſua poſſet de opportuno remedio ſuper iis providere. Qui ſanctiſſimus Dominus noſter, hoc audito, per ſuas breves litteras veſtræ reverendiſſimæ dominationi commiſit, ut ſuper præmiſſis, quo melius fieri poſſet, inquirere, ac demum providere debeat auctoritate Apoſtolica, prout melius ſibi videbitur, & ad honorem Dei, & corporis ſancti Lucæ Evangeliſtæ venerationem expedire &c. prout latius in ipſis litterit continetur, ad quas me refero. Item nomine prædicto, dico & expono, cum hoc teneatur pro certo & indubitato, quod corpus illius Evangeliſtæ glorioſi fuerit a principio in terris Græciæ reconditum, ac deinceps continue in partibus illis Orientalibus diligentiſſime ſervatum, ſumma cum veneratione ab omnibus illis populis ſuper omnes alias Reliquias Sanctorum veneratum, prout omnes hiſtoriæ teſtantur, & publica vox & fama omnium, quæ adhuc permanet & viget, & certum ſit hoc ſanctiſſimum corpus, de quo nunc agitur, innumerabilia ſub ſancti Lucæ invocatione egiſſe miracula, prout hæc omnia R. dominatio veſtra optime novit, non ſolum ex aſſidua lectione ſcripturarum ſanctarum, verum etiam ex viſu & auditu, & ex publica omnium fama, tempore quo eadem reverendiſſima D. veſtra in partibus illis fuit, & etiam poſt, & prout etiam nuperrime comprobnt illa diligens inquiſitio facta, & quæ adhuc fit a multis magnis Dominis & Communitatibus, ut bns eaſdem ſanctiſſimas Reliquias tamquam glorioſi Lucæ Evangeliſtæ in ſuis locis collocandas, atque

venerandas habere poſſint, prout R. D. V. clare loco & tempore intelliget, & per conſequens quod divulgatur de hoc ſanctiſſimo corpore, quod ſit in Civitate Paduæ, eſt divulgatum, ſalva ſemper veritate, rumore quodam incerto & quadam opinione, poſtmodum ita a nonnullis obtentum, ut re ipſa nunc demonſtratur; cum ſit impoſſibile duo eſſe glorioſi illius Evangeliſtæ corpora, nec ulla ſit apud aliquem certitudo, quod corpus illud, quod in Civitate Paduæ (ut dicitur) pro corpore ſancti Lucæ veneratur, ſit illud, niſi quidam rumor ita, ut dictum eſt, ſalva rei veritate, ſubortus, nullo certo auctore, nulliſque fide dignis monumentis. Cum itaque ita ſe habeant hæc, ut præmittitur, pro certo & indubitato tenendum eſt, ſalva ſemper veritate, quæ ſola nunc quæritur, ad verum glorioſi Lucæ Evangeliſtæ corpus cognoſcendum ac venerandum, has ſanctiſſimas Reliquias, quæ parva manu pauperum Fratrum Obſervantinorum glorioſi ſeraphici Franciſci e mediis Turcarum enſibus & flammis ut Evangeliſtæ Lucæ ſervatæ, ad hanc glorioſiſſimam & religioſiſſimam urbem, tamquam ad Sanctorum omnium domicilium, mira diſpoſitione confugerunt, vere fuiſſe & eſſe corpus & Reliquias illius glorioſi Evangeliſtæ Lucæ, quemadmodum ſemper ita eſſe firmiter tenuerunt ac crediderunt, & tenent ac credant omnes populi & nationes, apud quos hactenus ejuſmodi corpus ſanctiſſimum fuit. Quare peto nomine, quo ſupra, per veſtram reverendiſſimam dominationem auctoritate ei ſuper hoc a præfato ſanctiſſimo D. N. ſpecialiter conceſſa, debere, habita informatione de hujuſmodi rei veritate, prout veſtræ reverendiſſimæ dominationi videbitur convenire, juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum fieri ac provideri, quod præfatæ ſanctiſſimæ Reliquiæ, quæ nunc in Eccleſia ſancti Nicolai de littore magna omnium cum expectatione ſervantur, poſſint & debeant ad honorem Dei, & glorioſi Evangeliſtæ Lucæ primum, deinde ad ipſius ſereniſſimi Principis, illuſtriſſimique dominii, ac totius populi Veneti, omniumque aliorum Chriſtifidelium devotionem, in hac glorioſiſſima urbe, in dicto templo divi Bernardini, dignis laudibus & honoribus a cunctis venerari, ut ita huic glorioſo Evangeliſtæ Lucæ eodem in loco idem religionis honor præſtari poſſit, qui & glorioſo Evangeliſtæ Marco præſtatur: ut quemadmodum Evangelica prædicatione & doctrina pariter ad Chriſtum pervenire ambo meruerunt, ita & eorum corpora loci atque honoris pari prærogativa in hac vita præfulgeant, cum ita Divinæ voluntatis eſſe credendum ſit, quoniam non ſine cauſa & magno myſterio factum eſt, quod tali modo ea ſanctiſſimæ Reliquiæ in hanc urbem pervenerunt. Super quibus omnibus & ſingulis, & aliis dependentibus & connexis idem ego Jacobus peto & requiro, nomine quo ſupra, per eamdem V. reverendiſſimam dominationem inquiri, provideri ac fieri debere, non tantum modo ſupra petito, veram etiam omni alio modo, via, jure & forma, quibus magis ac melius & utilius fieri poteſt ac debet, & negotii qualitas exigit & requirit, juxta formam commiſſionis V. R. D. prout ei melius videbitur convenire. Et ſi aliquis legitimus contradictor ſe oppoſuerit, peto in caſu ſuccumbentiæ, eum debere condemnari in expenſis litis tam factis, quam fiendis, de quibus proteſtor & offero me paratum, in quantum reverendiſſima D. V. ita fieri debere mandaverit & opus fuerit, & ad hoc de jure, adſtringar, & non aliter, nec alio modo ad dandum omnes probationes convenientes & neceſſarias quantum ad hanc rem ſufficiat &c. Reſervatis mihi omnibus aliis juribus ac rationibus proponendis, dicendis & allegandis &c. Ad finem ſemper tamen & ad effectum, ut veritas inquiri poſſit, & haberi ad cognoſcendum & venerandum veras Reliquias glorioſi Evangeliſtæ Lucæ, tui rei & omnipotens Deus, & idem ille Evangeliſta faveat & aſſiſtat.

Quo

Quo quidem libello, ſicut præmittitur, oblato, ſæpe dicti Domini Bernardus Abbas & Lucas Prior ex adverſo principales prædicti, de quibus ſupra, ac ſpectabiles & generoſi viri Domini & Magiſtri Franciſcus de Porcellinis, & Checus de Leone milites, & Antonius de Capitibus liſtæ Doctores, Oratores & procuratores aſſerti magnificæ Communitatis Paduanæ, prout de ſuæ oratoriæ & procurationis mandato legitimam promiſerunt facere fidem, ſe pro ipſius Communitatis intereſſe comparere affirmantes, ibidem præſentes, nominibus hujuſmodi in noſtram juriſdictionem conſentientes, poſt diverſas hinc inde cum dicto Magiſtro Jacobo de Parleonibus factas altercationes, ſibi terminum ad deliberandum, ſi hujuſmodi cauſam juridice defendere, litemque conteſtari vellent, vel ne, certis reſpectibus per eos delegatis, per præfatum Auditorem noſtrum præfigi & aſſignari obtinuerunt. Quo quidem termino occurrente, & ipſis Bernardo Abbate & Luca Priore, ac aſſertis Oratoribus ſupradictis coram eodem Auditore noſtro judicialiter comparentibus, ſe cauſam & cauſas hujuſmodi nominibus, quibus ſupra, juridice defendere velle aſſerentibus, litem conteſtarunt, copiaque libelli ſive ſummaria petitione ex adverſo oblatis, & præinferti ſibi decerni & aſſignari obtinuerunt. Et exinde diverſis exceptionibus, ac quia nos voluimus & mandavimus ac mandari fecimus ſæpedictis hinc inde comparentibus, eo quod hæc res nobis abſque eo quod aliquem vocare, aut ad terminorum obſervationem procedere deberemus, ſed ſolum ut ipſam ea diligentia & induſtria, quibus opus eſſet, inveſtigaremus & inquireremus, ac alias provideremus & conſtitueremus, prout nobis ad Dei honorem, & ſancti Evangeliſtæ venerationem, ac populi devotionem cognoſceremus expedire, quod ipſa res & cauſa, ſeu cauſæ hujuſmodi quantocius poſſibile foret, expediretur & terminaretur; quodque propterea omnes & ſingulæ poſitiones & articuli, jura, teſtes, & alia quæcumque per utramque partem producenda, allegande & probanda in diverſis ſucceſſivis terminis, dictis ex adverſo nominibus quibus ſupra, hinc inde comparentibus ſtatutis, ſimul & ſemel producerentur & allegarentur, replicationibus, juribus & monimentis præſtitis etiam hinc inde a pro parte utraque comparentibus, calumniæ juramentis cum omnibus & ſingulis capitulis in & ſub calumniæ jurumento contentis, duplicationibus ac poſitionibus & articulis pro utraque parte judicialiter coram præfato Auditore noſtro exhibitis atque productis, in diverſis tamen per præfatum Auditorem noſtrum ſtatutis terminis cum competentium dierum intervallis. Poſtmodum idem Auditor eiſdem Bernardo Abbati & Lucæ Priori, ac nonnullis aliis etiam aſſertis Communitatis Paduanæ Oratoribus, prout etiam de ſuæ procurationis mandatis legitimum promiſerunt facere ex una, & Jacobo de Parleonibus procuratori partibus ex altera, certos ſucceſſivos peremptorios terminos competentes cum ſimili dierum intervallo ad dicendum & excipiendum quidquid verbo vel in ſcriptis contra poſitiones & articulos, ac jura & monimenta & quæcumque, hinc inde allegatis, exhibitis atque productis dicere ſive excipere vellent, præfixit & aſſignavit, & ipſis hinc inde in ipſis ſtatutis terminis coram eodem judicialiter, nominibus quibus ſupra, comparentibus, & verbo partim ac facto realiter & in ſcriptis contra poſitiones & articulos, ac jura & monimenta hujuſmodi hinc inde reſpective excipientibus. Ipſiſque poſitionibus & articulis, prout nobis de jure videbatur fore faciendum, etiam in diverſis ſucceſſivis terminis per ipſum Auditorem aſſignatis, partim rejectis, & partim in Civitate Venetiarum & extra ad probandum admiſſis, remiſſionibuſque ſuperinde cum ſufficientibus dilationibus decretis & conceſſit, ac ſuper eiſdem poſitionibus & articulis admiſſis nonnullis teſtibus, etiam hinc inde pro-

productis, receptis, admiſſis, & in forma juris juratis, ac diligenter interrogatis & examinatis, eorumque dictis & depoſitionibus in formam publicam redactis, ac deinde publicatis, partibuſque copiis eorumdem decretis & traditis, factis etiam & habitis pro utraque parte hinc inde verbo & in ſcriptis publicis & ſecretis allegationibus. Finaliter quoque præfato Auditore noſtro ex noſtra commiſſione in cauſa & cauſis hujuſmodi in præſentia præfatorum Bernardi Abbatis & Lucæ Prioris, ac venerabilis viri Jacobi Leoniſſa Decretorum Doctoris ac Canonici Paduani aſſerti, eorumdem Abbatis & Prioris, ac Conventus, necnon Communitatis Paduanæ prædictæ Oratorum, per præfatos ejuſdem Communitatis aſſertos Oratores ſubſtituti ex una, & Jacobi de Parleonibus procuratoris prædictorum ex altera partibus, nominibus, quibus ſupra, comparentium, concludente, & pro concluſo haberi volente, vocatis etiam per nos & acterſitis plurimis in Civitate Venetiarum reſidentibus Prælatis pro tunc, quibus de hujuſmodi cauſæ meritis plenariam fecimus relationem & fidelem, ſumptiſque conſiliis eorumdem; tandem nos ad dicti Magiſtri Jacobi de Parleonibus procuratoris inſtantiam, ſæpe dictos Dominos Beruardum Abbatem & Lutam Priorem ex adverſo principales, ad audiendum diffinitivam in cauſa & cauſis hujuſmodi in ſcriptis fieri & promulgari ſententiam, per certum familiarem noſtrum ad hoc deputatum citari mandavimus & fecimus ad certum peremptorium terminum competentem, videlicet diem & horam infraſcriptos: quibus advenientibus, comparentibus in judicio coram nobis Magiſtro Jacobo de Parleouibus procuratore, & Beruardo Abbate ac Luca Priore principalibus prædictis ex utraque parte & nominibus eorum hinc inde quibus ſupra, idem Magiſter Jacobus de Parleonibus dicto nomine procuratoris diffinitivam juxta præinſertæ ſuæ petitionis tenorem in forma ſolita & conſueta ferri ſententiam per nos, inſtanter poſtulavit. Nos tunc Beſſarion Epiſcopus, Cardinalis, Patriarcha, Legatus, & Commiſſarius, ac executor præfatus ad noſtram in hujuſmodi cauſa ferendam & promulgandam ſeutentiam procedendum duximus & proceſſimus, eamque per ea, quæ vidimus & cognovimus, in ſcriptis tulimus & promulgavimus ſub his verbis.

Chriſti nomine invocato, pro tribunali ſedentes, & ſolum Deum præ oculis habentes, ac ſequentes & ſequi volentes, quantum poſſumus ac debemus, formam juris & commiſſionis per Sanctiſſimum Dominum noſtrum nobis facte in cauſa, inveſtigatione, inquiſitione, declaratioue & veneratione corporis ſancti Lucæ Evangeliſtæ, ac ipſas litteras Apoſtolicas ſuper inde factas, prout tenemur executioni mandare, omnibus modo, jure, via & forma, quibus melius poſſumus & debemus, viſis prius & diligenter examinatis dictis litteris Apoſtolicis, & earum tenore, & viſis citationibus ſpecialiter & etiam generaliter factis Illuſtriſſimo Principi Domino Duci Venetiarum ex una, & Abbati & Conventui ſanctæ Juſtinæ de Padua parte ex altera, & aliis habentibus intereſſe, aut ſua quomodolibet intereſſe putantibus, & viſis comparitionibus & oppoſitionibus ſuper inde factis per ſupraſcriptos, & viſis & diligenter examinatis teſtibus & atteſtatiouibus teſtium in cauſa per, & inter ſupraſcriptas partes, & quamlibet earum productis, & viſo & examinato toto proceſſu, ac omnibus hinc inde deductis, factis & actitatis, & viſis & diligenter lectis litteris, ſcripturis, privilegiis, juribus, monimentis, inſtrumentis, legendis, libris, & aliis per partes productis, & viſis & auditis allegationibus partium in cauſa hujuſmodi hinc inde verbo & in ſcriptis allegatis, dictis, productis & approbatis; ac viſis & examinatis dubiis per nos partibus ipſis datis, & earum reſponſionibus, ciſque omnibus cum debitis & exa-

exactis inveſtigationibus, inquiſitionibus, deliberationibus, ac maturitatibus recenſitis & conſideratis; viſis etiam multis hiſtoriis & chronicis, quas pro hujuſmodi rei verificatione videndas eſſe cenſuimus, intellectis etiam orationibus per religioſas perſonas pro clarificatione hujus rei ad Deum porrectis, & earum inſpirationibus; & habita diligenti ratione temporum, locorum, nominum & perſonarum, de Jurisprudentium conſilio, & præſertim venerabilium in Chriſto Patrum Domini Patriarchæ Venetiarum, Archiepiſcopi Sipontini, & Veronenſis, Theatini, Agienſis, Equillni, Parenſis, & Bellunenſis Epiſcoporum, & Monaſteriorum ſancti Thomæ de Burgundionibus de Torcello, & ſancti Gregorii de Venetiis Abbatum, ac ſanctæ Helenæ, Ordinis Montis Oliveti, & ſancti Andreæ, Ordinis Carthuſienſis Priorum, quos omnes iteratis vicibus ſuper hoc conſuluimus, ac accedente unanimi conſenſu omnium prædictorum: per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam ferimus in his ſcriptis, dicimus, pronunciamus, ſententiamus, decernimus & declaramus oſſa, in Eccleſia ſanctæ Juſtinæ de Padua exiſtentia, quæ hactenus pro oſſibus ſancti Lucæ Evangeliſtæ tenta, habita & venerata fuerunt, non fuiſſe nec eſſe oſſa ejuſdem ſancti Lucæ Evangeliſtæ, nec pro talibus habenda, tenenda, ſeu venerari debere: corpus vero nuper e regno Boſnæ delatum, & nunc in Eccleſia ſancti Nicolai in littore Veneto exiſtens, & hactenus pro corpore dicti Evangeliſtæ tentum, habitum & veneratum, pro tali, & ut tale habendum, tenendum & venerandum eſſe, haberique, teneri, reputari, & venerari debere, ipſumque pro tali, & ut tale habemus, tenemus, reputamus & veneramur, haberique, teneri, reputari & venerari volumus & decernimus, condemnationem partis in expenſis, & expenſarum taxationem nobis reſervantes.

Lecta, lata, & in ſcriptis promulgata fuit præinſerta diffinitiva ſententia coram nobis, & de mandato noſtro per præſentis cauſæ Notarium, ac noſtrum, & hujuſmodi cauſæ coram nobis ſcribam infraſcriptum. Venetiis in Monaſterio ſancti Georgii majoris, in aula ante cameram noſtram, nobis inibi ad jura reddendum & cauſas audiendum pro tribunali ſedentibus, & ita promulgantibus, ſententiantibus & declarantibus, ſub anno a Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, Indictione undecima, die vero nona menſis Decembris, Pontificatus præfati D. N. Pii Papæ II. anno ſexto, præſentibus ibidem honorabilibus & providis viris DD. Eugenio Mauroceno Decretorum, Vincentio Monfort medicinarum Doctoribus, & Nicolao Sagondino, præfati Domini Ducis Cancellario, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter atque rogatis. In quorum omnium & ſinguiorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes litteras, ſive præſens publicum inſtrumentum per notarium publicum, noſtrumque, & hujuſmodi cauſæ coram nobis ſcribam infraſcriptum ſubſcribi & publicari mandavimus, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Et ego Joannes de Hecsbetim clericus Cameracenſis diœceſis, publicus ſacra Imperiali auctoritate notarius, præfatique Reverendiſſimi Patris & Domini D. Beſſarionis Epiſcopi, Cardinalis, Patriarchæ, Legati, Commiſſarii & executoris, & hujuſmodi cauſæ coram eo ſcriba, quia dictæ ſententiæ diffinitivæ pronunciatione, promulgatione, omnibuſque aliis & ſingulis præmiſſis, dum ſic, ut præmittitur, per dictum Reverendiſſimum Dominum Commiſſarium & executorem, ac ejus Auditorem, & coram eis fierent & agerentur, una cum prænominatis teſtibus præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi. Ideo hoc præſens publicum inſtrumentum per me innotavi, ſumptum exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, & in hanc publicam formam redegi, ſigno-

ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis una cum præfati Reverendiſſimi P. & D. Dom. Beſſarionis Commiſſarii & executoris ſigilli appenſione ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.

Patavini contra ſententiam Cardinalis Beſſarionis appellant Sedem Apoſtolicã.

XVI. Appellarunt ſtatim Sedem Apoſtolicam partis adverſæ tutelares, ſed infringere non potuerunt Niceni ſententiam, quantumvis ſub Pio & Paulo Veneto ſucceſſore ſummopere laborarint tres Patavini viri, pro urbe, pro Clero & pro Monachis deſtinati. Illud potiſſimum recens ſcriptor adduxit argumentum, quo ſuæ cauſæ adſtipulatur, adductoſque aſſerit Cardinales poſtea rei decidendæ judices delegatos, ut Minoritis, qui ad prædictum ſancti Jobi templum inhabitant, præciperent tabulas & argumenta nuper advecti corporis denuo proferrent, & nihil interim circa cultum Reliquiarum innovarent; quod ſcilicet aſſeratur ſanctum Gregorium Papam caput ſancti Lucæ ab Imperatore Tyberio dono acceptum, Conſtantinopoli Romam advexiſſe: corpus autem quod Patavii requieſcit, truncum eſt; Veneto caput adhæret. Qui ergo fieri poterit, ut hoc illi præferatur, & non potius Patavinum verum legitimumque cenſeatur Evangeliſtæ corpus, niſi biceps velis dicere, aut fidem negare aſſertioni ſeu traditioni cleri Vaticani pro indubitato tenentis, & oſtendentis ex theca argentea caput Evangeliſtæ, prius in Monaſterio ſanctorum Andreæ & Lucæ ad clivum Scauri a beato Gregorio depoſitum, & inde in Vaticanam Baſilicam translatum? Adde his fidem Martyrologii Romani, in quo ad XV. Kal. Novembris aſſeritur ſancti Lucæ oſſa fuiſſe *Conſtantinopoli Patavium delata*.

Ratio potiſſima Patavinorum.

Rejicitur.

XVII. His tamen non obſtantibus, nihil potuerunt Patavini Procuratores a Cardinalibus extorquere, neque quidquam in hac re deinceps tranſactum eſt, firma ſemper & illæſa manente ſententia Niceni. Quod vero objicitur de trunco corpore, adductoque capite Romam a Gregorio Papa, neſcio unde iſtud probari poſſit; neque enim caput, ſed brachium ſancti Lucæ Conſtantinopoli in Urbem Gregorius advexit, uti Baronius in notis ad Martyrologium refert ex pervetuſto codice Dialogorum ſancti Gregorii, ante cujus exordium, prima pagina deſcribitur hiſtoria legationis ejuſdem ad Tyberium Imperatorem. Signabatur tunc codex num. 153. in pluteo 3. nunc habet numerum 600. Sed dum ad annum DLXXXVI. in Annalibus ſui oblitus pro brachio caput ſancti Lucæ reponit, volui ipſum codicem conſulere, & ex eo hiſtoriæ partem, quod ſancti Lucæ reliquiarum translationem comprehendit, exſcribere. Ita porro habet.

Baron. die 9. Maii.

Hiſtoria legationis B. Gregorii.

XVIII. *Temporibus Tyberii, piiſſimi Imperatoris, Beatus Gregorius Diaconatus officium gerens, a ſancto & venerabili Papa Pelagio in Conſtantinopolitanam urbem legationem cum magno honore & reverentia ſuſcepit &c. Venerabilis itaque Gregorius in eadem regia urbe conſtitutus, novam hæreſim de ſtatu noſtræ reſurrectionis per Eutichium ejuſdem Civitatis Epiſcopum natam &c. attrivit &c. Quibus rite perfectis, organo dulci & ore melliſluo, qua de cauſa ierit, Imperatori expoſuit. Et cum revertendi licentiam vellet impetrare a Tyberio Cæſare, humiliter petiit, ut pro reverentia beati Petri, Apoſtolorum Principis, brachium venerabilis Andreæ Apoſtoli ſecum Romam deferendum ei concedere dignaretur. Et quamvis Cæſari graviſſimum videretur, pie tamen petitioni conceſſit, & brachium Apoſtoli beato Gregorio exhiberi præcepit. Surgens ergo Patriarcha cum Epiſcopis & aliis religioſis perſonis perrexit ad locum, ubi corpus Apoſtoli jacebat, & cum omni veneratione accepit brachium beati Andreæ ſine diminutione juxta Imperiale mandatum, & beato Gregorio tradidit. Quanta vero auctoritate miniſterium Apo-*

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

Apocriſiariatus implevit, quantæ reverentiæ apud Auguſtos extiterit, in epiſtolis ſui anteceſſoris Papæ Pelagii invenitur. Tanto & tam ſacratiſſimo munere ditatus, caritatis ardore coactus, cæpit anxie cogitare, ſi de reliquiis ſancti Lucæ vel particulam poſſet impetrare. Verebatur tamen ſuum deſiderium Cæſari aperire. Monitus ergo ab Angelo, caritate ferventi iterum acceſſit ad Tyberium Imperatorem, & quod eum in hoc etiam exaudire dignaretur, magna humilitate ſupplicavit, videlicet ut de Reliquiis Evangeliſtæ Lucæ brachio beati Andreæ ſua benignitate ſociaret. Imperator autem, cum hoc audiſſet, cæpit triſtari & eſſe mæſtiſſimus, cum id, quod D. Levita petebat, abſque graviſſima difficultate fieri non poſſet; erat enim ſarcophagus, in quo Evangeliſta jacebat, marmoris duriſſimi ad inſtar adamantis, ferro & plumbo arctiſſime colligatus. Verebatur etiam Imperator, ne tumultus inde fieret in Civitate, ſi corpus tanti & tam pretioſi Apoſtoli & Evangeliſtæ aliquo ingenio moveretur. Quomodo ergo ſanctiſſimo Gregorio ſatisfaceret, invenire non poterat, & ait beato Gregorio: Dominum Jeſum Chriſtum more ſolito deprecare, quatenus viam perficiendi opus deſideratum, miſericordiæ dono tibi aperiat; eave tamen, ut quod feceris, eaute & ſine vulgi rumore patretur. Hoc itaque audito, Levita beatus ſibi & ſuis jejunium ſeptem dierum indixit. Quo cum multo fletu peracto & lachrymis, acceſſit octavo die ad locum, in quo Evangeliſta quieſcebat, & flectens genua ſua oravit, ut auctor mirabilium Deus, eum ſuo deſiderio non fraudaret. Deprecabatur etiam beatum Lucam, ut ſi ejus devotio eſſet honeſta, daret ei poſſe perficiendi quod volebat, alias autem fruſtraretur, quod deſiderabat. Et dum ante ſepulchrum incumberet Levita beatus, plumbi duritia verſa eſt in liquentis ceræ mollitiem, & ferrum, quo ſepulchri marmora ligabantur, confractum ante beati Gregorii pedes cecidit, ſarcophagus vero abſque humano ſuffragio Divinitus apertus eſt. Beatus itaque Gregorius ab oratione ſurgens vidit ſepulchrum reſeratum, & ecce glorioſus Evangeliſta proprium erexit brachium, & beato Gregorio tribuit. Quod cum magna reverentia recepit Levita beatus, & diligenter una cum brachio beati Andreæ in argenteæ capſula cum aromatibus collocavit. Tempore ergo opportuno aſcendit in navem, & confeſtim, ſurgente vento ſecundo, Romam cum ſuavitate pervenit, pignoribus Sanctorum in Oſtia Civitate relictis. Quo audito Pelagius Papa venerandus, gaudio repletus, illico ſurrexit, & convocatis Epiſcopis & Cardinalibus, Diaconis & Subdiaconis, omnibuſque Curiæ Ordinibus, una cum beato Gregorio (quem honorifice jam ſuſceperat) Civitatem Oſtiam gradu concito adivit, & inclinato capite accipiens brachia SS. Lucæ atque Andreæ, cum pſalmis & hymnis, omnique veneratione Romam devexit. Quæ infra palatium in Eccleſia ſancti Laurentii cum Miſſarum ſolemnitate depoſuit: in quo loco quieverunt uſque ad tempora Pontificatus beati Gregorii. Hic enim Papa beatus, ſui Præſulatus anno ſecundo, in feſtivitate ſancti Andreæ accepit manum prædicti Apoſtoli, & tradidit eam venerabili Abbati ſancti Andreæ fratribuſque ejus. Quæ veneranda Eccleſia conſtructa eſt & ædificata ab eodem ſanctiſſimo Papa Gregorio juxta Eccleſiam ſanctorum Martyrum Joannis & Pauli, proprio ſuo videlicet loco, ubi dicitur clivus Scauri. In quo venerabili Monaſterio meritis ſanctiſſimi Apoſtoli dæmonia ex obſeſſis corporibus repelluntur, & innumerabiles aliæ virtutes a Domino quotidie operantur. Brachium vero Evangeliſtæ Lucæ, atque brachium ſancti Andreæ Apoſtoli abſque mana (quam honorifice recondiderat in ſuo Monaſterio) & abſque quadam parte brachii in baſterna deaurata, & cicladibus cooperta poni præcepit, & deportari ad Eccleſiam beati Andreæ juxta Baſilicam Principis Apoſtolorum in Vaticano, non longe

a ſe-

e ſepultura Julii Cæſaris, ibique vigiliis tota nocte celebratis, poſuit ea in Altari, quod idem Pontifex conſecravit.

XIX. Nihil in tota hac relatione de capite ſancti Lucæ; ſolum brachium in Urbe allatum eſt. Verum eſt inter Reliquias, quæ cum veneratione conſervantur in Baſilica Vaticana ſancti Petri, recenſeri & oſtendi caput ſancti Lucæ. A quo autem tempore cœperit in veneratione haberi, vel a quo illuc illatum hoc caput, non eſt, qui fideliter recenſeat. Brachium quidem aſſervatur in marmoreo tabernaculo Baſilicæ Liberianæ ſanctæ Mariæ ad Præſepe. Verba porro illa Martyrologii *Conſtantinopoli Patavium delata*, recenter alicujus induſtria adjuncta ſunt, neque in Martyrologiis veruſtis, imo neque in iis, quæ poſtremis ſeculis exarata ſunt, conſpiciuntur. Firma itaque & conſtans perſtat Cardinalis Niceni ſententia.

Moritur Guardianus Solymorum. *Ao. 1461. n. 13. Ex regiſt. Ordinis.* Subſtituitur alius.

XX. Obiit hoc anno Hieroſolymis Gabriel Bononienſis, quem diximus inſtituum Guardianum Montis-Sion, & Commiſſarium locorum Terræ Sanctæ. Subſtitutus eſt Præſidis nomine uſque ad Congregationem Generalem Alexander Vincentinus, adjecta auctoritate ſuper Conventum Rhodienſem, juxta conſtitutum Capituli Generalis Auximo celebrati. Paulo ante obitum miſerat Gabriel Antonium de Mugnano, ſuum in Præfectura prædeceſſorem, Procuratoris & Nuncii nomine ad Pontificem, & Burgundiæ Ducem ſeria quædam negotia maritimæ profectionis, & Terræ Sanctæ tractaturum. In commiſſo munere ſollicite laborantem Ludovicus Vicarius Generalis confirmat, adjectis perfuncti Guardianatus Hieroſolymitani per ſeptennium magnis elogiis. Jubet inſuper, ut ad Burgundionem quamcitiſſime abeat: *cujus*, inquit, *munificentiſſimis muneribus indigentia illa Terræ Sanctæ mirum in modum ſemper ſuſtentatur & relevatur*. Marcum deinde Bononienſem, virum optimum, olim Vicarium Generalem, ſummo deſiderio ſancta hæc loca viſendi æſtuantem, transfretare permiſit, impoſito tamen munere Commiſſarii & Viſitatoris Provinciæ Cretenſis, Cœnobii Rhodienſis, & locorum Paleſtinæ.

Marcus Bononienſis eo pergit Commiſſarius.

XXI. Cogitavit etiam remedium aliquod adhibere Vicarius Generalis, auxiliante Philippo Cardinale Bononienſi, tot ſcandalis & populorum admirationi, quæ ex vago & multiplici *Obſervantum* nomine oriebantur. Erant enim qui ſpecioſa & populis grata Obſervantum voce allecti, ita vocari affectabant, ſed Obſervantum legibus aut Præfectis ſubeſſe nolebant, applauſibilem prætexentes rationem, ſe a Miniſtri Generalis & Provincialium obedientia nolle recedere. Sed mollius agentes & Obſervantiam potius præferentes, quam ſectantes, raro a Conventualibus corripiebantur, ne indignati recederent. Alii pauculi Conventus, uno ex ſuis conſtituto capite, Miniſtro parebant Generali, neglecta Provincialium auctoritate. His noxiores alii, qui neque Miniſtro, neque Vicario Generali obtemperabant, ſed peculiares ſibi efformabant Congregatiunculas, obtinentes miris artibus Pontificia diplomata, ut aliquot ſibi conſtituerent Cœnobia. Atque hi *Neutralium* nomine audiebant, quaſi medii inter Conventuales & Obſervantes, neutri ex Generalibus Præfectis, neque Miniſtro totius Religionis capiti, neque Vicario Obſervantum ſuperiori obſequium deferentes. Præcipua horum capita in Italia erant Petrus de Trano, qui bullam obtinuit pro ſe & ſociis capiendi ad libitum Cœnobia; Valentinus de Tarviſio, qui Breve pro erigendis Eremitoriis & locellis; Philippus Maſſanus, qui alterum pro duobus Conventibus, expreſſis in Brevi multis immunitatibus; Ludovicus de Padula electus hoc anno Epiſcopus Carthaginenſis in Africa, qui inſtrumentum impetravit conſimile. His per Cardinalem Pontifi-

Omnes Obſervantes ſub unû caput redigûntur.

Fr. Ludovicus Epiſc. Carthaginen.

tifici expoſitis, juſſi ſunt omnes vel Miniſtro vel Vicario parere Generali.

XXII. Miſeram hanc vitam meliori commutavit hoc anno ſanctus Didacus Complutenſis, ita a diuturno incolatu & ſepulturæ loco nuncupatus. Quæ in vita geſſit, ſuis annis diſtribuimus, quibus ſulſit virtutibus, hic breviter enarramus. Chariſmatum omnium fundamentum tutamque cuſtodiam, humilitatem longo aſſecutus exercitio, ſummo ſtudio occultabat quidquid vel ipſe laude dignum patrabat, vel a Deo gratuitum accipiebat. Unde factum eſt, ut multa per eum ſanctiſſime geſta, inſignes animi dotes, & heroicæ virtutes, quibus affluenter ornatus eſt, Conſodales intimoſque laterent amicos. Dei timore carnem configens, in ſervitutem ſpiritus redigebat, jejuniis, vigiliis, flagellis multiſque cruciatibus adverſos quoſcunque motus caſtigans. Hyemis medio congelatas ſubintrans aquas, noxios ardores extinguebat; lacera veſte nudiſque pedibus incedens, miſello corpori id ſolum permittebat, quod ſubtrahere non licebat. Tot modis caſtigatum corpus adeo carnis affectibus deſæcavit, ut puriſſimo ſolo ſpiritu totus conſtare videretur. In oratione, illi ad quem preces dirigebat, conjugi anhelans, non ſolum mente, ſed & corpore ſurſum ferebatur, & quaſi moræ impatiens, mortales exuvias in immortalitatis ſedem videbatur inferre. Chriſti paſſionem meditabatur aſſidue, & ne aliquando contingeret oblivi-ſci, manu crucem ferebat, per quam moneretur Chriſti crucifixi.

Peña l. 1. c. 11. Galeſin. par. 1. c. 18. Marc. 3. p. l. 5. c. 5.

Moritur S. Didacus.

Ejus humilitas.

Pœnitentiæ.

Extaſes.

Meditatio.

XXIII. Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumma proſecutus reverentia & intimo cordis affectu, coram ſacro depoſito per horas multas orabat; Divinum pabulum recepturus devote ſe præparabat, ſæpe Dominum ſub mundiſſimo ſpecierum velo viſurus, difficulter patiebatur ſe a miſſis audiendis aut ſerviendis avelli. In diebus ſolemnioribus Divinis ardenter intendebat officiis, & cum aliquando acolythi ſubiret officium, ſuaviſſimo Divinorum chariſmatum odore Fratres potius recreabat, quam thure incenſabat. Simpliciter prudens, ita omnes regebat actiones, ut nec quid imprudenter actum diceretur, nec quidquam ſapientiæ tribueretur humanæ. Fraterna incenſus caritate, erga infirmos & pauperes perpetua exhibebat obſequia, cujus rei illud inſigne eſt argumentum, quod adoleſcentem facie leproſum & ulceratum lambenti curaverit lingua, horrentique ſocio dixerit: *Frater, caritas nihil aſpernatur, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet, nihil refugit, quod laboranti fratri poſſit mederi.* Fragilitati compaſſus humanæ, dejecti animi peccatores in ſpem erigebat meliorem, miriſque modis apud proximos & notos culpas excuſabat manifeſtas, ita peccatores ſolaturus, aliorum indignationem mitigaturus.

Erga Euchariſtiam affectus.

Suavis ejus odor.

Prudentia.

Caritas.

Compaſſio.

XXIV. Tot tantiſque reſplendens virtutibus, ſanctiſſime ubique audiebat: per pagos, vicos & urbes incedentem omnes ſanctum proclamabant, opinionemque multa & magna confirmarunt prodigia. Crucis ſigno potiſſima patrabat, aliquando languentum ulcera vel cicatrices oleo lampadis, quæ coram beatiſſimæ Virginis effigie pendebat, inungens, repente curabat, aliis etiam modis, oratione præſertim multis impertivit varia genera ſanitatum. Claudis greſſum, cæcis lumen, ſurdis auditum, languentibus robur, laborantibus requiem, omnibuſque ad ſe accedentibus perfectam contulit ſalutem. Ita tamen corpora ſanabat, ut potiori cura animas curaret infirmas, & externo medicamine totum hominem perfecte redintegraret. Hoc vitæ genus ad ultimam uſque ſenectutem proſecutus, tandem jejuniis, vigiliis, multoque corporis cruciatu confectus, laborare cœpit ex ſuppuratione in extrema parte brachii ſiniſtri, & quamquam morbi purulenti acerbiſſi-

Multa ejus miracula.

Morbus ultimus.

biſſimo torqueretur dolore, tamen uſque adeo cruciatum patienter toleravit, ut omnes mirarentur in tanta corporis pœna tantam animi æquitatem. Medicamentis delinitum ulcus tamdem erupit, ſed pus copioſe proſiliens, non tetrum, ut ſolet, ſed ſuavem & circumſtantibus gratum efflabat odorem. Poſt hæc ingruente febre, accrevere dolores, quos ille tanta tulit animi lenitate, ut numquam ingemuerit, nullumque verbum præter laudes expreſſerit Divinas. Nocte quadam adhibito per medicum malorum remedio, in extaſim raptus, paululum immobilis collecto ſpiritu perſeveravit, deinde in ſe reverſus, blanda voce ſæpe iſta verba repetiit: *O quam ſuaves ſunt illi flores Paradiſi!*

XXV. Ceterum ingraveſcente morbo, cum certam ſui corporis diſſolutionem imminere ſentiret, Guardianum & Fratres accerſens, rogavit, ut ſibi morienti precibus adeſſent, vellctque Præfectus vilem & lacerum habitum cum cingulo ſepeliendo corpori largiri. Veniam deinde deprecatus errorum, utroque brachio, etſi ſiniſtrum vi morbi prius labuerit, in altum elevato, crucem quæ ſupra caput ex lecto pendebat, reverenter attraxit, ori oculiſque frequenter appoſuit, iiſque demum verbis miro affectu prolatis: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cælorum & Dominum*, ſanctiſſimam efflavit animam pridie Idus Novembris, die Sabbati nocte ſequenti. Eadem prorſus mortuo, quæ vivo ſpecies, idem vultus, ſed ſpecioſior, quaſi e vivis non deceſſerit, ſed inter viros vegetior perſeverarit. Ejus caro continuo jejunio, vigiliis variiſque incommodis attrita, in fuſcum ſublividumque abducta colorem, poſt mortem reflorere viſa, candida, mollis, oculis gratiſſima, ſtolam præferebat immortalitatis. Non riguerunt frigida membra, ſed in omnem partem flexibilia facile movebantur, non uno aut altero die, ſed per integros menſes. In templum templique chorum translato cadavere, nocte illa clariſſimus ſplendor feretrum occupavit, & per omne templum illuxit. Conchenſes inſuper & Methymnæ cœli incolas in ſui admirationem ea ipſa nocte lucidiſſima ſtella, reliquis aſtris illuſtrior attraxit, eiſque ſua claritate opinionem indidit, alicujus Viri ſancti animam tunc fuiſſe in cœlos receptam. Solet enim Deus ſervorum ſuorum pietatem & ſanctitatem, quibus tamquam fulgentes faces & lucentia ſidera Eccleſiæ præluxerunt, cœleſtibus quoque fulgoribus indicare.

Poſt mortem qualis.

XXVI. Exoriente die Dominica, mortiſque præunte rumore, ingens utriuſque ſexus omniſque ſtatus multitudo ad Cœnobium confluxit, Virique ſancti corpus contingere geſtiebat. Quidam particulas veſtis aut cinguli diſcerpere, alii capillos abſcindere, plurimi roſaria, ſtrophiola, libellos ori applicare, alii venerabundi in genua procumbere, univerſi ſupplices invocare. Miſſæ ſolemnis peracto Sacrificio, curatum eſt funus, proſequente Monachorum cœtu & plebis turba copioſa, humique conditus eſt Vir Dei coram Altari aulæ capitularis. Joannes Penalverius, vir pius, Alphonſo Carillo Toletano Archiepiſcopo a ſacris confeſſionibus, Cœnobii Rector & Didaci venerator, intime dolens ſibi ereptum quem ſummè diligebat, neque cibum ſumere, neque ſomnum capere poterat præ doloris magnitudine. Ut mitigaret, ſtatuit videre quem perdidiſſe ingemiſcebat, vocatumque robuſtum adoleſcentem, clauſo Capituli oſtio, juſſit a triduo ſepultum exhumare. Præcepto frater obtemperans, terramque celeriter effodiens, ſancti Viri manum ligone nolens offendit. Statim locus ille concuti ac tremere viſus, Divinum aliquid protendit, territuſque juvenis ſe moneri intellexit, ut ſacrum depoſitum honorificentius exhumaret.

Ingens erga eum populi reverentia.

Exhumatur illæſus.

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

ret. Abjecto itaque ligone, quod terræ ſupererat, manibus extraxit, & ſanctum corpus incorruptum & illæſum, ſuavemque emittens odorem, reverenter eduxit. Penalverius avide in amplexus & oſcula irruens, pio affatur eloquio, tamquam ſi redivivum accepiſſet.

XXVII. Nondum ferme ſacrum pignus e brachiis dimiſit, quando ingens multitudo Didacum revixiſſe clamantium ad Cœnobium concurrit. Ea fuit cauſa. Alvarus de Gaa Luſitanus, Compluti incola, Toletani Archiepiſcopi familiaris & ſtabulo Præfectus, filium habebat trimulum infirmum, qui eo tempore, quo corpus exhumatum eſt, patrem rogare cœpit, ut ad videndum beatum Didacum duceret: *a quo*, inquit, *ab infirmitate liberatus ſum. Obiit*, inquit Pater, *fili mi, & ſepultus eſt, nec amplius poterit videri*. Cui infans, *imo vivit, & me nuper facta magno ſigno advocavit.* Verba contemnens Alvarus denuo abnuit, mortuum affirmans. Prorumpens in lacrymas puerulus patrem commovit, ut educeret, & præ foribus Capituli ſuper cancellos erecto diceret: *vide locum, ubi ante triduum beatus Didacus fuit ſepultus*. Exclamans filius: *Nequaquam ſepultus eſt; ego eum video auream crucem habentem in pectore, ad pedes ligneam*. Altius ſe erigens Alvarus videt exhumatum corpus, cruces a filio indicatas terramque hinc inde diſiectam. Domum regreſſus, quæ vidit, narravit, atque hæc illico per omnem ſparſa populum, ut in Cœnobium curreret, excitarunt. Obſtupuere omnes, quatriduanum cadaver aſpicientes illæſum & ſuavem odorem emittens. Præmente & alternante multitudine, imo & prohibente ne terra conderetur, lignea incluſus eſt arca, quæ frequenter ad procerum preces aperiebatur. Ad ſex ferme menſes ita inſepultus, tamdem in peculiari ſacello, arca optime munita, ferreiſque repagulis obſerxta, honorifico conditus eſt ſepulcro, depoſita in ſacrario manu ejus dextera, quæ reticulo argenteo, affabre elaborato incluſa, ægris admovetur & ſanitatem frequenter impertit.

Magna accurrit populi multitudo.

XXVIII. Dum in illa conditus arca jaceret, & integri corporis vitæque ſanctæ fama crebreſceret, Henricus Caſtellæ Rex, quintodecimo poſt obitum die, Madrito Complutum venit, ſacrum corpus viſurus. Admiratus exanime per tot dies cadaver ad omnem motum flexile, juſſit erigi & ad ſedentis modum collocari. Ita factum, obſtupeſcente Rege, & aſſerente unum illud inclinati capitis flexæque cervicis indicium ſupereſſe defuncti, reliqua vivum denotare. Suavitatem odoris, quem efflabat, non vulgarem aut naturalem, ſed plane Divinam eſſe affirmabat, ſimilemque ei, quem ſancti Iſidori Agricolæ, Madritenſis patroni (hujus noſtri Collegii titularis) corpus ſpirabat. Depoſita itaque Regia Majeſtate, humiliter in genua procumbens, ſe reſque ſuas & regnum ſancti Viri protectioni commendavit, admotaque ſacra manu brachio affecto, quo plurimum dolebat, ſanari rogavit. Ut diſceſſit, dolor omnis evanuit, & brachium priſtino vigori reſtitutum perſenſit. Gratias pro beneficio accepto redditurus, ſacellum, in quo poſtea conditum eſt corpus, extruxit.

Rex Henricus corpus inviſit, & ſtupet.

XXIX. Paulo poſt advenit Antiſtes Toletanus Carrillus, qui eadem in homine tot dies defuncto conſpicatus, ſanctitatem Servi Dei dum viveret, ſibi perſuaſam, nunc credidit indubie, Deum magnificans, qui viros ſibi caros talibus oſtendit indiciis. Omnes, qui advenerant, quibuſque corpus intueri licebat, eadem admiratione repleti, rem pluſquam humanam dicebant, præſertim duo ex Rabbinis Judæorum, & Mauri quamplurimi, qui per id tempus Hiſpaniam incolebant.

Item Archiepiſc. Toletanus.

Judæi & Mauri.

XXX. Illis diebus, quibus exhumatum corpus in propatulo jacebat, mul-

Omnes male habentes ſambantur;

multis cœpit clarere miraculis, concurrentibus claudis, cæcis, male habentibus variisque doloribus affectis, a Viro ſancto, veluti ſideribus elapſo, auxilium petituris. Qui arcam pie contingebant, oſculabantur, vel in genua provoluti ſe illius meritis commendabant, vel manu, quam diximus a corpore abſciſſa ſignabantur, vel in loco affecto tangebantur, aut aquam, in quam eadem manus immergebatur, bibebant, & pia vota, quæ ſalutis cauſa conceperant, exolvebant, ſanabantur univerſi. Alphonſus a ſancta Maria, Ordinis Prædicatorum, qui viventem cognovit & dilexit, miraculorum frequentia motus, diligenter ſtatuit omnia colligere, & ante annum elapſum ad prædictum Toletanum Archiepiſcopum centum pertulit Notarii manu obſignata. Id porro magnum mirandumque, ab eo tempore quo ſignis cœpit Vir ſanctus efflorescere, numquam ab eo fuiſſe intermiſſa; unde ex univerſa Hiſpania ad ejus ſepulcrum, tamquam ad omnium medicamentorum promptuarium omniſque morbi remedium, male habentes in hunc uſque diem turmatim accedunt. Miracula potiora coacervarunt trea potiſſimi vitæ ſcriptores: Marcus Ulyſſiponenſis, Petrus Galeſinius, Franciſcus Peña. Ea nos faciliori methodo per varios titulos, juxta varias languentium affectiones dabimus diſtributa, ea dumtaxat recenſentes, quæ juxta ſancitas leges Eccleſiaſtici Judices approbarunt.

Quinam ejus collegerunt miracula.

De Mortuis reſuſcitatis.

XXXI. Parturienti Catarinæ, fœminæ nobili, oppidi de Ambroz, Bartholomæi Sanchez uxori, tranverſus eſt in utero fœtus, ſolumque pedem emiſerat. Immenſis cruciatibus animam agenti commiſerata ſocrus Maria Garcia, ſegmentum veſtis beati Didaci utero impoſuit, pulverem inſperſit ſepulturæ, ſtarimque parturiens a propinqua morte, inanimem filiam enixa, liberatur. Maria ſocrus profligati periculi beneficio audacior effecta, denuo in genua procumbit, ſancti Didaci opem implorat, novemdiales vigilias in ejus ſacello promittit, modo mortuæ infantulæ vitam reſtituat. Ille collatum genitrici beneficium alio cumulat majori, infuſa Dei beneficio anima corpuſculo, per horas quatuor a partu abſque ullo ſpiritu rigenti. Gratias reddituræ ſocrus, nurus & conſanguineæ, conducta etiam infantula Complutum abierunt, & promiſſa complerunt.

XXXII. Tres ſimul advenerunt in ſacellum beati Didaci propinquis aſſociati, ſyndoneſque, quibus involvenda erant illorum corpora, appenderunt, aſſerentes ſe vita defunctos ad beati Didaci preces ſpiritum recepiſſe, & propterea ad novemdialia peragenda & gratias perſolvendas acceſſiſſiſſe.

Num. 27. XXXIII. Alvaro de Gaa, de quo ſupra diximus, famulam, cujus filia diebus paucis poſt beati Didaci obitum deceſſit, hortante ut ad tumulum ſancti Viri puellam efferret, rogaretque ut vitæ reſtitueret, magna illa abiit fiducia, & juxta locum chori, in quo defunctus Didacus primum, ut *Supra n. 26.* diximus, collocatus eſt, mortuam filiam reponit, multisque lacrymis orat, ut redivivam accipiat. Tamdem poſt longas, lacrymoſaſque preces ſenſit puellam paululum reſpirare, pectuſculo intumeſcere, & corde palpitare. Arctiori ſtringens amplexu, os ori admovet, oculos nigros ac morte compreſſos ſtatim aperiri, erigi ac circumferri vidit; membra frigida & rigentia animari vitæque reſtitui. Summa perfuſa mater lætitia, Divinas laudes ingeminat, ac tam crebras lacrymas gaudio geſtiens effundit, ut dubium ſit an plures extorſerit dolor, quam lætitia.

XXXIV. His

XXXIV. His reſtitutæ vitæ miraculis mirum prænunciatæ mortis addo vaticinium. Madritenſis quidam male habens, cum aliis orabat in prædicto ſacello, viditque beatum Didacum ex arca, in qua jacebat, prodeuntem, aliis infirmis manum imponentem, ſuumque pedem graviter comprimentem. Pedem dolens: *at quid*, inquit, *vir Dei alios manu tetigiſti, me pede calcaſti?* Cui beatus Didacus: *Illi e morbis convaleſcent, tu brevi morieris. Redi itaque quamprimum in domum tuam, animæ conſule, rebus diſpone, ne tardaveris.* Prophetiam eventus confirmavit, nam paulo poſt e vivis exceſſit.

Mortui appropinquantes revocantur.

XXXV. Bernardinus Thereſiæ de Mercado filiolus, in Olmedæ oppido, ſolis oſſibus conſtabat. Cotes patruus, Toletani Antiſtitis Architriclinus, Compluto profectus miſerrime affectum, morti propinquum aſpiciens, applicari juſſit quaſdam habitus & cinguli beati Didaci particulas, quas efferebat. Non prius mater admovit, quam filium incolumem aſpexit, ita ut ne ullum quidem infirmitatis veſtigium remaneret.

XXXVI. Catarina de Olivares, uxor Garciæ Mondragonii, anno MDXLVI. Compluti partus doloribus laborans, tamdem a medico prænunciatur ſub primam noctis horam deceſſura. Certa erant propinquæ mortis indicia paroxiſmi, convulſiones, nares, aures, mentum vi morbi torquebantur. Exploraturus poſtea medicus an in ægro corpore aliquis remanſerit ſenſus, nullum reperit veſtigium. Converſus itaque ad maritum dixit: *Nullum hic humanum remedium, recurrendum eſt ad Divinum. Abi cum filiis tuis ad ſacellum beati Didaci, ejus opem implora.* Abierunt, oraverunt, paulo poſt melius ſe habuit infirma & integre convaluit, & annis quindecim marito convixit.

XXXVII. Petrus Guttierrez de Nagera Complutenſis, Eccleſiæ Collegiatæ ſanctorum Juſti & Paſtoris Præcentor, bis a mortis faucibus beati Didaci meritis ereptus eſt. Cum puer eſſet, circa annum MDXIX. graviſſima oppreſſus ægritudine, parum abfuit quin moreretur. Mater imminentis exitii præmonita, lectulo jacentem efferri curavit ad beati Didaci ſacellum, totaque nocte multis lacrymis & precibus ſancti Viri imploravit auxilium. Mane ſequenti valere cœpit puer, atque intra paucos dies perfecte convaluit. Anno MDXLII. apoplexia correptus, medicorum judicio ad mortem properabat. Mater alias beati Didaci opem experta, etiam in hoc vitæ diſcrimine filium denuo ejus pietati commendandum judicavit. In lacrymas effuſa, poſt multas preces exaudita eſt, filiumque incolumem poſt biduum recepit.

XXXVIII. Joannes de Olmeda Compluti malignum in capite apoſtema contraxit, cui medicando chyrurgum adhibet. Ille ſuppurationem novacula aperturus, venam ſecuit incautus. Hinc perpetuum ſanguinis profluvium, quod nulla potuit arte reſtingui. Inde collapſæ vires, ſenſus obtuſi & vita deſperata. Vocati Religioſi Viri, qui jam jam morituro aſſiſterent, advocarunt patrem, ut morienti filio benediceret. Benedixit plorans, & abiit ne morientem aſpiceret. Infra horæ quadrantem iterum revocatur, ut reviviſcenti & ſano filio gratularetur. Inſperatus & mirandus eventus cui tribuendus eſſet, omnes ignorabant, donec poſtea conſtitit, Minoritam quemdam, Olmedæ propinquum, eo ipſo tempore, quo convaluit infirmus, in beati Didaci ſacello duris in ſe animadvertentem fla-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

flagellis, devotis precibus a ſancto Viro beneficium hoc impetraſſe.

XXXIX. Inſigne & per omnes Nationes divulgatum fuit illud miraculum Caroli Principis, Philippi II. Regis Hiſpaniarum filii, e certiſſima morte ad vitam revocati. Illud iiſdem verbis, quibus Franciſcus Peña ex Hiſpania accepit, Regis teſtimonio communitum, & ſuæ inſervit hiſtoriæ, etſi aliquanto diffuſius, enarrabo. *Anno* MDLXII. *Carolus adoleſcens Compluti, dum in Regia coacitato ac celeri paſſu per ſcalas graderetur, luxatis pedibus ſæpius prolabitur, & in parte occipitis ſiniſtra periculoſiſſimum vulnus accipit. Non patuit ab initio morbi malignitas, nec evidenti aliquo ſigno, quo tandem periculum progreſſurum eſſet, innotuit. Quamobrem medici in certam de Principis ſalute ſpem adducti, nullum tam perniciоſum ac deſperatum malum, quam poſtmodum ſupervenit, animo conceperant. Nec immerito, cum in his ægritudinibus febres a principio non ſoleant eſſe ita ſuſpectæ, æque ac cum ad ſeptimam vel alios dies criticos perventum fuerit. Medicos itaque inani hac ſecuritate gaudentes ſubſecutus eventus fefellit; die enim undecimo a prolapſione, exiguo ante auroram tempore, rigores quidam vehementes, & ardentiſſima febris Principem decumbentem invadunt. Mox inito conſilio illuſtres medici & chirurgi, qui curandi Principis cauſa plurimi undequaque convenerant ac quotidie conveniebant, ſupervenientis ſymptomatis cauſas inquirunt, ut aptum remedium opportune adhibere poſſent. Cranium igitur confractum eſſe ſuſpicantur, ideoque derepente, ne curationem tarditas præpediret, atque ut facilius morbi cauſas explicarent, & celerius medicinam facerent, novacula, qua parte vulnus acceptum fuerat, caput aperiri decernunt. Aperto loco nihil illic apparuit eſſe confractum, colliſum aut perforatum, nec præter maculam quamdam fulvam aliquod malignæ affectionis ſignum reperiunt, quo cerebrum prolapſione affectum judicare poſſent. Soli itaque vulneri curando perſiſtunt. Interim vero febris numquam intermittens, in dies augebatur, eamque intra paucos dies quædam ſymptomatu ſubſecuta ſunt, quæ non obſcure proximam mortem indicabant, cum ea veluti turmatim in Principem gravi oppreſſum febri irruiſſent: ciborum nempe omnium nauſea, adeo ut per tres dies nihil comederit. fugato ſomno vigilia, delirium, totius vultus ac capitis inflammatio, qua ita horribiliter facies intumuerat, ut nec oculi nec nares nec aures diſtincte conſpicerentur, ſed caro quædam informis & tumens vibex omnem hominis figuram ſatiaſſe videretur. Ad hæc nihil præter mera deliramenta per aliquot dies locutus fuit, nec quid diceret (ſolum enim intra ſe obmurmurans incondite loquebatur) nec utrum dormiret, an vero vigilaret, intelligi potuit. Stupefacti medici, & diu multumque animo agitantes, unde tam maligna & letbifera ſymptomata provenire poſſent, re diu multumque deliberata, in eum tandem unanimes venere ſententiam, ut qua parte fulvam illam conſpexerant maculam, primam cranii tabulam abraderent diligenter & ſubtiliter, inſpecturi num per commiſſuras aut rimulas ex gravi prolapſione fortaſſe contractas, aliquid in cerebrum penetraſſet. Raſa itaque prima cranii tabula, illud undique albicans invenerant, tum ex eo vivus ſanguis manare cæpit. Exinde protinus nullum per eam partem in cerebrum malum influxiſſe collegerunt, ſed id ab interiori prorſus cranii parte provenire. Quamobrem omiſſa cranii curatione, ſolam inflammationem & capitis horribilem tumorem opportunis medicamentis minuere, ac depellere decreverunt: Ergo cum in hoc tam miſerabili & deplorando ſtatu Princeps Carolus verſaretur, nec illi ullum jam medicamenti genus proficeret (adhibita autem fuerant tot ac tuliu, qualiu vel haberi vel excogitari a tam multis & clariſſimis medicis & chyrurgis, qui undique*

que

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

que innameri convenerant, potuerunt, & tantum Principem, & tantum ac tam potentem, piam & filii amantiſſimum Regem patrem decebat, cui nihil magis erat cordi, quam ejus vitam tueri, unde tot tantorumque regnorum ſalus & incolumitas pendere credebatur) medici omnes de vita Principis amiſſa ſpe, eum proculdubio ex ægritudine moriturum pronunciaverunt. Nec erat abſque certa ratione prognoſticum, nam conſiſtentia ſymptomata, in primis vero delirium, male affectum cerebrum, & a ſanguine in ſaniem converſo, qui aliunde quam per loeum affectum juxta medicorum placita in illud influxerat, jam magna ex parte putrefactum non obſcure demonſtrabat. Ad hæc futuræ mortis ſigna tam evidentia & clara videbantur, ut certum & præfinitum tempus, quo Princeps eſſet e vita diſceſſurus (mediæ videlicet noctis tempus diei XVIII. *vel* XIX. *a vulnere acceptо) medici certo prænunciaro ac conſtituere non dubitaverint. Parabantur interim lugubres veſtes, panni ad ornatum funebres, luctuoſa omnia cernebantur, locus ſepulturæ deſtinabatur. Regia domus in luctum ac lacrymas ſoluta, miſerabilem ac lugubrem præbebat faciem. In primis vero ipſius Philippi patris acerbiſſimus dolor omnium corda cruciabat, omnium ab oculis copioſas lacrymas eruebat, univerſa quoque Hiſpania in luctu & mœrore poſita, Principis caſum acerbum, & Regis mœſtiſſimi dolorem incredibilem lamentabatur. In magna hac rerum deſperatione & jactura, cum omne jam humanum præſidium defeciſſet, ad opem S. Didaci implorandam itum eſt. Ergo recordati tunc Bernardus Fraſneda, ex Minorita Chonchenſis Antiſtes, & Magiſter Manzius, Ord. Prædicatorum, Principi a ſecretis conſcientiæ, & alii quidam viri graves, Principem Carolum maxime in Didacum affectum fuiſſe, illiuſque ſacrum cadaver ſæpe pie venceratum, adeum in extremis laborantem S. Didaci corpus deferre conſtituunt. Protinus itaque rumpuntur obices ferrei, laminæ & ingentia repagula divelluntur, quibus arca bene munita, ut diximus, uno fere integro ſeculo incluſum ſancti Didaci cadaver ſervaverat. Ita illud integrum inventum eſt, ac ſi nuper illic repoſitum fuiſſet, quod magnæ propterea admirationis cauſa fuit. Accurrit ſtatim ingens populi multitudo, ut ſancti Didaci corpus veneraretur, & in Regiam acerbo oppletam luctu comitaretur. Solemni itaque pompa ex omnibus ordinibus collecta, in qua omnes Religioſi cereos accenſos manu geſtabant, venerabile corpus feretro impoſitum, & humeris ſacrorum hominum advectum, in Regiam deducitur, in cubiculum Principis intromittitur, ac ſuper illius lectum collocatur. Clara deinde & ſonora voce Princeps admonetur, ut ſe pie & ex animo beato Didaco commendet, illuſque valetudinis ſuæ cauſa deprecetur, cum ejus Reliquiæ jam delatæ fuerint & juxta ſe in lectulo repoſitæ. Ille vero ex lethifero excitatus ſomno, nutibus ſe contingere illas velle demonſtrat, & manibus tentans eas tenaciter complectitur, ac Dominicas aliaſque preces recitare ſignificat; quamvis quid diſtincte proferret, vix aperte intelligeretur. Interim lintea quibus ſacrum caput obvolvebatur, diſſolvuntur, & ſericus quidam pannus, qui primum molliter ſacro Didaci vultui fuerat admotus, ſimiliter turgenti Principis vultui leniter admovetur. Eo loci non ſolum ſacerdotes & Religioſi viri, ſed etiam ſeculares magnates, qui in Principis cubiculo aderant, in primis vero Rex ipſe pater in genua provoluti, multis lacrymis ſanctum Virum ardenter precabantur, ut apud Deum pro ſalute Principis interceſſor & deprecator exiſteret. Quibus peractis, eductо poſt quartam fere unius horæ partem ſacro cadavere, & in ſuum ſacellum reducto, Principem ſuavis ac lenis ſomnus amplectitur, in quo per quietem ſanctum Didacum Franciſcano indutum amictu ſtantem, & crucem arundineam manu tenentem vidit, qui eum ut bono animo eſſet, &* Supra n. 27.

in

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Mino-
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	rum anno 256.

in Deo ſpem collocaret, hortabatur; futurum enim eſſe, ut ex illa ægritudine convaleſceret, ac integram ſanitatem reciperet. Ex eo ipſo momento ceſſavit delirium, & paucis horis elapſis, Princeps quaſi cum Sancto colloquens, excitatus ſomno, cibum aliaque neceſſaria alimenta poſtulavit. Concurrunt illico Medici, qui cum tumorem vultus depreſſum ac minutum, certaque alia ſalutis ſigna comperiſſent, mœſtiſſimo Regi obitum filii expectanti, nuncium lætiſſimum celeri curſu eum his dictis afferunt: fuiſſe tandem Carolum Principem revocatum ad vitam. Qui intra paucos dies integræ ſaluti reſtitutus, pium in primis Regem patrem, ac univerſam deinde Hiſpaniam acerbo luctu mœroreque liberavit. Fit confeſtim omnibus notum ac teſtatum miraculum, quod cum omnes maxime ſuſpicerent, medici in primis admirabantur, qui Philippo Regi Principem jam jam animam acturum prænunciaverant, & certum mortis tempus præfinierant, ut plane coacti fuerint confiteri, tam repentinam ſalutem Divinæ cæleſtique virtuti adſcribendam. Illud vero in primis in hoc rerum mirabili eventu compertiſſimum ac teſtatiſſimum fuit, illo potiſſimum mediæ noctis tempore, quo uno conſenſu medici moriturum Principem aſſeruerant (ut notius & illuſtrius ad Didaci gloriam miraculum fieret) nedum melius habere cœpiſſe, ſed omni inſtantis mortis periculo liberatum. Miraculum hoc potiſſimam dedit anſam ſanctiſſimi Viri canonizationi poſtulandæ & promovendæ, ut inferius enarrabo.

XL. Aliud ſimile miraculum, dum illius promoveretur canonizatio, in hunc modum patravit. Anno MDLXXXVIII. Philippus, Lauri Dubliulii, prædicti Philippi Regis in Romana Curia, uti vocant, *Agentis* filiolus decennis, ex ſummitate ſcalæ viginti palmis altæ in lateritium cecidit pavimentum, & capitis dextera tempora graviter offendit. Mox continua febris & graviſſima ſymptomata ſubſecuta, ad trigeſimum ſecundum a colliſione diem perdurarunt. Sed cum ingraveſceret morbus, & febris intenderetur, repentinus tumor alteram gutturis & faciei partem invaſit; dein puer viribus cœpit deſtitui, & ad trigeſimum ſextum a lapſu diem ad mortem feſtinare. Anxius pater, ſancti Didaci, cujus canonizationem ex Agentis munere procurabat, opem ſummis votis imploravit, vovitque filio ſancti Franciſci habitum induturum anno integro geſtandum, & peracta canonizatione, ſe beato Didaco ſacellum conſtructurum. Poſt mediam ab emiſſo voto horam, copioſe e naribus effluxit ſanguis, cœpitque puer melius habere. Iterum pater preces ingeminat, & poſt aliquot horas circiter mediam noctem uberior ſanguis emanavit. Tertio pater oravit, atque ad auroram copioſius exivit, & febris ac dolor omnis abſceſſit. Pater exultans ob reſtitutum, quem perdidiſſe crediderat, filium, promiſſa complevit. Sixto V. illius temporis Pontifici, multiſque Cardinalibus receptum beati Didaci interceſſione beneficium pater enarravit.

XLI. Magnis tenebatur febribus Martinus Fernandez oppidi de Alvalate, & demum ad ſummum vitæ deſcrimen pervenit. Candelam jam habebat manu accenſam, uti mos eſt illius gentis, jam moriturus, & ſindonem lecto ſuperimpoſitam, cum uxor validis vocibus homini vix quidquam ſentienti intimavit ſe illum beati Didaci meritis commendaſſe, & voviſſe illius nomine pias ad ſepulcrum vigilias. Vix ille his auditis, novas vires aſſumpſit, ſindonem dejecit, votis annuit, & deinceps ſaniorem ſe ſenſit, ac paulo poſt ſubito ſalutem recuperavit.

De febricitantibus.

XLII. Alphonſus Petri Philippi & Catarinæ filius, ardentiſſima laborans

rans febre, magna emiſſa voce loquelam amiſit. Inſuper, ingraveſcente morbo cibum ſumere non poterat, mœſtique parentes de ſalute filii deſperare cœperunt. Promiſſis novem dierum vigiliis in ſacello, filium incolumem receperunt.

XLIII. Leonora Gonzalez, Reginæ Joannæ, Henrici IV. Hiſpaniæ Regis uxori a cubiculo, febricitans, pollicetur ſancti Didaci ſacellum inviſere, ſtatimque a morbo ſe ſenſit relevari. Madrito Complutum proficiſcitur, ſed ingreſſa ſacellum denuo morbo cœpit afflictari. At cum alios cerneret variis malis affectos convaleſcere, diligentius inquirere cœpit, unde ſibi contrarium proveniret? Cumque nullo ſe gravari peccato, examinata conſcientia, comperiret, dubitare cœpit an quidquam chyrographo ad collum appenſo ferebat, ſacro nuntini adverſum. Extractum dedit viro ejuſdem Cœnobii docto legendum, & igni, ſi quid continebat ſuperſtitioſum, committendum. Arabice ſcriptum comperit nomina cacodæmonum, ignotoſque quoſdam continere characteres, & conſeſtim in rogum conjecit. Eo combuſto Leonora ad preces revertitur, & exauditur a febre ſoluta. Madritum regreſſa, quodam mane e lecto conſurgens, alterum priori ſimile, eodemque modo complicatum conſpicit chyrographum. Aſpectu territa mulier, ſacro crucis ſe munivit ſigno, rata dæmonum arte combuſtum chyrographum eo fuiſſe delatum. In ignem itaque projecit, ſed flammæ crepitare, ſordidoque ſumo evolvi, ac rotari videbantur. Indicia plane fuere impietatis, qua dæmones in ſuum obſequium homines impellere conantur, eoſque ſimulata religione, qualis in his chyrographis ſæpe præſumitur, malis multis irretire.

XLIV. Joanna Mendozia, uxor Gomezii Manriquez, qui domui præerat Toletani Antiſtitis Carilli, ſæpius ſupra nominati, febres rigoroſas per duos menſes perpeſſa, audito beatum Didacum fuiſſe exhumatum, eo tempore, quo futuræ acceſſionis rigor invaſerat, ardenti quadam devotione ad locum, ubi jacebat, ſe ferri imperavit. Genuflexa Virum ſanctum orat, ut ſui velit miſereri. Statim in pedes erecta, ſenſit abire rigorem, febrem fugari, & frequentia, quæ patiebatur, ſymptomata depelli.

XLV. Conſtantia Mendozia poſt quinque menſium experimenta medicorum, nihilo melius ſe habuit a febre, qua cruciabatur. Auditis crebris Didaci miraculis, ad ſacellum deportata rogavit, ut qui tot aliis præſtabat beneficia, ſibi etiam vellet propitiari, & protinus omnis ab ea morbus receſſit. Similiter curata eſt Catarina Complutenſis, mulier honeſta, febrem paſſa hebdomadas quinque.

XLVI. Vexabatur Compluti moleſtiſſimis febribus Don Bernardus de Rojas, exortæque papulæ manifeſtum vitæ diſcrimen ex maligno morbo imminere indicabant. Erga beatum Didacum ſumme propenſus, miſſas duas in ejus ſacello fecit celebrari, eique ſe totum commendavit. Infirmitate paulo poſt liberatus, beneficium Didaci meritis retulit acceptum.

XLVII. Joannes Guttierrez continua decumbens febri Compluti, in magno vitæ periculo verſabatur. Rogavit itaque Minorum Præfectum, ut ſancti Didaci manum ad ſe mitteret, quæ admota ſalutem impertiret. Detulit conſeſtim Minorita, ſacras Reliquias capiti decumbentis admovit, aquam, cui manus erat immerſa, ut biberet, reliquit. Ex illa hora meliuſcule ſe habuit, deinde intra exiguum temporis ſpatium omnino convaluit.

De contractis.

XLVIII. In Duronis oppido, diœceſis Seguntinæ, puella Catarina, Martini filia duodennis, juxta gelidum ſedens fontem, improviſo oppreſ-

ſa morbo, linguæ, aurium membrorumque uſu præpedita, brachiis & pedibus contracta, cum multorum menſium ſpatio varia, ſed fruſtra adhiberentur medicamenta, oppleto lacrymis ore muto, quibus poterat nutibus Divinam implorabat miſericordiam. Iniquam miſellæ ſortem miſeratus avunculus vir pius & probus, ad beati Didaci ſacellum curavit deferri menſe uno a ſancti Viri obitu, ubi cum ejus peteret auxilium, & Minoritæ, Vicario Conventus præeunte & dicente: *Laus Chriſto Jeſu*, manum ſanctam, facto cum eadem crucis ſigno, admoverent, lingua ejus protinus ſoluta, eadem verba a Vicario prolata ſæpe diſerte repetivit, ac reſtitutis ſenſibus & membris confirmatis, domum læta regreſſa eſt.

XLIX. Graviſſimæ & diuturnæ febres Antonium Frances Arevali incolam, Reginæ Iſabellæ familiarem, toto corpore inutilem reddiderunt. Membris reſolutus, miſeram & infelicem agens vitam, vovit novemdiales ſe habiturum vigilias in beati Didaci ſacello. Jumento vectus, crebris illic precibus Deum efflagitat, ut propter beati Didaci merita ſalutem reſtituat. Singulis diebus melius habebat, & ante terminatas vigilias perfecte liberatus eſt.

L. Anno MDLIII. Joanna Garzia, Alphonſi Lupi filia, territorii Madritenſis, cum ad herbam medicam colligendam profecta, ſub nimio pondere ſudans reverteretur, maligno correpta aere, tres digitos dexteræ contrahi ſenſit, & paulo poſt totum brachium intorpuit. Acceſſit & aliud poſt aliquot dies malum, graviſſimus in renibus dolor, qui nec in pedes eam erigere, nec baculo gradum firmare permittebat. Humano deſtituta remedio, Divinum, quod aliis proficuum audierat, vigilias ſcilicet in ſacello B. Didaci aggreditur, intempeſtæque noctis ſilentio, quando Fratres Matutini laudes Deo perſolvebant, magno ſe ardore & ſudore ſenſit perfundi, & quaſi a ſenſibus alienata, vix tandem ſui compos efficitur. Paulo poſt ad ſe reverſa, ſudore ceſſante, depulſa vi morbi, protinus digitos brachiumque contractum extendit, libereque abſque fulcris inceſſit.

LI. Agnes Diaz Madritenſis utroque crure contracta, greſſuque adeo impedita, ut præter baculorum fulcimenta, aliorum manibus eam ſuſtineri oporteret, ut vel modicum poſſet incedere. Curru vecta Complutum, prima nocte qua in ſacello vigilavit, dum Fratres Matutinum decantarent, ſenſit ſolvi crura atque diſtendi. Stupens & dubitans an vere ita eſſet, vel cupidæ menti imaginarium aliquod objiceretur, probat experimento. Surgens itaque abſque fulcris, valide incedit exultans ac laudans Deum in ſuis Sanctis gloriſum. Appenſis fulcris, læta Madritum revertitur, & ultra annos triginta vitam traduxit incolumis.

De cruribus & pedibus affectis.

LII. Pia quædam mulier filium decennem cruribus manibuſque affectum, toto corpore aridum, torvo ac truculento aſpectu horribilem, monſtro potius quam homini perſimilem, humeris ad Cœnobium tulit Fratres rogatura, ut Deum pro miſerabili creatura deprecarentur. Penalverius, quem ſupra diximus Guardianum, genitricis filiique miſertus, ad ægrorum deferri juſſit hoſpitium, ratus eodem die miſeram animam acturum. Sed paulo poſt ſancti Didaci ſepulcro admotus, & ſacris Reliquiis de more conſignatus, ſpiritum vireſque recepit, validiſque pedibus cœpit incedere. Quem ut Toletanus Archiepiſcopus, multique nobiles & plebeji prius monſtruoſa deformitate notiſſimum, conſolidatis baſibus & plantis viderunt obam-

Supra n. 16.

obambulantem, dignas Deo ejuſque ſervo Didaco laudes perſolverunt.

LIII. Sexennis filius cujuſdam viri de Tamajon, uno crure contracto (quippe tribus digitis altero brevius apparebat) enormiter claudicabat. Pater ad ſancti Didaci ſepulcrum delatum, vigilias cum eodem protraxit. Octavo die puellum ſancti Viri corpori admovit, ſtatimque ita ſanum recepit, ut non jam cruribus vacillaret, ſed æquis paſſibus libere incederet.

LIV. Ex Provincia Burgenſi paſtor quidam miſerrimus, crure, brachio totoque latere ſiniſtro affectus, Complutum venit ſancti Didaci opem imploraturus. Tres quatuorve dies in ſacello orans, repente priſtinæ reſtituitur ſaluti.

LV. Similiter Dominicus Fernandez, oppidi de Viñuelas, cum per totidem dies ibidem oraret, cruribus pedibuſque impeditus, nec incedere nec reſpirare valens, confeſtim ſolutis doloribus, vires recepit, & ſolidatis pedibus, abſque ullius præſidio integer & ſanus deinceps inceſſit.

LVI. Joanna Centenera, Sebaſtiani filia, Didaci cujuſdam civis Guadalajaræ conjux, cum in cella vinaria frigida valde & humida vinum diſtrahens diutius permanſiſſet, brachiis, cruribus pedibuſque capta, nullatenus ſe poterat movere. Medicorum præſidio manus ſolum reſtitutæ, reliquis interim partibus per triennium præpeditis. Afflictabatur præterea acribus doloribus, qui miſeræ voces exprimebant, nec ſuperari poterant exquiſitis fortiſſimiſque medicamentis. Itaque cum morbus in dies creſceret, ſemperque infelix fœmina lecto decumberet, tamdem maritus eam humanis præſidiis deſtitutam hortatur, ut beato Didaco miſerias ſuas expanderet, promitteretque ſolitas aliorum vigilias ſe in ejus ſacello deducturam. Anno igitur MDLIII. jumento vecta, Complutum venit, ut votum exſolveret. In ſacello nondum quinque diebus exactis, paulo ante noctis medium ſuavi ſomno corripitur, & poſt horas ſeptem expergefacta, nullam deinceps doloris ſenſit moleſtiam, firmoque greſſu abſque aliorum præſidiis, præmiſſa confeſſione & ſacra communione, læta receſſit.

LVII. Ejuſdem urbis civis Joannes de Medrana, moleſta ac diuturna febre correptus, & viribus exhauſtis, valde macilentus, ſiniſtro crure, paralyſi & peracerbis cruciabatur doloribus, neque aliter quam axillaribus poterat incedere. Omni probato medicamine, aliquando venit in mentem ſanctus Didacus miraculis & portentis inſignis. Conſuetum vigiliarum votum emiſit, quod dum diebus novem abſolveret, nocte ſequenti placide quieſcens, ſudare ſibi viſus eſt. Expergefactus, ut e lecto ſurgeret, baculos, quibus nitebatur, expetiit; ſed cum bene ſe habere ſentiret, in genua provolutus, ad beatam Virginem Mariam preces effudit, deinde propriis viribus fiſus, tentat exurgere. Nec mora; ſurrexit ſanus & liber, ita ut quacumque vellet, incederet.

De ſanatis brachiis.

LVIII. Nobili viro Lupo de Enzinas, oppidi de Hita, ex equo prolapſo brachium confractum ſiniſtrum adeo exaruerat, ut per quinquennium movere non potuerit. Auditis beati Didaci miraculis, magnam erga eum concepit devotionem, ſperabatque ob ejus merita ſalutem. Nocte quadam, in ſomni quiete viſus eſt ſibi Didacum cernere ſella ſedentem in clauſtro, ſeque ad illum flexis pergere genibus, & ſalutem poſtulare. Didacum vero cum reliquis Fratribus ſupplicationem in eo ambitu inſtituiſſe, deinde hominem advocaſſe & interrogaſſe quid vellet? ſe vero reſpondiſſe, ſalutem, ei-

eique impoſitis manibus reſpondiſſe Didacum: *Abi, quoniam ſanus factus es.* Somno ſolutus doluit ſe vano ſomno deceptum, ſed cum brachium produxiſſet, ſanum conſpexit, Deoque gratias cum univerſa reddidit familia.

LIX. Rus profectus Joannes de Olmeda Complutenſis, ſupradicti Olmedæ pater, accepta pala, ſtercus ſubacto ſolo injecit, feſſuſque aliquantulum humi jacuit. Paulo poſt exurgere volens non potuit, brachiis affectus & toto corpore ſolutus. Anno integro dolens, & axillaribus innitens gradiebatur, donec duas fecit legi Miſſas in ſacello beati Didaci, quibus finitis, ſalutis ſentire cœpit initium, & paulo poſt omnino reſtitutus eſt ſanitati, nec per triginta ſubſequentes annos quidquam hujus ſenſit doloris.

LX. Franciſcus Peña, vir doctus, Rotæ Romanæ Auditor, potiſſimus vitæ ſancti Didaci ſcriptor, inter alia, quæ recenſet miracula, narrat etiam ſe Divinam Didaci meritis ſenſiſſe virtutem. Annis ſexdecim in ima parte armi dextri peracutum frequenter ſentiebat dolorem, quaſi mucrone enſis vel pugione pars illa perfoderetur. Colli etiam ſiniſtra portio ſic afficiebatur & rigebat, ut caput libere vertere nonniſi toto verſo corpore potuiſſet. Advocatum agebat in cauſa canonizationis ſancti Viri, & vitæ miraculorumque documenta ſedulo revolvebat; cum ecce inveteratum dolorem ſenſit vehementer, rogavitque Dei ſervum, ut pro ſe laboranti auxiliaretur, & qui aliis gratuito beneſaciebat, ſibi apud eum bene mereri cupienti opitularetur. Ita precanti, dum accumbit, placidus ſomnus obrepit, & ſequenti die ſanus & lætus exſurgit, nec amplius ſentit dolorem. Hoc obſtrictus beneficio, diligentius canonizationis negotio intendit, nec curam remiſit, donec abſolvit.

De laterum doloribus.

LXI. Duo ex Ibina homines, quorum unus dimidio latere contractus, alter toto corpore tremulus, ad venerandum ſancti Didaci corpus Complutum venerunt. Cum de more illud tetigiſſent, priſtinis viribus reſtituti, omni morbo ſolvuntur.

LXII. Catarina Martini Ferrandi, oppidi Corlenſis uxor, toto latere dextro capta, voto ſe obſtrinxit viſitandi beati Didaci ſacellum & corpus. Dum facit & orat, perfecte ſanatur.

LXIII. Fernandus Martinez ex oppido de Brihuega, integro triennio ſiniſtro latere præpeditus, nullo brachii cruriſve fungi poterat officio. Complutum pergit, in ſacello orat in profeſto ſancti Bartholomæi, & ſudarium Minoritæ porrigit, ut ſancti Didaci admoveat Reliquiis. Receptum aridæ manui circumdat, & ſanam intuetur, cruri apponit, & medetur; deinde totum latus linteo percurrit, & malum fugatur.

LXIV. In Cœnobio Salzedæ frater Antonius Aquayo Minorita, tam acri ſiniſtri lateris cruciabatur dolore, ut neque die neque nocte liceret requieſcere. Duos menſes & dies quindecim clamans & vociferans, cum dolores continuos pertuliſſet, ad beatum Didacum converſus inſtanter rogavit, ut a miſero illo ſtatu eriperet. Non prius oravit, quam ſe probavit exauditum, dolore depulſo.

LXV. Petrus Gomeſii de Illana filius, integrum dolens latus ſiniſtrum, baculis innixus inutilia membra utcumque poterat, ad ſepulcrum beati Didaci protraxit. Illic diebus decem, totidemque noctibus ante ſacrum cadaver provolutus, frequenti oratione Divinam implorabat miſericordiam. Die undecimo mirabiliter, neſciens qualiter id factum ſit, contractione illa ſol-

ſolvitur membrorum. Miraculo ſtupefactus, ſentiens ſibi inutilia membra conſolidata, lætus obambulat, & extenſo brachio ſe cruce perſignat.

LXVI. Anno MDLV. Donna Maria de la Peñuela, virgo Complutenſis, toto dolens latere ſiniſtro, aliis graviſſimis morbis afflictabatur. In ſacello beati Didaci devotiſſime orans, confeſtim omni infirmitate depulſa, ſanata eſt, & ſacellum univerſaque Eccleſia ſuaviſſimo ſunt odore reſperſa. Graviſſimi viri, qui tunc forte aderant, ſupernaturalem, celeſtem & majoris ſuavitatis, quam ſint terreſtria omnia odoramenta, dixerunt.

De cæcis illuminatis.

LXVII. Ex oppido de Agreda quidam nihil penitus videns, ad ſacellum vigilaturus, ſeque devotiſſime ſancto Didaco commendaturus acceſſit. Manum ſancti Viri admoverunt oculis Minoritæ, & ſtatim amiſſum viſum recepit.

LXVIII. Didacus Garavito, cum pilæ ludum ſpectaret, ictu ſupra oculum vehementer percuſſus, præter capitis dolorem, quem ex eo intolerabilem traxit, nihil quidquam, oculo fracto & ſanguinem fundente, cernere poterat. Oculo igitur captus, cum aliunde non inveniret, unde ſibi remedium adhiberet, Dei opem imploravit, qui ob Didaci beati merita illum reſpexit. Nam beato illo Viro deprecatore, ad cujus cœleſte patrocinium confugerat, uſus, cum nullum capitis dolorem ſenſit, tum oculi amiſſi ſenſum plane Divinitus recuperavit.

LXIX. Alphonſus Cardero bello Navarrenſi haſta in facie vulneratus, luculentas etiam duas plagas in eadem accepit, quibus adductus eſt in mortis diſcrimen. Ubi autem menſes octo & amplius ob vulnerum curationem domi ſe continuit, nihilominus tamen vultu erat deformato, quia cicatrices obductæ cum os contraxerant, tum oculum alterum perverterant. Ea oris, vultus & oculi diſtorſione fœde affectus, ad beati Didaci ſacellum ex voto pie peregrinatus, poſtquam vigilias novem precando egiſſet, illico integra forma priſtinaque ſpecie fuit & oris & oculi, quo utroque præ cicatricibus diſtorto & perverſo prius fœdus apparebat.

LXX. Bartholina de Tapia Madritenſis, ſæpe in aliis infirmitatibus ſancti Didaci opem experta, ſanguinis fluxum & ophthalmiam, ſeu lippitudinem, nubecula alterum oculum inficiente, paſſa, Complutum abiens ad ſancti Didaci ſepulcrum, integram ſanitatem eſt conſecuta.

LXXI. Petrus de Arjona, civis Abulenſis, ex gravi infirmitate lumen oculorum, & membrorum omnium uſum amiſit. Annis quatuor miſeram agens vitam, Complutum ad beati Didaci Reliquias venerandas ſe duci curavit. Ubi tamdiu permanſit ac vigilias duxit, donec nocte quadam, dum placida quiete frueretur, expergefactus, ſe ſanum ſentiens, apertis oculis lampadis lumen, quod lucebat in ſacello, aſpexit, & cuncta membra ſuis uſibus reſtituta percepit.

LXXII. Ad annum MDXXVII. Executor primarius (Hiſpanice *Alguazil major*) Vicarii Generalis Complutenſis, cognomento *de Zuñiga*, tam gravi laborabat lippitudine, ut nihil prorſus poſſet intueri, ſed per oppidum ab alio duceretur. In ſacello ſancti Didaci ſolitas habuit vigilias, & luminis beneficium conſecutus, in gratitudinis ſignum, nova donavit paramenta ſacerdotalia.

De

De mutis loquentibus.

LXXIII. Mulier quædam ex oppido de Romanzos, triginta annos nata, ſed ſeptemdecim muta, ad ſacellum ducta, ſacra Didaci manu illi admota, ſtatim lingua in humanas voces ſoluta, in laudes Dei diſerte prorupit, & orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, fidei Chriſtianæ ſymbolum, aliaſque pias preces recitavit.

LXXIV. Ducti ſunt in eumdem locum duo pueri a nativitate muti, quorum pater lacrymis & precibus petebat a beato Didaco, ut loquerentur. Exauditus eſt antequam e ſacello recederet, magna omnium admiratione, divulgatumque eſt hoc miraculum per univerſam Hiſpaniam.

LXXV. Franciſcus Fernandez Luſitanus, dum Hiſpali anno MDL. in furnum vitreum, ſeu vitrorum conflatorium ligna congereret, vehementi calore æſtuavit, accubuitque in domus impluvio, ut æſtum temperaret. Hinc impedita lingua, per annos tredecim non potuit effari. Fruſtra adhibitis medicinis, Complutum abiit anno MDLXIII. & nocte decumbens, ſtatuit beati Didaci ſepulcrum venerari, per Miſſæ ſacrificium a ſe procuratum & per ſancti Viri merita, Dei miſericordiam implorare. Emiſſo de hac re voto, ſomnus irrepſit, & ante auroram expergiſcens, ſenſit guttur gravari & affligi. Protinus e lecto proſiliens, poſitis genibus coram beatiſſimæ Virginis imagine in cubiculo appenſa oravit, ut propter illius & beati Didaci interceſſionem ab illo periculoſo malo liberaretur. Dum preces ingeminat, linguamque movet, loqui ſibi viſus, & altiori voce experientiam facturus, Bartholomæum quemdam in eodem cubiculo jacentem ſæpe compellat. Ille admiratus, reſtitutæ linguæ miraculum convocatis vicinis propalavit. Illi exultantes in ſacellum ducunt, ubi gutturis etiam malo liberatus, tres Miſſas legi curavit, ſuiſque beneſactoribus beatiſſimæ Virgini & Didaco gratias perſolvit.

De claudis ambulantibus.

LXXVI. Burgenſis quidam utroque claudus pede, ad communem ſanitatis officinam, beati Didaci ſacellum ductus, greſſus firmari deprecatur, & exauditur, baculoſque, quorum miniſterio incedebat, in beneficii memoriam appendit. Similiter alter uno pede affectus, poſt tactas ſacras Reliquias, integram ſanitatem aſſecutus, axillares, quibus labantes greſſus ſuſtinebat, ibidem reliquit.

LXXVII. Gravi pedum tumore trimeſtri ſpatio affectus Joannes Sanchez ambulare non poterat. Triduo ſe manſurum in ſacello, & Miſſas tres in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis legi curaturum promiſit; dum facit, ſalutem ſibi cœlitus ſentit immitti. Reſoluto namque tumore, articulis fixis ambulavit, & nullum deinceps gradiendi ſenſit impedimentum.

De oris, dentium & gutturis dolore.

LXXVIII. Joanna Regis Henrici IV. filia, gravi oris morbo afflicta, dum Henricus pater, uti diximus, ad viſendum ſancti Viri corpus Complutum perrexit, ceream imaginem vultui ſuo perſimilem fieri juſſit, ut ad ſancti Viri corpus offerretur. Non prius compactum eſt cereum donarium, quam illa ſit integræ ſanitati reſtituta. Beneficio obſtricta, tanto celerius nun-

Supra n. 18.

nuncupatum votum reddit, quanto citius præter ſpem concupita ſalus obvenerat. Miſſis itaque duobus famulis ad indicandum erga ſuæ ſalutis auctorem pietatis ſtudium, promiſſam imaginem adjunxit.

LXXIX. Tam gravi acutoque dentium dolore mulier quædam affligebatur, ut nihil poſſet comedere. Filius Minorita, habitus ſancti Didaci ſegmentum dedit, quod illa ori inſerens, dentibus applicavit, & ſtatim dolorem non modo ſedari, ſed & ſenſit depelli. Aſſeruit etiam, ex illa veſtis particula tantam, ac tam miram dulcedinem ſe percepiſſe, ut nihil aliud ore contingere vellet aut deguſtare.

LXXX. Martinum de Spinoſa glandulæ & tumores in gutture procreati vehementer angebant, ac pene ſuffocabant. Ad nota & omnibus explorata ſancti Didaci præſidia confugiens, per ejus merita & interceſſionem ſalutem implorat, & ſtatim periculoſa gulæ compreſſione liberatur.

De iliaca renumque paſſione.

LXXXI. Alphonſus Rodriguez, ex Daganzuelo, Toletanæ diœceſis oppido, iliorum dolore vexatus, deficientibus humanis remediis, ad Divinum confugit, & ſanctum Didacum invocavit, promittens ſe facturum, ut in ejus Altari ſacroſanctum Miſſæ offerretur ſacrificium. Nuncupato voto, infra ſeſquihoræ ſpatium dolor abſceſſit, & qui paulo antea acutis doloribus, veluti furiis agitatus volvebatur, jam placidiſſime requieſcit.

LXXXII. Petrus Gonzalez de Uzeda, Eccleſiæ ſanctorum Paſtoris & Juſti Complutenſis Præpoſitus, renum dolore tantopere cruciabatur, ut nec ſomnum capere, nec aliquo fungi poſſet corporis miniſterio. Doloris acerbitatibus vehementer afflictus, ſe ad propinquum Minorum Cœnobium fecit portari. Advenientem exceperunt Penalverius Guardianus, & Magiſter ſcholarum, brachiiſque fulcientes ne laberetur, ad ſancti Didaci ſepulcrum deduxerunt. Sacellum ingreſſus, magnam ſenſit conſolationem, & ne privaretur, noluit abire. Aliquandiu hærenti & preces offerenti Penalverius manum ſancti Didaci applicuit, ſtatimque ingens calor per lumbos deſcendens, omnem penitus dolorem ademit, & infirmus propriis pedibus gaudens & exultans revertitur in domum ſuam.

De ſanguinis fluxu & morbo comitiali.

LXXXIII. Joannes de Montalvo, ſanguinis fluxum ab aurora uſque ad horam quartam poſt meridiem patiebatur. Mortem denunciarunt medici, ſed accedentes Minoritæ duo, naſum & colli partem poſteriorem tangentes chorda ſive cingulo, quo ſanctus Didacus utebatur, a periculo liberarunt; ſubſtitit enim ſanguis, cœpitque deperditas vires recuperare.

LXXXIV. Hieronymus Segobienſis morbo cardiaco, ſeu comitiali actus, ſæpe ſe humi collidebat, & vehementius ſingulis quindenis afficiebatur. Nuncupato vigiliarum novemdialium voto, ſtatim a periculoſa & fœda infirmitate liberatus eſt.

De parturiente liberata & ſterilitate depulſa.

LXXXV. Maria uxor Joannis Flores, oppidi de Girindote, diœceſis Toletanæ, partus doloribus amens effecta, catenis tenebatur. Maritus votum vovit vigilias novenas ſe cum uxore in ſacello celebraturum. Furentem dum

dum educere cogitat vocatque auxiliares, qui catenis exolvant & conducant, ecce pacatam videt & manſuetam. Solutam ergo jumento impoſitam ducit, complet promiſſum, conjugis ceſſat furor, ſuis ſedibus mente reſtituta, fœtu etiam incolumi.

LXXXVI. Honeſta mulier, oppidi de Santorcaz octenni ſterilitate mœrebat. Ad ſancti Didaci patrocinium confugiens, vigilias ſpondet, prolemque, ſi acceperit, per annum ſub habitu ſancti Franciſci inceſſuram promittit. Integer poſt votum non effluxit menſis, cum ventrem ſentit intumeſcere, decurſoque tempore filiam edidit, cui prædictam veſtem obduxit.

De lepra & ulceribus curatis.

LXXXVII. Nobilem Carmonenſem pruriens lepra ultra modum reddidit informem. Ad ſacellum abiit ſancti Didaci, aquam, cui Viri ſancti manus intincta erat, epotavit, omnique prorſus corrodentis lepræ cruſtula mundatur.

LXXXVIII. Alphonſo filio Paſchalis a ſancto Martino, oppidi de Hontanar, inveteratum fiſtuloſumque erat in crure dextro ulcus, quod proximas partes depaſcens corrupit. Audiens in oppido *Valdolivas* pium quemdam Monachum hujuſmodi malis mederi, eo abiit, multoſque trauſigit dies in variis experiendis medicinis. Cum ſruſtra omnes tentaſſet, ad patrem revertitur, rogatque Complutum deferri. Dum in ſacello orat, ſentit ex ulcere depelli appoſitos panniculos, deinde admota manu ſancti Didaci ex ulcere ſanguis vivus emanat, mox labra comprimuntur, & totum ulcus occluditur.

LXXXIX. Ochoa de Gordejuela in parte anteriori tibiæ ſiniſtræ accepto vulnere, & a genu uſque ad talum plaga protenſa, probatiſque ſruſtra remediis humanis, Complutum abiit, ubi per tres menſes ſacellum ſancti Didaci frequentavit. Profuit differri beneficium; crevit enim pietate, humiliorque effecta, indignam ſe, quæ exaudiretur, reputavit. Demum cum nihil minus ſperaret, plaga omnis obducitur, & tibia perfecte ſanatur.

XC. A Monaſterio Complutenſi quidam Minorita Idubedam proficiſcens, ſuo relicto, habitum alium mundiorem obduxit. Divinitus factum eſt, ut ille eſſet, quem beatus Didacus olim gerebat. Idubedæ interin civis quidam grave ac mortiferum vulnus accepit in alvo, unde inteſtina diffluebant. Huic animam prope agenti, mater, fœmina præclaræ pietatis, ab illius Conventus Fratribus veſtitum Seraphici Ordinis petiit, quo amictus filius moreretur & humaretur. Sed nimirum Deus effecit, ut eam ipſam veſtem traderent, quæ Compluto proxime allata erat. Illam ubi ægrotus induit, præter omnium opinionem melius ſe habere incœpit, atque adeo ex vulnere convaluit. Cum autem cognitum atque exploratum eſt, illam fuiſſe tunicam, quam beatus Didacus olim induerat, omnes miraculum tam magnum ejus meritis virtutique acceptum retulerunt.

XCI. Bartholomæus Alphonſi filius oppidi Scalonillæ, diœceſis Toletanæ, crure tumebat, fluenteque humore maligno, ad pugni magnitudinem tuber excrevit. Greſſu per biennium impedito, neminem invenit, qui mederetur. Tamdem ad Conchenſem urbem profectus, chyrurgum offendit, qui tumorem aperuit, & purulentæ materiæ ingentem copiam eduxit; ſed recludi plaga non potuit, neque dolor mitigari. Aliud malum acceſſit, ſimilis in altero crure tumor exoritur, qui aliquantulum excreſcens ſuapte natura prorupit. Dolor & hiatus par erat utrinque, ſed nullibi remedium.

Pro-

Promiſſis novenis beato Didaco vigiliis, in itinere utriuſque partis malo liberatur. Nihilominus Complutum profectus, promiſſum implevit ſtudii & pietatis officium.

De hernia, paſmo, puſtulis profligatis.

XCII. Anno MDLXII. Catarina a Cruce Madritenſis, duos filios hernioſos, unum novennem, alterum octo menſes natum, quibus e rupto peritoneo inteſtina in ſcrotum deciderant, ad ſancti Didaci duxerat ſepulcrum. Natu major una ſanatus parte tumorculo remanente, altera per ſexennium hernia laborabat, & ſubligamine viſcera ſuſtinebat. Nocte ſecunda, poſtquam advenerant, ille ad matrem orantem acceſſit, rogavitque ut viſcerum illud vinculum, ſeu quod vulgo *braccale* vocant, diſſolveret. Renuente matre, ne viſcera diffluerent, inſtantius ut fieret, puer urgebat, aſſerens ceſſaſſe periculum. Probat mulier, videtque in ſuum locum viſcera rediiſſe, & filium perfecte ſanatum. Ingeminat pro juniore preces, nec quidquam profecit. Cauſam hujus diſcriminis unius refecti, alterius neglecti quis audeat edicere? Incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & inveſtigabiles viæ ejus. Ipſe dixit: *Duo erunt in agro, unus aſſumetur, & unus relinquetur.* Matth. 24. 40.

XCIII. Mulier oppidi de Illeſcas, filiam gravi paſmo, moleſtaque tuſſi divexatam ad ſacellum duxit, ſanamque reduxit. Catarina, Joannis Soto pagi de Pareja filia, puſtulis ſeu variolis undique repleta, humoris noxii abundantia, oculorum lumen amiſit, & univerſi alimenti faſtidium contraxit. Ad ſummum vitæ diſcrimen perducta, pater opem a ſancto Didaco expoſcit vigiliaſque promittit. Mox lecto, in quo jacebat, appropinquans, videt filiam apertis lætiſque oculis in ſe proſpicientem, auditque dicentem: *felix pater advenerit*. Qui aderant ſtupefacti, Deo gratias accepti reddidere beneficii.

Varii, graveſque morbi depelluntur.

XCIV. Ludovicus Conchenſis, liberalium artium Magiſter, de quo alias præfati ſumus, Didaco familiaris, qui probe perſpectam notamque habebat ejus ſanctitatem, in omnibus ſuis tribulationibus & neceſſitatibus ad eum tamquam ad malorum omnium certum remedium ſidenter recurrebat. Neque ſua ſpe fruſtrabatur, Didaco pro veteri amicitia ſemper propitiante. Nullam itaque humanam opem aut medicinam perquirebat Ludovicus, ſed in ſuis ſuorumque malis ad Didacum confugiens, ſemper reportavit antidotum. Ipſum a gravi ſtomachi languore, uxorem a capitis vehementi dolore, Salvatorem filium undennem ab acuta viſcerum compreſſione, alios conſanguineos a variis infirmitatibus Vir ſanctus ad amici preces, nulla interpoſita mora liberavit. Uberrimum fœnus eſt cum viris bonis amicitias inire, & cum ſanctis converſari, qui in calamitatibus certo ſolent eſſe præſidio: *Vera amicitia tantum inter bonos oritur, inter bonos proficit, inter optimos conſummatur.* Tomo 12. anno 1456. num. 157. Caſſiodor. in pſal. 67.

XCV. Maria de la Peñuela, Petri Hernandez de la Peñuela, & Aloyſiæ de Meſcues Complutenſium filia, anno MDLIV. Mariam de Oſorio puellam amiciſſimam morientem conſpiciens, tam vehementibus paroxiſmis, cordis totiuſque corporis convulſionibus & jactationibus infeſtari cœpit, ut vix a multis famulabus poſſet contineri. Ultra hæc dum illa premeretur paſſione, capite, manibus, pedibus totoque tremula corpore palpitabat. In-

terdum pedes manuſque in pugnos arctiſſime contractas vi morbi comprimebat, mox oculos claudebat, poſtea infornes aperiebat, diſtortos horribileſque geſtus edebat. Ceſſantibus deinde concuſſionibus, omni ſenſuum officio deſtituta, reſolutis totius corporis nervis, collapſiſque membris, apopletica ſeu paralytica remanebat. Infra primos decem aut duodecim dies peritiſſimi Medici Complutenſes, juxta ſuæ artis decreta, medicamenta nniverſa adhibuerunt, ſanguinis emiſſiones, purgationes, unctiones, aſſiduas fricationes, cucurbitulas, quæ tamen morbi malitiam ſuperare non potuerunt. Poſtea facta veluti conſpiratione malorum, aliæ moleſtiſſimæ acceſſerunt ægritudines, acres capitis, laterum iliorumque dolores, aurium inflammatio, atque inde per multos menſes ſingulis ferme aut alternis diebus teter & fœtidus ſanguis profluebat. Urinæ ſuppreſſio per ſeptem plureſque dies meatum impediens, vehementes accumulabat dolores. Concitabatur etiam in vomitum, plerumque ore ſanguinem effundens. Prima vero illa & præcipua paroxiſmorum, cordiſque compreſſio & palpitatio, quam comitialem morbum dicebant, majus in dies ſuſcipiebat incrementum. Antequam vis morbi acrius afflictaret, frequentes quædam crurum, manuum brachiorumque concuſſiones præibant, quæ paulatim intendebantur, tota demum vi morbi in brachium & crus ſiniſtrum decumbente. Uno ferme ab infirmitatis exordio elapſo menſe, paulatim membra jam affecta ita vitio divulſa, contorta, contractaque manſerunt, ut brachium pectori, inguini calcaneus inhærerent. Nervi & muſculi arctiſſimo malignæ affectionis nexu conſtringebantur, nec ulla poterant arte divelli. Paralyſis nervis & muſculis exterioribus brachii & cruris ſiniſtri videbatur ineſſe, nam ceſſantibus paroxiſmis, molles & tractabiles manus, & digiti flexibiles in quamcumque partem facile vertebantur; paroxiſmis vero invadentibus, protinus rigebant & comprimebantur. Denique integrum latus ſiniſtrum, ſolo capite excepto, ita emortuum, & quaſi exanime omni motu, & ſenſu orbatum eſt, ut quamvis acriter percuteretur, aculeis pungeretur, aut acu perfoderetur, nullo afficeretur dolore, neque ſanguinis guttam emitteret. Deinde tot tantaque mala infelicem invaſerant, ut omnia contra imbecillem & miſeram puellam conſpiraſſe viderentur. Et ne ulla deeſſe videretur intemperies, neque ulla pars corporis abſque ſuo remaneret morbo, etiam hydropiſi venter deformiter intumuit. Mœſtiſſimi parentes nobiles & locupletes nihil intentatum reliquerunt, per quod miſerrimæ natæ, unice dilectæ, poſſent ſuccurrere, nec quidquam reliquum erat, niſi ut vel propinqua mors ægram abſumeret, vel ſola Divina virtus a medicis deſperatam redderet ſalutem. Poſtquam menſibus undecim ita laboraret, & per quinque nulla acciperet medicamenta, omneſque ægritudines quæ in illam confluxerant, in dies excreſcerent, parentes virgo rogavit, ut ad ſancti Didaci ducerent ſacellum, & vigilias permitterent exercere. Grabato impoſitam die XIV. Maii anno MDLV. ad horam noctis nonam illuc ferunt, ſiſtuntque parumper coram ſacro Altaris Sacramento, deinde coram ara Beatæ Virginis immaculate conceptæ. Illa utrobique preces fudit, petiitque beato Didaco virtutem impertiri ſibi ſubveniendi. Deinde eodem lectulo advecta, præ cancellis ſacelli collocatur. Illic intenſiſſimis precibus rogat, ut miſereatur. At paroxiſmus ſolitique tremores virginem invadunt, quibus dum per unius horæ ſpatium concuteretur, & veluti mortua jaceret, protinus membra, quæ paulo antea quaſi arctiſſimis vinculis erant conſtricta, omnibus, qui aderant, perito præſertim medico, admirantibus, extenduntur. Mox quaſi e graviſſimo ſopore excitatus, ad ſe reverſa, & paroxiſmo ſoluta, aſtantes rogat, ut intra cancellos mit-

mittant. Interim copioſus caliduſque ſudor effluxit ex toto latere contracto, quem nulla arte potuerant antea medici provocare. Intra cancellos poſita, preces ad ſancti Viri ſepulcrum ingeminat, lacrymis ac ſuſpiriis, ut exaudiatur, ardenter deprecatur. Oculis apertis, mentiſque compos tenuem veluti umbram juxta ſe conſpicit, auditque dicentem: *Surge, & veni mecum*. Ubi hæc audivit, confeſtim confirmatis membris, ſurgit e lectulo, & utroque ſimul brachio erecto, manibus ſæpe colliſis, *miraculum* iterum atque interum conclamat. Mox tumulum amplexa, ſiniſtram manum, quam paulo antea convulſam & conſtrictam habebat, per foramen intra arcam, ubi ſacræ continentur Reliquiæ (ita enim jubere videbatur ſanctus Didacus) immittit. Retrahere tentans non valuit, nec adſtantes reducere potuerunt, donec tandem virgo iterum lenem illam vocem ſancti Didaci, quam prius audierat, perſentire viſa eſt, ita monentem: *Audivi tuas tuorumque preces: abi, refer genuflexa coram ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento & Beatiſſimæ Virginis imagine dignas gratias pro beneficio, quod eis placuit ad ſepulcrum meum tibi conferre. Perge etiam ad tumulum Mariæ de Oſorio, quæ tot dolorum tibi cauſa fuit, & denuncia illi animam ejus tranſferendam in paradiſum exultationis*. His prolatis, manuque ſoluta, propriis ſiſtens viribus abiit confeſtim, & juſſa perfecit. Deinde aliquid pro tanto beneficio redditura, ſtatim vovit ſub religioſa clauſura perpetuam ſervare virginitatem, expiataque conſcientia, ſanctam ſuſcepit Euchariſtiam. Patrata ſunt hæc hora noctis undecima, cum duabus tantum illic ſubſtitiſſet; factus eſt tamen tantus concurſus populi ad voces *miraculum* ingeminantium, & ad crebros ictus campanæ Cœnobii, quibus indicari ſolebant magna quæque & variora ſancti Didaci miracula, ut omnes Eccleſia capere non poſſet. Qui ejus peregrinas infirmitates prius noverant, medici præſertim, obſtupeſcebant magnificabantque Dei virtutem, qui portentoſis his ſignis ſervorum ſuorum ſanctitatem confirmat. Moleſtis crebriſque tentationibus ſuggerebat puritatis hoſtis, ut poſt tot tantaſque pœnas placidæ indulgeret vitæ, deliciis frueretur, pretioſas obduceret veſtes, pulchra adderet monilia, ſe adamari, viroque conjungi permitteret. Multum diuque reſtiterat, ſed molli tamdem certamine cum ſuccumbere timeret, adhibitis Religioſis comprecatoribus, denuo ad ſanctum Didacum recurrit, rogans obnixe, ut qui corpus curaverat, graviorem animæ depelleret infirmitatem. In ſacello orantis, & jam fere animo labentis, Vir ſanctus patrocinium ſuſcepit, & leni ſuſurro, quod bis antea perceperat, ut bono animo eſſet, admonuit, dicens has tentationes magis ad meritum quam ad interitum permiſſas. His auditis, ingentes Deo gratias rependit, præmiſſaque ſalutari confeſſione, completiſque, quas promiſit, vigiliis, ex eodem loco recta ad Monaſterium ſancti Joannis de Pœnitentia, Tertii Ordinis ſancti Franciſci perrexit, ubi vitam profeſſa regularem, ſanctiſſime vixit, ad tam illuſtris miraculi memoriam, Maria *del Sanctо* nuncupata. Religioſam multis annis eo in Monaſterio duxit vitam, & anno MDLXVII. menſe Maii teſtimonium dixit rei geſtæ, & beneficii accepti, duobus delegatis Apoſtolicis, Didaco Covarruvias Segobienſi, & Petro de la Gaſca Seguntino Epiſcopis illuc profectis ad conficiendas legitimas probationes, & proceſſus ſancti Viri canonizationi præmittendos.

XCVI. Anno MDLV. Franciſca de Guzman, Franciſci Guzmanii, & Agnetis Correæ Toletanorum civium filia, virgo generis nobilitate clara, annos nata viginti ſancti Dominici Religionem profeſſa Toleti, graviſſimo capitis dolore omnium ſenſuum deſtituebatur officio. Ingens paroxiſmus & cor-

cordis exacerbatio ſubſecuta, manus pedeſque vehementer concutiebant, idque interdum per horas octo, quibus malis diuturna ſymptomata, moleſtæ affectiones graveſque accedebant ægritudines. Loquelam etiam, & oculorum lumen amiſit, nervis toto corpore diſſolutis, paralyſim incurrit, compreſſiſque mandibulis, nulla vi disjungi poterant, neque os aperiri. Aliis pleriſque malis affecta menſibus duobus, mori potius quam vivere dicebatur. In domum Ferdinandi Guzmanii Fratris translata, nocte viſa eſt conſpexiſſe ſanctum Didacum magno fulgore ſplendentem & dicentem, abiret in ſacellum ſuum, piaſque Deo effunderet preces, ſi cuperet ſanari. Nutibus itaque & ſignis rogans, ut Complutum deportaretur; ubi impetravit, & coram Beatæ Virginis Mariæ imagine, quæ e regione ſacelli ſancti Didaci ſita eſt, aliquantulum oraret, & deinde ad ipſum ſacellum delata, Viro ſancto preces funderet, ut pro ea dignaretur intercedere, ſolitus eam paroxiſmus invadit, duarumque horarum ſpatio diſcruciat. Hoc ceſſante nocte media, magna de imo pectore, quæ toto ægritudinis curriculo emittere non potuerat, traxit ſuſpiria, & protinus quemdam videt ad ſe venientem, qui morbum omnem depelleret. Mox oculos, quos vis paroxiſmi clauſerat, aperuit, & lingua mandibulis ſolutis, ac dentium ordinibus invicem laxatis, Jeſu nomen ſæpe inclamavit, & Didaco ſalutis interceſſori gratias retulit immenſas. Continuo nervi & membra luxata priſtino robore & viribus confirmantur, & propriis pedibus virgo confeſtim perrexit ad illam Beatam Virginem, quam prius venerata fuerat, deinde ad ſanctiſſimum Altaris Sacramentum gratias actura. Ad Didaci ſacellum regreſſa, reliquum noctis uſque ad auroram in Divinis laudibus abſolvit. Ut ſequenti die illuſtre hoc inſonuit miraculum, omnes admiratione replevit.

XCVII. Miſeranda ſane utriuſque hujus virgunculæ conditio, morborum acervus, paſſionum cumulus, diuturni languores inſolitum quid & præter naturæ curſum hic inquirendum eſſe demonſtrant. Quid enim in teneris annis, nobilibus puellis, religioſe inſtructis adeo grave poterat eſſe delictum, quod tam ſeverum, tam multiplex mereatur ſupplicium? An ne fortaſſis parentes peccaverunt, & filiæ patrum iniquitates portaverunt ac tam ſevere luerunt? ſed probabiliter judicandum eſt, neque parentum delicta, neque virginum peccata hæc mala invexiſſe, ſed *illis ad meritum*, *Deo ad honorem*, *Didaco ad venerationem*, tam copioſe fuiſſe coacervata; non aliter quam olim Ariſtænetæ & Elpidii poſtea Prætorio Præfecti tres liberi, gravi infirmitate pariter arrepti, & a medicis deſperati ſunt *propter gloriam Hilarionis ſervi Dei*, omnes ſimul mirifice curantis. Dominus etiam dixit propterea cæcum a nativitate oculis orbatum, *ut manifeſtarentur opera Dei in illo*, *ut* ſcilicet *in tranſverſione naturæ opus Dei intelligatur*, *dum emendatur natura*; & glorificetur in ſervis ſuis, dum ſupra naturam potenter operantur, & ſuper malorum monſtra probant ſe omnimodam a Deo accepiſſe poteſtatem.

Unde innocuis mala?

Hieron. in vita Hilarion. c. 9. Joan. 9. 1. Chryſoſt. hom. 33. in c. 19. Matth.

A ſpiritu vexati liberantur.

XCVIII. Didacus de Lorca, filius Petri Gonzalez, viri nobilis, juvenis annorum ferme viginti, a malo ſpiritu vexatus, ſingulis diebus quinquies aut pluries in terram eliſus, pene exanimis remanebat; aliquando jactatione, motuque capitis furens, tam diſtortos & indecoros oris oculorumque edebat geſtus, ut omnibus eſſet horrori. Sæpe furens & amens vinculis conſtringebatur. Patri & propinquis inviſus, abiit ad Monaſterium

Hic-

Hieronyminianum Guadalupenſe, ibique remanſit per aliquot dies cum religioſo viro conſanguineo. Per illud tempus deceſſerat beatus Didacus, cœpitque clarere miraculis, quæ ubique narrabantur. Multis auditis, decrevit ejus erga ſe experiri virtutem, eamque vigiliis & orationibus procurare. Profectus Complutum, a janua Monaſterii uſque ad ſancti Didaci ſacellum genuflexus procedit, diuque eo in loco commoratus, ſæpe quidem ſed tepide aliquando ſalutem implorans. Voti impos dum frequenter a malo genio conquaſſatur, ad Guadalupenſe revertitur Cœnobium. Interrogatus a conſanguineo, an beatum Didacum, ut oportebat, devote invocarit? Invocaſſe ſe quidem ſed tepide, reſpondit. Tum vir religioſus: *Regredere*, inquit, *ardenter & devote roga, ut velit tibi propitiari, & precibus adnecte vigilias, ſic abſque dubio ex corde poſcentem miſeratus exaudiet*. Obſecuturus diſceſſit, neque procul aberat, cum in lacrymas diffuſus, toto ſe affectu ſancto Viro commendavit, vovitque nudis pedibus ſe ad ſacellum iturum, & vigilias de more protracturum. Ut pervenit, gravius quam antea, moleſtiuſque afflictatur. Sed quo durius vexatur, eo ardentius Viri ſancti opem expoſcit, ratus non aliter ſibi optatam ſalutem poſſe contingere. Nec defuit Divinæ conſolationis auxilium; nam poſt continuas preces frequenteſque lacrymas, tamdem in beatæ Virginis Aſſumptæ profeſto, iniqui ſpiritus ſuperata malignitate, integram a Deo aſſecutus eſt ſanitatem.

XCIX. Franciſcus Fontius vas teſtaceum amplum ac ponderoſum in cellam vinariam deorſum immittere cum vellet, ad hoc opus faciendum uſus eſt opera Franciſci cujuſdam Sanchez, qui illud func conſtrictum & ſuſpenſum extrinſecus paulatim demitteret. Hic tam grave onus cum ſuſtinere nequaquam poſſet, continuo ex illius manu vas elapſum, multis partibus infractum, qui ſubter erat, ſurſum ſpectantem maximopere læſit. Ea igitur confractione varie percuſſus, & animo ſenſuque omni conſternatus, in lectulo quaſi mortuus collocatur. In quo cum eſſet, ſe a dæmonibus præcipitem per quoſdam montes ferri, idque illos triumphare ac lætari vidit. Ubi ad ſummum montem tenebricoſum tamdem ventum eſt, cum eum præcipitare velle viderentur, tum beati Didaci, cui ſe commendavit, recordatione recreatus, nihil aliud per viſum aſpexit, niſi illuſtrem claritatem, vocem hominis accepit jubentis eum bono fortique animo eſſe, ac ſequi, quo iret. Tum viſus eſt illum comitari uſque ad vicum quemdam, quem *Poxuelo* vocant, ubi ille habitabat. Eo cum ambo veniſſent, tunc: *abi*, ille inquit, *domum tuam, & de mulieribus percontare, quæ earum a beato Didaco precum ſuarum opem tibi imploravit?* Id ab iis cum quæſiſſet, mulier quædam Mencia reſpondit: *Ego Dei viro te commendavi*. Hæc verba Franciſcus ubi primum audire viſus eſt, ſtatim a morbo integer & ſanus factus eſt, ac liber ab illa dæmonum impreſſione.

De converſo ad Religionem, & jumento ſanato.

C. *Homines & jumenta ſalvabis Domine*, non abs re aut improprie dixiſſe Pſaltem, utroque hoc referendo apparet eventu. Anno MOLV. Petrus de Sahavedra, Juris Pontificii Doctor, & cauſarum Compluti patronus, cum amico quodam ad Cœnobium perrexit Minoritarum, ſacram Didaci manum, quam diximus reticulo argenteo incluſam in ſacrario aſſervari, veneraturus. Oſculatus & veneratus uterque, ille ſuaviſſimum ſenſit odorem, Petrus nullum. Ratus hoc ſibi denegatum ſolatium propter criminis con- *Pſalm. 35. 7.* *Supra num. 27.*

contagium, domum mœſtus revertitur, diſcuſſamque conſcientiam ſalutari expiat confeſſione. Die ſequenti rei intereſt ſacræ in ſancti Viri ſacello, & venerabile ſuſcipit Euchariſtiæ Sacramentum. Ad ſepulcrum deinde beati Viri pie accedens, ſuaviſſimi odoris ſenſit fragrantiam, quam item diebus quindecim, etiam dum ſecreto oraret in cubiculo, magna ſuavitate ac voluptate percepit. Cœleſti hoc delibamento excitatus, ſtatuit omnes ſuas actiones deinceps in Dei obſequium dirigere, eique fideliter inſervire. Accidit vero, ut in beati Viri ſacello ſacri corporis depoſitum ea ex parte, qua ſanctiſſimum jacet caput, veneratus, nullam ſoliti odoris ſentiret fragrantiam. Timens ſe irreverenter feciſſe, dum caput ſuum ſanctiſſimi Viri capiti admovit, ad inferiorem arcæ partem progreſſus, & pedes humiliter veneratus, quem dolebat ſuperius defuiſſe, ſenſit inferius adſuiſſe ſuaviſſimum odorem. Solebat porro mentem confirmaturus in vivificæ Trinitatis confeſſione, ſymbolum recitare Athanaſii, ſed aliquando inchoantem tremor invadebat ac ſtupor; quod malignis ille hoſtis artibus attribuens, ſanctum Didacum in ſacello rogavit, ut timorem omnem depelleret, & in vera hac confeſſione ſolidaret. Protinus exauditus nullam poſtea ſenſit hujuſmodi perturbationem. Aliquot miracula Viri ſancti ex autographo codice tranſcripturus, intumeſcente manu, neque calamum ducere, neque digitis potuit ſuſtinere. Dolore inſuper acuto arreptus, labefactari & confringi dorſi ſpinam judicabat, curvoque corpore ingemiſcens, anguſtias ſuas beato Didaco commendavit. Fuſis precibus confeſtim omni ſolutus dolore liberrime ſcripſit, illumque ſuaviſſimum ſenſit odorem, quo magnopere recreatus, tot tantiſque acceptis beneficiis exultans, conſtanti manu, ac currenti calamo plurima exſcripſit miracula, cogitavitque deinceps ſecum quod vitæ genus deligeret, per quod ſe gratum Deo oſtenderet, qui tot beneficia, Didaco intercedente percepit. Mortua conjuge, cælibem ille ducebat vitam, & honeſta gaudebat bonorum poſſeſſione: ſed relictis omnibus, tandem Patribus Societatis Jeſu adſcriptus, laudabiliter & religioſe convixit, iis functus muneribus, quæ probati ſolum Religioſi ſolent obire.

Ingens Sanctorū caritas.

CI. Sanati jumenti prodigium alterum narraturus, prænoneo eam eſſe ſanctorum virorum caritatem, & erga afflictos miſericordiam, ut nedum ipſis, verumetiam ipſorum rebus opitulentur, & non ſolum noſtrum, verum etiam noſtri commodi curam ſuſcipiant. Familiare eſt viris, Deo caris, rebus humanis proſpicere, atque in ipſa jumenta, hominibus juvandis a Deo creata, ſuas curas extendere. Sanctus Hilarion bruta animantia ad ſe pertracta quotidie curabat, in quibus Bactrum Camelum enormis magnitudinis, qui jam multos obtriverat, expulſo dæmone, manſuefecit. Coſmas & Damianus, ſanctiſſimi medici, hominibus & beſtiis gratuito medebantur. Sanctus Bernardus ferocientem equum, montibus errantem, oratione repreſſit. Demum ſanctus Didacus Cotis viri pii & honeſti mulam, tumente lingua periclitantem, illata in ejus ſacellum cerea imagine, perfectæ reſtituit ſanitati.

Hieron. in vita S. Hilarion.
Nicetas apud Metaphr. 1. Novembr.
Guillelm. Abbas in vita S. Bern. l. 1. c. 13.

Sancti Viri miracula negantes corripiuntur.

CII. Joannes de Guadalajara Complutenſis, paulo poſt ſancti Viri obitum cum aliis loquutus de miraculis ab eo patratis, difficulter fidem præſtabat. Lecto conſcenſo, dum dormit, acuto ſub genu dextro dolore corripitur, noctemque totam clamans & gemens ducit inſomnem. Die ſequenti, dolore paululum mitigato, Miſſam auditurus, in Cœnobium ſancti Franciſci

ſci proficiſcitur. Ante Altare majus ſtantem ingens dolor corripit, & humi ſedere compellit. Inde ægre ad ſacellum ſancti Viri progreſſus, ante arcam genuflexus, qua poteſt devotione rogat, ut a dolore liberetur. Perſtat aliquantum in oratione, & demum placidum ſenſit humorem in locum affectum deſcendere, doloremque omnem expelli.

CIII. Circa idem ferme tempus Alphonſus Gonzalez clericus de Algete, quibuſdam nobilibus & honeſtis fœminis multa ſancti Didaci miracula narrantibus indignatus aſſeruit: *Etſi ſanctus Petrus, ut iſta mihi perſuaderet, e cœlo deſcenderet, nullam ei prorſus fidem adhiberem.* Habebat tunc in manu ſegmentum habitus Viri ſancti, illiſque verbis prolatis, copioſus ex ſegmine humor emanavit, totamque viri manum ubertim madefecit. Viſo portento, Alphonſus valde cum circumſtantibus admiratus, amplius obſtupuit, quod eadem panni particula humorem omnem, quem emiſit, retraxerit, ſicca manu remanente. Credidit proinde omnia, quæ de beato Didaco ferebantur, veriſſima eſſe, & quem prius deſpiciebat, amavit deinceps, coluit & ſanctum prædicavit. Solet aliquando immenſa Dei benignitas has dubitationes permittere, ut incredulis Sanctorum ſuorum virtutes efficacius perſuadeat.

Sacelli cultus, & corporis fragrantis integritas.

CIV. Tot beneficiis obſtricti Hiſpani undequaque concurrentes, gratias reddituri, ſacellum perpetua ſucceſſione abeuntium & accedentium frequentant. Viri Principes, & qui pro votis axaudiuntur, donaria auro, argento cælata, veſtes ſerico & auro intertextas, aliaque ejus generis pretioſa ornamenta liberaliter contribuunt, tamquam publica monumenta miraculorum, quæ ipſi experti ſunt vel conſpexerunt. Tabellæ, ſigna, ſyndones, axillares baculi, & varia ægrotantium inſtrumenta illic tamquam trophæa devictæ mortis & morbi accumulantur, neque locus ſupereſt, ubi plura configantur. Nullum ferme illuc corporis aut animi malum infertur, quod referatur, quidquid id eſt, illic propellitur; pauci ſunt, qui Didacum ex condicto compellent, & non exaudiantur.

CV. Qualis autem ſit corporis ſtatus, tunc innotuit, quando anno MDLXII. elapſis poſt mortem nonaginta octo, ex arca multis ferreis laminis & repagulis claviſque optime munita, & firmiſſimis obicibus contignata, extractum eſt, ut ferretur ad Caroli Principis languentis cubiculum, ſicuti ſupra relatum eſt. Integrum apparuit & incorruptum, capilli in ſuperciliis albicantes, barba ſpiſſa parumper prominebat, oculi clauſi & turgidi, carne oppleti, inſtar cogitabundi aut dormientis. Brachia, ſiniſtra manus foſſulam, ſeu depreſſum habens locum, ubi ante obitum creviſſe diximus apoſtemata; pedes & cetera membra perinde integra & illæſa conſpecta ſunt, ac ſi die illo Vir ſanctus deceſſiſſet. Habitus, quem gerebat, & linteæ quædam ſtragulæ faciem operientes, recentes, nullam paſſæ temporis injuriam conſpiciebantur. Ex ſepulcro nihil prodierat tetrum aut injucundum, ſed potius odor ſuaviſimus, tamquam ex horto floribus conſito effluebat. Etſi rapide & celeriter extraheretur e loculo corpus, nihil paſſum eſt nocumenti dum ferretur ad Principem, aut referretur in templum, adeo nervi, oſſaque omnia, articuli & compages inter ſe arctiſſime cohærebant. Pulchro hoc ſpectaculo commota, quæ aderat multitudo, tanta devotione in Dei ſervum exarſit, ut niſi militaris cuſtodia irruentem cohiberet, in minutas diſcerperet reliquias.

Supra num. 39.

De

De Canonizatione.

CVI. Tot miraculis probatâ Didaci ſanctitate, de referendo inter Sanctos tractari cœpit inter Hiſpanos: qui crebris ab eo movebantur beneficiis, plus ceteris debebant Complutenſes, atque hi primum in diverſos Ordines diſtributi, ſupplices dederunt litteras ad Pium IV. ut Sanctorum adſcriberetur cathalogo. Prætor, Magiſtratus ac populus; deinde Communitas pagorum, vicorum & locorum Complutenſibus ſubjectorum; tertio Abbas & Capitulum Eccleſiæ Collegiatæ ſanctorum Juſti & Paſtoris; quarto Rector & facultas Theologica Academiæ; quinto Adminiſtrator Archiepiſcopatus Toletani, in cujus ditione ſitum eſt Complutum; ſexto Miniſter Fratrum Minorum Provinciæ Caſtellæ. His acceſsit auctoritas Philippi II. a Carolo Principe profligatæ, uti diximus, mortis beneficio ultra omnes obſtricti, qui datis ad Pium litteris die XXVIII. Februarii anno MDLXIII. oravit ad ipſum, injuncta efficaciter cura Romano Oratori Ludovico de Requeſens, magno Caſtellæ Commendatori, negotium proſequendi. Suas etiam addidit preces Carolus, ne tanti beneficii immemor aut ingratus haberetur.

CVII. Re in ſacro conſiſtorio Cardinalium expoſita, tamdem exaudiendum eſſe Regem Catholicum, & inchoandum Canonizationis negotium Pius decrevit. Delecti ex Cardinalibus quinque, Joannes Epiſcopus Prænestinus Moronus, Joannes Michael, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Saracenus, Michael, tituli ſanctæ Sabinæ Alexandrinus, Clemens, tituli ſanctæ Mariæ in Aracœli, Presbyteri, & Vitellotius ſanctæ Mariæ in porticu Diaconus, Vitellius, qui peragendâ curarent, virtutem & ſanctitatem per legitima inquirerent documenta. Hi ſuos deſignarunt commiſſarios, Didacum Covarruviam Segobienſem, Petrum de la Gaſca Seguntinum, & Bernardum de Freſneda Conchenſem Epiſcopos. Commiſsionis exhibeo inſtrumentum.

Joannes Epiſcopus Prænestinus Moronus, Joannes Michael, tituli ſanctæ Anaſtaſiæ Saracenus, Michael, tituli ſanctæ Sabinæ Alexandrinus, Clemens, tituli ſanctæ Mariæ in Aracœli Presbyteri, & Vitellotius ſanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Vitellius nuncupati, S. R. E. Cardinales, ad infraſcripta per S. D. N. Papam & ſanctam Sedem Apoſtolicam ſpecialiter deputati: Reverendiſſimis in Chriſto Patribus Segobien. & Seguntin. ac Conchen. Epiſcopis, ſalutem in Domino.

CVIII. *Noverint Paternitates Veſtræ, præteritis diebus coram ſanctiſſimo in Chriſto Patre & Domino noſtro, Domino Pio Divina providentia Papa IV. in ſuo conſiſtorio ſecreto, pro parte Sereniſſimorum Dominorum Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici, & Caroli ejuſdem filii Illuſtriſſimi Principis, ac Reverendiſſimorum & venerabilium virorum Adminiſtratoris Archiepiſcopatus & Capituli Eccleſiæ Toletan. necnon quamplurium tam Eccleſiaſticarum, quam etiam ſecularium Univerſitatum, & aliorum Chriſtifidelium partium illarum expoſitum fuiſſe, quod dudum, centum nempe fere abhinc annis, in Conventu ſancti Franciſci oppidi Compluten. Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Toletanæ diœceſis, quondam Jacobus, alias Didacus de ſancto Nicolao, profeſſus laicus dicti Conventus, ex eo Fratrum genere, quos laicos vel converſos vocant, religioſam ibi ſanctamque vitam egit, & in bona ſenectute plenus annis ibidem in Do-*

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

Domino requievit, ubi & corpus adhuc integrum visitur, tanta vitæ innocentia & sanctitatis opinione, ut tum in humanis agentis, tum etiam ad cælestem patriam evocati meritis & intercessionibus (ut passim istic pie creditur) exoratus Altissimus, plurima, præsertim apud ejus sepulcrum inter fideles suos operari miracula dignatus sit. Quorum beatitudinis signorum Religione profusa populi multitudo gratum ejus in cœlis suffragium, nuncupatis etiam votis, quotidie supplex implorat, Dei benignitatem devote collaudans, qui ad confirmandam Catholicæ fidei puritatem, & obstinatam hæreticorum pravitatem confutandam, suum bonum & fidelem servum Didacum, qui Sanctorum suorum cathalogo per Sedem Apostolicam merito adscribatur, dignum effecerit. Quamobrem cum eidem Sanctissimo D. N. etiam vehementer crebroque illustris viri Domini Ludovici de Requesens, Majoris Præceptoris militiæ sancti Jacobi de Spata Regni Castellæ, Oratoris ipsius Domini Philippi Regis apud Sedem prædictam agentis essagitatu, instanter supplicatum fuisset, ut examen de ejus vita, meritis & miraculis (uti affolet) confici mandare, illumque, si dignum inveniret, Sanctorum Dei cathalogo adscribere dignaretur. Idem sanctissimus D. N. crebris & vehementibus hujusmodi supplicationibus & essagitationibus inclinatus, volens tamen more majorum in tam arduo negotio mature procedere, primo in eodem consistorio de Reverendiss. DD. nostrorum aliorum S. R. E. Cardinalium consilio, vivæ vocis oraculo, & deinde per suas in forma Brevis litteras nobis integram hujusmodi negotii cognitionem & examen Sanctitati suæ postmodum in simili consistorio referendum, commisit, ad hoc ut ex tali relatione nostra instructus, in hoc negotio, prout secundum Deum faciendum esset, postmodum decernere valeret: quarum litterarum tenor est talis, videlicet a tergo: Venerabili fratri Episcopo Prænestin. Morono, & dilectis filiis nostris Joanni Michaeli, tituli sanctæ Anastasiæ Sarraceno, ac Michaeli, tituli sanctæ Sabinæ Alexandrin. necnon Clementi, tituli sanctæ Mariæ in Aracœli presbyteris, & Vitellotio, tituli sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Vitellio nuncupatis, S. R. E. Cardinalibus. *Intus vero.* Pius Papa IV. Venerabilis frater, & dilecti filii nostri, salutem & Apostolicam benedictionem. Antiquis sacrosanctæ Matris nostræ Ecclesiæ, Jesu Christi Domini, & Salvatoris nostri sponsæ institutis edocemur, ut fidelium animas beatitudinis æternæ lætitia perfruentes debita reverentia prosequamur, quas tunc demum creatori suo acceptas, civiumque cœlestium consortio feliciter aggregatas esse censemus, dum omnipotens Deus, meritis illorum intercedentibus, fidelibus suis in extrema necessitate constitutis, eorum suffragia devote implorantibus miraculose dignatur subvenire. Sane dilectus filius, nobilis vir Ludovicus de Requesens, major Præceptor militiæ sancti Jacobi de Spata, carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici, apud nos & Apostolicam Sedem Orator, nobis in consistorio nostro secreto pro parte Philippi Regis prædicti, & dilectissimi etiam filii nostri Caroli Principis Hispaniarum Illustris, ac dilectorum filiorum Administratoris Archiepiscopatus, necnon Capituli Ecclesiæ Toletan. & quamplurium tam ecclesiasticarum quam etiam secularium Universitatum & aliorum Christifidelium illarum partium nuper exposuit, quod dudum, nempe centum abhinc annis, in Conventu sancti Francisci oppidi Compluten. Ordinis Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, Toletan. diœcesis, bonæ memoriæ Jacobus alias Didacus de sancto Nicolao, frater laicus dicti Conventus, ex eo Fratrum genere, quos Conversos vocant, religiosam sanctamque vitam egit, & ibi tamdem annorum plenus in Domino requievit, ubi etiam illius cor-

pus adhuc integrum viſitur, tanta vitæ innocentia & ſanctitatis opinione, ut multis ejus tum in humanis agentis, tum ad ſuperos evocati meritis & interceſsionibus (ſicut illuc pie creditur) exoratus Altiſsimus, plurima præſertim apud ejus ſepulcrum inter fideles ſuos, humana prorſus ope deſtitutos, hujus advocati ſubſidium humiliter invocantes, operari miracula dignatus ſit; quibus beatitudinis illius ſignis, religione ducta vicinorum populorum multitudo, ſaluberrimum ejus in cœlis ſuffragium, nuncupatis etiam votis ſupplex implorat, ac propterea Didacus ipſe non indignus appareat, qui Sanctorum Dei cathalogo per dictam Sedem adſcribatur, prout in ipſorum Philippi Regis & Caroli Principis aliiſque diverſis litteris, ac publicis atteſtationum inſtrumentis ad nos miſſis plenius continetur. Unde præfatus Ludovicus Orator, Philippi Regis, Caroli Principis, & aliorum præmiſſorum nominibus nobis humiliter & inſtantiſſime ſupplicavit, quatenus examen de ejus vita & miraculis, ut aſſolet, fieri mandare, illumque ſi dignus inveniatur, prædicto cathalogo conſcribere, ac alias in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ad nuncium tam jucundum, immenſam Domini noſtri ſponſam ſuam nova ſubinde prole ad puritatem Catholicæ fidei confirmandam, obſtinatamque hæreticorum pravitatem convincendam noſtris præſertim temporibus fœcundantis, ſacroſque Religionis ſuæ palmites ubique dilatantis, amorem ſimul & bonitatem tota ſupplicis animi pronitate adorantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, circumſpectioni veſtræ, ſingularem quorum Religionis zelum, graveque judicium, & præcipuam prudentiam in maximis noſtris & Eccleſiæ negotiis non ſemel experti ſumus, univerſum ſuper præmiſſis examen per vos vel alium ſeu alios faciendum, ac plenam, omnimodam ac totalem hujus negotii cognitionem, de eorumdem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica committimus: vobis nihilominus per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus in primis per vos vel alios in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, morum integritate, ſacrarumque litterarum doctrina comprobatos viros, quos ad id deputandos eſſe duxeritis, ſummariam ſuper vita & converſatione ipſius Didaci, dictiſque miraculis informationem in genere, prout in ſimilibus fieri ſolet, conficere, & quæ circa hæc reperictis, nobis in ſecreto noſtro conſiſtorio fideliter referre curetis, ut poſtmodum cum noſtro aliorumque Fratrum noſtrorum conſilio, ad Divini nominis laudem ea efficere valeamus, quæ ſanctorum Patrum dogmata, ſacrorumque Canonum inſtitutiones, ac caritas poſtulat Chriſtiana. Super quibus vobis plenam & omnimodam eadem auctoritate, præſentium tenore concedimus facultatem. Quod ſi veſtrum quiſpiam præmiſſorum executioni commode nequeat intereſſe, reliqui nihilominus illa, ut præfertur, exequantur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die 1. Maii MDLXIV. Pontificatus anno V. *Nos igitur Sanctitatis ſuæ, & Sedis Apoſtolicæ in hac parte Commiſſarii ſic, ut præmittitur, ſpecialiter deputati, qui, ut obedientiæ filios decuit, hanc nobis factam commiſſionem reverenter recepimus, quia partim ob viarum longitudinem, partim ob alia ardua, quibus hic detinemur, negotia, munus hoc nobis injunctum perſonaliter exequi non facile poſſemus, de fidei ſinceritate, Religionis integritate & famæ veſtræ candore, ſollicita pariter & debita erga hanc Sedem obedientia, plurimum in Domino confidentes, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte, Paternitatibus Veſtris per præſentes committimus & mandamus, quatenus vos vel duo ex vobis per ſeipſos vice noſtra ſuper vitæ converſatione, fama & meritis beati Didaci, miraculiſque prædictis, & populi erga illum devotione*

ne in genere fideliter, ut res expoſtulat, inquiratis, & ſummariam ex perſonis tamen fide dignis, & aliis probationibus idoneis informationem recipiatis, ac in ſcriptis redactam, clauſam, veſtriſque ſigillis munitam, per fidelem nuncium quantocitius ad nos tranſmittere curetis, ut demum informationem hujuſmodi, quaſi diligentiæ & devotionis veſtræ ſymbolo, Sanctitati ſuæ per nos oblatam, ſuam & dictæ Sedis benedictionem, ac æternæ retributionis præmium exinde conſequi valeatis. In quorum omnium fidem & teſtimonium præſentes manibus noſtris, & Secretarii, ac Notarii infraſcripti ſubſcriptas expediri, & ſigilli prædicti Joannis Epiſcopi Prænestini antiquioris Cardinalis juſſimus & fecimus appenſione communiri. Datum Romæ in ædibus noſtræ ſolitæ reſidentiæ, anno Domini MDLXIV. *die vero* V. *Maii, Pontificatus præfati S. D. N. Papæ anno* V.

Infecta re moritur Pius IV.

CIX. Acceptis Madriti litteris, Conchenſis & Segobienſis Epiſcopi Complutum abierunt anno MDLXV. die XII. Januarii, eaque qua decet cura, ſibi commiſſa peregerunt, & probationum inſtrumenta clauſa, ſigillis obſignata ad Cardinales miſerunt. Paulo poſt decedente Pio IV. & ſuccedente Cardinale Alexandrino, qui Pii V. nomen aſſumpſit, in ejus locum ſubrogatus eſt Joannes Baptiſta, tituli ſancti Clementis. Nihil prætermiſſum eſt ſub Pio & Gregorio XIII. ſucceſſore a prædicto Requeſenio, Joanne de Zuniga, & Henrico Guſmanio Olivarenſi Comite, Philippi Regis in Romana Curia Oratoribus, ut tantæ molis negotium ad exitum a Rege ſummopere concupitum feliciter perduceretur. Sed obſtantibus aliis Chriſtiani Orbis preſſuris, id conſequi non potuerunt, donec ad Sixtum V. perventum eſt. Hic porro ſanctitatis & miraculorum documenta examinari voluit per tres Romanæ Rotæ Auditores, Joannem Baptiſtam de Rubeis Decanum, Chriſtophorum Reboſterium, & Gaſparem Vicecomitem; atqui ultimo ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem promoto, placuit ut reliqui duo rei judicium proſequerentur, ne altero adjuncto, iterum exordiri examen, & judicium retardari oporteret.

Continuatur inſtantia ſub Pio V.

Rem abſolvit Sixtus V.

CX. Poſtquam hi ſuo munere functi ſunt, & Sixto Pontifici retulerunt recte & rite omnia conſtare, ſeverius adhuc examen commiſſum eſt Cardidalibus octo, Alexandro Farneſio Oſtienſi, Marco Antonio Columnæ Prænestino Epiſcopis, Michaeli Bonello Alexandrino, Julio Antonio Sanctorio ſanctæ Severinæ, Antonio Caraffæ, & Conſtantio Sarnano Presbyteris, Ferdinando Mediceo, & Hieronymo Matthæjo Diaconis. Illi conſeſſibus tredecim re diligenter diſcuſſa, omnia rata & firma habuerunt. Demum conſodalium nomine, Marcus Antonius Cardinalis Columna in conſiſtorio ſecreto eleganter peroravit, eaſque oſtendit fuiſſe Didaci heroicas virtutes, notiſſima miracula, & inſignem vitæ ſanctitatem, propter quæ mereretur cœlitibus adſcribi. Aliam habuit orationem Pompejus Arigonius, Conſiſtorialis & Philippi Regis Advocatus, poſtea S. R. E. Cardinalis, qua compendioſe retulit vitam, mores & potiora miracula, rogavitque ut tamdem Regiæ exaudirentur preces pro Didaco canonizando. Alio poſtremum conſiſtorio decreta eſt canonizatio, quæ ſolemniſſime peracta eſt in Baſilica Vaticana die II. Julii, aſſiſtentibus univerſis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ ordinibus, & ſpectante innumera populorum multitudine. Ordinem, ritum, cæremonias, rei majeſtatem, apparatus ſplendorem, & ſi quæ alia lector hujus generis deſideret, dabunt Petrus Galeſinius & Franciſcus Peña, qui rei ſpectatores fuerunt & actores. Ego canonizationis profero inſtrumentum.

SIXTUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

CXI. *Rex Regum ante omnia ſecula Chriſtus Dominus, qui propter perditi ſalutem hominis, formæ ſervi accepta, in plenitudine temporis factus eſt homo, Eccleſiam ſuam unice dilectam, ſuoque pretioſo ſanguine acquiſitam, ſupra beatiſſimum Apoſtolorum Principem Petrum, cui petræ firmitatem dedit, in ſe ipſo ſummo angulari lapide, a Chriſtianæ fidei primordiis ædificavit, & uſque ad ſeculi conſummationem per omnes temporum ætates mirabiliter ſemper ædificat. Divinum vero admirabilis hujus ædificationis artificium, nec inflata mundi ſapientia capit, nec terrena & carnalis prudentia ullo modo aſſequitur, diaboli autem aſtutia & ſuperbia contremiſcit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus & contemptis plerumque hominibus, humili & obſcuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia inſtructis, nullo denique humanæ potentiæ præſidio communitis, tamquam ex abjectis & reprobatis lapidibus tanta fiat moles, tam pulchra, tam ornatu, tam fortis, tam ſtabilis in tantam demum conſurgat altitudinem, ut ipſæ inferorum portæ ejus robur ac firmamentum perhorreſcant. Sed* viæ Dei non ſunt viæ hominum, nec cogitationes ejus ſicut cogitationes eorum. *Itaque* non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. *Sic omnipotens Deus per ſcandalum crucis & per ſtultitiam prædicationis ſalvos fecit credentes; ſic ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initiis per ſapientem Apoſtolorum infantiam, & per fortiſſimam Martyrum infirmitatem Græcorum ſapientiam infatuavit, & gentium potentiam dejecit atque proſtravit: ſic denique per ſuccedentes ætates brachio fortitudinis ſuæ* depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles *Sanctos ſuos. Hinc ſuperiori ſeculo, & patrum noſtrorum memoriæ valde propinquo, ex humili familia Fratrum Minorum ſancti Patris noſtri Franciſci, humilem beatum Didacum in Hiſpania natum, non doctrina præcellentem, ſed quales primi illi noſtri magiſtri & Principes fuerunt, ſine litteris humano ſtudio comparatis, ſed idiotam, & in ſancta Religionis profeſſione laicum delegit, in quo oſtenderet abundantes divitias gratiæ ſuæ, cujus admirabili vitæ ſanctitate & exemplo multos ad viam ſalutis perduceret, & ſenescentem ac pene decrepitum mundum magis magiſque coargueret; quia* quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. *Itaque pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus, hunc ſervum ſuum parvulum & demiſſum cœleſtibus donis ſuis adeo ornavit, tantoque Spiritus ſancti igne incendit, manumque ſuam ad ſanitates & ſigna & prodigia, beati Didaci meritis cum in ejus vita, tum poſt mortem efficienda, tam mirifice extendit, ut is non ſolum apud ſuos in florentiſſimis Hiſpaniæ regnis notus & clarus eſſet, ſed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria pervulgaretur. Juſtus enim & miſericors Dominus ſervos ſuos fideles, quos ante mundi conſtitutionem elegit & prædeſtinavit ad vitam, non ſolum in cœlo ſemper coronat, ſed ſæpe etiam in terra, ubi fortiter & legitime certaverunt, multo gloriæ ſplendore cumulat, atque illuſtrat. Nimirum ut præclaras illas ſuas promiſ-*

Eccleſiam ſuam Deus mirabiliter ædificat.

Velut ex abjectis lapidibus.

Iſai. 55. 8.

Cor. 1. 26.

Luc. 1. 52.

Qualiter videbatur Didacus rudis ut Apoſtoli.

Cor. 1. 25.

ſiones perſolvat: Dabo vos (*inquit*) nominatos, & in gloriam, & in laudem in cunctis populis terræ, *ut ſe ipſe in ſanctis ſuis mirabilem demonſtret, & potentiam ſuum ſignis & virtutibus declaret, ut propoſitis ſanctorum glorioſis laboribus & meritis, qui homines fuerunt nobis ſimiles, circumdati infirmitate, ſegnitiem & tarditatem noſtram in via virtutis excitet, & frigeſcentem caritatem accendat; ut hæreticorum pravitatem coerceat, perverſitatem confundat, dum ad ſacras eorum Reliquias, Divina virtute ægroti curantur, dæmones pelluntur; ut mortuos, qui in Domino ſunt mortui, beatos eſſe, & multo felicius vivere omnes intelligant. Poſtremo, ut amici Dei multo maxime honorentur, & qui ſancti ſunt apud Deum, ſancti etiam ab hominibus habeantur: ad quorum nos opem confugientes, eoſque pie invocantes, eorum ſuffragiis adjuti, cæleſtem miſericordiam facilius impetremus. Merito igitur beatum Didacum laudamus, quem Deus multis & illuſtribus oſtendit miraculis prædicandum; de cujus beati Viri vita & rebus geſtis, puriſſimæ fidei integritate, morum excellenti ſanctitate, ſignorum admirabilitate, pauca quædam libenter pro noſtro Paſtorali officio, populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in Sancto ſuo, & fidelium devotio tamquam ſalutari quodam & periucundo cibo nutriatur, omneſque Deo gratias agant, publico noſtro & hujus ſanctæ Apoſtolicæ Sedis teſtimonio, quæ a Spiritu ſancto gubernatur & regitur, beati Didaci ſanctitatem optimo jure declaratam eſſe & promulgatam.*

Sophon. nir. 20. Cur Deus ſuos ſanctos honoret in terris?

Natus eſt beatus Didacus in Hiſpania, in Provincia Bætica & in oppido, cui nomen eſt ſanctus Nicolaus de Porta, quod eſt in diœceſi Hiſpalenſi. Et is quidem ut fœcundus ager cæleſtis gratiæ imbre irrigatus, uberes fructus cito protulit. Nam adoleſcens ex medio Babylonis fugiens, hoc eſt, ex laqueis & periculis ſeculi, pœnitentis habitu indutus, in propinquam ſolitariam Eccleſiam una cum pio quodam Sacerdote ſpiritualis vitæ duce & ſocio ſeceſſit; ubi novus Chriſti miles in hujus fallacis mundi contemptione, & omnium humanarum rerum deſpicientia, in cæleſtium contemplatione, in corpore edomando & ſpiritui ſubjiciendo ſe aſſidue exercens, magna cum ſuorum oppidanorum ædificatione, præclarum tyrocinium poſuit. Poſt aliquot vero annos, ut ſe arctioribus vinculis Chriſto adſtringeret, & a mundi tempeſtatibus quam longiſſime diſcederet, ſub ſuavi obedientiæ jugo Deo ſecurius & fructuoſius ſerviret, in portum Seraphicæ ſanctæ Fraterniſci Religionis confugit, eamque prope Cordubam, in Conventu de Arrizafa, ut vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Obſervantia nominantur, incolunt, verbis expreſſis eſt profeſſus. Hic jam athleta Chriſti ampliſſimum virtutum ſtudium ingreſſus, tamquam oblivioſcens quæ retro erant, & ad ea quæ ſunt priora, ſe extendens, cæpit omni contentione corporis & ſpiritus perſequi (Divina gratia ſuffragante) bravium ſupernæ vocationis. Summa cura & diligentia in Regulæ obſervatione verſabatur, quam in omni vita ſancte adeo inviolateque ſervavit, ut ipſe in ſanctis religioſis functionibus & officiis vivens quædam & expreſſa regula eſſe videretur. In primis vero, quia ſapientiſſimus architectus Spiritus ſanctus, ſublime regularis perfectionis ædificium in eo extruebat, altiſſimum humilitatis fundamentum jecit, & ut prudens ille ædificator in Evangelio laudatus, fodit in altum, & ædificavit domum ſuper petram, ubi ſibi tribuens, nulli ſe antepones; quo plura a Deo accipiebat, eo demiſſius ſe gereus. Itaque nullæ tentationum procellæ, nulli ſuperbiæ & inanis gloriæ venti, nullæ Diaboli machinationes domum illum tam egregie fundatam movere aut labefactare potuerunt. Superiorum & Prælatorum mandata & juſſa tanta obedientia tantaque alacritate exequebatur, ac ſi Deum in eis loquentem

Patria S. Didaci & vita.

Vita in adoleſcentia ſolitaria.

Inſtituto ſe addixit Obſervantium.

Matth. 7. 24. Humilitas illi fundamentum virtutum.

tem audiviſſet. Sanctam paupertatem, Domini ſui ſponſam cariſſimam, quam diligentiſſime cuſtodiebat, omnia arbitratus ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaceret. Cumque Sathanæ aſtutias non ignoraret, ſed optime intelligeret infenſiſſimum humani generis adverſarium, tamquam leonem rabidum & rugientem, diei noctiſque circuire, ut Chriſti oviculas dilaceret ac devoret, numquam otio aut torpori ſe dabat, ſed ſtabat ſuccinctus lumbos ſuos in veritate, indutus lorica juſtitiæ, galea ſalutis aſſumpta, & ſcuto fidei arrepto, in quo omnia poſſet ignita nequiſſimi hoſtis tela extinguere. Corpus igitur & carnem ſuam illecebram peccati, labore, jejuniis fere continuis & flagellis caſtigabat, & in ſervitutem redigebat; præcipue vero ad exceſſam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc eſt ad ſanctæ orationis præſidium, cujus alis in cœlum frequenter ſublatus, terrenorum obliitus, ſuaviſſimo Dei colloquio fruebatur. In ea igitur ſchola Divinitus eruditus, vir alioqui plane rudis & litterarum minime ſciens, admirandum in modum de rebus Divinis loquebatur, ſenſuſque mirificos proferebat; ita ut viri eruditiſſimi, qui in ſacræ Theologiæ ſtudiis ætatem contriverant, ſummopere obſtupeſcerent; illudque memoriæ traditum eſt, & gravi teſtimonio comprobatum, doctos & pios viros, cum abſtruſas & perdifficiles quæſtiones ad res Divinas, animarumque ſalutem pertinentes, cum eo familiariter communicarent, id ab homine litterarum experte cumulate didiciſſe, quod in celeberrimis Academiis a magnis Doctoribus addiſcere nequiverant. Ille præterea orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedictionibus dulcedinis præventus, & ealicem illum præclarum, qui cor inebriat deliciis, ardentis caritatis igne erga Deum & proximos toto pectore æſtuabat: quare bonorum omnium auctorem Deum, & beatiſſimam Dei Genitricem ſemper Virginem, humani generis advocatam, quam ſumma devotione ſemper coluit, non pro ſe ſolo, ſed pro omnibus hominibus, & præſertim pro peccatorum emendatione continenter vehementiſſimeque orabat; pauperes vero Jeſu Chriſti tanto affectu diligebat, tantaque erga eos miſericordia commovebatur, ut omni ſtudio (quantum ei licebat) eorum inopiam & calamitates ſublevare ſedulo procuraret; quod ſi interdum præſtare non poſſet, vim lacrymarum profundebat, eoſque verbis amantiſſimis conſolabatur. Ægrotos fratres omnibus caritatis officiis proſequebatur: aſſidere ad lectum, cibum miniſtrare, vigilare totas noctes, perferre omnes moleſtias tanta patientia, tanta humilitate, ut quorumdam purulentas plagas non ſolum medicamentis curare, ſed lingua quoque eas lambere & abſtergere non abhorreret: quo in genere eximia ſervi Dei caritas Romæ aliquando in Cœnobio Fratrum ſuorum, quod eſt ad Aram-cœli, inſigniter eluxit. Nam anno quinquageſimo ſuperioris ſeculi, cum piæ mem. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter ſacrum Jubilæum de more celebraret, Romam venit beatus Didacus, ut ſalutarem Indulgentiam conſequeretur, & beatorum Apoſtolorum ſepulcra, cæterorumque Sanctorum Martyrum illuſtres memorias religioſe veneraretur. Magna erat annonæ inopia, gravibus & periculoſis morbis Urbs laborabat, cum beatus Didacus ægrotis curandis, quorum ingens erat numerus, a Gnardiano ſeu Cœnobii Præfecto, qui jam ejus ſanctitatem deguſtaverat, eſt præpoſitus, cujus officii munus tam fideliter feliciterque adminiſtravit, ut in publicis anguſtiis omnia apud pauperes Chriſti abundarent, omneſque in ſervo Dei & copioſum caritatis ſpiritum, & ſingularem illius apud Deum gratiam agnoſcerent. Nec ſane mirandum eſt, virum Dei membris Chriſti Fratribus ſuis, in quibus Chriſtus ipſe ægrotabat, tanto caritatis ſtudio inſerviſſe, tam impigre miniſtraſſe, qui eo jam perfectionis progreſſu erat, ut caritatem il-

Corpus ſuum caſtigans in ſervitutem redigit.

Oratione & jugi contemplatione doctiſſimus evadit.

Divam Virginem ſedulo coluit.

Pauperibus & ægris obſequioſus.

Purulentas plagas lambebat.

Romam venit anno Jubilæi.

illam, qua nemo majorem habet, ſponſo animæ ſuæ præſtare & perſolvere concupiſceret, & pro Chriſti nomine & confeſſione vitam & ſanguinem profundere deſideraret. Ea nimirum eſt perfecti amoris vis & natura, ut non facile conquieſcat, ſed majora ſemper & maxima appetat & moliatur, ſemperque actuoſus & operoſus ſit. Itaque eum aliquando ad inſulas Canarias miſſus eſſet, ut Guardiani officio in illo Fratrum Minorum Conventu fungeretur, ſervus Chriſti, cui vivere Chriſtus erat, & mori lucrum, *cæpit martyrii deſiderio vehementer flagrare. Erat in eo non ſolum columbæ ſimplicitas, ſed & ſerpentis prudentia; quare multa cum vigilantia & Regularis diſciplinæ Obſervantia vir Dei in ſua cuſtodia excubabat, in omni ſanctitate & juſtitia forma factus puſilli gregis ſui, & fidelium inſulanorum, quibus bonus odor Chriſti erat ad vitam, ita ut frequentes eum adirent, ex ejuſque ſpiritalibus colloquiis miram caperent conſolationem & voluptatem. Magnam vero excreendæ caritatis ſegetem in inſulis illis nactus, ſimulque conſequendi martyrii ſpe incitatus, multos ex Canarienſibus infideles, & impuris adhuc idolorum ſuperſtitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Chriſti fidem perduxit: quo in munere dum ſtrenue verſaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quæ* magna *appellatur, diaboli invidia conflavit, ſæpe in capitis & vitæ diſcrimen venit, ut ſeſe jam martyrii palma potiturum ſperaret; ſed* Deo *aliter diſponente, non martyrio animus & voluntas, ſed voluntati martyrium defuit: at certe gloria non defuit, cum præclare a beato Martyre Cypriano ſcriptum ſit:* ad coronam Dei promerendam ipſius teſtimonium ſolum ſufficere, qui judicaturus eſt, *qui arcana rerum ſcrutatur & cordis intuetur occulta. Ergo & purpuream de paſſione coronam aliquo modo accepit, & maltas de bonis operibus candidas reportavit, reſervatus a Deo, ut multos Chriſto lucrifaceret. Jam in univerſa Hiſpania clariſſimum erat Beati Didaci nomen, magnamque apud omnes & venerationem & admirationem habebat, & tamquam Angelum quemdam in terris agentem, ſic eum homines intuebantur. Nihil illo lenius, nihil manſuetius;* lac & mel ſub lingua *ejus, & cor ejus mundum & ſimplex Chriſtiana dulcedine redundabat. Omnia in bonam partem accipere; de nemine male judicare; nullum adverſus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem vero contra legem Dei & Regularem diſciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei inceníus libere objurgabat; nulla tamen in re gloriam ſuam, ſed Dei honorem & fraternam utilitatem quærebat. Signis etiam & miraculis viventem ſervum ſuum illuſtravit Deus, ejuſque excellentem fidem rebus mirabilibus efficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo ſingularis gratia curationum, ita ut undique ad eum ejus rei cauſa quamplurimi confluerent; ille vero fide, quæ per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cam digitum in lampadem, quæ ante ſacram Beatiſſimæ Virginis imaginem collucebat, demiſiſſet, ex ejus oleo ægrotos ſigno crucis obſignatos perangebat, multorumque varios languores & morbos ejuſdem crucis virtute, in qua ſola gloriabatur, mirabiliter ſanabat.*

Accidit aliquando, ut e Cœnobio, in quo erat, ad oppidum ſancti Lucæ de Barameda proficiſceretur, Fratre uno comite, cumque nullis cibariis acceptis jam ſumendi cibi tempus advenieſſet, & ex itinere defeſſi eſſent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena miſericordia reficerentur, Deo ita diſponente, reperire potuiſſent, ad comitem ſereno vultu converſus Beatus Didacus: Eja, *inquit,* Frater, in Domino confidamus, ipſe nos paſcet. *Cum iter ſtrenue proſequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam inter herbas prope viam poſitam vident, propiuſque accedentes, album panem, piſces recentes coctos, & vini vaſculum inveniunt: inſiſtunt ſervi Dei, & in la-*

Vis in eo perfecti amoris.

Ad Canarias inſulas deſtinatus.

Philip. 1. 21.

Ubi multos ad fidem perduxit.

Cyprian. epiſt. 8. ad Martyres & Confeſſores de Mappalico.

Cantic. 4. 11.

Miraculis vivens inclaruit. Præſertim gratia curationum.

1. Timot. 2. 15.

Cibos a Deo paratos invenit in deſerto.

latiſſimo campo, unde in omnes partes liber erat proſpectus, omnia oculis perluſtrantes circumſpiciunt, ſi quis forte eo in loco prandium reliquiſſet; denique id quod erat, rati, ad menſam ſibi a Deo in deſerto paratam veri Iſraelitæ accumbunt, ac cibo & potione ſiti fameque depulſa, quod ſuperfuit, ibidem liquerunt, Deo patri miſericordiarum gratias agentes, qui ſervis ſuis in eo ſperantibus eſcam dederat in tempore opportuno.

Puerum ex ardente furno ſalvum eduxit.

Quid illud, quod Hiſpali geſtum eſt? quam magnæ fidei eſt argumentum? nam cum ſeptennis puer, qui a matre vapulare ſolitus erat, in furno, in quem ejus iracundiam fugiens ſe abdiderat, obdormiſſet, & furno ab ignara matre ſuccenſo, expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem, ejulatu omnia complentem, nec quo ſe verteret ſcientem, ad majorem Eccleſiam ire, ibique matrem miſericordiarum devote orare juſſit: Ipſa te, *inquit*, o mulier, adjuvabit. *Cum illa, quaſi Dei nuncium audiviſſet, pergeret, ipſe ad furnum accedens, puerum ex maximo periculo extractum, paulo poſt ad idem templum adduxit, matrique ſuæ ſalvum & incolumem reddidit.*

Infirmatur, ad mortem.

Ceterum cum juſtus judex Deus athletam ſuum tot victoriis illuſtrem, carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona juſtitiæ, quæ illi ab omni æternitate repoſita erat, coronare decreviſſet, ſervumque multiplicatis talentis induſtrium & in pauca fidelem ſuper multa conſtituere, & in gaudium vellet Domini ſui introducere, Beatus Didacus in ſenectute bona, plenus dierum & operum bonorum, in Conventu Complutenſi, in quo annos complures eſt commoratus, in ſupremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiæ exemplum præbuit. Quadam autem nocte extra ſe raptus, ſenſu omni & vitali motu amiſſo, ita ut a medico, & qui adſtabant, Fratribus mortuus plane crederetur, tandem ſoluto extaſi, ter aut quater hæc verba locutus eſt: O quales flores habet paradiſus! *In profundæ vero humilitatis ſtatione uſque ad extremum vitæ ſpiritum ſervanda ita firmus manebat, ita nuſquam de ſuo loco decedebat, ut eum Fratres ſinguli ab eo peterent, ut pro ipſis oraret, ipſe contra ſe eorum orationibus vehementer commendabat, ut ipſis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in ſanctæ Religionis obſervantia cumulaverant, ſibi quoque a Deo communicaretur, atque ita miſericordiam impetraret. Poſtremo cum ſe jam moriturum intelligeret, comitis illius & adjutricis fideliſſimæ, quæ illum in hujus vitæ peregrinatione numquam deſeruerat, hoc eſt ſanctæ paupertatis, ſupremo vitæ die non oblitus, ſed in ejus intimo ſinu, quam maxime fieri poſſet, ſpiritum emittere cupiens, convocatis Fratribus, eos obnixe rogavit, ut ſibi veſtem obſoletam & laceram, habitumque omnium viliſſimum, in quo moreretur, concederent. Quo impetrato, multis profuſis lacrymis, ab his qui adſtabant, offenſionum atque erratorum veniam poſtulavit; quibus copioſe collacrymantibus, ipſe cruce lignea, quam ad caput habebat, arrepta, eamque amplexus & oſculatus, utroque brachio in altum fortiter ſublevato (cum tamen alterum gravi apoſtemate tumens ac debilitatum antea movere non potuiſſet) oculiſque in vitale lignum defixis, verba illa ex ſacro hymno magno affectu magnoque lætatis ſpiritu pronunciavit:* Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quæ ſola fuiſti digna portare Regem cœlorum & Dominum. *Quæ cum dixiſſet, in ipſo ſalutiferæ crucis complexu, quam unice dilexerat, quam in corde & corpore ſemper geſtaverat, in qua Chriſto confixus & mundo crucifixus fuerat, animam efflavit, & in Domino obdormivit pridie Idus Novembris, anno Domini* MCCCCLXIII.

In veſte detrita cupit mori.

Crucem amplexus animam reddit.

Ad factum corpus magnus concurſus.

Ad ejus corpus (Beati Didaci morte audita) magni undique concurſus factus, illud devote omnes contingere, amictus particulas præſcindere, capillos de-

devotionis cauſa evellere; demum Chriſtiano ritu corpus honorifice humatum eſt. Hic jam ſtatim Deus mortui ſervi ſui, cui in vita cooperatus fuerat, eximiam ſanctitatem ſignis ſequentibus comprobavit. Nam corpus, quod jam quatriduo bami ſepultum fuerat, iterum non abſque miraculi interventu, effoſſum, non ſolum integrum incorruptumque apparuit, ſed eum per multos menſes, ut pio ſtudio ſatisfieret & civium & aliorum, qui ex diverſis partibus accurrebant, inſepultum jacuiſſet, non computruit, nullum tetrum odorem emiſit, imo vero corpus illud, quod vivens Spiritus ſancti templum fuerat, odorem ſuaviſſimum efflabat, quo omnes mirifice recreabantur: qui quidem & in hodiernum uſque diem ex ejus ſepulcro ſuaviter & jucunde ſpirans, a pleriſque ſæpe ſentitur. Illud quoque in beati Viri mortuo corpore mirum accceſſit, quod ejus membra, & artus vitali calore deſtituti, non obriguerunt, nec duri aut rigidi ſunt effecti, ut cadaverum ſolent, ſed molles erant & flexibiles quocumque verterentur.

Quod refoſſum ſuavem efflat odorem.

Id flexile per omnes artus.

Quocirca laudanda eſt pietas & magnificentia claræ memoriæ Henrici IV. Caſtellæ Regis, qui unicum filia periculoſe ægrotans, & Beati Didaci precibus ſanitate impetrata, nobile ſacellum grati animi ſui monumentum extruxit, ibique in area ferreis laminis diligenter communita Beati Didaci corpus decenter recondi juſſit: ad quod quidem ſacellum, ut conſtat, non ſolum Complutenſes cives, ſed vicini & remotiores populi, atque ex omni fere Hiſpania fideles, tanta devotione confluunt, tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliæ fiunt, tot ſacrificia in eodem ejus ſacello celebrantur, tam multa & illuſtria dona voti reddendi gratia offeruntur, ut hæc de Beati Didaci ſanctitate non exigui temporis, tamquam rumoris aura, ſed per annos centum viginti & amplius conſtans & perpetua fama & opinio, tantuſque illorum fidelium omnium generum, omnium ordinum conſenſus, magni profecto & illuſtris teſtimonii loco habendus ſit, ad Beati Didaci ſanctimoniam comprobandam.

Cui ſervando Caſtellæ Rex ſacellum ædificat.

Verumtamen multis quoque poſt obitum miraculis vir commemorabili ſanctitate præditus claruit. Nam in actis tranſmiſſis, centum fere & triginta leguntur, Deo qui glorificatur in concilio Sanctorum, ſignis & prodigiis teſtante, ſervum ſuum non ſolum morum, ſed etiam ſignorum virtute, nec operibus modo pietatis in vita, ſed etiam miraculorum luce poſt mortem clarum & venerabilem eſſe.

Poſt ejus obitum centum relata miracula.

Duron oppidum eſt in Hiſpania, in diœceſi Seguntina: ex eo Catarina Martini filia virgo, annos duodecim nata, eum ante aliquot menſes ſubita vi morbi ſurda & muta evaſiſſet, brachiis item pedibuſque paralyſi diſſolutis, incedere nequiret, ad Beati Didaci ſacellum delata, eum ibi pervigilaret, ejus tacta manu, & in crucis formam conſignata, illico & aurium ſenſum, & loquendi facultatem recepit, membrorumque uſu reſtituto totoque corpore confirmato, libere qua libuit, incceſſit laudans & benedicens Deum.

Muta, ſurda, paralyſica ſevaluit.

Adoleſcens quidam erat annorum fere viginti, Didacus de Lorea appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui, Deo permittente, ab immundo ſpiritu annos complures vexabatur miſerandum in modum, ita ut ſæpius interdum in die arreptus & ad terram allidus, horribiles corporis geſtus ageret, & veluti mortuus relinqueretur. Hic ſe Beato Didaco humiliter commendans, & in ejus ſacello aliquandiu invigilans, a miſerabili vexatione omnino eſt liberatus.

Energumenus liberatur.

Cum Catarina Bartholomæi Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, parere non poſſet; fœtus enim in utero tranſverſus, alterum tantummodo pedem eduxerat, materque miſera ab aurora ad veſperam in eo cruciatu per-

Parturiens in vitæ diſcrimine facile puellam mortuam peperit.

manens, in ſummo diſcrimine verſaretur, & plane morti propinqua eſſet, ſacrus ejus Maria Garcia uxor Joannis Garciæ, incolæ oppidi de Ambroz, beati Viri in maximis angustiis recordata, ad ejus opem confugit. Itaque fruſtum amictus Beati Didaci, parumque pulveris e ſepulcro ſupra parturientem nurum impoſuit, quæ ſubito mortuum fœtum edidit, ipſa ſalva. Manſit autem mortua puellula aliquot horarum ſpatio, ſed ejuſdem avia Maria jam ſemel beati Viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitavit: quod cum devote feciſſet, alterum etiam beneficium impetravit, & puella ſacro baptiſmi fonte abluta, & geminæ vitæ munere a Deo donata, diu poſtea ſupervixit.

Et hæc ex voto revixit.

Illud autem, quod in Maria de la Peñuela Petri Hernandez Complutenſis filia, Dei virtute per merita Beati Didaci mirifice effectum eſt, notum eſt valde & pervulgatum in Hiſpania, multique qui meminerint, ſuperſunt. Invaſerat virginem horribilis & deformiſſima paralyſis tanta nervorum diſſolutione & membrorum luxatione, brachiis cruribuſque diſtortis, totoque corpore convulſo, ut non jam mulier ſed monſtrum eſſet, & medici ſe nihil unquam tale vidiſſe profiterentur. Accedebant febres vehementes, & capitis dolores peracres & aſſidui, quibus miſera graviſſime affligebatur. Ea igitur ad Beati Didaci corpus delata, cum in ejus interceſſione & Dei miſericordia confideret, & ſuppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum diſtortione & depravatione, omnique corporis infirmitate eſt liberata: quæ tanti accepti beneficii non ingrata, Deo virginitatem ſuam vovit, & ſacrarum Virginum collegio adjuncta in Monaſterio ſancti Joannis, quod a pœnitentia nominatur, ſancte & religioſe vitam duxit.

Puella monſtro ſimilis a morbo & cruciatibus perfunata.

Sed quod in Principe Carolo, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Hiſpaniarum Regis Catholici primogenito filio Divinitus actum eſt, magnam apud omnes famæ celebritatem habet. Ægrotabat Compluti adoleſcens Princeps anno humanæ ſalutis MDLXII. *qui cum e ſcalis decidiſſet, graviſſimum ex eo caſu & prolapſione in capite vulnus acceperat. Omnia remedia, omnes curationes adhibitæ, quæ humana induſtria præſtari poterant, ut in tanto Principe par erat. Sed cum nihil humanum proficeret, morbuſque magis ſemper ingraveſceret, jamque ejus gravitati natura ſuccumberet, medici Principis ſalute prorſus deſperata, certam imminentis mortis horam præfiniunt; idque Regi patri, ne tam acerbo ſpectaculo intereſſet, denunciant. Cum igitur omnis humani adjumenti ſpes defeciſſet, ad Divinum, quod unum reliquum erat, præſidium confugiunt. Itaque devotionis ardore ſuccenſi, a Fratribus ſuis Beati Didaci corpus decenter & religioſe in Principis cubiculum afferri curant, poſt annos fere centum integrum & incorruptum: quod cum Princeps beati Viri patrocinio ſe commendans, devote tetigiſſet, eo inde amoto, vidit in ſomni quiete Beatum Didacum ante lectum ſtantem, & crucem arundineam manu gerentem, ſeque admonentem bono animo ut eſſet, & in Deo confideret; fore enim ut ex ea ægrotatione ſanus fieret. Quare eo potiſſimum tempore, quo medici Principem moriturum prædixerant, non ſolum melius habere cœpit, ſed paulo poſt ex omni illo vitæ diſcrimine Divinis ac ſupra naturam adjumentis tam mirabiliter eſt ereptus, ut digitum Dei per merita Beati Didaci ibi adfuiſſe omnes intelligerent; ſed præter ceteros Principes, ipſe & Philippus pater incredibili lætitia tamquam redivivi filii affectus, id agnoſcere & Deum glorificando palam profiteri.*

Eadem hora qua Carolus Princeps moriturus credebatur, cœpit convalêre.

Itaque pius Rex, cum cariſſimi & primogeniti filii vitam ſummæ Dei clementiæ per merita & preces Beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacumque ratione poſſet, gratiam aliquam Deo in Sancto ſuo referre, anno in-

inſequenti ad fel. rec. Pium IV. prædeceſſorem noſtrum, una cum Principe filio, & cuncta fere Hiſpania litteras dedit, quibus ab eo ſuppliciter petebat, ut pro ſua & ſanctæ hujus Apoſtolicæ Sedis ſumma auctoritate, Beatum Didacum tam excellenti ſanctitate virum, & tanta miraculorum claritate illuſtrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab univerſa Catholica Eccleſia pro Sancto venerandum eſſe ſtatueret. Tam devotis iteratiſque Catholici Regis aliorumque poſtulationibus permotus idem Pius prædeceſſor, de iis in conſiſtorio ſuo ſecreto referri juſſit, & quinque Cardinales conſilio & doctrina præſtantes delegit, qui ejuſmodi permagni momenti negotio præeſſent, inter quos unus fuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria in benedictione eſt, qui poſtea Pontifex factus, Pius ejus nominis Quintus eſt appellatus. Res ſuo ordine agi cœpta eſt ſub Pio IV. litteris in Hiſpaniam tranſmiſſis ad teſtes ex formula examinandos, actaque rite conficienda. Cumque ipſe Pius IV. e vita migraſſet, non deſtitit idem Philippus Rex apud ſuccedentes Pontifices ſanctæ recordationis Piam V. & Gregorium XIII. itidem prædeceſſores noſtros ſedulo inſtare. Sed Deo ita diſponente, quamvis pleraque ſuperioribus annis fint acta, res tamen ipſa perfici ſub illis Pontificibus atque abſolvi uon potuit. Cum primum igitur humilitas uoſtra, non noſtris meritis, ſed Diviuæ clementiæ abundantia iu excelſa Apoſtolicæ ſollicitudinis ſpecula his difficillimis temporibus eſt conſtitata; ſtatim idem Philippus Rex, nulla ex parte reflinclo aut refrigerato fidei ſuæ zelo, nobis per dilectum filium uobilem virum Henricum de Guzman, Comitem de Olivares, ſuum apud Nos & Sedem Apoſtolicam Oratorem, magnopere ſupplicandum curavit, ut poſteaquam ea fere omnia, quæ ad acta & proceſſum Beati Didaci pertiuebant, ex bujus ſanctæ Sedis præſcripto confecta eraut, Nos, quibus univerſalis Eccleſiæ cura eſſet credita, & ad quos ſolos ejus rei judicium pertineret, tam pio & tam ab ejus Majeſtate totaque Hiſpania exoptato operi, quod eſt de eodem Beato Didaco Sanctorum catbalogo adſcribeudo, ſupremam manum imponere vellemus. Et Nos quidem Regis ipſius religioſum ſtudium, & perſeveraut em hac in re ſedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piæ petitioni, quantum cum Domino liceret, ſatisfacere; tamen pro noſtro paſtoralis muneris officio ſtatuebamus in re tam gravi nulla præpropera feſtiuatione utendum, ſed omnia ex Eccleſiaſtica diſciplina, ex Majorum noſtrorum ſaluberrimis inſtitutis, ex Apoſtolicæ Sedis circumſpectione diligentiſſime agenda eſſe. Itaque duobus antiquioribus cauſarum palatii noſtri Auditoribus, doctrina & rerum uſu præſtantibus, ipſis fere primis Pontificatus noſtri diebus mandavimus, ut acta omnia totumque proceſſum ſumma cum diligentia perlegerent & examinarent, quo illi in munere menſes complures ſedulo accurateque verſati, copioſam relationem omnium, ſuamque ſententiam nobis ſcripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV. huic negotio olim præpoſiti, viam eſſent uuiverſæ carnis ingreſſi, Nos, primo anui ſuperioris menſe, in conſiſtorio noſtro ſecreto alios in eorum locum ſuffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem & numero plures prioribus, ut in gravi cauſa, prudenti multorum gravium virorum judicio adhibito, cuncta exquiſitius diſcuterentur. Hi vero fuere more Majorum ex tribus ordinibus delecti, veuerabiles fratres Epiſcopi Alexander Oſtienſis Farueſius, Marcus Antonius Præueſtinus Columna, & dilecti filii noſtri frater Michael ſanctæ Mariæ ſupra Minervam Alexandrinus, Julius Antonius ſancti Bartholomæi in Inſula ſanctæ Severinæ, Antonius ſanctorum Joannis & Pauli Caraſa, frater Conſtantius ſancti Petri in Monte aureo, titulorum Presbyteri, Sarnanus, Ferdinandus ſanctæ Mariæ in via lata de Medicis,

Poſtulatur a Rege Patre & Filio Didaci canonizatio.

Acta omnia diligenter revidentur ad canonizationem.

dicit, & Hieronymus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Diaconus Matthæjus nuncupati, S. R. E. Cardinales: quibus commiſimus, ut pro rei gravitate, proque ea, quæ Deo cordium ſcrutatori, & nobis quoque in ejuſmodi publico munere obeundo a primariis Eccleſiæ membris fidelitas & diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus & miraculis Beati Didaci, & Auditorum noſtrorum relationem, quanta maxima fieri poſſet, diligentia inſpicerent & expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent; ut Divino Spiritus ſancti gratia illuſtrati, de ipſorum & ceterorum Fratrum noſtrorum conſilio, quæ Dei gloriæ, qui juſtitia & Veritas eſt, conſentanea forent, deliberare poſſemus. Multis igitur elapſis menſibus, cum interea Cardinales ipſi frequenter congregarentur, acta, proceſſus, rerum geſtarum ſeriem, teſtes, ſingula denique ad ſacrorum Canonum præſcriptum mature & accurate conſiderarent, examinarent, atque inter ſe conferrent, viros etiam ſacræ Theologiæ & Pontificii juris ſcientia peritiſſimos in conſilium adhiberent: cum jam omnia parata eſſe intelligeremus, ſecretum conſiſtorium de more convocari juſſimus, in quo venerabilis frater noſter Marcus Antonius Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, ſuo & collegarum, qui ibidem aſſidebant, nomine, gravi & accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis ad extremum dixit: Quandoquidem Beati Didaci fidei integritas, egregiæ virtutes, præclara & inſignia miracula optime eſſent comprobata, ſe & collegas ſuos unanimes in eam ſententiam veniſſe (ſi ita nobis videretur) ulterius nos progredi, & Beatum illum virum in Sanctorum numero poſſe adſcribere, quorum cum ſententia etiam ceteri Fratres noſtri Cardinales, cum a ſingulis graves ſententiæ dictæ eſſent, ad unum omnes conſenſerunt. Quæ cum audiremus, gaudens erat cor noſtrum in Domino, quod beati ſervi ſui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque ipſo benedicente, tam feliciter procederent. Quare in tam ſancto pioque opere nihil omnino neceſſariæ diligentiæ prætermittentes, ex more inſtitutoque Majorum decrevimus ut ad ulteriora procederetur. Ac diebus aliquot interpoſitis, publicum conſiſtorium indiximus, in quo præter Cardinales etiam Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi & Prælati omnes, ac familiares noſtri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompejus Arigonius Romanus, aulæ noſtræ Conſiſtorialis Advocatus, diſertam orationem habuit de vitæ ſanctitate, rebus geſtis & miraculis Beati Didaci; & denique Catholici Regis totiuſque Hiſpaniæ nomine, ut eumdem Beatum Didacum, tantis meritis illuſtrem, Sanctorum numero aggregaremus, nobis humiliter ſupplicavit. Gaudebamus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis eſt, & quocumque voluerit, inclinat illud. Etenim plane videbamus, non ſine Divino inſtinctu fieri, quod Catholicus Rex, cui multorum regnorum graviſſima adminiſtratio a Deo eſt tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc Beati Didaci negotio abſolvendo verſaretur, ut in magnis temporum difficultatibus ſe ſuaque regna apud Deum novi patroni ſuffragiis, & pie & prudenter communiret. Quare reſpondimus, Philippi Regis Catholici de Beato Didaco noſtra & Apoſtolicæ Sedis auctoritate in Sanctis adſcribendo, tam diuturnam & perſeverantem poſtulationem, dignam eſſe ſingulari ejus pietate, dignam perpetuo Catholicæ religionis propagandæ ſtudio; lætari nos & Deo gratias agere, quod beatos ſervos ſuos, quos in cœlis coronat, a noſtra quoque tenuitate in terris honorari velit, eoſque nobis ad auxilium & exemplum proponat.

Conſiſtorio publicum omnium Prælatorum indicitur.

Prov. 21. 1.

Decernit Pontifex canonizandum eſſe.

Et nos quidem ad pium ejus deſiderium explendum propenſiores eſſe; facere tamen rei graviſſimæ magnitudinem, ut de Regia petitione adhuc cum Fratribus noſtris Cardinalibus & Epiſcopis etiam atque etiam deliberandum cen-

cenſeremus: quare eoſdem Fratres hortati ſumus, ut omnia quæ ad hanc cauſam pertinerent, diligentiſſime conſiderarent, quodque nos ipſi jam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, ut corda noſtra ſuo lumine colluſtraret, totamque hanc actionem ad ſui gloriam, & Eccleſiæ utilitatem diſponeret & dirigeret. Hæc cum eſſent acta, alterum item conſiſtorium ſecretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in Romana Curia præſentes, Protonotarios quoque noſtros, qui ex numero dicuntur, & Rotæ Auditores intereſſe juſſimus. Tum nos ipſi de ſacroſancta hujus Apoſtolicæ Sedis, in qua, Dei providentia, ſedemus, auctoritate & poteſtate, deque Spiritus ſancti ſingulari patrocinio atque infallibili aſſiſtentia, a Deo, in omnibus verbis ſuis fideli, promiſſa uſque ad conſummationem ſeculi perpetuo aſſutura, quibus gubernatur, ea diximus, quæ cauſæ & temporis ratio potiſſimum requirere videbatur. Demum a Fratribus noſtris petivimus, ut, quoniam alias ſtatutum eſſet, ut ad ulteriora in hoc negotio procederetur, nunc preciſe & expreſſe dicerent, an ex iis actis, quæ ipſi viderant & audiverant, Beatus Didacus eſſet canonizandus. Igitur a S. R. E. Cardinalibus primum, deinde a Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis pie, graviter & erudite ſententiis dictis, omnes unanimes id ipſum ſentientes dixerunt, ſibi videri ex iis, quæ mature ipſi hac de re viderant & audiverant, Beatum Didacum a nobis merito inter Sanctos eſſe adſcribendum. Deo autem, qui in domo ſua Fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta Fratrum noſtrorum conſenſione, quodque ad ſervum & amicum ſuum, quantum nobis licet, honorandum corda noſtra impelleret & illuſtraret, cum per ejus gratiam hucuſque omnia rite atque ordine acta eſſent, quod reliquum erat, diem canonizationis præſtituimus ad ſextum Nonas Julii, quo die memoria Viſitationis Beatæ Mariæ ſemper Virginis ad ſanctam Eliſabeth pie ab Eccleſia recolitur, ut ejuſdem humani generis Advocatæ patrocinio, tamdem pium hoc opus proſpere & ſalutariter a nobis abſolveretur. Fratres interea noſtros hortati ſumus, ut intermedio tempore una nobiſcum precibus, eleemoſynis (quas nos & libenter & pie erogavimus, quemadmodum & Regis nomine ab ipſius Oratore factum fuit) jejuniis, ſacrificiis Dei auxilium invocare non ceſſarent. Is igitur feſtus Viſitationis dies, ideſt hodiernus, cum adveniſſet, Nos & Fratres noſtri Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi ſacris veſtibus induti, inchoato per nos ipſos in noſtra Pontificia capella hymno Ave maris ſtella, *cantorumque choro proſequente, ut ipſa, quæ mater eſt gratiæ, nobis præiret & præluceret, ceteris etiam Romanæ Curiæ Prælatis & Officialibus, familiaribuſque noſtris, ac univerſo regulari & ſeculari clero, longo devotoque ordine progredientibus, omnes ſimul accenſos cereos in manibus geſtantes in ejus honorem, qui eſt lux vera, gloria & ſplendor Sanctorum, e palatio noſtro Apoſtolico ſolemniter proceſſimus ad antiquiſſimam & religioſiſſimam Baſilicam Principis Apoſtolorum: in cujus medio peramplum ſuggeſtum Regio ſumptu extructum erat, paratumque Altare ad ſacram Pontificalem Miſſam celebrandam, totaque templi facies in communi Eccleſiæ lætitia hilaris, & Pontificio apparatu decenter ornata, omniaque ſpiritualibus canticis perſonabant; funalia & faces circamquaque ardebant & vexilla appenſa, in quibus beati Viri imago expreſſa erat, qui corpore erecto depictus, dextra manu coronam Beatiſſimæ Dei Genitricis, ſiniſtra crucem invictiſſimam gerit & intuetur, cujus nimirum auxilio hoſtes teterrimos, carnem, mundum & diabolum ſuperavit. Hic nos in maxima fidelis populi, totiuſque aſſtantis cleri frequentia, cæleſtis illius & triumphantis Hieruſalem effigiem quandam nobis ante oculos proponentes, & quantum in hac lacrymarum valle*

Dies canonizationis præfcripta.

Supplicatio publica cum cereis ardentibus.

Imago S. Didaci ſolemniter expoſita.

valle iicet, intuentes, conſcenſis gradibus, in ſuggeſtu ante Altare oravimus; mox in ſublimi Apoſtolico throno conſidentes, fratres noſtros S. R. E. Cardinales, & Epiſcopos omnes ſacris vestibus ornatos & paratos, nobis obedientiam de more præſtantes excepimus; tum dilectus filius noſter Petrus, tituli ſancti Hieronymi Illyricorum Presbyter Cardinalis Deça Hiſpanus, Catholici Regis Philippi, totiuſque Hiſpaniæ nomine, ſemel, iterum & tertio ſupplici-ter & inſtantiſſime a nobis petiit, ut Beatum Didacum in Sanctorum numerum adſcriberemus; noſque ad ſingulas ejus petitiones, Regis pietate, & beati Viri meritis collaudatis, ſemper tamen per diſtincta intervalla, noſtras totiuſque cleri & populi orationes, Lytanias & ſacros hymnos interpoſuimus. Demum cum jam nihil omnino ex iis, quæ a Majoribus pie ſancteque ſunt hoc de genere inſtituta, eſſet prætermiſſum, immo potius matura deliberatio ſummaque diligentia abundantius adhibita, invocato ſancto creatore Spiritu, cujus conſilio & ſapientia ſancta Eccleſia, columna & firmamentum veritatis regitur, ejuſque numen ſæpe a nobis ex intimo corde, multis etiam lacrymis imploratum, præſens adeſſe non dubitantes, ad honorem ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti, ad exaltationem ſuperna & triumphantis Hieruſalem matris noſtræ, ad exaltationem Catholicæ fidei & Chriſtianæ religionis augmentum, auctoritate ejuſdem ſanctæ Trinitatis, Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac noſtra, de venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, omniumque Patriarcharum, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Romana Curia exiſtentium conſilio & unanimi conſenſu, Beatum fratrem Didacum de ſancto Nicolao, Provinciæ Beticæ, Hiſpanum, Ordinem Minorum ſancti Franciſci expreſſe profeſſum, ſepultumque Compluti in Eccleſia Fratrum ejuſdem Ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitæ, & miraculorum in vita & poſt mortem claritate nobis pleniſſime conſtat, in Sanctorum Confeſſorum numerum & catalogum adſcribendum eſſe decrevimus & adſcripſimus, prout per præſentes decernimus & adſcribimus, eumque ut ſanctum ab omnibus venerandum eſſe mandamus: ſtatuentes, ut ab univerſali Eccleſia anno quolibet die XII. *Novembris feſtum ipſius & officium, ſicuti pro uno ſancto Confeſſore tantum, ad formam in rubricis Romani Breviarii præſcriptam, devote celebretur, quodque in ejus honorem Eccleſiæ & Altaria, in quibus Deo ſacrificia offerantur, erigi & fundari poſſint: eademque auctoritate omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ſingulis annis, eodem die feſto ſupradictam Eccleſiam oppidi Compluten. Toletanæ diœceſis, ubi ipſius corpus requieſcit, necnon Altaria & Eccleſias, quæ in ejus honorem conſtructæ erunt, devote viſitaverint, eaſdem indulgentias, privilegia & gratias conceſſimus & elargiti ſumus, quemadmodum concedimus & elargimur, quæ ceteris dicti Ordinis Sanctorum Eccleſiis conceſſa ſunt.*

Refertur inter Sanctos.

Feſtum ejus annuo celebrandū.

Quibus omnibus, quæ ad Sancti Didaci canonizationem pertinebant, abſolutis, ac laudis & gratiarum actionis hymno Deo decantato, ejuſque auxilio per Beati Didaci preces peculiari oratione, quam nos clara voce pronunciavimus, implorato, tamdem eodem in loco & Altari, Miſſam ſolemnem de Beatiſſimæ ſemper Virginis Viſitatione cum Beati Didaci commemoratione, nos ipſi celebravimus, fidelibuſque, qui tam piæ & religioſæ actioni, & ſacroſancto ſacrificio devote interfuerant, ad Dei & Sancti ſui gloriam & laudem, plenariam Indulgentiam conceſſimus.

Omnes igitur Deum cœli benedicamus, & coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam, agnoſcamuſque non ſine magna Dei providentia factum eſſe, ut biſce afflictis Chriſtianæ Reipu-

blicæ

blicæ temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum ſuffragio indigemus, novus hic ſuffragator & patronus fideli populo tribueretur. Et nos quoque, qui in hac paſtorali ſtatione, in qua nos Deus collocavit, de univerſi gregis Dominici ſalute anxii, dies noctesque pervigilamus, Dei erga nos ſingularem clementiam agnoſcimus, qui poſt tot annos, poſt tot beatiſſimos Pontifices prædeceſſores noſtros, nobis humilibus hujus magni operis abſolutionem reſervaverit, qui cum Sancto ſuo ejuſdem Seraphicæ Religionis communione conſociati ſumus. Quamobrem eumdem Patrem miſericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut per merita & interceſſionem ſancti Didaci Eccleſiæ ſuæ pacem & tranquillitatem, Regibus & Principibus Chriſtianis unionem, vitam & felicitatem, miſerit & obcecatis hæreticis lucem veritatis largiatur. Ceterum, quia nimis difficile foret præſentes noſtras originales litteras ad ſingula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus ut earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu publici notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem, quæ ipſis præſentibus, fides ubique adhibeatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum decreti, adſcriptionis, mandati, ſtatuti, conceſſionis, elargitionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLXXXVIII. *ſexto Nonas Julii, Pontificatus noſtri anno* IV.

† *Ego Sixtus Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.*



† *Ego Alexander Cardinalis Farneſius Vicecantellarius, Epiſcopus Oſtien.*
† *Ego Joannes Antonius Epiſcopus Portuen. Cardinalis ſancti Georgii.*
† *Ego Alphonſus Cardinalis Geſualdus Epiſcopus Tuſculanus.*
† *Ego Innicus Avalos Cardinalis de Arag. Epiſcopus Sabinenſis.*
† *Ego Martus Antoniut Cardinalis Columna Epiſcopus Præneſtinus.*
† *Ego Ptolomæus Cardinalis Comenſis Epiſcopus Albanenſis.*
†
† *Ego Marcus Siticus Cardinalis ab Altaemps tit. S. Mariæ Tranſtyberin.*
† *Ego P. Cardinalis Sanctacrucias tit. S. Clementis.*
† *Ego G. Card. Pal. tit. S. Laurentii in Lucina.*
† *Fr. Michael Bonellus Cardinalis Alexan. tit. S. Mariæ ſupra Minervam.*
† *Ego Ludovicus Cardinalis Madrutius tit. S. Anaſtaſiæ.*
† *Ego Nic. Card. de Pelleve tit. S. Praxedis.*

† *Jul.*

† *Jul. Ant. tit. S. Bartholomæi in Inſula Presbyter Cardinalis S. Severinæ.*
† *Ego Hieronymus Cardinalis Ruſticucius titul. S. Suſannæ.*
† *Ego Joan. Hieronymus Card. Albanus tit. S. Joan. ante portam Latinam.*
† *Ego H. Card. Simoncellus tit. S. Priſcæ.*
†
† *Ego Petrus Cardinalis Deça tit. S. Hieronymi.*
†
†
† *A. tit. SS. Joan. & Paul. Presbyter Carafa.*
† *Ego Joan. Antonius Card. SS. Quatuor.*
† *Ego Joan. Baptiſta Card. S. Marcelli.*
†
†
†
† *Ego Franc. Card. Ioyeuſe tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in monte Pintio.*
† *Ego Julius Cardinalis Cananinus tit. S. Euſebii.*
† *Ego Nic. tit. S. Cæciliæ Cardin. Cremonen.*
† *Ego Antonius Maria Cardinalis Salviatus tit. S. Mariæ de Pace.*
† *Ego Aug. Card. Veronen. tit. S. Marci.*
† *Ego Vincen. tit. S. Mariæ in via Card. Montis Regalis.*
† *Ego Philip. Card. Spinula tit. S. Sabinæ.*
†
†
† *Ego Scipio Cardinalis Lancellotus tit. S. Salvatoris in Lauro.*
† *Ego Vincentinus Cardinalis Gonzaga tit. S. Alexii.*
† *Ego Henricus tit. S. Pudentianæ Cardin. Cajetanus S. R. E. Cam.*
† *Ego Joan. Baptiſta tit. S. Mariæ in Aracœli Card. Caſiruccius.*
† *Ego F. Card. Cor. tit. S. Sephan. in M. C.*
†
† *Ego Dominicus tit. S. Laurentii Cardinalis Pinellus.*
† *Ego Hyppolitus Cardinalis Aldobrandinus tit. S. Pancratii, Major Pœnitentiarius.*
† *Ego Hieronymus tit. S. Petri ad Vincula Card. de Ruvere.*
† *Ego Philip. Cardinalis de Lenoncourt tit. S. Honuphrii.*
† *Ego Fr. Hieronym. tit. S. Thomæ in Parione Card. Aſculan.*
† *Ego Antonius Maria tit. S. Agnetis in Agone Card. Peruſinus.*
† *Ego Fr. Conſtantius Cardinalis Sarnanus tit. S. Petri in Monte Aureo.*
† *Ego G. Alanus tituli S. Martini Cardinalis Anglican.*
† *Ego Scipio tit. S. Mariæ de Popalo Presbyt. Cardinalis Gonzaga.*
† *Ego Ant. Card. Saulius tit. S. Vitalis.*
† *Ego Evangeliſta Card. Cuſentinus titulo S. Matthæi in Merulana.*
†
† *Ego Fr. Stephanus tit. SS. Marcellini & Petri Presb. Card. Arctinus.*
†
†
†
†
† *Ego A. Cardinalis Montaltus Diaconus S. Euſtachii.*
†
† *Ego Hieronymus S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Card. Matthæjus.*

† *Ego*

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

† *Ego Benedictus S. Agathæ Diaconus Cardinalis Juſtinianus.*
† *Ega Aſcanius SS. Viti & Modeſti Diaconus Card. Columna.*
† *Ego Federicus S. Mariæ in Domnica Diaconus Card. Borromæus.*

CXII. Altare, ſuper quod Sixtus graviſſimum hoc peregit myſterium, egregie ſculptum & decenter ornatum, hanc in fronte, aureis litteris ſuæ dignitatis præferebat memoriam: *Altare in quo celebravit Sixtus V. in canonizatione S. Didaci Ordinis Minorum S. Franciſci, quæ facta fuit Romæ in Baſilica S. Petri Principis Apoſtolorum* VI. *Non. Julii an. D.* M.D.LXXXVIII. *Pontificatus ſui anno* IV. *inſtante Potentiſſimo & Invictiſſimo Philippo Hiſpaniarum Rege Catholico.* Ei porro cujus precibus decreta eſt canonizatio, & cujus ſumptibus conſtructum, præ reliquis piis donariis, Altare dono miſſum eſt in Hiſpaniam, adjecto hoc commendationis inſtrumento. Altare canonizationis miſſum Philippo II.

SIXTUS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

CXIII. *Inter multa Divinæ clementiæ munera, quibus Deus ipſe, qui dives eſt in miſericordia, Eccleſiam ſuam in miſeratianibus coronat, & hoc quoque merito connumerandum eſſe exiſtimamus, quod his proximis diebus Beatus Didacus Hiſpanus ex Ordine Fratrum Minorum ſancti Franciſci, admirabilis vitæ ſanctitate & miraculorum ſplendore illuſtris, per officium ſervitutis noſtræ in Sanctorum Chriſti Confeſſorum numerum eſt relatus. Quod pium & religioſum munus in Baſilica Principis Apoſtolorum, ex Majorum inſtituto, ſacris ritibus & cæremoniis adhibitis, in magna venerabilium fratrum noſtrorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, totiuſque cleri & populi frequentia, tam ſolemniter & devote actum eſt, ut omnes Dominum magnificarent, Spiritus vero noſter in Deo ſalutari noſtro incredibiliter exultaret; quemadmodum litteris noſtris de ejuſdem Beati Didaci canonizatione confectis ſub Datum Romæ die ſecunda Julii, anno* IV. *noſtri Pontificatus, copioſius explicatur. Et quoniam cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus, Hiſpaniarum Rex Catholicus, pro ſua perpetua & eximia quadam erga Beatum Didacum devotione, diuturno & perſeveranti ſtudio ab hac Apoſtolica Sede, ſuperioribuſque Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & demum a Nobis ipſis inſtantiſſime poſtulavit, ut Beatus Didacus in Sanctorum catalogo adſcriberetur. Nos ad ejuſdem Regis ſpiritalem conſolationem, paternæque noſtræ erga eum benevolentiæ teſtificationem, illud ipſum Altare, in quo eodem Beati Didaci canonizationis die nos ipſi Pontificalem Miſſam de Beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis Viſitatione, cum Sancti Didaci Confeſſoris propria commemoratione, ritu maxime ſolemni celebravimus, ad eumdem Regem in Hiſpaniam aſportandum transferendumque mandavimus, ut Rex, quem licet corpore abſentem, pro ejus tamen, quam hactenus experti ſumus, religione, ſpiritu præſentem fuiſſe pie credimus, noſtri publicique gaudii diei illius ipſe quoque partem aliquam oculis haurire poſſit. Cupientes autem ad omnipotentis Dei gloriam, & Sancti Didaci memoriam, animarumque ædificationem, ut idem Altare tanta illuſtrius & diuturnius rei geſtæ celebritatem repræſentet, quanto religioſius fuerit aſſervatum; ipſeque de cetera Miſſas in eo celebrandi uſus, & ſacrarum Indulgentiarum ſalutaris conceſſio & fidelium devotionem excitet, & ſacra præteriti recordatio factli eorum corda magis commoveat: recogitantes præterea non ſolum ſacrorum Cananum decreta, quæ Altari, in quo Epiſcopus*

Miſſam celebraverit, eam reverentiam haberi volunt, ut non in eo ſtatim aliter celebret, niſi priùs petita & impetrata licentia; conſiderantes quoque quod ex vetuſtiſſimo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Matris & Magiſtræ ritu, ſacraque Majorum traditione, in ſacroſancto Altari Lateranenſi, ipſiuſque Vaticanæ Baſilicæ, aliarumque Patriarchalium Urbis Eccleſiarum Altaribus nemini præter Romanum Pontificem Divina myſteria celebrare licet; etſi ejuſdem S. R. E. Cardinalibus illud interdum permittitur, non tamen niſi ex peculiari noſtra & pro tempore Romani Pontificis diſpenſatione: Ob eas cauſas, motu proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine interdicimus & prohibemus, ne quis presbyter aut ſacerdos, etiam Epiſcopali aut majori dignitate præfulgens, auctoritate propria in Altari ſupradicto, quod ſancti Didaci appellari, & in capella Regia, aut aliqua Eccleſia ab ipſo Catholico Rege deligenda deceuter collocari volumus, Miſſas celebret, niſi quibus a nobis certis tantum ſtatiſque diebus permiſſum eſt. Concedimus vero, & facultatem tribuimus in primis, ut quivis S. R. E. Cardinalis, ſive Epiſcopus ſive Presbyter, deinde alii Antiſtites, nempe Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi dignitate præditi, tum ſinguli Abbates, mitræ tamen & baculi uſum habentes, ii quoque qui in Cathedralibus vel Metropolitanis Eccleſiis majores poſt Pontificalem dignitates obtinuerunt, Miniſter Generalis Ordinis Minorum ſancti Patris Franciſci, ac Prior Monaſterii ſancti Laurentii, quod dicitur l'Eſcurial, Toletan. diœceſis, tantum in Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac glorioſiſſimæ Virginis ejus Genitricis Mariæ feſtivitatibus, quinta etiam feria in Cœna Domini, ac celebritatis Omnium Sanctorum, ipſiuſque ſancti Didaci natali die in dicto Altari Miſſas, ut dictum eſt, valeant celebrare: Regi vero, & Regio ſanguine genitis utriuſque ſexus perſonis, qui quolibet eorumdem dierum Miſſis in dicta Altari celebrandis devote interfuerint, centum annos & totidem quadragenas de injunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis relaxamus. Si vero corde contriti & ore confeſſi, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, & pro ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, hæreſum extirpatione, ac Principum Chriſtianorum concordi unione Deum oraverint, quoties id egerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: aliis autem itidem contritis, confeſſis, & ſacra communione refectis centum annos & totidem quadragenas; reliquis vero quinquaginta annos de injunctis eis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Eccleſiæ conſueta ſimiliter relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis, quas ſub quibuſvis ſimilium vel diſſimilium Indulgentiarum revocationibus, ſuſpenſionibus, quibuſcumque illa concepta fuerint formulis, niſi certa & individua noſtrarum litterarum habita mentione, minime comprehendi volumus, ſed ſemper ab illis exceptas eſſe, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum ſtatum reſtitutas & repoſitas, & plenarie reintegratas eſſe & cenſeri decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, & Cathedralium & quarumcumque aliarum Eccleſiarum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Murcum ſub annulo Piſcatoris, die XX. *Auguſti anno* MDLXXXVIII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

CXIV. Circa ritum, quo Beati Didaci feſtum celebrari debeat, quibuſque id liceat, duabus litteris expreſſerunt Sixtus V. & Clemens VIII. quas hic exſcribo.

SIX-

SIXTUS &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

Gloriosus Deus in Sanctis suis, in eorum veneratione eo jucundius ietatur, quo ipsi per quampiura sanctitatis opera & virtutis signa, quibus ciaruerunt, inter Sanctos suos meruerunt connumerari. Cum itaque Nos nuper Sanctum Didacum, Ordinis Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum, sanctitate vitæ & morum nitore tam admirandum, quam venerandum, ac etiam miraculis ciarum, in numero Sanctorum retulerimus, ejasque diem festum die duodecima Novembris anniversario honore in Ecclesia Dei celebrari indulserimus; conveniatque ut dicti Ordinis professores hunc sanctum celebriori memoria venerentur: Nos mota proprio & ex certa nostra scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine, quod omnes & singuli professores dicti Ordinis, ac Moniales & Sorores sanctæ Claræ & Conceptionis, quam Tertiariæ in congregatione sub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Observantia viventes, in suis quisque videlicet Ecclesiis, in quibuscumque mundi partibus existentibus, festum bujus sancti Didaci sub duplici officio, in Regnis vero Hispaniarum etiam illius octavam, quemadmodum festa aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare possint, Apostolica auctoritate, tenoro præsentium concedimus & indulgemus; ita quod festum sancti Martini Papæ & Martyris, quod dicta die occurrit, transferatur in primam diem immediate sequentem, simili festo non impeditam. Et quia difficile foret has litteras ad singula quæque Orbis terrarum loca pervenire, volumus & decernimus, quod earum exemplis etiam impressis, & manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Prælati munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XVI. *Novembris* MDLXXXVIII. *Pontificatus nostri anno* IV.

Ritus celebrandi festum S. Didaci.

CLEMENS &c.

Ad perpetuam rei memoriam.

CXV. *Quæ ad Sanctorum venerationem augendam pertinent, ea libenter concedimus, prout fideliam devotio postulat, ac alias in Domino conspicimus expedire. Alias siquidem fel. rec. Sixtus Papa V. prædecessor noster motu proprio concessit & indulsit, quod omnes & singuli professores Ordinis Fratrum Minorum sancti Francisci, ac Moniales & Sorores tam sanctæ Claræ & Conceptionis, quam Tertiariæ in congregatione sub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Observantia viventes, in suis quisque, videlicet Ecclesiis in quibuscumque mundi partibus existentibus, festum Sancti Didaci Confessoris die duodecima Novembris sub duplici officio, in regnis vero Hispaniarum etiam illius Octavam, quemadmodum festa aliorum dicti Ordinis Sanctorum celebrare possent, prout in ejusdem Sixti prædecessoris in forma Brevis sub die decima sexta Novembris, anno millesimo quingentesimo octogesimo octavo expeditis litteris plenius continetur. Cum autem, sicut pro parte dilecti filii Commissarii Generalis Curiæ ejusdem Ordinis nobis expositum fuit, Religiosi ejusdem Ordinis etiam extra Hispaniam ubique locorum existentes, eumdem Sanctum Didacum singulari de-*

devotionis affectu proſequantur, eorumque devotioni ac ſpirituali conſolationi ſatisfieri plurimum poſſet, ſi eis quoque prædictum feſtum cum Octava celebrandi facultas concederetur. Quare nobis nomine dicti Commiſſarii Generalis humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis ac aliis infraſcriptis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorumdem Religioſorum, ac aliorum Chriſtifidelium erga ipſum Beatum Didacum devotioni, quantum cum Domino poſſumus, benigne annuere volentes, ac litterarum Sixti prædeceſſoris prædictarum tenorem præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis ejuſdem Ordinis profeſſoribus, necnon Monialibus & Sororibus ſanctæ Claræ & Conceptionis, quam Tertiariis in congregatione ſub obedientia eorumdem Fratrum Minorum de Obſervantia viventibus, extra regna Hiſpaniarum in quibuſcumque mundi partibus exiſtentibus, ut eorum ſinguli feſtum prædictum Sancti Didaci, ac etiam illius Octavam, quemadmodum feſta aliorum ejuſdem Ordinis Sanctorum, celebrare valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus & indulgemus. Præterea, cum ab eodem Sixto prædeceſſore ordinatum fuerit, ut in univerſis Orbis Eccleſiis feſtum ejuſdem Sancti Diduci celebraretur, ſed qua ſolemnitate celebrandum ſit, non fuerit decloratum; nos eorumdem tenore præſentium decernimus & declaramus, in univerſis Orbis terrarum Eccleſiis, ac ab omnibus tam ſecularibus, quam quorumvis Ordinum & Inſtitutorum Regularibus, & aliis Eccleſiaſticis perſonis utriuſque ſexus, feſtum prædictum Sancti Didaci ſub ritu ſemiduplici, in Civitate vero ac diœceſi Hiſpalenſi, unde prædictus Sanctus Didacus ortus eſt, necnon in Civitate & diœceſi Toletana, in qua illius corpus requieſcit, ſub dupliei ritu celebrandum eſſe. Præterea ad eorumdem fidelium devotionem non modo conſervandam, ſed in dies magis augendam, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus meritis confiſi, omnibus utriuſque ſexus Chriſtifidelibus, qui vere pœnitentes & confeſſi, ac ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refecti, aliquam prædicti Ordinis utriuſque ſexus Eccleſiam die feſto prædicti Sancti Didaci a primis veſperis uſque ad occaſum ſolis ejuſdem diei devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Kalendarii, Breviarii & Miſſalis Romani diſpoſitionibus & regulis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem ut præſentium tranſumptis etiam impreſſis, manu alicujus Notarii ſubſcriptis, & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXVI. *Maii anno* MDXCVIII. *Pontificatus noſtri anno* VII.

Marian. lib. 3. c. 14. Marc. 3. p. l. 4. c. 31. & ſeqq. Radul. fol. 137. B. Catarinæ Bononien. parentes.

CXVI. Ex humanis abiit hoc anno Catarina Bononienſis Clariſſa, per Italiam & extra notiſſima. Ejus vitam ſcripſerunt Marianus Florentinus, Petrus Rodulphus, Marcus Ulyſſiponenſis, Carolus Sigonius, Dominicus Maria Mutiatus, Joannes Sabbatinus Arietinus, Joannes Antonius Flaminius Foro-cornelienſis, Chriſtophorus Manſverus Montis Clari. Sed omnium prima, Illuminata a Bembo, Catarinæ ſocia; nos in compendium reducemus, quæ alii diffuſius retulerunt. Bononiæ nobili familia Vigriorum, patre Joanne Ferrarienſi, matre Benevenuta Bononienſi anno MCCCCXIII. ad ſextum Idus Septembris progenita, parentes & conſanguineos plurimum illuſtravit. Ejus nativitatem nocte, quæ felicem partum præceſſit, ipſa Dei

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 256.
1463.	an. 5. & 6.	anno 24.	

Dei mater Joanni patri Patavii agenti præmonſtravit, eamque futuram ingens orbis lumen prædixit. In lucem edita, nullum vagitum, quemadmodum infantes ſolent, emiſit, neque per totum triduum aliquid vel lactis vel alterius nutrimenti guſtavit, maximo ſanctitatis & auſteritatis futuræ præſagio. Bononiæ primis annis exactis, a parentibus Ferrariam miſſa, Margaritæ Nicolai Ateſtini Principis filiæ familiariter convixit. Erat illi in teneris annis prudentia ſenilis, modeſtia ſingularis, ac morum elegantia admiranda. Ibi cum delicias omnes atque opes faſtidiſſet, relicto aulico ſplendore atque ſeculi vanitate, Monaſterium Corporis Chriſti ſacrarum divæ Claræ Virginum, permittentibus parentibus, non major undecim annis ingreſſa eſt, ut amotis omnibus impedimentis, Chriſto ſe dederet, quem dies noctesque cogitabat.

Primordia ſanctitatis.

Ordinem ingreditur S. Claræ.

CXVII. Remota ab omnibus rerum terrenarum occupationibus, ingenti animi ardore Deo famulari cœpit, parentum ac propinquorum omnium cogitationem ſtatim depoſuit, ut nihil aliud, quam Deum meditaretur. Peccatorum in primis miſerabatur, ſalutemque eorum vehementer cupiebat. Itaque frequentes pro iis apud Deum preces interponebat, ut ad pœnitentiam reverſi, Divinæ benignitati conciliarentur. Tentationes graviſſimas ab antiquo hoſte immiſſas tam patienter, quam libenter pro Chriſto ſuſtinuit, eaqueptopter hilari ſemper fuit facie, & temperata gravitate, exultanti aſſimilis. Propter unum jactantiæ peccatum, annis quinque eam tribulari, variiſque tentationibus vexari Dominus permiſit. Bis in ſpecie Mariæ Virginis, ſemel ſub figura Chriſti Domini patibulo affixi ei Satan apparuit, ad deſperandum inducens. Nullam ſibi temporis portionem vacuam elabi patiebatur, ſciens nullius æque rei Deo reddendam eſſe rationem, quam temporis. Nullum ex ore illius verbum excidit inane, & quod aliquo modo audientes poſſet offendere. Pro Chriſto cupida contemni ac pro nihilo haberi, ſtulta exiſtimari atque dici appetebat, & quemadmodum ipſa ſe credebat, ita judicari ab omnibus contemptibilior exoptabat. Exinde nihil unquam aut dicebat aut faciebat, quod profundiſſimæ humilitatis ſpecimen non exhiberet. Itaque deterrima veſtimenta induebat, viliſſima miniſteria depoſcebat, tam valentibus, quam ægrotantibus adeo ſubmiſſa caritate miniſtrabat, ut nihil tam laborioſum, aut tam ſordidum foret, quod illa refugeret. Ex humilitate profunda, obedientia illi promptiſſima, ut omnium ſacrarum Virginum ancilla & eſſe & dici gloriaretur.

Exercitia regularia.

Ejus humilitas.

CXVIII. Orationi dies noctesque incumbens, cum ſolitariæ vitæ deſiderio teneretur, ac ne a Satana inſidiatore illuderetur, metueret, Divinitus admonita fuit, ne alio emigraret, debere unumquemque in eo ſtatu permanere, ad quem illum Deus vocaverit. Cum inter orandum magna laſſitudine fatigata, aliquando in ſoporem incidiſſet, ſecundum quietem apparuit ei ſanctus Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, Pontificalibus veſtimentis ornatus, qui illam edocuit, modum etiam orationi eſſe adhibendum, & poſt eam aliquantum quieſcendum, ac collectis deinde viribus ad eam redeundum. Hæc cum ſanctus præſcripſiſſet, manum illi oſculandam exhibuit, & ab oculis ejus diſparuit. Ab hac viſione experrecta, ſeptem ſibi in oratione obſervanda propoſuit: primum, mundum ab omni labe animum & corpus habere; ſecundum, vehementi Divini honoris in rebus omnibus deſiderio teneri; tertium, bonorum perpetratorum obliviſci, & ad anteriora manum extendere, neque unquam in operatione deficere; quartum, cupiditate pro delictis propriis & alienis ſatisfaciendi flagrare; quintum, ſibi non fidere, nec propriæ opinioni inniti velle, ac omne bonum opus ſuum habere ſuſpe-

Orationis aſſiduitas.

Apparet ei ſanctus Thomas Cantuarien.

ſuſpectum, laborioſamque portare crucem; ſextum, ſpem omnium in Deo collocare; ſeptimum, Divinam præſentiam perpetuo cogitare, neque unquam efferri, aut ſuperbire.

Viſiones habet cœleſtes.

CXIX. Per has lineas dum ſeſe Catarina in orationibus exerceret, Divinis viſionibus & apparitionibus digna fuit. Semel nocte, quæ natalem Chriſti diem præceſſit, quarta ipſa hora concubia, oranti in templo Diva Virgo Deipara infantem Jeſum in ulnis geſtans viſibiliter apparuit, & filium illi ſuum amplectendum diſſuaviandumque tradidit. Sacerdote inter ſacrificandum verba cantus Angelici *Sanctus*, *Sanctus* recitante, Angelos illa ipſa verba repetentes exaudivit. Sanctum quoque Franciſcum ſemel & iterum ſibi apparentem conſpexit. Propriis etiam vidit oculis abeuntem in fumi ſpeciem Diabolum, cum quemdam ſic impuliſſet, ut de ſuo ovili omnino egredi vellet.

Multa a Deo impetrat.

CXX. Multa difficilima oratione ſua impetravit. Inter hæc, ne Margarita Nicolai Ateſtini filia, a Roberto Malateſta vidua relicta, alteri viro a parentibus jam deſponſa, præter voluntatem deſponſæ jungeretur, obtinuit; nam quo die ad ſecundum maritum fuerat ducenda, ille diem ſuum obiit, ac nocte inſequente illi Robertus apparuit & dixit: *Scito Margarita me tuum eſſe ſponſum, atque nolle ut alteri viro jungaris*. Multa, & in his victoriam Bononienſium de Philippo Mediolanenſium Duce prædixit Catarina; nam ipſa pro patria orante, Hannibal Bentivolius, facto adverſus Mediolanenſes copias impetu, illas cum ſuo Duce fudit atque fugavit. Conſtantinopolitanæ quoque urbis excidium prævidit, ac Imperii Orientalis mutationem pronunciavit: pro quâ re cum rogaret, ne Chriſtianorum Imperium in poteſtatem Turcarum veniret, admonita eſt a Deo, ut precandi finem faceret, quod propter Græcorum flagitia & impietatem oporteret a Chriſtiano corpore illud Imperium reſcindi. Inter orandum etiam cernere meruit ſororis ſuæ animam in cœleſti patria collocatam, necnon animam Joannis Ferrarienſis Epiſcopi hora diei tertia cœlos ſcandentem. Dum ſanctus Bernardinus cathalogo Sanctorum inſcriberetur, ipſa in ſpiritu interfuit, & ut ſuus Frater in viam ſalutis, a qua deviaverat, dirigeretur, ab ipſo petiit & impetravit. De revelationibus ſibi factis propria manu libellum ſcripſit Bononiæ & Venetiis excuſum.

Tom. an. 1455. n. 111.

CXXI. Anno MCCCCLVI. cum Virginibus quindecim e Monaſterio Corporis Chriſti urbis Ferrarienſis, uti diximus, accita, itineris ſociam habuit Marchionis Ateſtini ſororem, quæ vel invitam Bononiam uſque voluit comitari. In novum Monaſterium XII. Kalendas Auguſti introducta, omnium ſuffragiis Abbatiſſa deſignatur, ſed conſtanter reſtitit, nec induci potuit, ut Præfecturam admitteret, donec Deus illam ſuo ore admonuit, ut injunctum ſubiret Miniſterium. Prævidens bonarum mentium inimicus plurimas eo in loco ſancte victuras, & Dei cultum religioſe promoturas, quibus potuit artibus, ſtatuit Monaſterium evertere nomenque delere, ſed ſe obſtitiſſe ne uſpiam prævaleret, Divino percepit oraculo. Duas ſedes magnificentiſſimo apparatu ornatas, alteram quidem majorem, alteram vero minorem cœlitus demiſſas ſemel aſpexit, & ex his majorem ornatioremque Catarinæ Bononienſis eſſe audivit. Aliquando gravi ægritudine afflicta, Principem orbis Jeſum in throno Majeſtatis ſuæ ſedentem, Divamque Deiparam, & ſanctos Laurentium ac Vincentium martyres una cum innumeris Angelis circumſtantibus, & quemdam in conſpectu Principis, fidibus verba illa *& gloria ejus in te videbitur* canentem contuita, audivit Jeſum dextera manu Virginem apprehendentem, dicentemque: *Audi filia dili-*

Dei monitu Abbatiſſatum admittit.

Ægrotat.

gen-

genter concentum, & percipe, qui eſt, & gloria ejus in te videbitur. In extremam poſtea ægritudinem delapſa, cum horam mortis adeſſe intelligeret, Sacramenta Eccleſiaſtica ſumma cum demiſſione recepit, illud inter pias monitiones Sororibus promittens: *Scitote me vobis utiliorem fore in cœlis, quam hucuſque in terris fuerim, ſi tamen per viam mandatorum Dei, & præmonſtratam a me vobis ſemitam gradiemini, mutuæ ſemper caritatis memores, pacis atque concordiæ amantes.* Hæc & alia plurima cum per horas tres ſermocinata dixiſſet, ſeque nimis febre & fluxu ſanguinis debilitari & ad mortem properare ſentiret, Deo laudes ut canerent Sorores, impetravit, quibus & ipſa concinebat. Humiliter deinde rogavit, ut univerſæ ignoſcerent, ſi quid in ipſas deliquerat; & mox facie mirum in modum exhilarata, ter repetito Jeſu nomine, parvo ac placido ſuſpirio animam efflavit die IX. Martii, circa horam decimam quintam, ætatis anno quinquageſimo. Pallebat ſemper jejunio, & ab ipſa natura ita efformata facies, ſed dum Euchariſtiæ ſumebat Sacramentum, pulcherrima videbatur, eodemque nitebat poſt mortem colore, ac ſi juvenili floreret ætate. Suaviſſimum etiam emittebat odorem circumſtantes mirifice recreantem. Moritur.

CXXII. Celebratis ſolemniter exequiis, alta recondita eſt humo, effoſſa terra brachiis duobus; ſed cum ſæpiſſime e ſepulcro radios prodire ſolares Sorores conſpicerent, multæque ad ſepulcrum orantes e variis ſanarentur languoribus, inito cum Confeſſario conſilio, decreverunt ſuam inſtitutricem exhumare, & decentiori loco collocare. Die itaque decimo nono poſt curatum funus orantes, & lucidiſſimis ſtellis ſuper tumulum apparentibus, Dei beneplaciti admonitæ, noctu ſacrum pignus refoderunt. Pulchrum quidem illud, integrum, ſuavem ſpirans odorem cum reliquæ eo convocatæ virgines vidiſſent, in humeros elatum, in Eccleſiam pſallentes & cantantes pertulerunt. Coram Altare majori poſitum variis motibus & ſignis. ſacrum adoravit Sacramentum, vultuſque mirum in modum rubicundus apparuit, atque ad modum vehementer laborantis ſudorem emiſit. Concurrente univerſo populo ad pium ſpectaculum, Pontificius ea in urbe Legatus præcepit, ut publice in Eccleſia exponeretur. Per dies quinque omnium patuit conſpectui pallenti aliquando facie, aliquando rubenti, & quod mirabilius eſt, etiam calenti. In nobile depoſitum illata, varios viſa eſt ſubire colores, ſanguinem emittere, capillos & ungues excreſcere. Demum ita perſeveravit integrum ac tractabile corpus, ut illud Sanctimoniales veſtiant, in cathedra collocent, venerationi exponant, mollitie ac flexibilitate membrorum tanta, ut non mortua, ſed quaſi ſomno oppreſſa ab omnibus videatur. Exhumatâ corpus reperitur integrum. Adorat Sacramentum. Mirabiles ejus effectus.

CXXIII. Multis claram miraculis, Clemens VIII. Eccleſiaſticis tabulis inſcripſit ſub diem nonum Martii, additis his verbis Martyrologio Romano: *Bononiæ, beatæ Catarinæ virginis Ordinis ſanctæ Claræ, vitæ ſanctitate illuſtris, cujus corpus magno cum honore ibidem colitur.* Clemens VII. indulſit ejus feſtum quotannis celebrari in Monaſterio utroque Bononienſi & Ferrarienſi, & recitari officium proprium a Reverendiſs. Dionyſio Paleotto Minorita compoſitum „ Tamdem Clemens XI. die XXII. Maii an. MDCCXII. „ Eam Sanctorum Catalogo aſcripſit, ut ſuo loco innuemus „ Hæc in ejus laudem quotidie a Sororibus decantatur antiphona. Ejus cultus; ADDITIO Aliorum.

Virgo prudentiſſima, dum evolaſti ad ſidera,
Reliquiſti in Bononia lampadem Balſamiticam
Ægris dantem remedia. O Catarina Franciſci

No-

Nova plantula, ora Deum, cui es conjuncta,
Ut æternam poſſideamus vitam.
℣. Ora pro nobis &c.

ORATIO.

Deus qui liquorem aromaticum de membris beatæ Catarinæ Virginis ad honorem tui nominis manare voluiſti: concede propitius, ut ſicut odore unguentorum ejus in terris reficimur, ſic ejus apud te in cœlis ſuffragia ſentiamus. Per Chriſtum Dominum &c.

Liquor e corpore emanat.

CXXIV. Juxta quod in oratione indicatur, e corpore mirabilis liquor emanat, multis pulſis infirmitatibus commendatiſſimus. Color nunc corporis flavus, & tamquam unguento delibuti nitescens. Olim opera Angeli Cardinalis a Capranica Legati Bononienſis ad loculum in modum Altaris erectum, non procul a venerabili Euchariſtiæ ſacramento translata ſanctiſſima Virgo; inde inſtanter petentibus Bononienſibus, translata, nunc ante cratem in cathedra ſedet, facie, manibus pedibuſque diſcoopertis. Prope eum locum ſequens legitur epitaphium.

Sedet in cathedra.

Hoc corpus, quod cernitis incorruptum, D. Catharinæ Bononienſis eſt, quæ Monaſterium prima cum paucis ædificari curavit: quod multos annos mirabili ſanctimonia rexit, & gubernavit. Cum vero ex humanis deceſſiſſet, humi ſepulta fuit; cujus corpus decimonono die poſt ipſius exequias maximo populi concurſu, & totius Civitatis admiratione, integrum (ut nunc cernitis) & odore ſuaviſſimo fragrans, repertum eſt. Multa quoque ſigna ſanctitatem atteſtantia ſubſecuta ſunt. Obiit anno Domini 1463. die nono Martii.

Joan. Mogin obiit. An. 1458. n. 5. & anno 1461. n. 16. Floren. viri docti in Polonia.

CXXV. Hoc anno obiit in Conventu Metenſi Joannes Mogin, quem diximus functum eſſe officio Vicarii Generalis Ultramontani an. MCCCCLXI. Vir ſane probus & doctus, qui magnum ſui reliquit Conſodalibus deſiderium. Florebant hoc tempore in Provincia Poloniæ doctrina illuſtres, frater Auguſtinus Cracovienſis celeberrimus Concionator, a beato Joanne Capiſtrano converſus, dum in Univerſitate Cracoviæ inſignis eſſet Artium Magiſter; frater Matthæus ejuſdem Academiæ, Philoſophiæ & Theologiæ Baccalaureus, in Religione humilis, virtutum omnium ſectator, magnus nominis Jeſu venerator, prout a Capiſtrano ſuæ converſionis Auctore didicerat; frater Leonardus Artium Baccalaureus, genere nobilis, virtutibus nobilior, antequam Minoritis nomen dediſſet, Sacerdotio initiatus, ſumma cum laude in Eccleſia Cathedrali Cracovienſi prædicabat. In Religione idem prædicandi munus proſequutus, ampliori Spiritus ſancti gratia abundabat, continuis vacans orationibus, & ſacrarum litterarum lectioni. Leopoli Guardianum agens, translatus eſt Cracoviam Conſodales recturus, ubi quamdam Tertii Ordinis Sororem uno oculo cæcam perfecte ſanavit. Multis tunſionibus expolitus, poſt infirmitates multas magnanimus, & omnium membrorum dnlorem, duodecim diebus præ magnitudine pœnæ nihil deguſtato, ſanctiſſime obdormivit in Domino, cœleſti adaptandus habitaculo. His contemporaneus frater Alexius, vir religioſiſſimus, miræ abſtinentiæ, unam tantum multoties admittens in hebdomada refectionem, obiit hoc tempore in Conventu Cracovienſi.

CXXVI.

CXXVI. Creatus eſt hoc anno Epiſcopus Cephalenien. & Zacintinæ Eccleſiarum unitarum in Inſulis Maris Jonii, ſub Archiep. Corciren. frater Joannes Antonius Scardameti, per obitum Joannis, XII. Kalendas Novembris. Lamacen. in Luſitania, ſub Archiep. Braccaren. frater Rodericus de Noroncha, conſanguineus Alphonſi Regis, per ceſſionem Joannis II. Kalendas Septembris. Hic inſtitutus fuit anno MCCCCLIX. Prior celeberrimi Monaſterii ſanctæ Crucis Conimbricenſis, per obitum Gomaſii, Ordinis ſancti Auguſtini, quod tamen reputo non acceptaſſe. Agathopolen. in Hæminonte, ſub Archiep. Adrianopolitan. frater Thomas Buelduer, ſacræ Theologiæ Magiſter, per obitum Leontii, electus VI. Nonas Martii anno MCCCCLX. hoc anno datus Buchardo Epiſcopo Conſtantienſi ſuffraganeus, VIII. Kalendas Octobris. Fit Sacellanus Pontificius frater Petrus de Chaloca, poſtquam in Univerſitate Salmanticenſi per annos decem publice profeſſus eſt Theologiam. Marinus Simonis de Areſtis Raguſinus, nobili genere natus, donatur Prioratu ſancti Andreæ de Pelago, Ordinis ſancti Benedicti. Comendatur etiam a virtute & doctrina frater Bartholomæus de Urſinis Nolanus, qui varia ſcripſit opera, de quibus ſuo loco dicemus. Filium aut conſanguineum reputo Raimundi de Urſinis Principis Nolani, qui tunc ante paucos annos deceſſit, cujus ſepulcrum conſpicitur in veſtibulo templi Minorum ſtrictioris Obſervantiæ, non longe ab urbe Nolana, cui rude hoc adjectum Epitaphium, ſepulcrali lapidi marmoreo inciſum, quod anno MDCXXXIX. dum illac tranſirem, exſcripſi.

Fr. Joan. Epiſc. Cephalenien.
Fr. Roderic. Lamacen.
Fr. Thom. Agathopolitan.
Petrus de Chaloca.
Marinus Simonis de Areſtis.
Bartholomæus de Urſinis.

Hic jacet corpus Illuſtris Domini Raimundi de Urſinis. Nolanus & Palatinus, ac Sarni Comes, Princeps Salerni, Dux Amalfiæ, Regumque Siciliæ Magiſter Juſticiarius: & uxor Leonora regali proſapia de domo Aragonia, qui vbiit anno Domini M. CCCC. LIX. *&* VII. *die menſis Novembris.*

CXXVII. Patres Conventuales nullum habebant hoc tempore in Urbe domicilium, præter unum ſancti Salvatoris *in unda* hoſpitium, Procuratoris miniſterio deputatum, uti alias non ſemel enarravimus. Pius itaque Pontifex hoc anno eis conceſſit Baſilicam duodecim Apoſtolorum a Conſtantino Imperatore conditam, a Pelagio I. integre refectam, etſi opus Joannes III. compleverit. Translatis illac ſanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum corporibus, ſub prædictorum Pontificum tempora, ab illis cœpit Eccleſia denominari, etſi in quibuſdam Martyrologiis MSS. ſimul cum horum feſtivitate, quæ in illa Baſilica ſolemniter celebratur, adnotetur etiam celebritas omnium Apoſtolorum. Templum erat magnificum, & frequens Canonicorum Collegium, iis vero ad parvum numerum redactis, & reditibus imminutis, Eccleſiam contulit Pontifex Patribus prædictis. Gregorius I. ſtationes hic multas inſtituit, habuitque aliquot ſermones ad populum, præſertim homilias 17. & 36. ſuper Evangelia. Adrianus I. labentem reſtituit, Martinus V. inſignem Columnenſium domum adjunxit; Sixtus IV. tribunam ſeu abſidam, Julius II. nepos porticum extruxit. Hinc aſſumptus ad Cardinalatum, deinde ad Pontificatum Sixtus V. emptam Columnenſis Palatii partem Monaſterio adjecit, nobile ibidem Collegium ſancti Bonaventuræ inſtituit, reditus auxit. Plurimi hic floruerunt Viri litteris & virtute præſtantes; inter quos enituit Magiſter Jacobus a Bagnacaballo Ordinis Primicerius, religioſa vita omnibus venerandus, qui diſciplinam regularem prudenter & placide reſtituit, eique non impar, qui modo regit Magiſter Joannes Baptiſta Larinenſis. In Eccleſia præter relata bina Apoſtolo-

Tom. II. ann. 1448. n. 27. & Tom. 12. ann. 1448. n. 10. Conv. SS. Apoſtolorum Romæ.

rum corpora, multæ aliorum magnorum Sanctorum hic habentur exuviæ, a variis Pontificibus aggregatæ. Huc ſpectabat excelſa & miri operis columna Trajani ab antiquis ſcriptoribus digne commendata.

CXXVIII. Zanetus Utinenſis Conventualium tunc in Curia Procurator, qui poſtea electus eſt Generalis Miniſter, ex Pii litteris ſcrupulo concepto, quia narrabant nullum alium ſubeſſe prædictis Patribus in Urbe habitaculum, petiit ab eo confirmari prædictam domum ſancti Salvatoris, ab Eugenio IV. & Nicolao V. conceſſam, ne cenſeretur per prædictas litteras revocata. Annuit libenter Pontifex, & utriuſque Pontificis donationem ſuis litteris inſeruit.

Gonz. in Prov. Rom. Conv. 23.

CXXIX. Prope Ortæ Civitatem Etruſcam, ditionis Pontificiæ, non longe a Tyberis flumine, eo loco, quo Attalas vetuſtiſſimam Citæ urbem inter Umbriæ Sabinæque fines condiderat, humile domicilium paucis Fratribus, concionante inter eos Bernardino Senenſe, Ortani poſuerunt. Hoc anno refectum ſeu potius ex integro conſtructum a Dominico Sanctio, & eidem Bernardino ſacrum teſtatur inſcriptio lapidi ibidem inciſa. Ex hac urbe prodierunt beati patres Benignus, Panormi in Conventu ſancti Franciſci, & Joannes in Templo Aracœlitano ſepulti. Laborabant olim aquæ penuria Ortani, caſu prædicabat in foro beatus Ungarellus, Apoſtolicus concionator, Provinciæ ſancti Antonii alumnus, die Apparitionis S. Michaelis, quem ſi feſtive colore vellent, futuræ pluviæ ſpem exhibebat, illi extemplo voverunt, ſe pro feſto deinceps habituros, ſtatimque copioſo imbre recreati ſunt.

Conv. Orta.

B. Ungarellus.

CXXX. Conventum ſancti Franciſci non procul a Sartiano, Etruriæ oppido, incerto auctore & tempore conſtructum, Pius Pontifex hoc anno, rogantibus oppidanis juſſit reformari. Id ſub Julio II. apud Gonzagam factum legitur, ſed vitium puto Typographi vel Amanuenſis, qui pro Pio Julium ſubſtituit, etenim hoc ipſo anno reformatum enarrat per Ludovicum de Senis, qui ad Julii Pontificatum non pervenit, defunctus anno MCCCCLXVIII. uti tunc referemus. Sub Paulo II. non III. uti habet Gonzaga, Patres Conventuales Conventum reſtitui petierunt, ſed acriter obſtitit populus Sartianenſis. Vixerunt hic beatus Albertus Sartianenſis & alii multi virtutibus illuſtres.

Conv. Sartiani reformatur.

Gonz. in Prov. Tuſc. Conv. 29.

CXXXI. Inchoarunt Patres Conventuales in urbe Caſalis, tunc oppido, diœceſis Vercellenſis, in regione Montis-ferrati, domum quamdam, ſed perficere neglexerunt. Muros itaque ruinæ proximos, & aream vepribus & virgultis obſitam ab eis petierunt, & interveniente Margarita, Montis-ferrati Marchioniſſa, obtinuerunt pro valetudinario conſtruendo Fratres Obſervantes, qui ad Conventum ſancti Mauritii loco inſalubri a Caſali procul habitabant. Donationem probavit hoc anno VIII. Kal. Decembris Pius, datis ad Epiſcopum Vercellenſem litteris. Eam adjecerunt donationi conditionem Conventuales, ne templum aut oratorium eo loco Obſervantes ædificarent. Neſcio an fortaſſis ſublata hac conditione illic ædificatus ſit Conventus ille ſanctæ Mariæ de Angelis, quem Gonzaga refert intra urbis muros ab Antonio a Morano, magna induſtria collectis eleemoſynis, fuiſſe conſtructum. Sane invenio in regiſtro Vaticano Guillelmum Marchionem Montis-ferrati inchoaſſe Obſervantibus domum prope & extra muros Caſalenſes, pro qua perficienda obtinuit anno MCCCCLXXVI. XIII. Kalendas Maii a Sixto IV. facultatem.

Conv. Caſalis. Ex lib. 43. bullar. fol. 340.

Gonz. in Prov. Genuæ Conv. 17. Lib. 83. bullar. Sixti fol. 51.

Ex lib. 1. de Regular. an. 5. fol. 164.

CXXXII. Expoſuerunt Pontifici oppidani Montis Sancti, Firmanæ diœceſis in Piceno, nullam apud ſe neque in ſuo territorio domum extitiſſe

Conv. Montis Sancti.

Mi-

Minorum Obſervantium, quos ſumme opportunos judicabant animarum ſaluti & populorum profectui. Scripſit Pius ad Angelum Marſicanum, & Antonium Aprutinum Epiſcopos, tunc in diœceſi Firmana reſidentes, ut Eccleſiam ſancti Gerii per mille paſſus a Monte Sancto diſtantem, & Eccleſiæ Parochiali ſancti Stephani unitam, in qua ſancti Gerii corpus requieſcit, oppidanis tradi curarent, ut in Cœnobium adaptarent Obſervantum, aliiſque litteris, ut opus promoverent, fidelibus commendavit. Suſpicor tamen, vel non fuiſſe conſtructum Conventum, vel Minoritas loco ceſſiſſe; neque enim inter Piceni Cœnobia refertur, & Philippus Ferrarius ſuos Conſodales ſervulos illic commorari recenſet. *Ferrar. de SS. Italiæ 25. Maii.*

CXXXIII. Ex Gonzaga ſcripſimus, ſub annum MCCCCXXXVI. Conventum Barenſem ſancti Petri tunc fuiſſe conſtructum. Sed hoc anno monumentum occurrit Vaticanum, in quo Barenſes Cives narrant, neque in urbe, neque in ejus Comitatu ullum eſſe Obſervantum domicilium, utque unum ſibi ſtatuere liceat, in quo Obſervantes exemplari vita, ſalutaribus eruditionibus, ſana doctrina, & continuis prædicationibus Verbi Dei civium conſulant ſaluti, deprecantur. Annuit Pontifex, commiſſa licentiæ impertiendæ facultate Archiepiſcopo Barenſi. Manifeſtus itaque error in numerorum notas irrepſit apud Gonzagam, & pro 1436. ſubſtituendum erat 1463. inverſis duobus numeris poſterioribus. Conv. Baren. *Ex lib. 1. de Regular. fol. 69.*

CXXXIV. Habitarunt Obſervantes per aliquot annos ad confinia oppidi Bugellæ, Vercellenſis diœceſis, in domo ab oppidanis conſtructa; ſed cum locus minus idoneus eſſet illorum habitationi, receſſerunt. Hoc anno derelictum domicilium conceſſum eſt Patribus Conventualibus, quos tamen vel non admiſiſſe vel non retinuiſſe inde ſuſpicor, quod inter illorum Cœnobia non recenſeatur. Conv. Bugellæ. *Ex lib. 4. de diverſ. fol. 197.*

CXXXV. Comites Segniæ ante annos octo inchoarunt domum pro Fratribus Obſervantibus in loco, qui dicitur *Spelunca ſanctæ Michaelis Archangeli de Brincis*, Modroſien. diœceſis in Illyrico, ſub Archiepiſcop. Spalatenſi, & perficere cupientes, hoc anno facultatem impetrarunt illam eiſdem Fratribus conſignandi. Pontifex libenter aſſenſit; ego tamen Conventum hunc in recenſu aliorum non invenio. Conv. S. Michaelis de Brincis. *Ex lib. 3. de diverſis form. fol. 127.*

CXXXVI. Magnis Terræ motibus multæ urbes regni Neapolitani ingentes paſſæ ſunt ruinas. Inter has Aquilana magnum ſenſit detrimentum, novaque fabrica Templi ſancti Bernardini rimis & fiſſuris enormiter læſa, proſequendi operis deſiderium in civibus & Fratribus plurimum imminuit. Sed urgente Vicario Generali, malis opportunum adhibitum eſt remedium, & animum reſumpſerunt fabricæ perficiendæ. In Civitate Ariani concuſſa etiam domo Minorum, Ennicus, Comes prædictæ urbis, de reſtauranda cogitavit, dummodo a Conventualibus ad Obſervantes transferretur. Ut ita fieret a Pio obtinuit; ſed introductis Fratribus, paulo poſt obiit opere incompleto. Cobella uxor, & Petrus filius etiam Ariani Comes, & Ferdinandi Regis Neapolitani Magnus Seneſcallus, opus proſecuti, hoc anno impetrarunt, ut denuo translationem factam comprobaret, & domum perpetuo Obſervantibus adjudicaret. De hujus domus origine nihil ſcire potuimus. Hanc translationem alias indicavimus, ſed pro *Ennice* irrepſit *Henricus*. * Conv. S. Bernardini Aquilæ. *Ex regeſt. Ordinis.*

Con. Ariani. *Ex lib. 23. bullar. fol. 162.*

CXXXVII. Alphonſus Rex Portugalliæ valde cupiens reformationem Ordinis in ſuo Regno propagari, præter tres Obſervantum domos, quæ inibi erant, rogavit alias totidem adjungi ex domibus Conventualium. Pontifex per Epiſcopos Eborenſem & Lamacenſem juſſit illorum Conven-

* *In hac nova editione reperiet mendum correctum Tom. 9. ann. 1299. n. 40.* Obſervantia Regularis propagatur in Luſitania.

ventus viſitari, &, quos Rex eligeret, tres reformari: *Inter cetera.* Idibus Junii. Sed anno ſequenti ſignificatum eſt per Patres Conventuales, quatuordecim tunc habuiſſe Obſervantes in illo regno Conventus, & dure ſecum agi, dum ſine cauſa, non tamen ſine ſcandalo, & frequenti tumultu illorum Cœnobia ad alios transferrentur. Examen rei commiſit Pontifex Archiepiſcopo Ulyſſipponenſi & Epiſcopo Egitanienſi, ita tamen ut omnia cum conſenſu Regis tranſigerentur.

Ex lib. 1. de diverſ. & de Regular. an. 5. fol. 21.
Gonz. in Prov. Carthag. Conv. 12 Conv. Bellomontis.

CXXXVIII. Joannes Pachecus, Marchio Villenæ, Henrici Regis Caſtellæ & Legionis domui Præfectus, pulchram & amplam ſumptuoſo opere domum extruxerat in villa ſua Bellomontana, ubi prius erat ſanctæ Annæ ſacellum, deditque hoc anno Fratribus Regularis Obſervantiæ, & a Cuſtodiæ Valliſoleti ſeu citra Portus ſuperiore, non autem a cuſtode Toletano vel Vicario Provinciæ Caſtellæ, infra cujus limites ſita erat, ſicut & aliæ domus ultra portus, voluit gubernari, eoque modo, quo ab eodem cuſtode regebantur domus Valliſoleti, Arevali, Medinæ del campo, & ſancti Antonii extra muros Segobienſes. Approbavit factum Pontifex, commiſſa poteſtate ita diſponendi Decano Conchenſi.

Conv. Carrionis. Ex lib. 41. bullar. fol. 178. Tom. 1. anno 1318. n. 12. Monaſt. Nogenti. Ibidem fol. 333.

CXXXIX. Conventui ſancti Franciſci Carrionis de Comitibus, cum Eremitorio corporis Chriſti eidem ſubjecto, hoc anno, largientibus Patribus Conventualibus, adjectus eſt Vicariatus domus Dei & Scalæ cœli. Alias egimus de hoc Conventu diffuſius.

CXL. Monaſterium ſanctæ Claræ Nogenti l'Artault, diœceſis Sueſſionen. bellorum motibus, aliiſque infortuniis ad eam pervenit calamitatem, ut paucas, quæ ſupererant, Moniales oportuerit per alia Monaſteria Provinciæ Franciæ diſtribui. Ne vero Divino cultu omnino deſtitueretur, pauculis commendatum eſt Fratribus Minoribus, qui officia peragerent Divina. Ut vero omnino eiſdem Monaſterium concederetur, ſuppreſſo ibidem ſanctæ Claræ Ordine, ſupplicarunt hoc anno Franciſcus Dux Britanniæ & Margarita Comitiſſa de Stampis ejus genitrix. Etſi vero Pontifex eorum votis annuerit, revera ita factum eſſe, vel diu perſeveraſſe dubito, cum ibidem Moniales, non Fratres, hoc tempore inhabitent. Sublatis bellorum turbinibus, eaque Provincia pacificata, probabile eſt, Sorores ad priſtinum rediiſſe domicilium.

Conv. Caſtri Odonis.

CXLI. Hoc anno occurrit diploma Pontificium, quo Pius concedit facultatem Joanni de Vienna Domicello, & Joannæ de Chauderon relictæ Philippi de Vienna, & Agneti prædicti Joannis uxori, ut capellam in villa Caſtri novi, diœceſis Claromontanæ, a Joanna & Philippo ejus viro ante aliquot annos conſtructam, cum adjacentibus domibus, ſeu loco ad conſtruendum Cœnobium apto, conferrent Vicario & Fratribus Regularis Obſervantiæ Provinciæ Burgundiæ: *Apoſtolicæ Servitutis.* Nonis Julii. Hoc idem reputo Cœnobium, quod alias Caſtri Odonis nuncupatum, diu ſub controverſia poſitum, an a Philippo tunc conſtructum, an vero ſub hoc tempus a Joanne fabricatum. Facile componi poteſt ex hoc diplomate controverſia, dum Philippus capellæ auctor, Joannes & piæ fœminæ reliqui operis adjutores aſſerantur.

Tom. 12. anno 1449. n. 48.

Conv. Rigenſis. Ex lib. 41. bullar. fol. 147.

CXLII. Domus Rigenſis in Livonia hoc anno trasnlata eſt a Patribus Conventualibus ad Obſervantes. Viſitaverat enim Silveſter Archiepiſcopus Rigenſis ea commiſſione Pontificia Cœnobium; ubi cum diſciplinam Regularem pene extinctam comperiſſet, ex conſenſu Miniſtri Provinciæ Saxoniæ & majoris partis commorantium Fratrum, Obſervantiam Regularem induxit, ex qua mutatione magnum animarum lucrum conſecuturum

ſcripſit ad Pontificem: *Dum horum* (inquit) *notiſſima virtute, continuis prædicationibus & exemplari vita Schiſmatici Rutheni, ceteriquè infideles Livoniæ Principatui vicini, ad ovile Dominicum & fidem Orthodoxam commodius poſſent reduci.*

CXLIII. Cum in urbe Mediolanenſi inſigne Monaſterium ſanctæ Urſulæ, de quo alias egimus, propter inhabitantium virtutem & vitæ ſanctitatem, quinquaginta octo Sororum & quotidie adventantium numero gravaretur, anguſtæque ædes pluribus recipiendis non ſufficerent; Blanca Maria Duciſſa Mediolanenſis Pontificem rogavit, ut aſſentiri vellet unioni alterius propinqui Monaſterii, *de Capuelis* nuncupati, Ordinis ſancti Auguſtini, in quo ſex dumtaxat vivebant Moniales abſque clauſura & Obſervantia Regulari, quæ vel eamdem profiteri Regulam, vel ad alia Monaſteria poterant transferri, utriuſque autem Monaſterii unionem commode fieri poſſe judicabat per viam ſubterraneam, vel arcum ſuperiorem. Rem commiſit examinandam Pontifex Primicerio Eccleſiæ Mediolanenſis. Quid vero inde ſecutum ſit, mihi incompertum. In hoc Monaſterio vixit quædam Soror Julia, cui per triginta annos beata Catarina Bononienſis frequenter apparuit, de rebus diſſerens cœleſtibus. Quæ ab ea audivit arcana, propria manu ſcripſit in libro; quem penes ſe retinuit Cardinalis Paleottus Archiepiſcopus Bononienſis, etiam hoc adminiculo confirmaturus beatæ Catarinæ ſingularem ſanctitatem, dum ejus canonizationem impenſe procuravit. Multæ aliæ illic floruerunt Virgines, ſanctitate illuſtres, & inde prodierunt ad aliarum inſtructionem & reformationem.

Tom. 7. anno 1341. n. 8. Monaſt. S. Urſulæ Mediolanen. *Ex lib. 1. de Regul. an. 5. fol. 98.*

B. Julia Mediolanen.

CXLIV. Extra Civitatis Caſtelli muros tria erant Clariſſarum Monaſteria, unum ultra Tyberim, ſecundum de Populo, tertium *della fonte* nuncupata, quæ propter bellorum, quæ in illis partibus vigebant, incommoda, deſtructa, intra urbem translata ſunt, ſed duo poſteriora primo unita ſunt, & deinde vendita, ut unum omnium Sororum capax conſtrueretur. Venditionem factam Bartholomæo & Joanni de Manariis, Pontifex hoc anno confirmavit.

Monaſt. Civit. Caſtelli. *Ex lib. 1. de Regular. & dignit. an. 1. fol. 41.*

CXLV. In urbe Siſtaricenſi in Gallia, inſigne erat Monaſterium ſancti Damiani Ordinis ſanctæ Claræ, cujus Abbatiſſa Joanna de Medullione hoc anno expoſuit Pontifici, reditus adeo fuiſſe imminutos, propter peſtem ibidem diu graſſantem, ut minime ex iis poſſent Moniales ſuſtentari. Rogavit itaque ut duo Monaſteria ejuſdem Ordinis, ſancti Petri *de Suripis*, & ſanctæ Catarinæ, quod olim locus erat Templariorum, Vapincen. & Dignen. diœceſium, quæ dicta Abbatiſſa habebat in commendam, incorporare & unire vellet prædicto Monaſterio Siſtaricenſi. Commiſſa eſt facultas ita faciendi, ſi nihil aliunde obſtaret, Vapincenſi & Dignenſi officialibus.

Monaſt. Siſtaricen. *Ex lib. 1. de Regular. an. 1. fol. 56.*

CXLVI. Diximus ſuperius conſtructum a Vaſco Eborenſi Epiſcopo Monaſterium Clariſſarum in eadem urbe in Luſitania, & ab eodem reditus aſſignandos. At cum illi forent ex menſa Epiſcopali, nec conſenſum Capituli prærequireret, fuerunt qui donationem vellent infirmatam. Rex Alphonſus, ob notiſſimam Virginum pietatem, Monaſterii patrocinio ſuſcepto, rogavit Pontificem ut ratam vellet ac firmam Epiſcopi donationem, dataſque recenſet hæreditates de *Alcoroniſca*, *de Menquaqua*, & *de Caverga*. Factum Pontifex approbavit, defectumque ſupplevit conſenſus Capitularis.

An. 1459. n. 64. Monaſt. Eborens. *Ex lib. 41. bullar. fol. 146.*

CXLVII. Joannæ Reginæ Caſtellæ & Legionis conceſſa eſt facultas ædificandi Monaſterium ſanctæ Claræ, ſeu potius Collegium puellarum a paucis Clariſſis inſtruendarum, in Villa Arandæ, Oxomenſis diœceſis, ad

Monaſt. Arandæ-

ipſam

ipſam ſpectante. Conditiones & pacta in receptione & educatione puellarum obſervanda dabit inſtrumentum Vaticanum: *Pia Deo & Eccleſiæ*. Idibus Novembris. Quid poſtea factum ſit ignoro; neque enim hujus Collegii apud noſtros Auctores invenio veſtigium.

Monaſt. Palentinum. Agnes Enriquez. *Ex lib. 4. de diver. fol. 85.*

CXLVIII. Agneti Enriquez relictæ Petri de Mendoza, regia ſtirpe procreatæ, poſt viduitatis annos triginta, ætatis ſexaginta, Monaſterium ſanctæ Claræ Palentinum a patre ſuo Alphonſo Enriquez Regni Caſtellæ Admirato conditum, ingreſſæ, & in probationis anno conſtitutæ, conceſſum eſt ut ſub Regulari habitu in eodem permanere poſſit ſine obligatione profeſſionis emittendæ; timebat enim propter ſenectutis & infirmitatum gravamina, ſe non poſſe rigorem diſciplinæ Regularis, quæ inibi exacte ſervabatur, ſuſtinere. Bona autem ſua & facultates quas poſſidebat, ſtatuebat legare Monaſterio.

Domus Tertii Ordinis Viterbien. *Ex lib. 24. bullar. fol. 144.*

CXLIX. Tertii Ordinis recenſeo domicilia. Fratri Antonio de Capua ejuſque ſociis confirmatur donatio Eccleſiæ ſanctæ Mariæ *de Gemmiſta*, alias *Gimneſtra* Viterbien. cum domibus adjunctis, eis facta per Thomam Abbatem Monaſterii ſanctæ Crucis *de Saxovivo*, Ordinis Præmonſtraten., diœceſis Fulginatenſis, a quo Eccleſia illa dependebat. Domus hæc recenſetur inter reliquas Provinciæ Patrimonii ejuſdem Inſtituti. Miniſter & Fratres domus ſancti Michaelis *de Ladocria*, diœceſis Florentinæ, conceſſerunt fratri Philippo Blaſii de Radda ejuſdem Inſtituti, Eremitorium ſancti Michaelis de Monte Majori *de Chianti*, Feſulanæ diœceſis. Conceſſionem Pontifex hoc anno confirmat. Rodericus Martini de Pineda, tempore Nicolai V. quamdam domum extra muros Cordubenſes ad ſe legitime ſpectantem, cum nonnullis Terris & domibus adjacentibus, Fratribus prædicti Ordinis donavit, & ex diœceſani licentia quoddam Altare & Eccleſiam ſub vocabulo beatæ Mariæ Virginis Genitricis Dei, fecit ædificari. Deinde idem Rodericus id ipſum amplexus Inſtitutum, ejuſdem domus inſtitutus eſt Miniſter & gubernator. Timens autem ne poſt obitum ſuum ad deſolationem & uſus profanos veniret, petiit a Pontifice, ut Fratribus Minoribus Regularis Obſervantiæ donaretur. Aſſenſit Pontifex, ſed inde ſecutum eſt ut multas pateretur a Petro Palomeque Viſitatore Generali ſui Inſtituti perſecutiones, ut conſtat ex bulla Pauli II. data anno MCCCCLXVI. oppoſueruntque ſe vehementer reliqui Fratres hujuſmodi translationi.

Domus S. Michaelis de Ladocria. *Ex lib. 7. bullar. fol. 47.*
Domus S. Michaelis de Monte.
Domus Corduben. *Ex lib 1. de Regular. & dignit. vacantibus fol. 46.*

Domus Senen. *Ex lib. 21. bullar. fol. 287.*
Domus Fabrianen.

CL. Fœminarum ejuſdem Inſtituti etiam aliquot hoc anno domicilia conſtructa. Sorori Floruciæ ejuſque conſociis, Senis commorantibus, facultatem conceſſit hoc anno Pontifex, ut intra urbem prædictam, diœceſim Senen. aliaſve Italiæ Civitates, domos quinque conſtruerent ex abundantibus facultatibus, quas eis Dominus erat largitus. In populoſo & divite Fabriani oppido, diœceſ. Camerinenſis, Angelina Fabrianenſis & ſociæ domum & oratorium ſub nomine ſancti Hieronymi in Terzerio, ſeu regione ſancti Blaſii, & contrata ſeu platea, quæ dicitur *Strada Matonata*, ſeu *callis lateritia* ædificarunt. Aſſenſum præbuit Petrus Paulus de ſancta Anatolia, Alexandri tituli ſanctæ Suſannæ Cardinalis de Saxoferrato, Camerinenſis Epiſcopatus Adminiſtratoris Vicarius. Domui ſancti Franciſci ejuſdem Inſtituti in oppido Daclem, Leodien. diœceſis, noviter fundatæ, Pontifex univit Altare ſanctæ Catarinæ, per quoſdam Clericos ſeculares gubernari conſuetum, cum quibuſdam domibus vicinis. In oppido Mervici, Colonien. diœceſis alia fundata eſt ſub nominibus ſanctorum Franciſci, Antonii & Barbaræ, per quemdam Gerlacum Rectorem Parochialis Eccleſiæ dicti oppidi. Fundationem probavit Joannes Portuenſis Epiſcopus, tunc

Domus Daclem. *Ex lib. 1. de exhibit. & Regul. fol. 320.*
Domus Mervici.

ſan-

ſancti Angeli Diaconus Cardinalis, in partibus illis Legati Apoſtolici functus officio, data commiſſione ad Theodoricum Archiepiſcopum Colonienſem, & Pontifex hoc anno ſuis litteris amplius confirmavit.

CLI. Quo ſtudioſius Legati Apoſtolici in partibus Germaniæ, & Eccleſiarum Prælati domos Provinciæ Saxoniæ reformare ſatagebant, eo diligentius, qui laxioris vitæ genus jam introductum fovere cupiebant, modis omnibus adverſabantur. Nihil non excogitabant per quod irritos redderent pios reformatorum conatus, & demum hoc anno confirmationem extorſerunt in Curia Romana conſtitutionum Benedicti XI. & Martini V. aliorumque Pontificum, qui quoquo modo rigorem regulæ laxabant. Sed nihil profuerunt, ſuperante Prælatorum diligentia illorum tergiverſationes, & ſingulis annis reſtituente, unde manifeſtius exciderat, Regularem diſciplinam. Fabricæ domus ſancti Franciſci Venetiarum, *la caſa grande* vulgariter nuncupatæ, deputantur fructus magnæ ſummæ pecuniarum depoſitæ apud campſores *Impræſtitorum* urbis Venetæ, pro uſibus & neceſſitatibus domus ejuſdem Ordinis, apud Peræ oppidum, e regione urbis Conſtantinopolitanæ conſtructæ, nunc autem a Turcis deſtructæ. Quidam frater Fructus ſagaciter in Curia Romana procuravit ſibi committi officium viſitatoris Monaſteriorum Clariſſarum Valliſoleti, Jugi-ſillarum, Santanderii, villæ Frechoſii & aliorum, quæ prius regebantur per Viſitatorem ex Regulari Obſervantia aſſumptum, & ex abrupto, abſque Monialium aſſenſu, nihil tale cogitantes regimini immediato ſubjecit Miniſtri Generalis. Ut ſe ita traductas intellexerunt, appellarunt Sedem Apoſtolicam, & hoc anno impetrarunt, ad priſtinam regiminis normam ſub Regulari Obſervantia reduci.

Provincia Saxoniæ reformatur. *Ex lib. 41. bullar. fol. 117. & l. 41. fol. 15.*

Conv. S. Franc. Venetiarum.

CLII. Ex agro Senenſi rediens hoc anno Pius Pontifex in Urbem per Interamniam, nobilem Umbriæ Civitatem, uberrimum Stronconium oppidum, IV. M. P. in ſaxeo colle diſtans, pervenit, & in Conventu Minorum paulo extra oppidum noctem peregit. Id ipſe teſtatur in litteris, quibus Indulgentias largitur viſitantibus Eccleſiam in die Nativitatis Dominicæ: *Cupientes*, inquit, *ut Eccleſia ſive locus Conventus ſanctæ Mariæ Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, prope & extra muros Stronconien. Narnienſis diœceſis, quem locum pro ſingulari noſtra, quam ad Fratres Ordinis prædicti gerimus devotione, viſitavimus, & in eo una nocte pernoctavimus, congruis honoribus frequentetur.* Ad petitionem Ludovici Vincentini, Vicarii Generalis Ciſmontani, conceſſit poteſtatem Vicariis Generalibus dandi facultatem ſuis ſubditis, ut celebrare poſſint per unam horam ante Auroram. Petente Henrico Rege Caſtellæ juſſit ne Obſervantes & Conventuales alternas domos invaderent: *Supra gregem Dominicum.* Nonis Novembris. Vicarius Provinciæ Burgundiæ cum ſuis Fratribus, maxime qui de reformatione Coletanea cenſebantur, obedire detrectabant Vicario Generali Obſervantum. Se ad eos ſcripſiſſe monet Pontifex, propoſitiſque præmiis ad unionem invitaſſe, jubetque ut benigne admittatur: *Scribimus dilecto.* V. Idus Junii.

Comment. Pii lib. 10.

Pius Pontifex pernoctat apud Fratres Stronconii.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. SUmmus Pontifex ut domus & Eremitoria Provinciæ Caſtellæ, &
„ Compoſtellæ traderentur Obſervantibus indixit: *Ad evellendas*
„ *&c.* VIS. Idus Januarii: & pridie Idus ejuſdem menſis Archiepiſcopis, &
„ Epiſcopis Ultramontanis ſcripſit & commiſit ſuarum litterarum Apoſtolica-

„ carum, quibus obviabat diſturbiis & diſſentionibus, quæ inter Fratres „ Conventuales & Obſervantes oriebantur, obſervantiam; ut ex Bulla „ tenoris ſequentis dignoſcitur.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis ultra Montes ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes noſtræ Litteræ pervenerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ *Inter aſſiduas curas, quæ in quotidiana emergentium nobis negotiorum* „ *inſtantia mentem noſtram diſtrahunt, ea præcipue ſollicitat & angit,* „ *ut Regularem vitam profeſſi, & ſub Religionis jugo virtutum Domino* „ *famulantes, ceſſante diſſidiorum & turbationum amaritudine, tranquil-* „ *litatis & pacis dulcedine potiantur, & in contemplationis ſuavitate liberi* „ *quieſcant. Cum itaque relatione dilecti filii Vicarii Generalis Fratrum de* „ *Obſervantia, Ordinis ſancti Franciſci, partium Ultramontanarum, intellexi-* „ *mus, quod, licet nos olim pro conſervatione pacis & caritatis inter uni-* „ *verſos Ordinis ſancti Franciſci, tam de Obſervantia nuncupatos, quam* „ *Conventuales Fratres, per diverſas alias litteras noſtras, tam ſuper eo,* „ *ne earum alii aliorum loca immodeſte occuparent, quam etiam pro conſer-* „ *vatione privilegiorum & immunitatum dictis Fratribus de Obſervantia* „ *per nos & Sedem Apoſtolicam conceſſarum, & quæ eis poſt id tempus for-* „ *te concedi contingeret, certas ordinationes, proviſiones, inhibitiones, &* „ *mandata, ſub excommunicationis, aliisque tunc expreſſis pœnis, in quas* „ *contrafacientes ipſo facto inciderent, ediderimus; prout in noſtris inde* „ *confectis litteris, quarum tenores, continentias, & effectus perinde, ac* „ *ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, hic pro expreſſis haberi* „ *volumus, plenius continetur.*

„ *Tamen aliquando poſtea contigit, quod nonnulli ex iiſdem Fratribus* „ *præter earumdem litterarum continentiam, & tenorem temere egerunt,* „ *tam domos & loca ſibi invicem ſubtrahentes, quam alias mutuo ſe jugi-* „ *bus perturbationibus & inquietudinibus vexantes, & ad ſeculuria etiam* „ *judicia, contra ſacrorum Canonum inſtituta, aliquando trahentes: qui-* „ *bus nos ad prædicti Vicarii ſupplicationem conſulere, & ne mandata no-* „ *ſtra hujuſmodi temerarie contemnere, aut ſe ipſos de cetero perturbare,* „ *perſeverent, volentes providere; Fraternitatibus veſtris & veſtrum cui-* „ *libet committimus & mandamus, quatenus vos & veſtrum quilibet, quo-* „ *ties ſuper hoc per aliquem prædictorum Fratrum tam de Obſervantia,* „ *quam Conventualium fueritis requiſiti, litteras noſtras præfatas in ve-* „ *ſtris Eccleſiis, Civitatibus, & diœceſibus publicari ſolemniter faciatis,* „ *& diligenter provideatis ne Fratres ipſi ſeſe mutuo, ut prædictum eſt,* „ *per ſe ipſos, aut per ſuos quoſcumque fautores contra ipſarum litterarum* „ *tenores, ſive in domorum & locorum, quæ alii poſſident, niſi ex ſpeciali* „ *Apoſtolicæ Sedis induito faciant, occupatione ſeu invaſione, ſeu alias ullo* „ *moleſtiæ genere, aut ſe mutuo coram Judicibus ſecularibus trahendo, aut* „ *in ſuis Apoſtolicis indultis indebite lædendo, inquietent. Quod ſi forte* „ *contigerit aliquem ex Miniſtris, Vicariis, Cuſtodibus, Guardianis,* „ *aliiſve Fratribus ſupradictis propter præmiſſa, excommunicationem, alia-* „ *que ſententias, cenſuras, & pœnas in eiſdem noſtris, & aliis per felicis*

recor-

„ *recordationis Eugenium Papam IV. Prædeceſſorem noſtrum eis conceſſis*
„ *litteris contentas de cetero incurrere; & id per evidentiam rei, ut ſum-*
„ *mariam facti, omni ſtrepitu & figura judicii prorſus ſemota; informatio-*
„ *nem vobis, aut veſtrum alicui conſtiterit, & per vos, & per veſtrum*
„ *quemlibet ad alterius partis inſtantiam, ſuper pace conſervanda, ſecun-*
„ *dum præfatas noſtras, & aliorum Romanorum Pontificum conceſſiones,*
„ *proviſiones & ordinationes, pie mouiti non deſiterint, eos tandiu excom-*
„ *municatos, ceteriſque prædictis pœnis, ſententiis, & cenſuris irretitos,*
„ *auctoritate noſtra, in veſtris Eccleſiis, ubi magna populi multitudo ad*
„ *divina Officia audienda convenerit, publice nunciare faciatis, mandetiſ-*
„ *que ab omnibus evitari, donec debitam admiſſorum emendam præſtiterint,*
„ *meruerintque ab eiſdem ſententiis & pœnis abſolutionis beneficium, &*
„ *reconciliationis gratiam obtiuere: Contradictores per cenſuram Eccleſia-*
„ *ſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.*

„ *Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam Præ-*
„ *deceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus quibuſcumque,*
„ *præſertim quibus cautum eſt, ne quis extra ſuam diœceſim, in quibus*
„ *fuerint deputati, contra quoſcumque procedere &c. aliisque conſtitutioni-*
„ *bus & ordinationibus, necnon privilegiis, indulgentiis & litteris Apo-*
„ *ſtolicis, eiſdem Fratribus, & eorum Ordini in genere vel in ſpecie conceſ-*
„ *ſis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa,*
„ *vel totaliter non inſerta, veſtræ hujuſmodi juriſdictionis explicatio quomo-*
„ *dolibet valeat impediri; quæ, quoad hoc, nolumus eis ſuffragari.*

„ *Ceterum, quia difficile foret præſentes & alias prædictas noſtras, &*
„ *aliorum Romanorum Pontificum litteras ad ſingula loca perferri, volu-*
„ *mus, & dicta auctoritate decernimus, tranſumpta earum autentica, manu*
„ *publici & Legalis Notarii ſubſcripta, & ſigillo alicujus Archiepiſcopalis*
„ *vel Epiſcopalis Curiæ ſignata, fidem indubiam obtiuere, perinde ac ſi præ-*
„ *dictæ aliæ & præſentes noſtræ litteræ originaliter exhiberentur: in con-*
„ *trarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.*

„ *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ*
„ MCCCCLXIII. *pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* V.

„ II. Nono Kalendas Februarii, formam & modum habendum a Fratri-
„ tribus circa obſervantiam interdicti præſcripſit, Bulla ſequentis tenoris
„ expedita.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ SCiens inimicus humani generis obedientiam plus valere, quam victi-
„ *mam, omnem conatum adhibet, ut Eccleſiaſticarum cenſurarum*
„ *contemptum introducat, & ſic ſervorum rebellium multitudiem in bara-*
„ *thrum trahat. Hic malignus in multis regionibus adeo prævaluit, quod*
„ *Eccleſiaſticum interdictum minime curatur; atque, ut intelleximus, ali-*
„ *quos etiam Religioſos corrupit, quod aſſerant ſe ad alicujus talis interdi-*
„ *cti minime teneri obſervantiam, niſi poſtquam & Matrix Eccleſia obſer-*
„ *vaverit.*

„ *Nos vero, qui curam Gregis Dominici ſuſcepimus, & ue ex omnibus*

„ *nobis commiſſis quiſquam perdatur, dum ſolliciti ſumus, maxime ad vos* „ *Servos Dei reſpicimus, qui contempto mundo, beatum Franciſcum imi-* „ *tantes, in præceptis Apoſtolicis ad ſolum Chriſtum tenditis: ne quiſquam* „ *in vacuum currat & aberret; quomodo Eccleſiaſticum interdictam per vos* „ *ſervandum ſit declaramus.*

„ *Interdictum enim Eccleſiaſticum, aut a Sede Apoſtolica, & ejus* „ *Commiſſariis emanat: aut ab inferioribus Sedibus, & earum Commiſſa-* „ *riis. Si primum; tunc, poſquam vobis, qui loca interdicta inhabitatis,* „ *inſinuatio facta eſt, ad illius obſervantiam interdicti, nulla exceptione aut* „ *excuſatione admiſſa, etiamſi ceteri Religioſi, aut Seculares ex quacum-* „ *que cauſa defecerint, mox adſtringimini: non enim habetis, niſi Apoſto-* „ *licum præceptum reſpicere, & ei, etiam juxta Regulam veſtram, ſimpli-* „ *citer (ut mandatur) obedire. Si vero interdictum ab inferioribus Sedibus* „ *emanaret (licet ab illis exempti ſitis) ad obedientiam tamen interdicti* „ *ejus obligamini, quando Matricem Eccleſiam illud ſervare videbitis; cui* „ *tunc vos conformare debetis, ne cenſuræ Eccleſiaſticæ per veſtram diffor-* „ *mitatem, vigore vacuentur. Hac diſtinctione utamini, & non declinetis* „ *ab illa.*

„ *Et ita præcipimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ vobis injungimus,* „ *ulteriores diſputationes & opiniones penitus vitantes, ut inveniamini in* „ *ſimplicitate obedientiæ, ſicut decet Deo caros, & Religioſos ambulare.* „ *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* „ MCCCCLXIII. IX. *Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno* V.

„ III. Quia quædam erant diſſenſiones publicæ in cauſis fidem reſpi- „ cientibus Catholicam, ob quas multus erat rumor, ab Annalibus noſtris „ dignoſcendus; placuit ſummo Pontifici Vicario Generali Obſervantum „ committere inquiſitionem & punitionem ſuorum Fratrum de Fide vel „ hæreſi ſuſpectorum; cujus rei gratia tenoris, qui ſequitur, bullam expe- „ diri mandavit.

PIUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Vicario Generali Fratrum beati Franciſci de Obſervantia Regulari ultra Montes, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ INter ceteras curas, quibus ſuſcepti regiminis officium nos ſollicitat, „ illud in primis nos monet, ut Religioſæ Perſonæ, quæ abjectis mun- *Spicil. Minor. Tract. 1. fol. 150.* „ di illecebris, Deo ſeſe dedicarunt, in Dei timore perſeverent, ut in ejus „ ſervitiis ambulantes, digni ſint, qui coronam vitæ accipiant.

„ *Cum itaque ſciamus familiam beati Franciſci de Obſervantia, cui tua* „ *devota devotio præſidet, per varia Regna variaſque Provincias late ſpar-* „ *ſam eſſe, & plura loca; quare partim cum Infidelibus, partim in Civita-* „ *tibus, quæ numeroſim neophiti, & parum ſolide in Chriſtiana Fide con-* „ *firmati, & infideles Mauri, & Judæi fidelibus Chriſtianis immixti* „ *habitant: intelligamaſque facile poſſe contingere, ut aliqui ex ipſis tuis* „ *Fratribus ab illis ſeducti, aut propter propriam levitatem ex eorum con-* „ *verſatione, aut ex ſimplicitate aut indiſcreto zelo, errores noxios contra-* „ *hant in ſuarum propriarum animarum perniciem, & malum de veſtra* „ *Familia apud fidelem illarum partium populum ædificationem, niſi fuerint* „ *debite correcti: cupientes hujuſmodi imminentibus periculis, quantum in*

nobis

„ *nobis eſt, occurrere; & nihilominus volentes, quod intentio noſtra hæc pia*
„ *ad finem alium quam ipſi intendimus, malitioſe non trahatur, & remedium*
„ *inventum ad curationem ſalutis particularium animarum, & veſtræ Fa-*
„ *miliæ prædictæ laudabilis opinionis conſervationem, in ipſius ſcandalum*
„ *& ignominiam apud ſeculares non exhibeatur*: Devotioni *tuæ, cujus fide-*
„ *les operationes multipliciter fructuoſas eſſe in diverſis aliis Dei honorem*
„ *concernentibus rebus ſumus experti, tenore præſentium committimus &*
„ *mandamus, ut de commiſſis tuæ curæ Fratribus, cuſtodiam ſedulam, prout*
„ *teneris ex officii tui debito, habens, diligenter ſuper præmiſſis vigiles: &*
„ *ſi contigerit te alicujus indicia in quibuſcumque Familiæ tuæ Fratribus,*
„ *ſive ex ſcriptis, ſive ex ſermonibus, ſive ex quacumque ceteræ vitæ actione,*
„ *ſuper eiſdem diligenter, & prout ex ipſis indiciis (ſuper quo tuam con-*
„ *ſcientiam oneramus) arbitraveris æquum & conveniens eſſe, modis conve-*
„ *nientibus inquiras, & juxta reliquam tuæ Familiæ prædictæ conſuetudi-*
„ *nem procedas, Fratreſque ipſos repertos, aut reos aut innocentes, ſecundum*
„ *præfati tui Ordinis inſtitutiones, & conſcientiam, aut abſolvas ab inqui-*
„ *ſitis, aut pro modo errati, uſque ad dignam pœnitentiam & emendatio-*
„ *nem punias & corrigas: ceteris omnibus Prælatis, Vicariis, Miniſtris,*
„ *Inquiſitoribus, aliiſque quibuſcumque Officialibus, Protectore veſtri Or-*
„ *dinis inferioribus, Eccleſiaſticis & Secularibus, quocumque vocabulo cen-*
„ *ſeantur, diſtrictius inhibentes, ne Fratres ejuſmodi, contra quos a te in-*
„ *quiri contigerit, aut poſtquam fuerit inquiſitum, ſive eos judicaveris*
„ *corrigendos & puniendos, correxeriſque ac punieris, ſive abſolvendos &*
„ *dimittendos abſolveris & dimiſeris, in judicium propter præmiſſa iterum*
„ *vocare, aut adverſus eoſdem de novo inquirere, aut eos ullo moleſtiæ ge-*
„ *nere vexare de cetero præſumant.*

„ *Non obſtantibus privilegiis veſtro Ordini conceſſis, ceteriſque con-*
„ *trariis quibuſcumque, etiamſi talia forent, de quibus ſpecialis de verbo*
„ *ad verbum eſſet habenda mentio, quibus, ac hujuſmodi noſtræ commiſſionis*
„ *& inhibitionis effectum impedire valeant, hac vice derogamus, ipſis aliàs*
„ *in ſuo robore permanſuris.*

„ *Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXIV. *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri anno* VI.

„ IV. Fratribus de Obſervantia voluit commiſſum regimen Clariſſa-
„ rum oppidi Valliſoleti, Palentinæ dioeceſis in Hiſpania: *Sacræ Religio-* *Ex Vatic.*
„ *nis &c.* III. Idus Octobris: ſcripſitque Archiepiſcopo Toletano, ut
„ Conventum ſancti Franciſci Fratribus de Obſervantia traderet: *Sacræ*
„ *Religionis &c.* Nonis Novembris: litteraſque expedivit pro quatuor
„ domibus Vicariatus Domus Dei, & Scalæ Cœli, erectis in territorio
„ Abulenſi & Calaguritano: *Sacræ Religionis &c.* X. Kal. Decembris.
„ Hoc anno frater Zegerius Vicarius Generalis Ultramontanus Provin-
„ cialem Congregationem in Conventu Collarenſi Cuſtodiæ *de Sanctoyo*
„ celebravit, in qua cum omnibus Provincialibus, Patribus, Vicariis, *Spec. fol. 72.*
„ Cuſtodibus ac Diſcretis nationis Hiſpanicæ, pro unione & pace inter
„ eos conſervanda, ſtatutum Collarenſe ordinavit die VIII. Maii.

ARGUMENTUM.

Pius Pontifex finem imponit controverſiæ de Sanguine Chriſti. Jacobus Picenus & alii Minoritæ ſuppetias ferunt expeditioni contra Turcas. Celebrantur Comitia Generalia. Franciſcus Savonenſis fit Miniſter Generalis. Bernardinus a Foſſa componit controverſiam inter Boſnienſes & Dalmatas. Auſtriæ Provincia ſubjicitur Vicario Generali Obſervantum: quos veros eſſe ſanctiſ Franciſci ſectatores Pontifex declarat. In cauſis fidei magna conceditur facultas Vicariis Generalibus. Mortuo Pio II. ſubſtituitur Paulus II. Mittit Jacobum Picenum ad Ducem Venetiarum. Memorantur multi litteris & virtute præſtantes Minoritæ. Floret beatus Amadeus Luſitanus, cujus acta pleraque referuntur. In Hiſpania & alibi propagatur Inſtitutum.

I. LArtus ſe diffundente controverſia de Sanguine Chriſti in paſſione effuſo, & utraque diſſidentium parte plures in ſuas acies attrahente, judicavit Pius Pontifex expedire, ut diſcuſſa per viros doctos quæſtione, quid in re ancipiti conſtanter tenendum eſſet, Sedis Apoſtolicæ decreto præciperetur. Vocatis itaque ſub finem anni præteriti ex Prædicatorum & Minorum Sodalitio, atque ex univerſis Ordinibus, & Rectoribus Eccleſiarum viris doctiſſimis, juſſit coram ſe rei veritatem indagari. In regeſto Vicarii Generalis Ludovici Vincentini lego ab eo delectos huic muneri Magiſtros tres, qui ex Patribus Conventualibus ad ſuum cœtum tranſierunt. Marianum de Ciſterna, Paulum de Luca, Paulum de Saaoferrato. Adſcitis itaque in Apoſtolicum Palatium Cardinalibus, Epiſcopis, ac Diviſolemnis diſputatio de Sanguine Chriſti.

Comment. Pii II. lib. 11.

ni, & humani Juris doctoribus, quorum maximus tunc erat in Curia numerus, jubentur Prædicatores & Minores bis ternos eligere, qui ſimul congredientes, in utramque partem quæſtionis articulum diſputantes invertant. Inter Prædicatores præcipuas agebat partes Gabriel Catalanus, inter Minores Franciſcus Savonenſis, uterque Philoſophus & peritiſſimus Theologus; poſterior hoc anno aſſumptus eſt ad ſupremam ſui Ordinis Prefecturam, mox ad Cardinalatum, & demum ad ſummum Pontificatum. Minoritis acceſſit ex Gymnaſio Pariſienſi frater Guillelmus Vorilongus, vir doctus, & inter ſuos gentiles *Doctorum Doctor* nuncupatus, qui paulo poſt certamen deceſſit, ſepultus in templo Aracœli, funus honorantibus ex Pii juſſu aliquot Cardinalibus.

Guillelmus Vorilongus vir doctus maxime.

Marc. 3. p. l. 5. c. 16.

II. Diſputatio tribus diebus protracta eſt coram Pontifice & Cardinalium cœtu, certantibus, ut decet, coram tanta Majeſtate non ſine modeſtia ac trepidatione viris Religioſis. Verum adeo durum & acre certamen habuere, ut media hyeme, cum omnia gelu rigerent, in ſudorem reſolverentur, tantus erat ardor vincendi. Pulchrum erat & delectabile doctiſſimorum virorum congreſſus aſpicere, & nunc iſtum, nunc illum ſuperiorem intueri. Audiebant attentiſſime conſedentes, nec loquentem interturbare quiſquam præſumpſit. Prius Prædicator, deinde Minor auditus eſt. Succedebant ſibi invicem tres viri, & alacriter deficientium partes aſſumebant. Cum ſatis dixiſſe viſi ſunt Minores & Prædicatores, facta eſt poteſtas reliquis Theologis, quæ vellent, dicere. Tum quoque prælium nobile viſum eſt, cum Prædicatorum alii, Minorum alii partes tuerentur. Præcipua contentio inter duos Epiſcopos fuit, Dominicum de Dominicis Torcellanum, & Laurentium Rovarellam Ferrarienſem Antiſtites, in Theologia doctiſſi-

mos.

mos. Torcellanus olim cum Minoribus ſenſerat, ſed mutata ſententia ad Prædicatores defecerat. Ferrarienſis, vir in Curia notiſſimus, Pontificis Datarius, Minoribus adſtipulabatur, & ſummo conatu ſententiam impugnabat Prædicatorum. Fuerunt & Magiſtri aliquot inter Epiſcopos & Abbates non ignobiles, qui diſputationem problematicam affirmarunt, eamque poſſe in utramque partem agitari. Auditis patienter omnibus, qui operoſum quidquam in hac re volebant proferre, Pontifex cœtum diſſolvit, & diebus pleriſque cum Cardinalibus negotium diſcuſſit. Viſum eſt poſtremo, nihil tunc in materia ſatis abſtruſa, neque in ſacra Scriptura, neque in Oecumenicis Conciliis ſufficienter expreſſa, Apoſtolico definire decreto.

III. Retulit hoc certamen Joannes Gobellinus, vel qui auctor eſt Commentariorum Pii II. ea tamen animi intemperantia & paſſionis infirmitate, ut plane magnam beato viro Jacobo Piceno, controverſiæ auctori, offenſionem, & ipſi veritati in delatione hiſtoriæ irroget injuriam. Longe aliter rei ſeriem, & diſputationis acta peculiari tractatu narravit Franciſcus ſupradictus Savonenſis, præcipuus in ſcena actor, ex cujus integra fide, quippe qui eo ſcripſit tempore, quo diſputationis teſtes ſupererant, facile convincitur, non æquis oculis Gobellinum Jacobum reſpexiſſe, neque ſincere hiſtoriam contexuiſſe.

IV. Porro nonniſi hoc anno percepit Jacobus, proceſſum Barcinonenſem clam authenticatum fuiſſe Tybure, quod anno narravimus præcedente; *Num. 3. & ſeq.* cumque ei ſuggereretur, aliquid hic parari malum, ſeu præjudicium adverſus ejus ſententiam, ſcripſit ad Pontificem rogans, ne pateretur quidquam in hac re fieri doloſe, aut quod officere poſſet veritati. Se autem dixit in Lombardia publice traductum, & tamquam hæreticum diffamatum, idque maxime propter ratificatum illum proceſſum, quo dicebant olim opinionem, quam ille ſuſtinebat, fuiſſe condemnatam. Diſplicuere hæc Pontifici, eaſque dedit ad Jacobum honorificas litteras, quas nos oblata cauſa exſcripſimus. Videns vero poſt frequentes, eoſque doctiſſimos congreſſus *Tom. 8. an. 1551. n. 16. Et ſup. an. 1462. n. 17.* nihil afferri ſolidum, per quod probari poſſet definitio illa Clementis VI. quam Prædicatores paſſim obtrudebant, neque ſubeſſe certum ex ſacra Scriptura, aut aliunde ſufficiens fundamentum, ut ad novam definitionem procederetur, volenſque quotidianas contentiones inter Prædicatores & Minores ſopire, Anconæ in procinctu ad expeditionem maritimam contra Turcas, graviſſimam hanc edidit Conſtitutionem, diebus dumtaxat octo antequam moreretur.

Ad perpetuam rei memoriam.

V. *Ineffabilis ſummi providentia Patris ad hoc nobis, quamvis immeritis, univerſalis Eccleſiæ regimen pia dignatione commiſit, ut tamquam de ſummo vertice ad infima reflectentes intuitum, quid pro ſacræ Religionis expediat propagatione felici, & qualiter illius multiplicibus plantationibus Religio ipſa floride dilatetur, ſolertius intendamus, omnemque inquietudinis & moleſtiæ fomitem ſubtrahamus, ſicque ſtatui omnium Religioſorum, in humilitate Altiſſimo famulantium, opportune provideamus, quod omnibus ab ipſis ſublatis moleſtiis, in Religionis Obſervantia, jugique perſeverationis quietius intendere valeant. Sane, cum ex eo quod dudum inter dilectos filios Prædicatorum & Minorum Ordinum Fratres, ſatore zizaniæ operante, ſuper eo quod eorum aliqui in ipſorum prædicationibus pretioſam Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti in triduo paſſionis ejuſdem ſeparatum fuiſſe ab ipſius* *Ex originali.*

ſanctiſſimu Divinitate aſſerebant, alii vero contrarium fore tenebant, diſſenſionis materia exorta foret, ex qua inter eos ad tantam altercationem, ut accepimus, deventum extitit, ut facile mentibus fidelium ſcandalum poſſet generari; & licet alias Nos ad obviandum prædictis, auditis his quæ circa præmiſſa utraque pars dicebat & allegabat, ſilentium impoſuerimus, ac materiam ipſam indiſcuſſam pro tunc reliquerimus, & mandaverimus, de hujuſmodi dubietate amplius diſceptationem aliquam fieri non debere; quia tamen verendum foret, ne ex contrarietate prædicta in mentibus eorumdem Chriſtifidelium aliquid ſcandali ad eorum animas illaqueandas generari poſſet, matura præmeditatione circavimus omnibus ſiniſtris eventibus in præmiſſis, prout ex debito paſtoralis officii adſtringimur, obviare. Ut igitur in Eccleſia Dei fidei Orthodoxæ unitas conſervetur, & de cetero tollatur occaſio in hujuſmodi controverſias incidendi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus, quod nulli Fratrum prædictorum deinceps liceat de ſupradicta dubietate diſputare, prædicare, vel publice vel private facere verbum, ſeu aliis ſuadere, quod videlicet hæreticum ſit vel peccatum tenere vel credere Sanguinem ipſum ſanctiſſimum, ut præmittitur, triduo paſſionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti ab ipſa Divinitate quomodolibet fuiſſe vel non fuiſſe diviſum vel ſeparatum, donec ſuper dubietatis hujuſmodi deciſione, quid tenendum ſit, fuerit per Nos & per Sedem Apoſtolicam definitum. Mandantes propterea univerſis & ſingulis eorumdem & aliorum quorumcumque Ordinum per totum orbem conſtitutis Fratribus, cujuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtant, præſentibus & futuris, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna, quam ipſo facto incurrant, & a qua niſi in mortis articulo conſtituti, nonniſi per nos aut ſucceſſores noſtros abſolvi poſſint, ne contra ſtatutum & ordinationem noſtram prædictam venire aut facere vel tentare quoquo modo præſumant; necnon omnibus & ſingulis prædictorum & aliorum Ordinum Prælatis, ut in virtute ſanctæ obedientiæ tranſgreſſores omnes, quos in pœnam hujuſmodi ineidiſſe, aut contra prædicta feciſſe vel dixiſſe præſenſerint, dignis pœnis diriſque carceribus punire & mancipare procurent; ac Fratribus ipſis utriuſque ſeu alterius Ordinis, ne de cetero ſub eiſdem pœnis aliquem Fratrem ſeu alium, hæreticum propterea proclamare, aut hæreſis ex hoc labem incurriſſe dicere vel aſſerere præſumunt, ſed ſi eos aliquem vel aliquos hæreſim aliquam incurriſſe conſtiterit, illum vel illos ad Sedem Apoſtolicam denunciare teneantur & debeant; quodque inter alias quaſcumque Eccleſiaſticas ſeculareſve perſonas nullus Fratrum Ordinum prædictorum ſeu aliorum aliquem de prædictis infamare, aut de illo quomodolibet proclamare præſumat; quinimo ut Fratres ipſi Prædicatorum & Minorum hujuſmodi mutuo ſe diligant & cum caritate pertractent ſecundum Ordinum ipſorum inſtituta & Regularis Obſervantiæ Regulam, ſub pœna præmiſſa, auctoritate præfata, tenore præſentium injungimus: decernentes ex nunc omnes & ſingulos Fratres Ordinum prædictorum, qui prædictis non obſervare, vel illis contrafacere vel venire ſtuduerint cum effectu, ad omnes actus legitimos Religioſorum & Ordinum ipſorum penitus inhabiles & incapaces, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis occaſione, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo hominum omnino liceat hanc paginam noſtrorum mandati, injunctionis & conſtitutionis infringere, aut ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anconæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. *Kalendis Auguſti, anno* VI.

VI. Ita

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

VI. Ita prudenter & placide hæc diuturna & moleſta controverſia ſopita eſt, nec amplius revixit, religioſe parentibus utriuſque factionis viris Apoſtolico præcepto. Multi ſcripſerunt de hac re viri Theologi, eoque communiter ducuntur errore, ut putent vel a Clemente VI. vel a Pio II. quidpiam in hac controverſia definitum. De Pio amplius dubitare non licet, quippe quid ſub ipſam mortem ſtatuerit, in prædictis litteris apparet; Clementem vero nihil circa hoc definiiſſe, præterquam quod Pii litteræ a nobis his tribus poſterioribus annis exſcriptæ, ita palam inſinuent, Dominicus Epiſcopus Torcellanus Prædicatorum fautor & athleta, qui pro eis diſputavit & ſcripſit, in tractatu de Sanguine Chriſti, quem Pio inſcripſit, ita ſincere non ſemel teſtatur, & ad finem articuli 3. hæc verba ſubjungit: *Ad ultimum dico, quod determinatio illa Sedis Apoſtolicæ non apparet in loco authentico, nec ita facile credendum eſt uni ſimplici allegationi illius Magiſtri* (Eymerici ſcilicet, auctoris Directorii Inquiſitorum.) *Non eſſe autem, & non apparere in Jure æquiparantur.*

Nihil eſt in hac controverſia definitum.

VII. Porro Jacobus indeſeſſe milites ſcribebat, pecunias colligebat, & ſubſidia quæque parabat expeditioni contra Turcas faciendæ. Paulo ante Pontificis mortem, has ad eum miſſas comperio.

Jacobus Piccinus ſubſidium fert Cruciatæ.

Dilecto filio fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia.

Dilecte fili, ſalutem &c. Ne quis ſe fruſtratum putet tuis prædicationibus, in quibus annunciaſti & conceſſiſti auctoritate noſtra perſonis, ſubſidia conferentibus ſanctæ Cruciatæ, abſolutionem generalem, etiam in caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis ſemel in vita, & plenariam Indulgentiam in articulo mortis; conceſſionem hujuſmodi hactenus per te factam, ratam habentes & gratam, eandem harum ſerie confirmamus. Deinceps tamen intentionis noſtræ fuit & eſt, & ita per præſentes declaramus, ut porrigentes manus adjutrices ad hanc ſanctam expeditionem juxta litteras Apoſtolicas deſuper editas, & tibi conceſſas in forma brevis, plenariam abſolutionem, & eam indulgentiam ſemel in vita tantum conſequuntur, quam perſonaliter proficiſcentes conſequi per eaſdem litteras voluimus. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die quarta Junii MCCCCLXIV. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Ex originali.

VIII. In eadem expeditione ſollicite laboranti fratri Baptiſtæ de Saxoferrato, Sedis Apoſtolicæ Nuncio & collectori in urbe, & Dominio Lucenſi, has litteras Pontifex tranſmiſit.

Baptiſta a Saxoferrato Nuncius & Collector.

Dilecto filio Baptiſtæ de Saxoferrato, Ordinis Minorum de Obſervantia, & Theologiæ Profeſſori, Nuncio & Collectori noſtro.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Intellectis his quæ ſæpe nobis exponi fecerunt dilecti filii Communitas iſtius Civitatis Lucæ, remiſimus ei trigeſimas pro ſancta Cruciata & remittimus per præſentes; decimas quoque ac vigeſimas eiſdem conceſſimus ac concedimus, ut commodius armare poſſint triremem, quam pro ſemeſtri nobis obtulerunt ad hanc ſanctam expeditionem. Propterea volumus & tuæ devotioni harum ſerie committimus ac mandamus, ut decimas ipſas atque vigeſimas per te jam collectas & in poſterum colligendas in toto ipſo Lucenſi dominio, dictæ Communitati libere tradas & conſignes in munitionem dictæ triremis per eos conver-

vertendas. Declares inſuper auctoritate noſtra, Univerſitatem ipſam Lucenſem, & ſingulos eorum, ſi & poſtquam dictam triremem armaverint, & in expeditionem at ſupra miſerint, eamdem Indulgentiam & remiſſionem conſequi, quam fuiſſent conſecuti, ſi particulariter ac ſigillatim trigeſimas perſolviſſent juxta litteras Apoſtolicas deſuper editas: contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Datum Senis ſub annulo Piſcatoris, die XI. *April.* MCCCCLXIV. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Capitulum Generale 91. Petaſii. *Deneſſus l. 6 hiſtor. Mantuæ.*

IX. Celebratum eſt hoc anno die XX. Maii in urbe Peruſina, non Mantuana, ut perperam ſcribit Hippolitus Doneſmundus, Capitulum Generale Patrum Conventualium, in quo Miniſter Generalis Jacobus de Sarzuela, poſtquam Ordinem rexerat annis ſex, tribus prioribus abſoluta & ſolitaria poteſtate, poſterioribus adjutore & poteſtatis conſorte fratre Franciſco Savonenſi, quem Vicarium vocabant Generalem, ſponte ceſſit officio, rogavitque genuflexus in medio confeſſus, benigne admitti a Patribus ceſſionem, hanc allegans ſuam impotentiam ad tanti muneris profecutionem; nimia enim gravabat ſenectus, defecitque lumen oculorum. Antequam Peruſium veniſſet, morbo aliquantum impeditus, timens ne poſſet Comitiis adeſſe, renunciationis hoc inſtrumentum ſimplex & inconditum præmiſit.

Jacob. a Sarzuela ſuo cedit officio.

Ex Rodul. fol. 192.

X. *Dilectiſſimi Fratres, poſt caram ſalutem in Chriſto Jeſu. Breviſſimum excuſationem intendo præmittere, ne Communitati Ordinis videar contraire. In Mediolanenſi Generuli Capitulo u. Reverendiſſimo tunc Generali Miniſtro Jacobo de Mozanica gratiam pro me obtinuerat Magiſter Joannes de Segnia, quod poſſem miniſteriatus officium reſignare, quo fungebar tunc in Aragonia, at Provinciam meam relinquerem in ſtatu pacifico & quieto, unde inferri poſſe videtur, quod non tantum prælationem & honores ambirem, ſed novit Deus, quomodo & unde proceſſit quod ſiutim vocatus fui a Calixto tunc Pontifice ſummo cum mandato, & accepi litteras, ut ſtatim me præſentarem ſuæ Sanctitati, ut feci. Reperi Ordinem in exterminio propter bullam deſtruentem nobis Regulam, ſi illi, qui Generali Ordinis non obediunt, haberent eligere & corrigere Generalem. Injungebat Pontifex quod Romæ Generale Capitulum celebraretur: cogitate quanto dolore vexabar. Volebat Pontifex me eſſe Generalem, & ego volebam electionem fieri juxta morem Regulæ noſtræ, cui petitioni contradicebat Pontifex per bullam illam excogitatam a fratre Jacobo de Marchia, quem velut alterum Paulum, Pontifex reputabat; ſcit bene Magiſter Segnia, quos noctes inſomnes tranſegimus, diſputantes de meo infortunio. Tandem miſertus eſt Deus, & revocavit bullam contrariam Regulæ, inſpicens lacrymas meas. Volens tamen modis omnibus me habere Generalem Miniſtrum. Recognoſco me debilius laboraſſe quam debui, ſed tamen feci uſque hodie minus male quo potui, nunc me premunt ægritudines, & imbecillitas labentis meæ ætatis. Unde objici mihi poſſet Evangelicum illud:* ſerve nequam, quare non dediſti talentum, quod ferre non poteras? *dum enim tu ignarus negociator talentum retines, alteriis locum, qui ipſum duplicare poterat, occupaſti. Quibus verbis permaxime commotus ſum ad ea, quæ inferius ſcripta ſunt propria manu meu.*

Calixti III. de Jacobo Piceno opinio.

Ego frater Jacobus Surzuela, Ordinis Minorum Generalis Miniſter & ſervus, meam recognoſcens jam invalidam ſenectutem, vobis honorandis Miniſtris, venerandiſque Cuſtodibus, diſcretis, ceteriſque Magiſtris & Fratribus, Peruſii vel ubicumque faceritis pro celebratione Generalis Capituli congregati, gratis, libere & ex propria volantate renuntio meum Generalatus officium, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti Amen. Et ubi jam a tuli

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

tali honore & onere liberatus ſim, humiliter ſupplico Reverendis Patribus, quod cum pace & bona caritate eligant, & dent Ordini validiſſimum virum in Generalem. Ita fiat. Amen.

Fit Miniſter Generalis Franciſcus Savonenſis.

XI. Admiſſa hujus viri abdicatione, electus eſt in Generalem Miniſtrum regiminis conſocius Franciſcus prædictus, vir omnium ſuffragiis digniſſimus, etſi propter aliorum concurſum, magnorumque hominum copiam, immorandum fuerit circa delectum. Erat tunc Perufii in Cœnobio Montis Jacobus Picenus, omnibus gratus, omnibus reverendus, ad quem dum præcipui ex Capitularibus acceſſiſſent, & interrogaſſent, quem tanto munere judicaret digniorem, ſuaderetque reliquis præferri? *Habetis*, reſpondit, *Franciſcum Savonenſem, quem Miniſtrum Generalem, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, ſummumque Pontificem me conſpecturum non diffido.* Atque ita contigit, vidit enim ad omnes illas dignitates feliciter aſcendentem. Ubi vero Fratres Obſervantes Aſſiſii ad ſanctæ Mariæ Angelorum pro Comitiis celebrandis congregati, Savonenſem ad Ordinis præfecturam delectum audierunt, Perufium abierunt quadringenti, & ſupplicatione publica per urbem in Ædem Cathedralem cum reliquis deduxerunt. Concionem habuit in medio foro Michael a Mediolano Obſervantinus, inſignis Prædicator. Jacobum Picenum e medio cœtu ad ſe vocatum Miniſter Generalis ad latus dextrum conſtituit, honorem hunc ejus deferens virtuti, magnæque apud omnes opinioni.

Ejus præclaræ dotes.

XII. Tanti viri electio omnibus ſummopere placuit, alternoque applauſu excepta, præclaras ejus dotes manifeſtius indicabat. Vir certe fuit eo munere dignus, quippe qui ad Conſodalium regimen videretur ab ipſa natura progenitus. Tanta illi comitas, tanta facilitas, tanta erga omnes benevolentia fuit, ut ſingulos tamquam pater filios admitteret; tanta in eo reverentia, ut timeretur a malis, & coleretur a bonis; apud doctos eruditus, ſimplicioribus non moroſus, apud magnates honorabilis, apud minores humilis, delicta rationibus, non convitiis neque contumeliis arguebat: efficax in dicendo, promptus & argutus in reſpondendo, in decernendo ſolidus, aſpectu ita jucundo, ut omnes ad ſe converteret; modico & modeſto cibo utens, naturali vigens prudentia, qua ex propriis moribus ſingulos diſcernebat, ſua cuique tribuens & impendens, & (ut uno verbo dicam) vir omnibus numeris abſolutus.

Capitulum 9. Generale Ultramontanum Obſervantum. Ciſmontanum 9.

XIII. Fratres Obſervantes eodem tempore duo celebrarunt Capitula Generalia; Ultramontani unum, Ciſmontani alterum, illi Machliniæ in Provincia Coloniæ elegerunt ſibi in Vicarium Joannem de Macrifortis, Provinciæ Turoniæ Vicarium, iſti Aſſiſii Marcum Bononienſem, alias eo munere perfunctum. Deſtinatus eſt Commiſſarius Romanæ Curiæ Gabriel Veronenſis Provinciæ Auſtriæ Vicarius, qui poſtea ad Cardinalatum aſſumptus eſt. Miſſus autem ut res Provinciæ Auſtriæ componeret, & capitulo præſideret, electus eſt Vicarius pro quarto Triennio etiam invitus. In officio Curiæ ſubſtitutus eſt Petrus Parthenopæus. Guardianus Montis Sion Hieroſolymis Paulus de Albenga Provinciæ Januenſis. Vicarius Candiæ Petrus Mantuanus, quo renunciante, ſubſtitutus eſt Gabriel Venetus, Guardianus ſancti Jobi Venetiarum. Vicarius Boſnæ & Dalmatiæ Bernardinus a Foſſa Aquilanus, inſtituti ſunt. Quæ in Comitiis Auximanis ſtatuta ſunt circa Provinciam Candiæ, hic confirmata ſunt. Et mittendorum Fratrum cura delata eſt Vicario Provinciæ ſancti Antonii, vel Vicario Generali, illo ſe negligenter habente. Conventus Rhodianus, qui ſuberat Guardiano Terræ Sanctæ, translatus eſt ad Vicarium Cretenſem. Pro pace & con-

Acta Capituli.

concordia inter Conventuales & Obſervantes multa ſtatuta ſunt, maxime circa Conventuum translationem ad Obſervantes, & fugitivorum receptionem apud Conventuales. Atque hinc inde a Miniſtro & Vicario Generalibus miſſæ litteræ præceptoriæ ad ſubditos, ut quæ conſtituta erant, firmius obſervarentur. Confeſſarius Reginæ Neapolitanæ obtinuit a Pontifice facultatem recipiendi in Conventu ſancti Laurentii triginta Fratres ex familia Obſervantum, quam Savonenſis voluit irritam & inanem. Bononienſis Conventualibus reſtituit Conventum Nicoteræ in Calabria, nuper a ſuis occupatum. Regimen aliquorum Monaſteriorum Clariſſarum, maxime Aſſiſiatis noluerunt Obſervantes, ne amplius Conventuales irritarent. Atque his modis amicabilibus alteriſque obſequiis pacem & concordiam redintegrarunt.

Marcus Bononien. amplam recipit a Pontifice poteſtatem.

XIV. Expleto Capitulo, Marcus Vicarius Romam abiit, & ſimul cum Angelo Bulſeno per operam Cardinalis Spoletani, qui Vices Protectoris Cardinalis Niceni abſentis agebat, introductus eſt ad Pontificem. Ille benigne exceptum, ampla hac poteſtate circa Fratres & Moniales affecit.

Dilecto filio Marco de Bononia, Ordinis Minorum de Obſervantia, citra Montes Vicario Generali.

Ex autographo.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ut curam Ordinis tui tibi commiſſam, liberius & utilius ſecundum Deum & Ordinis inſtituta gerere, Fratres & Moniales tuæ Citramontanæ familiæ, ſinceriori obſervantiæ Regulæ beati Franciſci ſubjicere, & in eadem regere & conſervare valeas, volumus & tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica tibi concedimus & mandamus, ut juxta Regulam & ipſa regularia inſtituta, in omnes & ſingulos Fratres ſeu Moniales tuæ Curæ ſubjectos, in viſitando, corrigendo, puniendo pro demeritis, & retinendo Fratres ad expeditionem Cruciatæ pergere volentes, quos videris idoneos non eſſe, ac in perficiendo & obſervari faciendo quæ ſpectant ad Obſervantiam Regularem, contra quoſcunque Fratres, quibuſvis gratiis, privilegiis vel libertatibus munitos, cujuſcis tenoris, & cujuſcumque Prælati regularis vel ſecularis, ſeu Principis, vel etiam noſtri indulti, aut prædeceſſorum noſtrorum, quibus omnibus derogamus expreſſe, niſi aliud a nobis habueris in mandatis, ubilibet & in omnibus & ſingulis cauſis & dubiis occurrentibus, libere & licite tuum officium exercens & exequaris, non obſtantibus præmiſſis & ceteris quibuſcunque, etiamſi talia forent, de quibus hic de verbo ad verbum habenda eſſet mentio. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. *Junii* MCCCCLXIV. *Pontificatus noſtri anno* VI.

Controverſia inter Boſnenſes, Dalmatas & Raguſinos componitur.

XV. Bernardinus de Foſſa injunctum ſibi munus uniendi & regendi Boſnæ & Dalmatiæ Provincias executurus, Ancona ſolvit, & diebus tredecim Jaderam appulit, ubi Dalmatinæ Provinciæ Vicarius frater Chriſtophorus ejus præſtolatus adventum, ſigillum tradidit, ſeque ſuoſque ſubditos Bernardino ſubjecit, Boſnenſes etiam unioni aſſenſerunt, & novo Vicario obſecuti ſunt. Soli Raguſini, qui pridem prætextu quarumdam litterarum Apoſtolicarum domos quatuor Stagni, Slanæ, Umblæ & Canalis Boſnenſibus avulſere eo titulo, quod in Dominio eſſent Raguſino, noluerunt reliquis uniri, neque ad Capitulum Paſmanii in Cuſtodia ſancti Hieronymi celebratum, cui ipſe Marcus Vicarius Generalis præerat, proficiſci. Illic itaque duæ familiæ Boſnenſis & Dalmatina in unam coaluere Provinciam, atque ut Dalmatina commodius regi poſſit, in duas diviſa eſt Cuſtodias

Arbi

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

Arbi & Cathari. Arbenſis his conſtabat domibus, Arbi, Vegliæ, Rabinii & Piranii; Catharenſis iſtis, Cathari, Antibari, Alexii. Cuſtodiæ ſancti Hieronymi jam diu inſtitutæ in familia Boſnenſi, adjunctus eſt Conventus Jaderenſis; Cuſtodiæ Stagni, Conventus Raguſinus & Daxenſis; Cuſtodiæ Cethiliæ, Conventus Leſnæ; Cuſtodiæ Corbaviæ Conventus Corſathi. Rebus ita compoſitis, adjudicatis Cœnobiis quatuor ſupradictis, per Raguſinos violenter abreptis, Provinciæ Boſnenſi, per cujus alumnos fuerunt ædificata, & correptis merito Raguſinis, diſceſſit Marcus, relicto Bernardino, qui pacifice & religioſe commiſſam ſibi rexit Provinciam. Pontificiæ auctoritatis ad hæc peragenda inſtrumentum hic ex autographo ſubjicio.

Dilectis filiis Vicariis Generali & Provincialibus, ceteriſque Vocalibus Ordinis Minorum in Generali Capitulo congregandis.

XVI. *Dilecti filii, ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Dudum per* Ex originali. *licteras noſtras mandavimus dilecto filio fratri Baptiſtæ de Levanto, tunc Generali Vicario veſtro, ut pro pace componenda inter Provincias Boſnæ & Dalmatiæ, perſonaliter illuc accederet: Scripſimuſque inſuper dilectis filiis Generali & Provincialibus Vicariis, ceteriſque Vocalibus Ordinis veſtri atque familiæ de Obſervantia in Generali Capitulo apud Auximum congregatis, ut omnes & ſingulas differentias Provinciarum veſtrarum, & præſertim Dalmatiæ ac Boſnæ componere, decidere & determinare valerent; & tamen acceptimus nihil per prædictos ex voluntate partium invicem non convenientium deciſum aut determinatum fuiſſe, quando potius aliquos Fratres Provinciæ Dalmatiæ ab obedientia Vicarii illius contra Apoſtolica indulta, quorumdam ſecularium Dominorum favore ac patrocinio, ſe poſtmodum ſubtraxiſſe, quod periculoſiſſimum decernentes, commiſimus poſtremo ac mandavimus dilecto filio fratri Ludovico Vincentino Generali Vicario veſtro, ut quamprimum commode poſſet, perſonaliter accedens, Fratres prædictos rebelles ad ſe vocaret, & per cenſuras eos compeſceret a tali rebellione, & temeraria locorum occupatione, unde tamdem ad aures noſtras pervenit, præfatas Provincias nondum concordi pace mutuo ſe fovere. Volentes igitur auctoritate Apoſtolica his finem imponere, vobis infraſcripta declaramus & per Apoſtolica ſcripta mandamus: Primo videlicet, quod de duabus Provinciis, ſcilicet Dalmatiæ & Boſnæ fiat una Provincia, quæ vocetur Provincia Boſnæ & Dalmatiæ: Secundo, ut huic Provinciæ præferatur unus Vicarius Italus, ut caput ambabus partibus indifferens, qui Vicarius eligatur in ſingulis Generalibus Congregationibus veſtris per Generalem Vicarium & Definitores veſtræ Generalis Congregationis: Tertio, quod ejus officium perſeveret per tres annos, ſicut & officium Generalis Vicarii veſtri, qui tamen Vicarius Dalmatiæ & Boſnæ ſubſit ac pareat Vicario Generali Cismontano. Et ut hæc noſtra declaratio ſeu mandatum ſortiatur effectum, vobis in vim obedientiæ præcipimus ac mandamus, ut hanc conſtitucionem noſtram ſeu declaracionem in primo futuro Capitulo Generali veſtro tenere ac obſervare & exequi non poſtponatis: Omnibus vero ac ſingulis Fratribus Boſnæ & Dalmatiæ præſentibus & futuris ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipimus & mandamus, ut declarationem & voluntatem noſtram prædictam ſine aliqua contradictione debeant obſervare. Non obſtantibus conſtitutionibus ſive exemptionibus per nos vel per prædeceſſores noſtros Vicariæ Boſnæ ſeu Provinciæ Dalmatiæ prædictis factis, quarum tenorem hic pro ſufficienter expreſſo haberi volumus, &*

ceteris in contrarium facientibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XVI. *Februarii* MCCCCLXIII. *Pontificatus noſtri anno* V.

Confirmatur Provincia Auſtriæ.

XVII. Provinciam Auſtriæ & Boemiæ a Joanne Capiſtranenſi inſtitutam, a Gabriele Veronenſi conſolidatam & propagatam, confirmavit hoc anno Pius, & regimini ſubjecit Vicarii Generalis Obſervantum, addito Conventu Wratislavienſi, qui ex antiqua Provinciarum diſpoſitione ſpectabat ad Provinciam Saxoniæ: *Præclaram longe.* XVI. Kal. Julii. Erant plurimi, qui vel vanæ curioſitatis vel libertatis ſtudio Hieroſolymas proficiſcendi facultatem variis artibus a Pontifice extorquerent, & in itinere vel in ſanctiſſimis locis, quo ſpiritu ducebantur, ſacillime oſtendebant. Horum inutiles diſcurſus compreſſurus Vicarius, impetravit a Pontifice facultatem revocandi conceſſas licentias, niſi piæ huic peregrinationi Fratres viderentur idonei; & quia alii diſciplinæ impatientes ad Conventuales Magnatumque declinabant obſequia, obtinuit ne reciperentur abſque ſuperiorum licentia: *Admonet nos ſuſcepti.* XI. Kal. Februarii. Zegerius Dixmudæ, Vicarius Generalis Ultramontanus pauperibus, infirmis, carceratis, aliiſque miſellis ſublevandis totus addictus, multas eis impetravit gratias ſpirituales, diſtribuendas prius in Dominio Philippi Ducis Burgundiæ, deinde in ſui regiminis circuitu: *Ejus vices in terris.* pridie Kal. Februarii.

Prohibentur diſcurſus inutiles.

Zegerii Vicarii Generalis exitas.

Obſervantes veros eſſe S. Franciſci filios declaratur.

XVIII. Fuerunt multi, qui Obſervantibus obloquerentur, & ſuæ Regulæ tranſgreſſores nuncuparent, quippe qui non Miniſtris, uti Inſtituti formula præſcribit, ſed Vicariis, quorum neque nomen quidem in Regula legebatur, obtemperarent. Hæc paſſim omnibus & ubique inculcabant, ſed & Gallorum Regi ſuggeſſerunt, qui ut huic malo mederetur, Pontificem rogavit. Duas de hac re bullas Pius edidit, primam ad ipſos Fratres, ſecundam ad Regem directas.

Dilectis filiis Vicario Generali & univerſis Fratribus Ordinis beati Franciſci, de Obſervantia nuncupatis &c.

Ex autographo.

Cirtæ Regularis Obſervantiæ profeſſores ſollicitudinis noſtræ vices libenter impendimus, ut & eorum Religio ſalutarem fructum fœcundius afferat, ipſique incrementis continuis laudabilius in Domino proficiant, dubietates omnes per quas eorum mentes poſſint ambiguæ reddi, eas præſertim, quæ ſuper conceſſis a Sede Apoſtolica gratiis & indultis circa eorum modum vivendi, ac ſalutarem Regulæ obſervantiam ordinatis oriantur, e medio tollimus, ac eaſdem Apoſtolicæ declarationis luce illuſtramus. Cum itaque nuper acceperimus fuiſſe aliquando nonnullos, qui dubium ducerent, utrum vos, qui in profeſſione Regulæ veſtræ videmini obligati vivere ſub obedientia Miniſtrorum Ordinis, juxta ipſius Regulæ, a beato Franciſco editæ, & per Sedem Apoſtolicam multipliciter confirmatæ & approbatæ, litteram, cum nunc ex conceſſione & determinatione Apoſtolica, præſertim felicis recordationis Eugenii IV. & Nicolai V. Romanorum Pontificum noſtrorum prædeceſſorum & noſtra, veſtros ſuperiores Vicarios appelletis & non Miniſtros, Regulæ ipſius mandatum adimpleatis: an potius præter illam agentes, graviter & contra votum profeſſionis, præſertim obedientiæ delinquatis; unde facilum ſit ut in conſcientiis aliquorum ex veſtris propterea ſcrupulus aliquando ſuboriatur, ex eorum ſententia, qui Apoſtolicas præfatas determinationes non ad plenum intelligunt. Volentes ſuper hujuſmodi ambiguitate vobis conſulere, & conſcientiarum veſtrarum quieti de benignitate Apoſtolica providere, omniumque men-

mentes propterea de veſtro ſtatu ambiguas paternali affectu, quantum in nobis eſt, quietas reddere; & ſalubriter attendentes, quod ſicut ſine Apoſtolicæ Sedis auctoritate nulla Regula ſeu modus religioſe vivendi recte inſtituitur aut declaratur, neque interpretari poteſt; ita in ejus poteſtate eſt, & inſtituta, ſi vellet, in melius commutare, & prout viventium in eis animarum ſaluti noverit convenire, ſuo arbitrio ordinationes novas ac determinationes inſtituere, & Prælatorum eorumdem vocabula ac denominationes immutare, alterare & interpretari: auctoritate Apoſtolica, & ex certa noſtra ſcientia interpretamur & declaramus, quod, cum Sedes præfata veſtræ familiæ de Obſervantia poſt Generalem totius Ordinis Miniſtrum, Generales & Provinciales Vicarios Miniſtrorum loco, certis piis & ſanctis reſpectibus eſſe voluerit & decreverit, Vicarii ipſi, qui vobis præſunt, & quibus vos ex debita profeſſionis veſtræ prædictæ obeditis, veri & indubitati veſtri Miniſtri, & tales quales B. Franciſcus juxta Regulam præfatam & Deus fore intendebat, ſunt & perpetuo erunt, quoadusque Apoſtolica Sedes, in cujus arbitrio conſiſtit, aliud alio tunc reſpectu ordinare ſtatuerit, differentes a prædictis ſolo nomine, & id ex præmiſſa determinatione Apoſtolica: quam ipſi quoque, præſentium tenore, ex ſimili auctoritate & ſcientia ratam & gratam habentes, confirmamus & approbamus, voſque qui eiſdem Vicariis obeditis, ſecundum determinationem prædictæ Sedis Apoſtolicæ, Regulæ veſtræ præfatæ, & præcipue in ea parte ubi eſt, Præcipio firmiter Fratribus univerſis ut obediant ſuis Miniſtris, *plene & integre ſatisfacitis, pleneque & integre ſatisfacere, auctoritate præfata per præſentes decernimus & declaramus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXIII. *pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* V.

Cariſſimo filio Regi Galliarum Illuſtri.

XIX. *Felicis recordationis Eugenius Papa IV. & alii ſubſequentes Romani Pontifices, non ſine magna cauſa & rationabili, Fratribus Ordinis Minorum, qui ſub Regulari Obſervantia degunt, ut Superiores & Prælatos ſuos alio nomine, quam in eorum Regula expreſſum ſit, nuncupatos eligere poſſent, conceſſerunt, qui Prælati, quamvis non Miniſtri ſed Vicarii nuncupantur, in nomine tantum non autem re differunt a Miniſtris: neque fuiſſet par, cum & Prælati Fratrum Conventualium appellentur Miniſtri, duos in eadem Provincia Prælatos, alterum videlicet Conventualium, alterum de Obſervantia Fratrum, Miniſtros nuncupari; ſed æquius fuit eos diverſis nominibus appellari. Ex hoc Excellentia tua intelligat, ſi qui ipſorum de Obſervantia æmuli contrarium dixerint, quaſi ex eo ſecundum Regulam non vivant, quod ſuos Prælatos non Miniſtros ſed Vicarios appellant, non rite moveri, ad quod fides illis danda non ſit; nam Vicarios pro Miniſtris datos eſſe Fratribus de Obſervantia & quidem ab Apoſtolica Sede, cujus auctoritate eorum firmata, & ſine qua neque ordo inſtitui, neque vivendi nova Regula adinveniri poteſt ſufficienter .... Qua ex re hortamur Majeſtatem tuam, ut talia contra dictos Fratres te non moveant, ſed ſumat argumenta ex vita & laudabilibus eorum actionibus, & eos, ut decet Deo dilectum Chriſtianiſſimum Regem, pietatis oculo reſpiciat. Hoc enim adjiciet præconio Altitudini tuæ, eritque nobis & dictæ Sedi gratiſſimum, cum intellexerimus Celſitudinem tuam in ejus fidem & protectionem dictos Fratres, Dei ſervos, ſuſcepiſſe. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXIV. *quinto Idus Maii, Pontificatus noſtri anno* VI.

XX. Cir-

Qualiter obſervandum Interdictum.

XX. Circa modum obſervandi Interdicti dum Fratres vacillarent, & ſe ab illo quandoque eximendi modum quemdam adinvenirent, ut dubium omne removeret Pontifex, ſequentem edidit conſtitutionem.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatis, ſalutem &c.

Ex autographo.

SCiens Inimicus humani generis obedientiam plus valere quam victimam, omnem conatum adhibet, ut Eccleſiaſticarum cenſurarum contemptum introducat, & ſic fervorum rebellium multitudinem in barathrum trahat. Hic malignus in multis regionibus adeo prævaluit, quod Eccleſiaſticum interdictum minime curatur, atque, ut intelleximus, aliquos etiam Religioſos corrupit, quod aſſerant ſe ad alicujus talis interdicti minime teneri obſervantiam, niſi poſtquam illud Matrix Eccleſia obſervaverit. Nos vero, qui curam gregis Dominici ſuſcepimus, & ne ex omnibus nobis commiſſis quiſquam perdatur, dum ſolliciti ſumus, maxime ad vos ſervos Dei reſpicimus, qui, contempto mundo, beatum Franciſcum imitantes in præceptis Apoſtolicis, ad ſolum Chriſtum tenditis, ne quiſquam in vanum currat & aberret, quo modo Eccleſiaſticum interdictum per vos ſervandum ſit, declaramus. Interdictum enim Eccleſiaſticum, aut a Sede Apoſtolica & ejus Commiſſariis emanat, aut ab inferioribus ſedibus & earum Commiſſariis? ſi primum, tunc poſtquam vobis, qui loca interdicta inhabitatis, inſinuatio facta eſt, ad illius obſervantiam interdicti, nulla exceptione aut excuſatione admiſſa, etiamſi cæteri Religioſi aut ſeculares ex quacumque cauſa defecerint, mox aſtringimini; non enim habetis niſi Apoſtolicum præceptum reſpicere, & ei etiam juxta Regulam veſtram ſimpliciter, ut mandatur, obedire. Si vero interdictum ab inferioribus ſedibus emanaret, licet ab illis exempti ſitis, ad obedientiam tamen interdicti ejus obligamini, quando matricem Eccleſiam illud ſervare videritis, cui tunc vos conformare debetis, ne cenſuræ Eccleſiaſticæ per veſtram difformitatem vigore vacuentur. Hac diſtinctione utamini, & non declinetis ab illa, & ita præcipimus, & in virtute ſanctæ obedientiæ vobis injungimus, ulteriores diſputationes & opiniones penitus vitantes, ut inveniamini in ſimplicitate obedientiæ, ſicut decet Deo caros, & Religioſos ambulare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. *Kalendis Februarii, Pontificatus noſtri anno* V.

Vicarii inquirût in ſuos Fratres de rebus fidei. *Vide Fenam Schol. 94. in lib. 5. decretorii Inquiſ.*

XXI. Generalibus Ordinis Vicariis inſigne, & Ordini proficuum, conceſſit hoc anno privilegium, ut ſcilicet in cauſa fidei, rebuſque ad ſanctæ Inquiſitionis officium ſpectantibus aberrantes, ipſi corriperent, & contritos abſolverent. Honori Ordinis conſulturus, ignominiam & ſcandalum averſurus, iſtud dedit diploma. Revocatum tamen eſt a poſterioribus Pontificibus.

Dilecto filio Vitario Generali Fratrum beati Franciſci de Obſervantia Regulari Ultramontes, ſalutem &c.

Ex autographo.

INter ceteras curas, quibus ſuſcepti regiminis officium nos ſollicitat, illud in primis nos monet, ut religioſæ perſonæ, quæ abjectis mundi illecebris Deo ſeſe dedicarunt, in Dei timore perſeverent, & in ejus ſervitiis ambulantes, dignæ ſint, quæ coronam vitæ accipiant. Cum itaque ſciamus familiam beati Franciſci de Obſervantia, cui tua devotio præſidet, per varia regna variaſque Provincias late ſparſam eſſe, & plura loca habere partim cum infide-

fidelibus, partim in Civitatibus, quas hæretici & neophyti parum ſolide in Chriſtiana fide confirmati, & infideles Mauri & Judæi fidelibus Chriſtianis immixti, habitant, intelligamuſque facile poſſe contingere, ut aliqui ex ipſis tuis Fratribus ab illis ſeducti, aut propter propriam levitatem, ex eorum converſatione, aut ex ſimplicitate aut indiſcreto zelo, errores noxios contrahant, in ſuarum propriarum animarum perniciem, & malam de veſtra familia apud fidelem illarum partium populum ædificationem, niſi fuerint debite correcti; cupientes hujuſmodi imminentibus periculis, quantum in nobis eſt, occurrere, & nihilominus nolentes, quod intentio noſtra hæc pia ad finem alium, quam ipſi intendamus, malitioſe trahatur, & remedium inventum ad curationem ſalutis particularium animarum, & veſtræ familiæ prædictæ laudabilis opinionis conſervationem, in ipſius ſcandalum aut ignominiam apud ſeculares convertatur, devotioni tuæ, cujus fideles operationes multipliciter fructuoſas eſſe in diverſis aliis Dei honorem concernentibus rebus, ſumus experti, tenore præſentium committimus & mandamus, ut de commiſſi tuæ curæ Fratribus cuſtodiam ſedulam, prout teneris ex officii tui debito, habens, diligenter ſuper præmiſſis vigiles, & ſi contigerit te reperire aliqua indicia in quibuſcumque familiæ tuæ Fratribus, ſive ex ſcriptis, ſive ex ſermonibus, ſive ex quacumque cetera vitæ actione, ſuper eiſdem diligenter, & prout ex ipſis indiciis (ſuper quo tuam conſcientiam oneramus) arbitratus fueris æquum & conveniens eſſe, modis convenientibus inquiras, & juxta reliquam tuæ prædictæ familiæ conſuetudinem procedas, Fratreſque ipſos repertos aut reos, aut innocentes, ſecundum præfati tui Ordinis inſtitutiones, & tuam conſcientiam, aut abſolvas ab inquiſitis, aut pro modo errati uſque ad dignam pœnitentiam & emendationem punias & corrigas; ceteris omnibus Prælatis, Vicariis, Miniſtris, Inquiſitoribus, aliiſque quibuſcumque Officialibus, Protectore veſtri Ordinis inferioribus, Eccleſiaſticis, & ſecularibus, quocumque vocabulo cenſeantur, diſtrictius inhibentes, ne Fratres hujuſmodi, contra quos a te inquiri contigerit, aut poſtquam fuerit inquiſitum, ſive eos judicaveris corrigendos & puniendos, correxeriſque & punieris, ſive abſolvendos & dimittendos, abſolveris & dimiſeris, in judicium propter præmiſſa iterum vocare, aut adverſus eoſdem de novo inquirere, aut eos ullo moleſtiæ genere vexare de cetero præſumant. Non obſtantibus privilegiis veſtro Ordini conceſſis, ceteriſque contrariis quibuſcumque, etiam ſi talia forent, de quibus ſpecialis de verbo ad verbum eſſet habenda mentio, quibus, ne hujuſmodi noſtræ commiſſionis & inhibitionis effectum impedire valeant, hac vice derogamus, ipſis aliis in ſuo robore permanſuris. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. *Idibus Februarii, Pontificatus noſtri anno* VI.

Fratrum præcipitur ſtabiliri concordiam.

XXII. Multa conſtituit Pius ad ſtabiliendam & conſervandam inter utramque familiam Conventualium & Obſervantum dilectionem fraternam & animorum concordiam. At cum hæc negligerentur, & invicem ſe Fratres, præſertim in partibus Ultramontanis, oppeterent, Eccleſiarum Prælatis ſcripſit, ut ad obſervantiam a ſe ſtatutorum compellerent univerſos.

Venerabilibus fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis ultra montes ubilibet conſtitutis, ad quos præſentes noſtræ litteræ pervenerint, ſalutem &c.

INter aſſiduas curas, quæ in quotidiana emergentium nobis negotiorum inſtantia mentem noſtram diſtrahunt, ea præcipue nos ſollicitat & angit, ut regularem vitam profeſſi, & ſub Religionis jugo virtutum Domino famulantes,

lantes, ceſſante diſſidiorum & turbationum amaritudine, tranquillitatis & pacis dulcedine potiantur, & in contemplationis ſuavitate liberi quieſcant. Cum itaque relatione dilecti filii Vicarii Generalis Fratrum de Obſervantia, Ordinis ſancti Franciſci partium Ultramontanarum intellexerimus, quod licet nos olim pro conſervatione pacis & caritatis inter univerſos Ordinis ſancti Franciſci, tam de Obſervantia nuncupatos, quam Conventuales Fratres, per diverſas alias litteras noſtras, tam ſuper eo ne eorum alii aliorum loca immodeſte occuparent, quam etiam pro conſervatione privilegiorum & immunitatum dictis Fratribus de Obſervantia per nos & Sedem Apoſtolicam concеſſarum, & quæ eis poſt id tempus forte contedi contingeret, certas ordinationes, proviſiones, inhibitiones & mandata ſub excommunicationis aliiſque tunc expreſſis pœnis, in quas contrafacientes ipſo facto inciderent, ediderimus, prout in noſtris inde confectis litteris, quarum tenores, continentias & effectus, perinde ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, hic pro expreſſis haberi volumus, plenius continetur. Tamen aliquando poſtea contigit, quod nonnulli ex eiſdem Fratribus, præter earumdem litterarum continentiam & tenorem, temere egerunt, tam domos & loca ſibi invicem ſubtrahentes, quam alias mutuo ſe jugibus perturbationibus & inquietudinibus vexantes, & ad ſeculares etiam judicia, contra ſacrorum canonum inſtituta, aliquando trahentes, quibus nos ad prædicti Vicarii ſupplicationem conſulere, & ne mandata noſtra hujuſmodi temerarie contemnere, aut ſeipſos de cetero pertarbare perſeverent, volentes providere, fraternitatibus veſtris & veſtrum cuilibet committimus & mandamus, quatenus vos & veſtrum quilibet, quoties ſuper hoc per aliquem prædictorum Fratrum tam de Obſervantia, quam Conventualium fueritis requiſiti, litteras noſtras præfatas in veſtris Eccleſiis, Civitatibus & diœceſibus publicari ſolemniter faciatis, & diligenter provideatis, ne Fratres ipſi ſeſe mutuo, ut prædictum eſt, per ſe ipſos aut per ſuos quoſcumque fautores, contra ipſarum litterarum tenores, ſive in domorum & locorum, quæ alii poſſident, niſi ex ſpeciali Apoſtolicæ Sedis indulto faciant, occupatione ſeu invaſione, ſeu alias ullo moleſtiæ genere, aut ſe mutuo coram Judicibus ſecularibus trahendo, aut in ſuis Apoſtolicis indultis indebite lædendo inquietent: quod ſi forte contigerit aliquem ex Miniſtris, Vicariis, Cuſtodibus, Guardianis aliiſve Fratribus ſupradictis propter præmiſſa excommunicationem, aliaſque ſententias, cenſuras & pœnas in eiſdem noſtris & aliis per felicis recordationis Eugenium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum eis concеſſis litteris contentas, de cetero incurrere, & id per evidentiam rei, aut ſummariam facti, omni ſtrepitu & figura judicii prorſus remota, informationem, vobis aut veſtrum alteri conſtiterit, & per vos & per veſtrum quemlibet ad alterius partis inſtantiam ſuper pace conſervanda ſecundum præfatas noſtras & aliorum Romanorum Pontificum concеſſiones, proviſiones & ordinationes, pie moniti non deſiterint, eos tamdiu excommunicatos, ceteriſque prædictis pœnis, ſententiis & cenſuris irretitos, auctoritate noſtra in veſtris Eccleſiis, ubi magna populi multitudo ad Divina officia audienda convenerit, publice nuncіare faciatis, mandetiſque ab omnibus evitari, donec debitam admiſſorum emendam præſtiterint, meruerintque ab eiſdem ſententiis & pœnis abſolutionis beneficium & reconciliationis gratiam obtinere. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo: non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus quibuſcumque, præſertim quibus cautum eſt, ne quis extra ſuam diœceſim, in quibus fuerint deputati, contra quoſcumque procedere &c. aliiſque conſtitutionibus & ordi-

na-

nationibus, necnon privilegiis, indultis & litteris Apoſtolicis, eiſdem Fratribus & eorumdem Ordini in genere vel in ſpecie conceſſis, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta veſtræ hujuſmodi juriſdictionis explicatio quomodolibet valeat impediri, quæ quoad hoc nolumus eis ſuffragari: ceterum quia difficile foret præſentes & alias prædictas noſtras, & aliorum Romanorum Pontificum litteras ad ſingula loca perferri, volumus & dicta auctoritate decernimus, tranſumpta eorum authentica, manu publici & legalis notarii ſubſcripta, & ſigillo alicujus Archiepiſcopalis vel Epiſcopalis Curiæ ſignata, fidem indubiam obtinere, perinde ac ſi prædictæ aliæ & præſentes noſtræ litteræ originaliter exhiberentur; in contrarium facientibus quibuſcumque non obſtantibus. Datum Romæ apud ſanctum Petram, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. *pridie Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno* V.

XXIII. His aliiſque multis beneficiis in Sodalitium, cui erat a juventute addictiſſimus, collatis, Pius Pontifex Anconæ, ubi Venetorum claſſem & Ducem ſperabat, contra Turcas profecturus, incidit in febrim, quæ infra paucos dies virum vere Pium e medio ſuſtulit, & paratæ expeditionis conſilium diſſipavit. Obiit incomparabilis Antiſtes XVII. Kal. Septembris, ætatis anno quinquageſimo nono, Pontificatus ſexto, ſi tres dies adjicias, completo. Omnium, qui Romam paulo poſt convenerant, Cardinalium ſuffragiis cooptatus eſt in Pii locum Petrus Barbus Venetus, Presbyter Cardinalis tituli ſancti Marci, pridie Kalendas Septembris, & V. Idus ejuſdem menſis ante fores Baſilicæ Vaticanæ Coronationis inſignia ſuſcepit a Roderico Borgia S. R. E. Archidiacono & Vicecancellario, vocatus Paulus II.

Moritur Pius II.

Succedit Paulus II.

XXIV. Proſecuturus bellum a Pio indictum contra Turcas, multorum Minoritarum opera uſus eſt, eadem, quæ Pius injungens miniſteria. Pleroſque in iis, quas exercebant, curis confirmavit, alios de novo Nuncios conſtituit & Collectores, Jacobum præſertim Picenum, quem diligenter diximus huic expeditioni cooperatum, ad eoſdem reaſſumendos labores exhortatus, miſit ad Ducem Venetum, de his cum eo acturum. Functus ille ſuo munere, dum redire cogitabat, non permittitur, Papa ſuadente, ut juxta pium Ducis deſiderium, penes ipſum aliquantiſper placeat reſidere. Ita Pontificis nomine ſcribit Marcus Epiſcopus Vincentinus Papæ familiaris.

Utitur opera Minorum pro expeditione Cruciatæ.

Jacobus Picenus jubetur Venetiis hærere.

Venerabili ac religioſo viro fratri Jacobo de Marchia, in Domino mihi obſervando, Ordinis ſancti Franciſci de Obſervantia.

Illuſtriſſimus Princeps, Dominus Dux noſter Venetiarum, quem præcipuo quodam religionis zelo præditum eſſe Caritas Veſtra intellexiſſe debet, maximo deſiderio afficitur, ut Caritas Veſtra Venetiis reſideat, qui ut optati ſui facilius compos fieret, id ſanctiſſimo Domino noſtro ſtuduit declarare. Sanctitas vero ſua, id grato animo ſuſciperet, ſi devotioni illius Sereniſſimi Principis per caritatem veſtram ſatisfieret, & injunxit mihi, quod de hujuſmodi Principis illius deſiderio Paternitatem veſtram redderem certiorem. Ego vero, qui ſanctiſſimi Domini noſtri hac in parte animum intelligo, Paternitati veſtræ ſuadeo, ut omnino illi Principi devotiſſimo ſatisfacere velit. Adſunt Venetiis tria commoda & honeſta veſtri Ordinis loca, videlicet ſancti Franciſci de Vinea, alterum ſancti Bernardini, alterum, quod Deſertum *appellant prope Venetiam. Quodcumque malueritis pro reſidentia veſtra vobis eligere, licebit; eam enim conditionem ſi ſuſceperitis, rem ſanctiſſimo Domino noſtro quam gratam facietis, mihi vero qui ſingulari reverentia Principem illum* Ex autographo.

prosequar, non modo gratam sed etiam jucundissimam, meque eo pacto devinciet is, ut omnia, quæ pro vestro Ordine commode & honeste a me fieri possint, quam diligenter curem, & ut caritas vestra honesto illius Christianissimi Principis desiderio satisfaciat, eam etiam atque etiam precor & hortor, me orationibus suis semper commendans. Romæ, XXIX. Novembris MCCCCLXIV.

M. Episcopus Vincentinus.

Et Fulgínei prædicare.

XXV. Injunctum sibi per Pium Pontificem Commissarii & Collectoris Apostolici munus Jacobus peragebat Perusii, & in locis aliquot Vallis Spoletanæ. Non prius electus est ad Pontificatum Paulus, quam nuncios exceperit urbis Fulginatis rogantes, ut Jacobum juberet apud ipsos prædicare; annuit Pontifex, atque Tdeodorico Episcopo Tarvisino suo domestico, ut suo nomine ei scriberet, imposuit. Hanc ille misit Epistolam, antequam Jacobus Venetias mitteretur.

Venerabili ac religioso viro Patri in Christo carissimo, fratri Jacobo de Marchia, verbi Dei Prædicatori eximio.

Supplicarunt Communitas & cives Fulginenses sanctissimo Domino nostro, dignaretur sua Sanctitas de gratia speciali eis pro isto anno concedere, ut Paternitas vestra ad prædicandum Dei verbum ibidem accederet, de cujus vita & doctrina plurimum confidentes, animarum suarum saluti bene consultum putent. Quorum devotioni Beatitudo sua gratiose annuit, nobisque vivæ vocis oraculo commisit, hortaremur vos in Domino, pariter & moneremus, ut ad Civitatem ipsam vos conferretis, ipsumque Dei verbum juxta petitionem eorum ac devotionem, & quantum creditum vobis a Deo talentum suppetet, prædicaretis; & ita per præsentes vos hortamur atque monemus, namque & Sanctitati suæ rem gratam efficietis: valete in Domino & orate Deum pro nobis. Romæ ex Palatio Apostolico, XVI. *Octobris* MCCCCLXIV.

Theodoricus Episcopus Tarvisinus ac S. D. N. Papæ referendarius.

Reputatur mortuus & infirmum sanat. *Jacobil. in vita B. Paulucc. c. 13.*

XXVI. Hic prædicantem morbo graviter correptum scribunt, sparsamque famam e vivis abiisse. Ægrotabat ad mortem in propinquo vico ruricola, & obiisse audiens Jacobum, sanctitate insignem, in populis commendatissimum, facilè se duci permisit, ut salutem ejus meritis speraret, & pro accepta cereum se oblaturum promitteret. Voto emisso, voti factus est compos, & Fulgineum redditurus quod promisit, profectus, vivum invenit, quem mortuum crediderat. Factum narranti agricolæ, & cereum candide porrigenti, vir sanctus in Deum, bonorum omnium Auctorem, beneficium dixit referendum, & penes se miserum peccatorem nullum esse potuisse collatæ gratiæ participium.

Indulget Pontifex ejus imbecillitati.

XXVII. Ab aliis populis importune expetitus, dum ex præcepto Pontificis passim itinerare oporteret, nec in effæto corpore vires tanto labori subeundo superessent, rogavit Antonium Cardinalem Reatinum, Bononiensem Legatum, ut apud Pontificem suas partes ageret, rogaretque ne tam frequenter hi molesti discursus indicerentur, vel sibi liceret absque reatu mentis præceptum commode interpretari. Hoc responsum a Cardinale suscepit.

Ve-

Venerabili religioſoque viro fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum, amico noſtro cariſſimo, Antonius tit. S. Crucis in Hieruſalem Card. Reatinus, Bononienſis Legatus.

Venerabilis &c. Quoniam vos veteri benevolentia dilectioneque complectimur, nec ignoramus, quam fitis ſtudioſi ſinceritatis & munditiæ veſtræ conſcientiæ, dedimus nuper operam, ut a nonnullis ſcrupulis mentis veſtræ in poſterum poſſitis eſſe ſecatiores. Contulimus igitur cum ſanctiſſimo Domino noſtro de veſtro ſenio, ac quanto ſtudio ſuaviſſimi ſermones veſtri a gentibus & populis deſiderentur, & demum oravimus ſuam Beatitudinem, ut ſi quando pro opera caritatis veſtræ apud ſe inſtaretur, dignaretur habere rationem veſtræ imbecillitatis, cum illa facile conſiderare poſſet corpus veſtrum aſſiduis laboribus anniſque adeo confractum eſſe, ut ſuperiora incommoda, quæ numquam pro Dei laude animarumque ſalute declinaſtis, amplius tolerare nequeatis; reſpondit Sanctitas ſua perbenigne, ut conſuevit: eſſe ſcilicet omnino ſuæ intentionis, ut non gravaremini poſthac ultra vires, decreuſſeque raro munus prædicandi, aut alia vobis injungere, niſi id faciat coacta multis precibus inſtantium. Verum ſi interdum ad vos ſcriberet, cum hoc lente fecerit, dicitſe non moleſte laturam, ſi tunc mandato ejus non parueritis, præſertim ſi quod ſcripſerit, commode exequi non poſſitis, quoniam petitores ea ratione a ſe ſubmovere ſtatuerit: ſi vero nimium vos urgeret, quod ex tenore litterarum percipietis, tunc vel obedire poteritis, vel (quod nobis etiam videretur) replicandum ac referibere ſuæ Sanctitati, id quod veſtra conſcientia ſuadebit. Ex qua re credimus nullam adverſus vos indignationem concipere; ſiquidem, ut diximus, ſua Beatitudo vos ultra poſſibilitatem gravare non intendit. Hæc itaque caritati veſtræ ideo ſignificamus, ut ſi quando quod anni viriumque debilitas negarent, illa non præſtaret, conſcientiæ ſtimulis, quam ſincere tueri cupit, animus non lædatur: bene valete. Romæ, die VI. *Novembris* MDCCCLXIV.

XXVIII. Marianus de Senis, cujus virtutem & induſtriam in negotio Cruciatæ maxime probavit Pius, hoc anno gravia quædam negotia peractu-rus, a Paulo cum tribus ſociis miſſus eſt in Sardiniam, cui etiam facultatem conceſſit Conventum admittere Obſervantum in territorio Marchionis Oriſtagni. Joannes de Toleto Obſervantinus, inſignis per univerſam Hiſpaniam concionator, a Pio II. in pretio habitus, a Paulo hoc anno multis cohoneſtatur privilegiis, ut ubique cum tribus ſociis ſui ſpiritus æmulatoribus per univerſam prædicet Hiſpaniam. Ejuſdem prædicationis Apoſtolicæ officio functus eſt in regno Hungariæ, in Civitate præſertim Budenſi, frater Andreas de Chib, Stephano Verbenerio ſupremo regni Cancellario cariſſimus. Egregium vocat Pontifex Prædicatorem & fidei acerrimum defenſorem. Joannes Nudi, ejuſdem Inſtituti, Belga, Cœnobii Dixmudæ Diaconus, pio zelo, ſed non ſecundum ſcientiam ductus, cum in hiſtoriis ſanctorum Patrum legiſſet, quoſdam qui ad ſacerdotium eveherentur, ſe reputantes indignos, membrum aliquod ſui corporis truncaſſe, ſibi anteriorem partem pollicis ſiniſtræ amputavit, ne ad ſacrum hoc miniſterium peragendum a ſuperioribus cogeretur. A Paulo hoc anno partim ob humilem ſui conceptum, & dignam Presbyteratus reverentiam commendatur, partim ob indiſcretionem & delictum corripitur, conceſſa facultate, ut a reatu & irregularitate abſolveretur, & ad ſacerdotium, ſi vellet, aſſumeretur. Alphonſus Bollanus, ſive de Hollanis, alias a Pio, ut diximus ſuperius, ad

Marian. de Senis mittitur in Sardiniam.

Joan. a Toleto inſignis Prædicator.

Et Andreas de Chib.

Pium ſed indiſcretum Diaconi Minoritæ factum.

An. 1459. n. 21.

Alphonſus Bollanus Vicarius Canarienſis deſtituitur.

Guineæ efferas regiones miſſus, ut miſeram gentem ab idololatria revocaret, in Inſulis Canariis magna ex parte eodem malo adhuc infectis commoratus, & Vicarium agens Conſodalium ibidem commorantium, dum nobili viro Didaco de Herrera, dictarum ſeu diſperſarum, uti habet diploma, Inſularum Domino temporali non placuit aut arriſit, a Paulo hoc anno amotus eſt, eique ſubſtitutus frater Didacus de Belmanna.

Moritur Petrus Aretinus. *Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 48.*

XXIX. Obiit hoc anno in Conventu ſancti Francifci de ſpecu, prope Caſtrum ſancti Urbani, comitatus Narnien. ubi diu etiam habitavit, beatus Petrus Aretinus, perpetuis vigiliis, orationibus, Divinis contemplationibus & jejuniis aſſuetus. Ejus corpus integrum & incorruptum adhuc perſeverat, & magna colitur veneratione. Obiit etiam hoc anno in die ſanctæ Luciæ Petrus de Fuxo Cardinalis, ab accepta purpura anno LVI. & legatione Avenionenſi trigeſimo quarto. Satis diffuſe de præclaro hoc viro alias dictum eſt; ſed præter Eccleſias, quas ibidem rexiſſe narravimus, etiam Loſanenſem & Maurianenſem adeptum comperimus. Electus eſt hoc anno Epiſcopus in Anglia, ſub Archiep. Cantuarien. frater Richardus Edenam, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Joannis, XIX. Kal. Februarii anno MCCCCLXVI. propter tenuitatem proventuum menſæ Epiſcopalis conceditur ei facultas aſſumendi ſibi aliquod beneficium.

Et Card. de Fuxo.

Tom. 3. an. 1409. n. 16.

Fr. Richardus Epiſc. Bangoren.

Floret B. Amadeus Luſitanus.

XXX. Hoc tempore plurima virtute multiſque prodigiis florebat in Lombardia beatus Amadeus Luſitanus, cujus vitam ſcripſerunt ipſius conterranei, Marcus Ulyſſiponenſis, & Antonius Vaſconcellius, diminutam valde, diverſamque nimis ab ea, quam poſteris tradiderunt ejus diſcipuli, Georgius de Valle-camonica, Jacobus a Manrignano, Joannes Alamannus, Egidius a Monteferrato, Bonaventura Cremonenſis. Hi præcipui & diuturniores ſocii, communi conſilio ejus acta compegerunt, ea ſubminiſtrantibus ſingulis, quæ vel ipſi viderunt, vel a Magiſtro acceperunt. Vitam hanc laceram vetuſto exaratam charactere, nos ex Conventu Pacis Mediolanenſi, ubi corpus requieſcit, accepimus. Ex latino idiomate Italice translatam; integram fideliterque edidit Bartholomæus Cimarellus, cujus opera lacunas aliquas exemplaris ad nos miſſi licuit adimplere. In quibus Luſitani Auctores, iique recentes, a vetuſtis illis, teſtibuſque domeſticis, diſcreparunt, ego obiter admonebo, & effuſam effrænemque Abrahami Bzovii in carpendis Viri ſancti factis & ſcriptis licentiam modeſte coercebo.

Cimarell. 4. par. Chronic. l. 3. c. 1. & ſeqq.

Ejus parentes.

XXXI. Patrem habuit Amadeus Rodericum Gomeſium Silvium, Præfectum arcibus Campi majoris & Ouguellæ; matrem Iſabellam Meneſiam filiam Petri Meneſii Comitis Vianæ, primi Septæ Ducis, Domus Villæ regalis auctoris. Secundo loco genitum ait Vaſconcellius, ſed quarto Nobiliarium Luſitanum Petri Comitis de Braçelos, opus hactenus ſummopere deſideratum, cura generoſiſque auſpiciis Emanuelis a Moura, Marchionis Caſtri Roderici, Philippi IV. apud Urbanum VIII. prudentiſſimi & piiſſimi Oratoris, eximii noſtri benefactoris, de re litteraria, præſertim genealogica, optime meriti, typis Romanis magnis ſumptibus nuper impreſſum. Didacum Sylvium, primum Portus-læti ſeu Portalegrenſem Comitem, germanum fratrem ei tribuunt Marcus Ulyſſiponenſis & Nobiliarium; ſed magnum Amadei avunculum ex plano errore facit Vaſconcellius. Hi tres Latini auctores inditum in baptiſmate Joannis Meneſii nomen affirmant, quibus totidem oppono Italos, Marianum Florentinum, Cimarellum, & legendam a ſociis conſcriptam, qui Amadeum (*Amador* Luſitanice, nomen in illa gente uſitatiſſimum) ad ſacrum fontem appellatum monitu Angeli, in pauperis peregrini habitu apparentis, conſpirant: uſque ad annum nonum,

Vaſconc. in deſcript. Luſit. pag. 325.

Nomen & adoleſcentia.

præ

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

præ nimia debilitate & infirma corporis conſtitutione ab ubere nutricis pendebat, ſolidum cibum raro admittens, unde tædio cœpit eſſe parentibus. Mutata tamdem complexione, corpore robuſtus cœpit etiam morum gravitate pollere. Anno decimo octavo ſponſam accepit nobilem, quam intactam relinquens, in Caſtellam abiit ſub Joanne II. Rege contra Mauros militaturus. Brachio ſauciatus in caſtris, mundo Regumque favoribus valedixit, & ad inſigne Guadalupenſe Monaſterium Eremitarum ſancti Hieronymi, religioſam vitam inire decrevit. Dum pergeret, tres ex abdito inſulierunt latrones, a quorum injuriis liberatus eſt beneficio cujuſdam equitis, ſubito apparentis, dicentiſque: *novi propoſitum tuum & probo: apud hos Eremitas Deo famulare, & perſiſte, donec aliud ex alto tibi ſuggeretur*. His dictis, ab Amadei oculis evanuit. Aliud occurrit in itinere impedimentum: mulier impudica, quæ diverſorii cubiculum, in quo jacebat, ingreſſa, variis artibus pudicitiam labefactare tentavit; impudentiam aliter repellere non valens, protinus intempeſta nocte diſceſſit.

Subit inſtitutum S. Hieronymi.

XXXII. Guadalupi receptus, annis decem in humili miniſterio virtutibus illuſtris religioſiſſime vixit, Monaſterio proficuus, Monachis cariſſimus. Sed cum Matyrii arderet deſiderio, impetrata ſuperiuris licentia, Granatam Sarracenorum urbem perrexit, ubi tamquam Chriſtianorum explorator comprehenſus, virgis cædi, & ultimo puniri jubetur ſupplicio. Detractis ad flagella veſtibus, toto corpore aſperis punctum cilicii ſetis, & ferrea ad renes cinctum catena conſpiciunt inhumani miniſtri, ſed humane compatientes, judicis inclinarunt animum, ut flagellatum dimitteret. Quam Granatæ non potuit, in Africa ſperans obtinere palmam martyrii, Hiſpalim profectus, poſtquam in itinere viduæ cujuſdam filiam a mortis faucibus eripuit, navim tranquillo mare conſcendit; exorta repente procella, rogavit in terram dimitti, quod dum nautæ non poſſunt, ſed in ſcopulo exponunt, ſtatim ceſſavit tempeſtas. Manifeſto hoc ſigno Dei voluntate comperta, de Martyrio conſequendo diffidens, rediit ad ſuum Monaſterium, ibique apud ædituum in Eccleſiæ miniſterio diligenter ſervivit: Miſſæ adminiſtrans ſacrificio, dum purificandis Presbyteri digitis vinum deeſſet, ille aquam in vinum mutavit, quo degnſtato mirabiliter confortatus celebrans, peracto ſacro, reliquis Monachis dixit, ſe numquam ſimile guſtaſſe. Per ſcalam in Eccleſia altum aſcenderat, unde ruens ſe Beatæ Virgini commendavit, ſenſitque juvamen; etenim per aera leniter deſcendens, tamquam ſi in manibus portaretur, pedibus ſtetit inoffenſus. Armario ligneo candelam affixit incenſam, multiſque occupatus diverticulis, dum regredi moratur, videt undique flammas erumpere, & omnia incendiis patere. Nolens Monachos altæ noctis ſilentio perturbare, & flammis coercendis impotens, Virginis Deiparæ imploravit auxilium. Clauſis oſtiis, adeſſe vidit duos juvenes, qui aquam copioſe infundentes, incendium cohibuerunt, omnia mundarunt, & ex oculis ejus diſparentes, nullum depaſcentis ignis veſtigium reliquerunt. Gravi correptus infirmitate, membrorum uſu deſtitutus, nullam ſentiebat requiem; idque erat dumtaxat ſolatii, officium audire Divinum. Eam impetravit a ſuperioribus gratiam, ut, pſallentibus Fratribus, vectabulo ferretur in templum, ut ex abdito ſacello laudes exciperet Divinas. Verſus ad imaginem Beatæ Virginis, cujus erat Altare, lacrymoſis gemitibus oravit, ut tot tantoſque dolores deliniret. Res mira! repente ſanus e vehiculo prodivit, redditiſque Benefactrici gratiis, curriculum, quo vehebatur, evexit.

Ad martyrium anhelat.

Aquam in vinum convertit.

XXXIII. Tamdem a Beata Virgine ſibi ſumme propitia, a beato Franciſco

Jubetur ad Ordinem S. Franciſci tranſire.

Vide Siguntin. 2 par. hiſt. l. Hieron. l. 3. c. 25. & l. 4. c. 5.

ciſco & Antonio ter admonitus, ut ad Ordinem tranſiret Minorum, & in Italiam tranſmigraret Aſſiſii initiandus, parere decrevit. Obtenta itaque anno MCCCCLII. die XI. Octobris facultate Gundiſalvi Illeſcenſis Prioris Guadalupi (quem ad Epiſcopatum Cordubenſem aſſumptum digne commendant Ordinis prædicti monumenta) Ubetam perrexit, ubi benigne a Minoribus exceptus, eorum conſiliis & litteris dirigitur in Italiam: in itinere licet inciderit in latrones, qui plagis impoſitis deſpoliaverunt, audiens quemdam Eremitam inter montium cavernas ſaxorumque crepidines vitam agere cœleſtem, non tamen dubitavit, per montium cacumina intimos Eremi penetrare receſſus. Progredienti obviam venere duo Eremitæ diſcipuli, a Magiſtro miſſi, ut quem cælitus acceperat venturum, comiter exciperent. In ſpeluncam ductus, caritative refectus, piique viri ſermonibus mirum in modum recreatus, dum apud illum commorari pertentat, abire jubetur, Dei monita peracturus, prædictis multis tribulationibus, quas pro Chriſto pati oporteret; inde progrediens in Italiam, in caupona hoſpitio exceptus, dum cubitum abit, e lecto ſerpens inſilit ingens, ad cujus ſibilum magnopere perterritus, dum per oſtium a foris clauſum, fugere non licuit, per altam feneſtram, ſua invocata protectrice Maria, illæſus proſiluit.

Multa patitur ante ingreſſum.

XXXIV. In itinere multa famis, ſitis laboriſque incommoda paſſus, omnia tulit patienter propter eum qui dilexit nos, & moleſtum iter injunxit. Etſi autem multis comprimeretur malis, cœlique affligeretur inclementiis, invictum tamen ab oratione ſpiritum non relaxabat, ſed ſingulis diebus abditis in locis ſerventes ad Chriſtum Chriſtique Genitricem preces effundebat. Paululum aliquando aberranti & fameſcenti apparuit juvenis, qui in viam reduxit, & ſequenti avide dimidiatum panem diſparens reliquit. Per Galliam tranſiens, tamdem pervenit Avenionem, ubi cum nullius reciperetur hoſpitio, in hierocomio, domo leproſorum ea nocte quievit. Die ſequenti in campo obviavit ruricolæ, qui operariis in campum cibum deferebat, petiitque ut egenti quidquam tribueret. Dedit ille panem & pulli dimidium; ſed cum paulo poſt per eamdem viam reverteretur, & Amadeum ſub arbore ſedentem conſpiceret: *an non*, inquit, *paulo antea dimidiatum tibi porrexi pullum?* cui ille: *Porrexiſti benigne, & Dominus retribuet*: *Ut quid*, reſpondit agricola, *retribuet, qui quod dedi reſtituit? nam & pullum integrum inveni*. Eluſis ſatanæ artibus, qui doloſe tentavit aurum obtrudere, Genuam applicuit, ubi in morbum incidit, & Hiſpani Medici opera in Xenodochium admiſſus, ſuæ auxiliatricis Mariæ opem imploravit. Non diu illa diſtulit remedium, noctu apparuit, atque ut ſummo mane valeret, effecit. Reſumptis mirabiliter viribus, per Clavarum tranſiens, nobilem Matronam Tertii Ordinis ſancti Franciſci in tribulationibus deſperantem, in ſpem erexit meliorem, & a propoſito piæ veſtis exuendæ retraxit. Florentiæ per integrum circuiens diem, non invenit qui ſub tecto reciperet, eaque proinde nocte in publico requievit hoſpitio. Inde tranſiens pervenit Peruſium, ubi Miniſtrum Generalem Angelum Peruſinum convenit, ut in Sodalitium admitteret. Ab eo repulſus, Aſſiſium abiit, ubi denuo fuit rejectus.

XXXV. Perſiſtendum nihilominus duxit, ut Dei mandatis obediret, conductaque domuncula prope ſancti Franciſci Cœnobium, longo tempore ſingulis diebus in templum aſcendebat, modo orationi vacans, modo ſacrificantibus inſervicns, ſæpe adituo in Miniſteriis Eccleſiæ diligenter aſſiſtens, inter pauperes eleemoſynam frequenter accipiens. Cum ſemel in templo pro-

prope Altare Beatæ Virginis attentius oraret, diabolus in magni gigantis forma horribiliter apparens, mala comminatus eſt multa, niſi inde recederet, & inanes ſui corporis moleſtias miſſas faceret; at ille confeſtim apprehenſo Altari, dixit, ſe flocci pendere minas quaſcumque, nec velle a Dei ſervitio latum unguem diſcedere: ſacriſtæ demum familiaris effectus, Eccleſiæ tamquam domeſticus cœpit deſervire; accidit autem ut ſacriſtæ ſocius tabe laborans, ejus ſe orationibus commendaverit, & a morbo convaluerit. Hoc beneficium ejus tribuens pietati, ab eoque acceptum ferens, curavit ut Religionis habitu donaretur, & ubique apud omnes ejus virtutem & vitæ ſanctimoniam, relato quod accepit, beneficio, deprædicabat.

Diabolus ſtudet eum a pietate repellere.

Morbo tabeſcentem ſanat.

Recipitur ad Ordinem.

XXXVI. Sparſa undique viri fama, multi preces ejus expoſcebant, venienſque Aſſiſium ſancti Franciſci ſepulcrum veneratura Dominica Catarina, Cæſaris de Comitibus uxor, Nicolai Papæ V. ſoror, annis multis in conſortio viri infœcunda, explicato dolore, ejus meritis & precibus a Deo filium impetravit. Sed gratiæ immemor, dum naturali virtuti prolem attribuit, a viro Dei admonita, ut reſipiſceret, dum conſilium ſpernit, intra terminum ab Amadeo præſcriptum, filium amiſit. Alia Nobilis fœmina Præfecti urbi Fulginatenſi olim conjux, Romam a Pontifice vocata ut cauſam in re gravi coram ediceret, verita ſibi malum parari, Amadeum quid ageret, conſuluit; *Abi*, inquit ille, *æquo animo, bene ferres habebunt in Urbe: itineris majora ſunt pericula, Dei tamen auxilio ſuperanda: ſpem omnem in Chriſti Domini, ejuſque Genitricis adjutorio repone*. Suſcepto itinere, dum ad Tyberis ripam ſuper equum accedit, cæco paſſu falſoque ſolo præcipitatur in flumen, unde nullo juvante, ex alvei profundo ad marginem redit, equo coram omnibus ſubmerſo; Dei virtuti hæc attribuentes famuli, plurimis narraverunt in Urbe, atqui illa etiam rebus feliciter peractis, Pontifici retulit, Amadeum magnificans, qui ſcite omnia prædixit. Quidam etiam nobilis, Fortalitii cujuſdam Præſes, hernia laborans, ejus meritis conſolidatur.

Sterili filium impetrat.

Mala futura prædicit.

Herniosum ſanat.

XXXVII. Obiit interim Angelus a Peruſio Miniſter Generalis, a quo repulſam acceperat, ſucceſſitque in miniſterio, uti retulimus, Jacobus a Mozanica, qui Aſſiſium profectus, benigne habitum, ad profeſſionem ſub humili ſtatu Laicorum admiſit. Votis ſolemnibus ſtatu confirmato, ardentius orabat, meditationibus cœleſtibus aſſuetus, atque undique ad ſe adventantes, quibus poterat modis, conſilio & precibus adjuvabat. Confluebant multi, nec illorum ſe poterat ſubtrahere moleſtiæ; unde & tædio cœpit eſſe Sacriſtæ & Janitori, maxime cum nihil omnino vellet ab iis recipere, quibus cœleſtia impetrabat beneficia. Aliorum etiam in ſe concitaverat odium, quorum diſſolutos mores, vitamque liberiorem palam increpabat; hinc commotæ in eum ſeditiones & ſtructæ inſidiæ, neque deſtiterunt æmuli, donec Aſſiſio ablegarunt. Abiit itaque Peruſium, Angelo monente, atque illinc, obtenta Miniſtri Provincialis facultate, Brixiam, ubi Generalis Miniſter Mediolanenſis Provinciæ præſidebat Comitiis.

To. 12. an. 1454. n. 30.

Adverſarios patitur.

XXXVIII. Hæc ſunt Amadei virtutum primordia in Religione, hoc ei profectionis Italicæ ſtudium, non illi furtivi amores, quos in aula Eleonoræ, Eduardi Luſitani Regis filiæ, Friderico III. Imperatori deſponſatæ, aluiſſe, & propterea in Italiam veniſſe eo tempore, quo Romam Eleonora acceſſit cum Friderico coronando, quidam excogitarunt. Obſtant enim quæ diximus ex fidis teſtibus, ſui Magiſtri rerum conſciis, relicta in juventutis flore legitima ſponſa, vitæ ſanctiſſime inter religioſos Eremitas tranſacta, tempus Italicæ profectionis, Eleonoræ in Urbe coronatione poſterius.

Hæc

Hæc enim peracta eſt anno MCCCCLII. Idibus Martii, Amadeus nonniſi ſub finem ejuſdem anni, ut narravimus, ab Hiſpania recedendi facultatem a ſuperioribus impetravit.

XXXIX. Porro a Miniſtro Generali Brixia Mediolanum miſſus, adyto ſeu ſacrario in Conventu ſancti Franciſci ad portam Vercellinam præfectus, diligentiſſime & nitide miniſterium adimplevit. Sed cum menti colligendæ, & orationi producendæ hoc munus obſtaret, miſſionem petiit a ſuperiore. Ubi obtinuit, & cellam in veteri Valetudinario, ſociumque Georgium de Valcamonica, orationi & meditationi totus intentus, aliquando ad quatuordecim pluresque horas genuflexus orabat. Jejunium adeo coluit, ut tribus hebdomadæ diebus pane tantum & aqua veſceretur, reliquis diebus longo tempore ſemel veſperi comedebat. Statutos ab Eccleſia jejunii dies pane & aqua, ac frequenter abſque ullo cibo tranſigebat. Ab Epiphania uſque ad continuos quadraginta dies, Dominica, tertia & quinta feria veſpertino cibo contentus, reliquis diebus nihil ſumebat. Biduo, quandoque triduo omni prorſus cibo abſtinebat. Sexta feria & Sabbato, quoad vixit, panem arctum & aquam brevem admiſit. A vino, carne, ovis appetitum coercuit, donec Sixtus IV. ſeptennio ante mortem, ut rigorem hunc relaxaret, præcepit. Nudis pedibus ſemper inceſſit, lato cilicio majorem corporis partem affligebat, variiſque modis carnem edomabat. Eloquio gravis, conſilio prudens, omnibus gratus, animarum ſaluti ſtudebat indefeſſe.

Orationi & macerando corpori totus intendit.

Infirmos curat.

XL. Tot virtutibus excultus, magis magiſque ſanitatum gratia pollebat. Catarinam, Dionyſii de Nurſia, inſignis medici ſororiam nobilem Mediolanenſem a febre ethica liberavit. Stephanum a Caravagio Minoritam nervis ſolutum conſolidavit, aliaque hujus generis perpetravit, quæ ſummam ei in urbe venerationem conciliarunt. Hinc Franciſcus Sfortia Mediolanenſium Dux & Blanca conſors magno eum pretio habuerunt, arduiſque in rebus Conſiliarium & apud Deum interceſſorem adhibuerunt. Inviſebant ſæpe, quandoque ad ſe vocabant, ſuaſque explicabant tribulationes. Ille vero ſecularium conſortium humanaſque laudes effugiens, abditis in locis orabat, & ægre prodibat in publicum. In ſecretis illis receſſibus ſæpe viſus eſt extra ſe rapi, & ſpiritu per cœleſtia ſpaciante, corpus veluti emortuum jacuiſſe; non tamen ita facile ſe potuit ab adventantium liberare moleſtiis, quin ab oratione & ſacræ mentis quiete invitus avelleretur. Statuit itaque Principum Sedem, & nobile illud emporium derelinquere, atque in humiliorem aliquem locum ſecedere. Porro quantiſper hærens & dubitans quo pergeret, an toto illo Ducatu, an univerſa Lombardia excederet, areſcentium arborum reſtituto repente vigore, Dei voluntas apparuit, ut intra Lombardiæ fines ſe contineret. Miniſtrorum itaque Generalis & Provincialis repetitis precibus obtenta abeundi facultate, Marlianum cum ſocio abiit anno MCCCCLVII. ubi Cœnobiolum, unius Fratris domicilium, in meliorem formam, introductis pluribus Religioſis redegit. Sed illic diu non potuit ſubſiſtere, premente eadem populi frequentia. Quare Oprenum ſe contulit, ubi primam in Lombardia ferunt conſtructam Eccleſiam ſub invocatione ſancti Franciſci. Ibi etiam in derelicto Conventu unus habitabat Fraterculus, quo Marlianum, auctoritate Gabrielis de Liza Miniſtri Provincialis, dimiſſo, domum reſarcivit, & religioſioris vitæ Conſodales congregavit ſub titulo Regularis Obſervantiæ, & obedientia ſuperiorum Conventualium, cuſtodiæ Modoetiæ.

Duci Mediolanenſi carus.

Fugit hominum conſortia.

Mediolano recedit.

Cœnobium unâ reſtituit.

Item alterum.

XLI. Illic operibus caritatis totus intentus, infirmos inviſens, tribulatos confortans, pauperes refocillans, peccatores ad pœnitentiam invitans, omnium

Anno Christi	Pii II.	Frideraici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

omnium ſibi conciliavit amorem & reverentiam. Miniſtri Provincialis hortatu ſacros ſuſcepit Ordines, regimenque Conventus, quod per ſexennium exercuit, & primam celebravit Miſſam anno MCCCCLIX. in die Annunciationis Virgineæ: ſcientia erat mediocri, ſed ingenio perſpicaci, ex illorum quidem numero, quos Apoſtolus *Doctibiles Dei* nuncupavit. Per Statum Mediolanenſem, prout populorum neceſſitas aut animarum requirebat remedium, ſicut ſulgur diſcurrens, multos a malis reducens, plurimos in viam ſalutarem direxit. A Blanca Duciſſa Mantuam ad Pium II. ſummum Pontificem, & ab aliis viris nobilibus alio deſtinatus, de rebus ſalutem animarum concernentibus, Legationes libenter ſubibat. Inter hæc pietatis exercitia, cœleſti multis adfuit auxilio. Uberto Poteſtati ſeu Præfecto municipii Marliani, ejuſque conſorti Catarinæ, prolem longo tempore enixe cupientibus, filiam impetravit, cui Annæ nomen imponi præmonuit. Civem inviſens Comenſem gravi morbo laborantem, perfecte ſanavit. Conſtantiam Palamidis Carpani, viri nobilis, habitantis ad Plebem Incini, uxorem periculoſo colli tumore afflictam, ſalutari inciſionis conſilio, & precibus a malo liberavit. Ejuſdem Palamidis vineam quotannis grandine quaſſam, ſola benedictione ab hac aeris injuria, etſi circumvicina quaterentur prædia, reddidit immunem. Nobilem Dominam gentis Cribellæ, & puellam oppidi Monzæ nuper nuptam, a ſpiritibus immundis vexatam, Oprenum ad ſe ductas, incolumes ad propria remiſit. Thaddæi Macerini, Cremonenſis (uti appellant) Capitanei filium ab hernia curavit, & poſtea Ticini juri civili incumbentem, a morte, judicio medicorum imminente, poſtquam patrem, ut mores reformaret, admonuit, mirabiliter ſalvavit. Etenim Opreni exiſtens, patri de peccatis contrito dixit: *vade itaque hilariter, filius tuus vivet & non morietur*; ille confeſtim ſervum Ticinum mittit, qui regreſſus retulit, quod in illa hora, qua vir Dei dixerat, vitamque promiſerat, perfecte ſanatus eſt.

Fit ſacerdos.

Joan. 6. 45.

Varia patrat miracula.

XLII. Opreno Plebem Incini verſus diſcedens, Joannes ſocius fame deficiebat, ſed orante Amadeo, miraculoſe panem accepit. Georgius a Valle-camonica, ſocius alter, dum valde triſtaretur, quia in Conventu non habebat quod Fratres manducarent, ab Amadeo monitus, ut poneret in Domino Deo ſpem ſuam, cum ſero factum eſſet, & magis contriſtaretur, oſtii campanulam audivit pulſari, cui bonus Magiſter: *vade*, inquit, *& lætare, quia Dominus ſervis ſuis miſit annonam*; atque ita verum ille conſpexit. Magenta tranſiens, domum ingreſſus nobilis Domini Richardi Cribelli Mediolanenſis, invenit filiam ejus parvulam ſemimortuam, cui benedicens, dixit Patri: *nihil dubites, non morietur*; atque ita brevi convaluit. Eliſabethæ de Ruſconibus, uxori Domini Philippi Caſalis, mortaliter ægrotanti prædixit, quod ab illa liberaretur infirmitate, ſed paulo poſt aliam ſecuturam, quæ vitam auferret; quod uterque prnbavit eventus.

XLIII. Hominis virtute & ſanctimonia allecti oppidani Caſtri-Leonis, diœceſis Cremonenſis, egerunt cum prædicta Blanca Duciſſa, ut illi conderetur Conventus ſanctæ Mariæ de Breſſanorio, pauperum Fratrum inconditum habitaculum, ante paucos annos ab ipſa, ut diximus, inchoatum. Impetravit illa a Miniſtro Generali, ut amoto Guardiano Stephano, eodem caſtro oriundo, conferretur domicilium Amadeo, ejuſque vitæ æmulatoribus. Locum ille anno MCCCCLX. ſub menſem Auguſti accepit, brevi reſarcivit, abſolvit liberalitate adjutus heroinæ cujuſdam Caſalenſis, longo tempore ſterilis, cui ſuis precibus filium impetravit, & Pauli Pontificis diplomate, quo anno MCCCCLXVII. ſuaſit fidelibus ut opitularentur Amadeo.

Conceditur ei Conventus Caſtri-Leonis. *An. 1459. n. 44.*

deo. Aliquanto temporis hic vicinos populos mirum in modum ſibi conciliavit. Primi Incolæ variis modis illinc abigere tentarunt, ſed Ducis Mediolanenſis auctoritate & protectione immotus permanſit. Dum illic hæreret, nobilis mulier Ricciarda Laudenſis prægnans, & graviter ægrotans, medicorum judicio ad mortem properabat. Amadeus e contra dixit non moriturum. Ita evenit; etſi enim nocte quadam parentes, medici & Guardianus ſancti Bernardini Cremenſis jam jam aſtiterint morituræ, hauſta aqua revixit, convaluit, ſuo tempore pulchrum enixa puellum. Similiter vere prædixit non moriturum Antonium de Eccleſia Modoetianum, etſi ad eum ſtatum pervenerit, quod parentes ſepulturam curarint effodi. In Breſſanorii Eccleſia pernoctabat in oratione Dei, & tranſeuntes ante auroram quidam operarii conſpexerunt flammis operiri tectum, & aera ſuaviſſimo cantu repleri. Admoniti Fratres igniti tecti, in templum accurrerunt, ſolumque viderunt Amadeum orantem, ex cujus pectoris fornace tot flammæ prodibant. Hyppolita filia parvula Ducis, graviter Modoetiæ infirmabatur, miſſoque Nuncio Duciſſa genitrix Amadeum rogavit, ut precibus languenti opitularetur: oravit, & protinus morbus receſſit.

XLIV. Alia multa illic perpetravit miracula, quæ brevitati conſulens omitto, neque tamen ſufficiebant ut pacifice illic vivere permitterent, qui locum prius incolebant. Illorum adactus moleſtiis, Pio II. Pontifice Romam abiit, a quo locum iſtum ſibi confirmari & alia tria ſub titulo Regularis Obſervantiæ meruit impetrare. Roma reverſus ad Inſubres, audita ejus fama virtutis, Nobiles Brixienſes aliique rogarunt, ut aliquot Conventus apud ſe reciperet, quos nos ſuis annis referemus: hæc narraſſe contenti, quæ uſque in annum hunc beatum Amadeum geſſiſſe comperimus; reliqua per ſua tempora diſtribuemus.

Conv. Perpiniani. *Ex lib. 1. de dignit. vacan. & de Regular. an. 5. fol. 135.*

XLV. Hoc anno nullum invenio in Italia conſtructum Minoribus Conventum. In Hiſpania in Principatu Cataloniæ, & Comitatu Ruſcilionienſi, extra munitiſſimum oppidum Perpiniani (quod nunc dum hæc ſcribo anno MDCXLII. valida cingitur obſidione Ludovici XIII. a Catalanis contra Philippum IV. Hiſpaniarum Regem, propter cædem Proregis, aliaſque cauſas indignatum, adſciti) Conventum fuiſſe Obſervantum, ſed deſtructum propter bellorum turbines, ne hoſtibus eſſet propugnaculo, docet monumentum Vaticanum, quo Pius II. ad inſtantiam fratris Laurentii de Monte, Vicarii Provinciæ Provinciæ, concedit facultatem, ut intra vel extra oppidum alius fundaretur ab oppidi Rectore & Univerſitate, qui Fratres in domo conductitia exceperunt hoſpitio. Non puto domum hanc eam eſſe, quæ modo extat; hæc quippe a ſancti Franciſci tempore creditur extructa, uti alias narravimus, & vetuſtam ſatis eſſe apparet ex antiquis ſepulcris & ex recenſu Conventuum apud Piſanum, in quo numeratur ſub Cuſtodia Narbonenſi Provinciæ Provinciæ. Ille autem catalogus compactus eſt, antequam Obſervantia Regularis inciperet habere in illis partibus Conventus. Spectabat itaque magnum, quod nunc eſt intra mœnia Cœnobium, ad Patres Conventuales, & quod foris erat ad Obſervantes.

Tom. 1. an. 1214. n. 32.

XLVI. Sub annum MCCCCLXVII. invenio Pauli II. diploma, in quo refertur, oppidanos domum alteram extra oppidum, loco, quo oppidum offendi non poſſet, conſtruere cœpiſſe; ſed dum inſalubrem probarunt, novam facultatem Paulus conceſſit domum alio transferendi. Sed & Sixtus IV. anno MCCCCLXXII. v. Idus Junii licentiam dedit Conſulibus & oppidanis domum hanc ædificandi in loco dicto de Patis, alias de Varies, juxta hoſpitale textorum, & prope portale de Caneto infra oppidi muros, adje-

Ex lib. 9. bullar. Sixti fol. 155.

adjecta etiam facultate transferendi ea, quæ erant domus veteris, in qua habitabant, intra oppidum ad novæ ædificandæ subsidium. Quid porro factum sit, prorsus nescitur; ædificatam tamdem suspicor domum, sed dum paulo post magna illa domus in Observantum venit potestatem, aliam neglexerunt, vel jam inchoatam dimiserunt. Pertinebat tunc utraque domus ad Provinciam Provinciæ, vel quia erat in finibus tractus Narbonensis, vel quia Comitatum Rusciliouis Rex Galliarum jure tenebat oppignoratitio.

Gonz. in Prov. Catalon. Conv. 1.

XLVII. In eodem Cataloniæ Principatu intra mœnia Civitatis Ilerdensis, de qua alias diximus, in loco qui *Clot* apud Catalanos nuncupatur, hoc anno constructus est Observantibus ex ære communi Conventus; inde tamen propter contentiones quasdam, quibus agitabantur, ex civium voto ad alium locum commodiorem extra muros anno MCCCCLXXX. sub invocatione sanctæ Mariæ de Jesu constructum, transierunt, ubi in hanc usque diem perseverarunt. Præerat, sicut alias narravimus, aliud Conventualium Cœnobium, quod post multos annos Clarissis concessum est. Nescio an illud erat, quod sancti Hilarii nuncupatum, gentes armigeræ Comitis Urgellensis Ilerdam occupaturi, ascensis scalis in suam potestatem redigere frustra tentasse anno MCCCCXIV. narrat Hieronymus Zurita. Illic dum sacrificaret quidam sacerdos, post prolata consecrationis verba dubitavit, an sub speciebus sacramentalibus vere Christi caro & sanguis contineretur. Statimque specie panis corrupta, apparuit frustum carnis sanguine respersum. Hoc territus spectro, paulo post obiit, manstitque caro illa semper incorrupta, quam in magna habent Ilerdenses veneratione. *Sanctum Dubium* a dubitatione sacerdotis appellant. Translata, ut dixi, ad Clarissas domo, sacrum hoc tanti mysterii argumentum concessum est Observantibus. Gallus quidam Frater partem hujus sacratissimæ carnis dentibus abscissam in patriam studuit auferre; sed cum tota nocte magnam itineris partem se peregisse putaret, sub auroram præ foribus Templi totus fatigatus apparuit. Crimen fassus ablatum restituit, veniamque exoravit.

Conv. Ilerdensis. *Indid. Conv. 5. Tom. 1. an. 1216. n. 7.*

Ibidem.

Zurita lib. 12. c. 16.

XLVIII. Vicario & Fratribus Observantiæ Regularis, Provinciæ Sardiniæ concessa est a Pio Pontifice facultas hoc anno tria construendi vel recipiendi Cœnobia sui Instituti in locis insulæ opportunis. In Balearium insula prope muros urbis Majoricensis insigne magnumque hospitale Alphonsus Aragonum Rex, additis suppressisque sancti Andreæ & reliquis urbis hospitalibus, construi curavit opere sumptuoso. Protectores & defensores hospitalis, Rectoris, personarum, omniumque ad hospitale spectantium, constituerat Calixtus III. & Pius II. Priorem Carthusianorum, Guardianum Conventus sancti Francisci, & Bartholomæum Cathaneum, de quo sæpe locuti sumus, domus sanctæ Mariæ de Angelis extra muros Majoricensis professorem. Ratum id voluit hoc anno Paulus II. perseveravitque semper hoc jus protectionis penes Guardiani successores. Simile quid concessum Guardiano oppidi de Sanctareno, diœcesis Ulyssiponen. in Lusitania, idem hoc anno confirmavit.

Datur facultas Observantibus Sardiniæ tria condendi Monasteria. *Lib. 1. de regul. fol. 220. reg. Pii II.*

Hospitale Majoricen. *Lib. 2. de diverf. form. an. 1. fol. 26. reg. Pauli II.*

Hospitale Scalabitanum.

XLIX. In Gallia Magister Guillelmus Vorilon, quem hoc anno diximus obiisse ad Aram-cœli, hoc ipso anno impetravit a Joanne Britanniæ Duce, cujus erat confessarius, Conventum sui Instituti ædificari in densissimo nemore, in loco dicto Fulgeriarum, atque ex situ vocatum Conventum S. Francisci de Silva asserit Gonzaga, quod tamen ad annum MCCCCXCIV. oportunius erit examinandum. „ Habetur namque ex diplomate Alexan- „ dri VI. *Sacram Ordinis Fratrum Minorum &c.* solum laudato anno „ MCCCCXCIV. in Conventualem domum hanc erectam, & per Guardia-

Lib. 2. de regul. an. 1. fol. 30. reg. Pauli II.

Conv. de Silva. *Gonz. in Prov. Turonen. Con. 16.*

ADDITIO ALIORUM. *Ex monitis a P. Waddingo.*

num

» num gubernatam, ut in Regeſto recenſiti Pontificis ſuo loco erit videre.

Conv. Nieſchovæ. *Ex l. 1. de exhibit. & regular. an. 6. fol. 211.*

L. Caſimirus Poloniæ Rex, propter certas cauſas, incolas omniaque oppidi Nieſchovæ, diœceſis Wladislavien. ad alium tranſtulit locum, Nieſchovam novam appellatum. In primo domus erat Ordinis Minorum Conventualium, in ſecundo locum deſignavit Rex alteri conſtruendo, cui aſſenſum præbuit hoc anno Pius II.

Conv. Montis Calvariæ. *Genes. in Prov. Colon. Conv. 7.*

LI. Hoc anno juxta vetuſta monumenta MSS. Provinciæ Colonienſis, acceptatus eſt Conventus Montis Calvariæ parum diſtans ab Embrica, Ducatus Cliviæ oppido, prope Herenberg, in fundo vicini Comitatus Montenſis. Extruxerat Montenſium Dominus anno præcedenti, ſed maximis incommodis & ruinis expoſitum reliquit, dum, exorto cruentiſſimo bello inter Geldrenſes & Clivenſes, ad Embricæ interiora Fratres tranſire cupientes ſemper impedierit. Exorta demum in Belgio pernicioſa illa Geuziorum factione, turbatiſque circum circa propinquis regionibus, Conventum hunc funditus everterunt hæretici anno MDLXXIII. ut ne veſtigium quidem reliquerint. Interrogati cur tanta induſtria domum dejecerint, & memoriam dejectæ deleverint? *ne*, dixerunt, *aliquando recordentur aves hic nidum extitiſſe, & cupient reverti*. In loco iſto ſepultus fuit Adrianus a Zutphania, & in Eccleſia majori ſanctæ Aldegundis Joannes Hayus, Provinciæ Colonienſis Miniſtri.

Conv. Lympurgi. *Indic. Conv. 9. Monum. MSS. Colon.*

LII. Inn oppido Lympurgi, diœceſis Trevirenſis & Weſtraciæ ditionis ſub hunc annum ex publicis facultatibus conſtructum Minorum habitaculum, ſcribit Gonzaga. Refectum potius vel reædificatum putaverim; conſtat enim, ab ipſo ferme naſcentis Religionis exordio illic Conventum fuiſſe Minorum; extant enim inſtrumenta conceſſarum indulgentiarum viſitantibus Eccleſiam Fratrum Minorum in Lympurg a fratre Joanne Sambienſi Epiſcopo, Trevirenſis Archiepiſcopi ſuffraganeo, anno MCCCLII. feria IV. ante feſtum ſancti Laurentii; ſecundo a Conrado Archiepiſcopo Colonienſi, eodem anno in feſto diviſionis Apoſtolorum; tertio ab Alexandro IV. anno MCCLVI. Pontificatus ſecundo. Reformatus eſt petentibus ipſis Fratribus, & libenter ſe regimini Obſervantum tradentibus anno MCCCCLXIX. auctoritate Epiſcopi Tricarienſis, Sedis Apoſtolicæ Legati. Quid ſi conſtructo Obſervantibus hoc anno Conventu, & reformato vetuſto Conventualium, novus hic ad alios ſit uſus translatus? Illic habitarunt Fratres uſque ad annum MDLXXVII. quando ſub Jacobo de Eeſt Archiepiſcopo, miris modis vexato, rebus turbatis, Fratres receſſerunt ad alios Conventus, in quibus Fratrum erat penuria. Poſtea revocati ſunt anno MDLXXXII. die IV. Februarii per Joannem Hayum, Sedis Apoſtolicæ & Miniſtri Generalis Franciſci Gonzagæ Commiſſarium, juvante, fovente, & neceſſaria Fratribus miniſtrante Joanne de Ley Archiepiſcopo; ædificatum videtur primitus Cœnobium a Baronibus de Lympurg, ex quorum ſerie novem vel decem in Eccleſia ab anno MCCCXII. ſepulti ſunt, adjunctis diverſis Comitiſſis. Redivivæ Provinciæ Saxoniæ adjunctus eſt anno MDCXXVII. ille Conventus.

Conv. Athderen. *Monum. MSS. Hibern.*

LIII. Conventus Athderenſis in Hibernia, diœceſis Limiricenſis ad XII. M. P. ab urbe eadem, verſus occidentem diſtans, juxta fluvium Maigi, neque longe ab altero celebriori Sinani flumine, in quod Maigus influit, hoc anno pro Fratribus Obſervantibus partim conſtructus eſt a Thoma Comite Rildariæ, ejuſque conſorte Joanna, filia Jacobi Comitis Deſmoniæ, in honorem ſancti Michaelis Archangeli. Propriis ſumptibus Eccleſiam & quartam Clauſtri partem illi ædificaverunt, Eccleſiæ vitra addiderunt, campa-

panam & duos calices argenteos donarunt. Admiſſus fuit Conventus, in capitulo de Moigh celebrato hoc anno, in feſto ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ingreſſique ſunt Fratres in feſto omnium Sanctorum. Dedicatio Eccleſiæ facta eſt eodem anno die XIX. Novembris, & conſecratio tum Eccleſiæ, tum utriuſque ſacrarii & cœmeterii anno MCCCCLXVI. in die ſancti Michaelis Archangeli: reliquam partem Cœnobii ædificarunt diverſæ perſonæ, Turrim campanariam Cornelius Oſulivan, donato inſuper argenteo calice deaurato. Majus ſacellum Margarita Gibbuna, primam capellam minorem Joannes filius Comitis Deſmoniæ, ſecundam minorem Leoghus de Tulliobin & Margarita conjux; dormitorium Donatus Bernardi Nigri & Anna Donati; quartam clauſtri partem, dato inſuper calice argenteo, Rodericus Odeargh Tertiarius, alteram partem Donaldus Dulius & Sabina conjuges; refectorium & chorum ligneum Aquilonarem Morianus Hiqueus Tertiarius, poſtea Minorita, qui ſanctiſſime ibidem vita functus eſt. Valedinarium Edmundus Thomæ & Onorina uxor. Horum nomina, beneficia in Fratres collata, & dies quibus obierunt, ſignata ſunt in libro capitulari ejuſdem Conventus, qui adhuc extat, & ex quo hæc ad nos tranſmiſſa ſunt. Vixit hic magna ſanctitatis opinione frater Curca Laicus, obiitque XIII. Decembris anno MDXXXII. ſepultus eſt ibidem frater Raymundus de Burgo Epiſcopus Imolacen. qui obiit XXIX. Julii anno MDLXII. Eo tempore, quo Deſmoniæ Comes bellum geſſit contra Angliæ Reginam, expulſi ſunt Fratres, & corruit Conventus, olim affabre conſtructus, & virtutis Religioniſque cultu percelebris.

Fr. Curca vir pius.

Fr. Raymundus Epiſc. Imolacen.

LIV. Monaſterium Clariſſarum ſanctæ Mariæ Matris Domini extra muros oppidi Cornegliani, diœceſis Cenetenſis in dominio Venetorum, ante aliquot annos commendatum fuit Simoni Cantareno Canonico Vincentino. Non minimum hinc ſenſit Monaſterium tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus detrimentum. Egit itaque Communitas oppidanorum inſtanter apud Pium Pontificem, ut prædictam revocaret commendam. Ille controverſiam diremit, conſtituto Epiſcopo Monialium curatore & vicario, relicta Simoni fructuum medietate.

Monaſt. Cornegliani. *Lib. 41. bullar. fol. 396.*

LV. Coſmas de Medicis vir dives & potens, ſuæ urbis inſigne ornamentum, & gentis Mediceæ nobile incrementum, ſtatuit hoc anno in ſua urbe Florentina, in loco, quo exiſtebat hoſpitale *Pauperum ſancti Pauli in Pinti*, dependens a Monaſterio *de Rezuolo* Ordinis Vallis Umbroſæ, diœceſis Feſulanæ, & per Eugenium IV. unitum Monaſterio Monialium ſanctæ Apolloniæ ejuſdem urbis, Ordinis ſancti Benedicti, notabile & pulchrum (uti habet diploma) Monaſterium condere Clariſſarum, variis expreſſis conditionibus. Pius Pontifex condendi contulit facultatem: *Pils fidelium votis*. III. Nonas Maii.

Monaſt. Florentinum.

LVI. In urbe Toloſana hoc anno derelictum Monaſterium Benedictinarum, ſollicitante Rege Galliarum, & annuente Pio II. conceſſum eſt Sororibus Tertii Ordinis, quæ ſub Leone X. ad annum MDXV. Vicario Generali Ultramontano Gilberto Nicolai, factæ ſunt Clariſſæ primæ Regulæ Strictioris Obſervantiæ, evocatis primis Magiſtris ex Monaſterio Albienſi.

Monaſt. Toloſanum. *Gonz. in Prov. Aquit. antiq. Monaſt. 3.*

LVII. Similiter conceſſa eſt facultas nobili viro Ludovico de Grunthuyſe, Principi de Stenhuuſe, & Margaritæ uxori, diœceſis Tornacenſis, conſtruendi Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia Regulari, reformationis Coletaneæ in oppido Brugenſi, ejuſdem diœceſis. „ De „ hoc Monaſterio intelligendum puto, quod ſub annum MCCCCLXIX. ita „ ſcribit Jacobus Meyerus: *Tertio nonas Septembris Brugis via Curtracenſi,*

Monaſt. Brugenſe. *Lib. 4. de diverſ. fol. 250. Lib. 2. de diverſ. Pauli II. an. 1. fol. 142.*

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI. *Meyer. an. 1469.*

„ *cenſu, non procul a porta D. Catarinæ jactum fundamentum Monaſterii* „ *Virginum Coletarum, quod Sinai vocatur. Hæ Veſtales perpetuum re-* „ *cluſæ magna paupertate & auſteritate vitam tranſigunt. Primum autem* „ *lapidem poſuit Maria Princeps, filia Caroli Burgundionis.* „ Idem etiam impertiit Paulus II. hoc anno Arnoldo Duci Geldriæ, ut ejuſdem regularis Inſtituti Monaſterium ædificaret in loco congruenti ſui dominii, in quo referebat duas jam conſtructas fuiſſe domos Fratrum Regularis Obſervantiæ. Quid circa hæc & præcedens Florentinum actum ſit, mihi eſt incompertum.

Domus Fratrum Tertii Ordinis de Burno. *Ex lib. 3. de Regular. an. 1. Pauli II. fol. 70.*

LVIII. Tertii Ordinis iſta dumtaxat reperio hujus anni monumenta; reliquerat quidam laicus loci de Burno Vallis-Camonicæ, diœceſis Brixienſis, certam terræ petiam ſeu portionem aut menſuram, & quoddam ſedimen Fratribus Joanni Bernardo, & Petro Orlandi Tertii Ordinis profeſſoribus, ut ſui Inſtituti domum ibidem conſtruerent, & dictæ Vallis populum ſatis numeroſum commodius inſtruerent. Paulus II. ut ita facerent, hoc anno conceſſit facultatem. Domum hanc non invenio inter eas, quas Antonius de Sillis recenſet Provinciæ Brixienſis.

Domus Sororum Tertii Ord'nis S. Eliſabethæ Tyburtinæ. *Gonz. in Prov. Rom. Min. lib. 1. An. 1705. 27. Maii translata ſunt ad novam ampliorem domum ſub titulo S. Mariæ Angelorum.*

LIX. Ludovica Maraconia Tyburtina vidua, cum unicam habuiſſet filiam, viri conſortium exoſam, Deique cultui penitus addictam, circa hunc annum propriam domum in religioſum conſtruxit Monaſterium Sororum Tertii Ordinis, ſub titulo ſanctæ Eliſabethæ, in quo ipſa cum filia idem ſubierunt inſtitutum ſub directione & regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ, in propinquam domum ſancti Franciſci paulo antea introductorum. Magnum cœpit domus incrementum, neque tot adventantibus, etſi aliis adjunctis ædibus aucta, ſufficit virginibus excipiendis. *

Domus S. Agnetis Fulginaten. *Lib. 1. de Regular. de prabend. & proviſion. Pauli II. anno 1. fol. 75.*

LX. Domui ſanctæ Agnetis, alias Margaritulæ, urbis Fulginatenſis ejuſdem Tertii Ordinis Sororum, Paulus Pontifex hoc anno multas gratias & privilegia conceſſit, ea præſertim, quæ Pius Pontifex, ejuſque Prædeceſſores conceſſerunt domui ſanctæ Annæ ejuſdem Ordinis & Civitatis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. DUm in Religione Minorum ea fierent quæ Annaliſta narravit, „ Pius Pontifex Roma Anconam profectus eſt, ut expeditionem „ in Turcas acceleraret. Mahometus earum malarum gentium Imperator, „ Boſniam, quæ Oroſio Dardania dicitur, aliis Mæſia ſuperior, nomine „ mutuato a fluvio, per dolum & vim ingreſſus, hoc anno MCCCCLXIV. ut „ notavit P. Bertius, capto, & excoriato crudeliter Stephano Rege, qui „ etiam Raſciæ & Serviæ Deſpotiis imperabat, ſui juris fecit: quamobrem clamor validus & ejulatus multus Chriſtianorum, tum Græcorum „ cum etiam Latinorum, præſertim vero Minoritarum, qui ubique exagitabantur, eas per oras magno cum horrore mortis audiebatur: quando „ Anconæ Pius præſtolans milites, ſuæ militiæ finem attigit, brevi febre „ interemptus XVII. Kalendas Septembris; cujus animam Eremita Camaldulenſis in Cœlum efferri vidit. Corpus vero Patrum decreto in Urbem „ deportatum die XXIV. Auguſti eodem hoc anno in Baſilica ſancti Petri „ ſub Altari ſancti Andreæ ſepultum fuit. Hujus Pontificis vitam ſcire ſi „ aveas, in compendium egregio penicillo redactam Senis, viator & Civis „ quam ſub oculis habere poſſunt, huc transferre legenti non piget. In „ ſacello, in quo fuit olim ejus Bibliotheca, hæc leguntur Lemmata ſubjecta „ picturis hiſtoriarum vitæ rerumque ab Ænea Sylvio geſtarum continentibus, hoc ordine: *Æneas Sylvius Pictolomineus natus eſt Patre Sylvio,*

P. Bertius in deſcript. Imperii Turcici fol. 519.

PP. Pius moritur.

P. Bertius in deſcript. Traſt. Sen. fol. 389.

Ma-

Anno Christi	Pii II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 257.
1464.	anno 6.	anno 25.	

„ *Matre Victoria*, VIII. *Octobris* MCCCCV. *Corſiani in fundis Gentilitiis*
„ *Baſileam ad Concilium contendens*, *vi tempeſtatis in Lybiam propellitur*.
„ *Æneas Sylvius a Baſileenſi Concilio in alteriorem Britanniam Orator*, *ac*
„ *in Scotiam ad Regem Calixtum miſſus*, *a tempeſtate in Norwegiam pul-*
„ *ſus*, *& per Britanniam Regios Speculatores eludens*, *Baſileam revertl-*
„ *tur*. *Hic Æneas a Felice Antipapa Legatus ad Friderieum III. Cæſarem*
„ *miſſus*, *laurea corona donatur*; *& inter amicos ejus & Secretarios annu-*
„ *meratur*, *& iis præficitur*. *Æneas a Friderico III. Imperatore Legatus*
„ *ad Eugenium IV. miſſus*, *non ſolum ei reconciliatus eſt*, *ſed Hypodiaco-*
„ *nus & Secretarius*, *mox Tergeſtinus*, *deinde Senenſis Antiſtes creatur*.
„ *Æneas Friderico III. Imperatori Leonoram Sponſam exhibet*, *& Puellæ*,
„ *ac Regum Luſitanorum laudes complectitur*. *Æneas Senenſis Antiſtes ad*
„ *Calixtum III. Orator a Friderico III. miſſus*; *Pontificem ad bellum Aſia-*
„ *ticum armat*, *& Patrum Principumque omnium rogatione Cardinalis ef-*
„ *ficitur*. *Calixto mortuo*, *Æneas Cardinalis Senenſis acclamatione Pa-*
„ *trum*, *apertiſque ſuffragiis Pontifex deligitur*, *& Pius II. nominatur*.
„ *Pius II. Pontifex Max. a Ludovico Mantuanorum Principe claſſe in Nau-*
„ *machiæ ſpeciem exceptus*, VI. *Kalendas Junii Mantuam ad indictum de*
„ *expeditione in Turcas Conventum ingreditur*. *Pius II. Pontifex maximus*
„ *Catarinam Senenſem ob innumera ejus miracula inter Divas retulit*.
„ *Pius II. cum Anconæ expeditionem in Turcas accelleraret*, *ex febre inte-*
„ *riit*, *cujus animam Eremita Camaldulenſis in Cœlum efferri vidit*. *Corpus*
„ *vero Patrum decreto in Urbem deportatum eſt*. Hæc ſunt, quæ Senenſia
„ Monumenta gloriæ de tanto Pontifice poſterorum æternitati præſtrin-
„ gunt, quæ tamen diffuſius noſtra hiſtoria narrat. Ejus obitus viſus eſt
„ expeditionis in Turcam diſſipaſſe conſilium. Romæ Pridie Kalendas Se-
„ ptembris, in ſucceſſorem præfati electo Petro Barbo Veneto, qui dictus
„ eſt Paulus II. vindictæ ſpes in barbarum hoſtem Chriſtianorum viſa eſt
„ revixiſſe: ſtatim enim & hic ſui Præceſſoris promoturus intentum, omne
„ & quantum ſibi licuit conſilii proſequutus, nec noſtrorum operam, præ-
„ ter aliorum, dedignatus eſt, ut late in Annalibus enarratur.

„ II. Perpendens Pontifex damna, quæ ex commerciis cum infideli- Litteras expedit.
„ bus proveniunt, his deſuper, ut invigilaret, Epiſcopo Siracuſano ſcri-
„ pſit: *Sinceræ devotionis &c.* VIII. Idus Septembris. Fratri vero Alphonſo *Indic. ex Vatic.*
„ de Bolanis, a Vicariatu inſularum Canariæ amoto, in Æthiopiamque
„ Nuntio Apoſtolico amandato, litteras expedivit: *Decet Romanum &c.*
„ V. Idus Septembris. XVI. Kalendas Octobris plura indulſit; & primo
„ pro celebratione feſtivitatis Præſentationis Virginis Mariæ ad Saxoniæ
„ Ducem eſt breve: *Rationi congruit &c.* ut Armenorum Eccleſia, Anco-
„ nitanæ Diœc. detur Fratribus Tertii Ordinis, aliud: *Dudum ſiquidem &c.*
„ Tertium, quo Concionatorem Generalem inſtituit fratrem Joannem de
„ Toledo: *Rationi congruit &c.* Quartum, quo vult Sorores Tertii Ordi-
„ nis ſanctæ Agnetis Fulginei frui privilegiis: *Rationi congruit &c.* Quin-
„ tum pro Clariſſis Ulyſſiponenſibus circa quamdam ſummam pecuniarum,
„ & Guardiano Morinenſi circa Hoſpitale ſancti Andreæ executoriale: *Ra-*
„ *tioni congruit &c.* IV. Nonas Septembris reſcripſit circa obedientiam
„ Clariſſarum de Prato, Piſtorienſis Diœceſis: *Ad hoc, quod &c.* V. Idus *In deſcript. Gel-*
„ Novembris Magiſterium fratri Martino Vitalis decrevit: *Humilibus ſup-* *dria fol. 233.*
„ *plicum &c.* pro Clariſſis Monaſterium in Geldria: *Admonet nos &c.* V.
„ Kalendas Decembris. Porro Geldria Sicamborum veterum Sedes, Du-
„ catus titulo inſignis, plures urbes complectitur; quarum nomina apud

Pa-

Anno Christi 1465.	Pauli II. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 258.

„ Patrem Bertium leges. Thomam de Monteplano Aprutinum ſpeciali vi-
„ tæ ſanctimonia florentem, ibidem in Domino quieviſſe, Sanctorum &
Catal. SS. Innoc. X. dicatus. „ Beatorum Ordinis Minorum catalogus commemorat: Jacobillus inter
„ prudentes & ſacras Virgines, aliaſque Sorores Religioſas, quæ Mona-
„ ſterium ſanctæ Annæ Fulginei ſuis virtutibus illuſtrarunt, ſororem Joan-
Joanna Fulginates. „ nam Fulginatem ex Onuphriis, Medici filiam ſcribit, quæ diſcipula bea-
„ tæ Angelæ ſeu Angelinæ Corbariæ, cum Onuphria olim Comitiſſa in Apru-
„ tio, & Franciſca a Burgaro ex Comitibus Marſicanis, anno MCCCCXXV.
„ Florentiam profecta, illic Tertii Ordinis Monaſterium ſancti Onuphrii
„ cum ſociabus erexit, ſanctiſque moribus inſtruxit, ac tamdem ibidem
„ pie deceſſit hoc anno MCCCCLXIV.

ARGUMENTUM.

Dux Venetus retinet apud ſe Jacobum Picenum ſibi cariſſimum. Ludovicus Bononienſis legatione fungitur apud Reges Tartarorum & Polonorum nomine Pontificis & Imperatoris. Raguſini jubentur Boſnenſibus & Dalmatis adhærere. Boſnenſes plurima deperdunt Cœnobia. Diſſidium Germanorum & Polonorum componit Vicarius Generalis. Origo Religionis ſancti Hieronymi clarius demonſtratur. Conſecrantur Epiſcopi. Ludovicus Cardinalis de Allibreto habitum ſuſcipit Minorum. Multa conſtruuntur Cœnobia.

Jacobus Picenus jubetur hærere Venetiis. I. MISSUM beatam Jacobum Picenum ad Venetorum Ducem Chriſtophorum Maurum, probitate & pietate inſignem, (quem pridem Bernardinus Senenſis, cui Maurus admodum familiaris erat, ſuæ reipublicæ futurum Ducem ſæpe prædixerat) diximus anno præcedenti, & regredi volentem a Duce fuiſſe detentum. Ea fuit apud illum Jacobi opinio, ut apud ſe ſemper vellet retinere. Procuravit itaque etiam hoc anno, ut Venetus Pontifex præciperet, ea in urbe hæreret, nec abſque ipſius licentia diſcederet; ſcripſit proinde Pontificio nomine Epiſcopus Vincentinus litteras ſequentes.

Religioſo viro fratri Jacobo de Marchia, Ordinis Minorum de Obſervantia, mihi amantiſſimo.

CUm ſanctiſſimus D. N. intellexerit caritatem veſtram iſthic adeſſe, voſque & toti Civitati, & Principi iſti Venetis quam gratiſſimum eſſe, mihi præcepit, ut vos nomine ſuo hortarer & monerem ac etiam mandarem, ut iſthic remanere velitis. Cognoſcit ſua Sanctitas perſonam veſtram maxime utilem iſta in Civitate eſſe poſſe cum propter ipſius Domini Ducis conſolationem, tum ut in ea inſigni Civitate glorioſus Deus veſtro medio uberes fructus operetur. Accedit devotio & fides, quam populus iſte perſonæ veſtræ adhibet, quæ & vitæ ſanctimonia, & verbi Dominici expoſitione, Divino juvante Numine, plurimum valet. Cenſet enim S. D. N. expedire ut eo in loco reſideatis, ubi ex prædicationibus admonitionibuſque veſtris uberrimi ſperentur proventus. Hæc autem de mandato ſuæ Sanctitatis caritati veſtræ ſcribo, quæ ſi aliqua cauſa ad diſcendendum iſthinc moveretur, ante diſceſſum ſuum mihi perſcribat, voluntatem ſanctiſſimi D. N. ſuperinde expectatura. Valeat

leat caritatis veſtra, cujus orationibus me commendo. Ex Urbe & Palatio Apoſtolico, XI. *Junii* MCCCCLXV.

Veſter M. Epiſcopus Vincentinus manu propria, ex S. D. N. mandato.

II. Etiam hoc anno frater Ludovicus Bononienſis, quem diximus tot legationes pro Sede Apoſtolica obiiſſe, a Pio II. creatum Patriarcham Antiochenum, ſed a Gobellino indigne traductum, nobili functus eſt legatione, ſummi Pontificis, & Romanorum Imperatoris nomine, apud Ezigerem Tartarorum Principem, & Caſimirum Regem Polonorum, pro infringendis Turcarum viribus, & augendis copiis Chriſtianorum. Ipſis verbis Martini Cromeri, optimi Polonicarum rerum ſcriptoris, Legationem expono: *Convenit Caſimirum Regem in Lithuania Ludovicus Patriarcha Antiochenus, ab Ezigere Tartarorum Principe, apud quem Pontificis maximi, & Imperatoris Romani Legationem obierat, revertens. Summa autem illius Legationis hæc fuit, ut Ezigeres Mahometem Turcarum Cæſarem a bello Chriſtianis inferendo revocaret: ſi id non poſſet, bellum ipſi inferret, Pontifice & Imperatore ſtipendia pollicentibus, ac tunc quoque perampla dona mittentibus. Quoniam autem ejuſmodi reſponſum a Barbaro acceperat, ut is in bello Turcis inferendo e conſilio & voluntate Caſimiri fœderati & amici ſui pendere ſe oſtenderet, litteraſque ea de re ad Caſimirum daret, quibus ei faciebat poteſtatem, quidquid ipſi videretur de hoc bello Turcica conſtituendi ſuo nomine, cum illis Principibus contendebat a Caſimiro Ludovicus, ut Rex Chriſtianus Chriſtianos adjutos vellet, quando id in poteſtate ejus eſſet. Debere hoc eum communi religioni, atque pietati erga Deum. Rex dilata re ad regni Comitia, quæ ad medium Martium Petricoviam edicebat, hominem ſine certo reſponſo dimiſit: ac de more venationibus vacavit.*

Ann. 1460. n. 7. & ſeqq.

Cromer. lib. 26. ad fin. 1465.

III. Diximus etiam anno præcedenti, Marcum Bononienſem Vicarium Generalem, dextre cooperante Bernardino Aquilano, Dalmatinos & Boſnenſes in unam coadunaſſe Provinciam, & Raguſinos unioni reſtituiſſe. Ubi Marcus rediit in Urbem, & Paulo Pontifici quæ facta erant, enarraſſet, rata habuit omnia. Sed ægre tulit, Raguſinos ſe a reliquis ſeparaſſe. Dedit itaque hoc diploma, per quod unioni contradicentes gravibus ligat cenſuris.

Jubentur Raguſini in Provinciæ unionem conſentire.

Dilecto filio Marco de Bononia, Ordinis Minorum de Obſervantia, citra montes Vicario Generali.

Dilecte fili, ſalutem &c. Accepimus, quamplures hactenus ſubortas eſſe controverſias inter Provincias Boſnæ & Dalmatiæ, pro quibus ſedandis & Vicarii Generales, necnon & Generalis Congregatio veſtra, & nonnulli ſummi Pontifices prædeceſſores noſtri plurimum laborarunt, ex quibus præſertim omnium noviſſimus bonæ memoriæ Pius anteceſſor noſter, qui per Apoſtolica mandata injunxit & decrevit, quatenus ex duabus Provinciis, Boſnæ videlicet & Dalmatiæ fieret una Provincia, cui præficeretur unus Vicarius Italus, Generali tamen Vicario Ciſmontano pariturus: Mandans utriuſque Provinciæ Fratribus ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut huic decreto nullatenus audeant contraire; qui etiam Rectoris, Communis Civitatis Raguſii petitionibus annuens, ſtatuit & declaravit, quod quatuor

Ex Reg. Ordini.

tuor loca in territorio dominii illius exiſtentia, Provinciæ tunc Boſnæ ſubjecta, ſubjicerent Vicario Dalmatiæ, uſque ad Capitulum Generale Fratrum de Obſervantia tunc futurum, nunc præteritum, cujus ordinationi ſupra hoc ſtaretur; & cum Fratres in Generali Capitulo omnia & ſingula loca unierint, & ex duabus Provinciis unam conſtituerint, intelleximus ob hanc cauſam te ad regiones illas perſonaliter contuliſſe, & omnes vocandos ad Capitulum fuiſſe vocatos, & ſumma pace ac voto omnium Fratrum in eodem Capitulo perſiſtentium, unionem factam in Generali Congregatione veſtra proximæ præterita, aperte & latius eiſdem declaroſſe: quam quidem unionem per Generalem Congregationem Aſſiſii, & te in Provinciali Capitulo in loco Paſmani factam, approbamus, et quidquid ibidem, ſive in Cuſtodiarum denominatione, ſeu in illorum locorum applicatione, ſeu motione per te actum aut agendum fortaſſe in poſterum, quod unionem hanc prætendit, ratum haberi volumus & confirmamus. Mandantes omnibus & ſingulis Fratribus unitæ Provinciæ Boſnæ & Dalmatiæ præſentibus & futuris ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ut prædictam unionem teneant & obſervent, & nullo modo per ſe aut per interpoſitam perſonam ſcindere vel attentare præſumant, aut loca illarum olim Provinciarum Boſnæ & Dalmatiæ detinere. Injungimus tibi poſtremo, ut quibuſcumque rebellibus, ſi qui forent, noſtra ex parte inſinues, quibus & nos per præſentes litteras mandamus, ut ſub eiſdem pœnis antedictis tibi pareant, & omnia & ſingula loca unire ſtudeas, ac tenearis, quam unionem volamus inviolabilem perſeverare. In eadem quoque Provincia & aliis tibi ſubjectis, omnia & ſingula perageudi, quæ ad familiæ tibi commiſſæ regimen ſpectare videntur, liberam ac plenam tibi facultatem impertientes. Non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque &c. Datum apud ſanctum Petrum, anno MCCCCLXV. III. *Kalendis Aprilis, anno* I.

Cenſuræ contrà Raguſinos latæ revocantur.

IV. Raguſini cenſuras declinaturi, curarunt in Senatu & apud Magiſtratum, ne in illorum dominio hæ litteræ publicarentur, mitterentque ſuos Oratores, qui cum Pontifice agerent de retinendis domibus, quas ſibi diximus appropriaſſe. Adeo inſtanter & importune perorarunt, ut Paulo placuerit facta confirmare, eoſque ab illis cenſuris immunes declarare. Hoc itaque geſtorum reportarunt monumentum.

Dilecto filio Vicario venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Raguſin. in ſpiritualibus Generali.

Lib. 1. de Regularib. & prabend. an. 2.

INter curas multiplices, quibus rerum occurrentium varietate obſidemur, ad hoc potiſſime intendimus, ut religioſæ perſonæ cum pace & animi puritate, ſublatis obſtaculis & impedimentis, Altiſſimo ſua vota perſolvant &c. ad Dei gloriam & Religionis augmentum debite reducantur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Rectoris, Conſilii & Communis Civitatis Raguſinæ petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Pius Papa II. Prædeceſſor noſter, ex certis tunc ſibi ſuggeſtis cauſis, per quaſdam litteras in forma Brevis, Generalibus, Provincialibus ceteriſque Vocalibus Ordinis Minorum in Generali Capitulo congregandis, mandavit primo, videlicet quod ex duabus Provinciis Dalmatiæ & Boſnæ fieret una Provincia, quæ vocaretur provincia Boſnæ & Dalmatiæ, & quod Vicarius eligeretur in ſingulis Generalibus Congregationibus per Generalem Vicarium & Difinitores Generalis Congregationis, ejuſque officium duraret per tres annos, & ipſe Vicarius Dalmatiæ & Boſnæ ſubeſſet & pararet Vicario Gene-

nerali, mandans ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, præmiſſa obſervari; & deinde pro parte Rectoris, Conſilii & Communis prædictorum, eidem Pio Prædeceſſori expoſito, quod in territorio ſuo temporalis juriſdictionis ſe rant, prout ſunt, ſex loca prædicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, unus videlicet infra, & alius extra dictam Civitatem conſiſtentes, quorum Fratres ſub obedientia Vicarii provinciæ Dalmatiæ erant, & quorum exemplis optimis cives & alii habitatores dictæ Civitatis ad bene rectèque vivendum provocabantur, reliqua vero quatuor Vicario provinciæ Boſnæ ſubjecta exiſtebant; quodque ſi dicta quatuor loca eidem Vicario provinciæ Dalmatiæ ſubjicerentur, profecto rerum dictæ Civitatis ſecuritati, ac ſingulorum Fratrum ſex locorum eorumdem, quieti & tranquillitati debita foret cum honeſtate proviſum: Idem Pius Prædeceſſor ipſorum Rectoris, Conſilii, & Communis in ea parte ſupplicationibus inclinatus, Venerabili fratri noſtro Blaſio Epiſcopo Tribunen. & Mercanenſi etiam, tunc in Civitate prædicta reſidenti, per ſuas Apoſtolicas litteras mandavit, ut, ſi ita eſſet, Apoſtolica auctoritate ſtatueret & ordinaret, quod prædicta quatuor loca, quorum Fratres in hoc conſentiebant, uſque ad Capitulum Generale Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, cujus ordinationi ſuper hoc ſtaretur, ſub Vicario dictæ provinciæ Dalmatiæ viverent, eoſque in hujuſmodi vitæ & ſubjectione conſervaret, & illis concederet, quod curam animarum cum juriſdictione & auctoritate in omnibus & per omnia gerere & exercere poſſent, ſicut illi, qui in dictis quatuor locis viventes hactenus gerere & exercere conſueverunt. Poſtmodum vero nos ex certis nobis ſuggeſtis, cauſis dilecto filio Marco de Bononia, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, citra Montes Vicario Generali, quaſdam litteras etiam in forma Brevis conceſſimus, per quas inter cetera unionem dictarum Provinciarum per Generalem Congregationem in Civitate noſtra Aſſiſinate, & per eamdem Marcum Generalem in Congregatione Provinciali in loco Paſinani factam, ratam habere voluimus & illam confirmavimus, mandando Fratribus dictarum provinciarum ſub pœnis excommunicationis latæ ſententiæ, ut unionem prædictam, non obſtantibus litteris per eumdem Pium Prædeceſſorem, Rectori, Conſilio & Communi prædictis, ut præfertur, conceſſis, obſervarent, prout in ſingulis litteris prædictis dicitur pleniùs contineri. Cùm autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſteriores litteræ prædictæ nondum publicatæ ſint, & ſi unio ipſa effectum ſortiretur & obſervaretur, profecto diſſenſiones & ſcandala non parva ſubſequerentur, & maximè cum ipſe Rector, Conſilium & Commune ipſos Fratres dictæ Provinciæ Boſnæ cum Turcis ſæpenumero converſantes, ſuſpectos plurimum habeant, nec alio pacto intendant, quod ipſi Fratres provinciæ Boſnæ in prædictis ſex domibus, vel aliqui eorum moram trahant; pro parte Rectoris, Conſilii & Communis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro pace & tranquillitate ſtatus eorumdem, & ad obviandum hujuſmodi ſcandalis, eadem ſex loca, durante unione duarum Provinciarum, ab eiſdem Provinciis omnino ſeparare, & illa Vicario Generali ad inſtar aliarum Provinciarum, quæ ſunt ſub eodem Vicario Generali dumtaxat, ſubjicere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de præmiſſis omnibus & ſingulis legitimè conſtiterit, ſex loca prædicta, durante unione ipſarum duarum Provinciarum, ab eiſdem Provinciis omnino ſeparare, & illa Vicario Generali ad inſtar aliarum Provinciarum, quæ ſunt ſub eodem Vicario

Generali dumtuxat, ſubjicere, & ſi Provincias ipſius ſeparari contingat, quod eo caſu eadem ſex loca de provincia Dalmatiæ perpetuo exiſtant, ſtatuere & ordinare, auctoritate noſtra procures, præcipiendo Fratribus dictæ provinciæ Boſnæ, quod de ipſis quatuor locis nullatenus ſe intromittant, nec ad illa ſe conferre, aut ibidem commorari quoquo modo audeant vel præſumant, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quam ipſo facto contrafacientes incurrant, ac decernendo irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari: Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Provinciarum, locorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis alia firmitate roboratis, contrariis quibuſcumque; aut ſi Fratribus dictæ Provinciæ & Boſnæ a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis & litteris Apoſtolicis generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſis, vel totaliter non inſertis, effectus earum, ſeu tuæ juriſdictionis Apoſtolicæ valeat in hac parte quomodolibet impediri, quæ quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, an. Incarnationis Dominicæ MCCCCLXV. XIV. *Kalendas Junii, anno* I.

V. Aliud non contemnendum ſuæ Provinciæ decrementum acceſſit Boſnenſibus. Veneti, vel ſuæ Reipublicæ vere a Boſnenſibus cauturi, vel falſæ ſuſpicionis prætextu, domos illas ad ſe trahere cupientes, ſex ſibi adjudicarunt in regione Dalmatina conſiſtentes, Villiani, Caſtrinovi, vulgo *Novigrado*, Paſmani, Craponi, Spalati, & Corſulæ, & tamdem a Pontifice obtinuerunt, ut a Boſnenſibus, quos jam ſubjugaverant Turcæ, ſepararentur. Miſera fuit Boſnenſium conditio, quatuor abſtulerunt domos Raguſini, Veneti ſex, & triginta octo Turcæ deſtruxerunt.

Provinciæ Auſtriæ quieti providet Vicarius Generalis.

VI. Auſtriæ etiam provincia ex variis, diverſæque naturæ conſtabat nationibus, Germanica, Boemica, Polonica, quæ ab ipſis incunabulis novæ Provinciæ cœperunt inter ſe diffidere. Polonica ægre tulit, ſe ab Alemannica contemni, & penes hanc Provinciæ regimen conſtitutum, in eaque gente Provinciæ Rectores plerumque reſediſſe. Aucto Fratrum & Conventuum numero, cogitarunt Poloni de ſeparatione, & inſtituenda diſtincta a reliquis Provincia, idque ſibi licere inſtanter poſtularunt in Capitulo Generali Aſſiſii anno præcedenti. Commotos ut ſedaret animos, in Germaniam abiit Marcus Vicarius Generalis, indictiſque Comitiis hoc anno, die XXVII. Maii ipſe præſedit, ex ipſis illis gentibus unum eligi præcepit, aſſerens Italos ſufficienter ab inſtituta Provincia ad illud uſque tempus ferme ſemper hoc munus exercuiſſe. Electus eſt Jacobus de Glogavia major, Magiſter artium, vir ſeverus, implacabilis, Polonis ſemper inviſus; auxit hoc ſeparationis cupiditatem, ſed obſtitit Marcus Vicarius, dicens intempeſtive ſatis id intendi tenellis adhuc Provinciæ incrementis, pauciſque Fratribus, qui vel uni, multo minus duabus ſufficerent Provinciis regendis, inſtruendis, ornandis; dedit tamen ſeu potius confirmavit Commiſſarium pro natione Polonica, Angelum de Oſtrovo, ſtatuitque deinceps eligi ſemper debere in Capitulo Provinciali, nullo tempore deponendum a Vicario Provinciali, niſi cum conſilio & aſſenſu Guardianorum Polonorum, eique plenam committendam auctoritatem ſuper domos & Fratres Polonos abſente Vicario, illo autem exiſtente

in Polonia, Commiſſarii ſuſpendi poteſtatem. Domus autem quæ in regeſto ſecundo Marci Vicarii Generalis, & in actis hujus Capituli tunc in Polonia erectæ referuntur, hæ ſunt. Cracovienſis, Tarnovienſis, Leopolienſis, Lublinenſis, Varſavienſis, Poznanienſis, Coſtenſis, Frauſtatenſis, Coblinenſis. Aliquas ex his nos jam deſcripſimus, reliquas ſub hunc annum, quo jam extitiſſe palam conſtat, deſcribemus. Cœnobia Provinciæ Poloniæ exoriencia.

VII. Abſolutis his Comitiis, tranſiit Marcus Vicarius in Boemiam, ubi cum aliquot imagines non ad Canonum præſcriptum & veterem Eccleſiæ conſuetudinem exacte depictas conſpiceret, myſteriumque ſanctiſſimæ Trinitatis inſipienter & indecore repræſentari, atque in altera tabula Salvatoris imaginem ſanguinis calicem in coronam regiam effundentem, atque ex eo volucres bibentes delineatam, Commiſſarium inſtituit Matthiam Boemum, Pleznæ Guardianum, qui picturas has inſulſas & ſuperſtitioſas tolleret, quæ ad Fratres ſpectabant, igni traderet, quæ ad ſeculares Altarium vel ſacellorum Dominos, ipſis traderet, & vel invitos cogeret ad abolendas. Imagines inſulſas reformat Vicarius Generalis.

VIII. Diximus alias Religionem Eremitarum ſancti Hieronymi ſuam recepiſſe originem a beato Thomaſuccio, Tertii Ordinis ſancti Franciſci profeſſore, & alibi id ipſum ex veſte Tertiariis ſimili, confirmavi. Hoc anno quidam ab hoc habitu reſilierunt, & a primævum geſtantibus receſſerunt, ſtatuerunt que ſibi diſtinctam Congregationem. Omnia conſtabunt ex hoc monumento, in quo clariſſime prima Ordinis & habitus exordia recenſentur. *Tom. 9. an. 1405. n. 10. & ſupra anno 1460. n. 43.* Ordinis S. Hieronymi origo explicatur.

Ad perpetuam rei memoriam.

Iis quæ pro perſonarum quarumlibet, præſertim &c. adjicimus firmitatem. Dudum ſiquidem poſtquam felicis recordationis Pius Papa II. Prædeceſſor noſter dilecto filio Jacobo de Alexandria tunc Priori Generali, & dilectis filiis univerſis Fratribus ſancti Hieronymi de Feſulis, Ordinis ejuſdem Sancti, & eorum ſucceſſoribus ejuſdem Societatis præſentibus & futuris, tunc ab eorum primæva inſtitutione talem habitum, qualem Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati, & nonnulli Eremitæ gerunt, deferentibus, ab ipſis Eremitis & Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi in habitu prædicto differentiam habere cupientibus, differentem habitum, ad cautelam dumtaxat, ab eiſdem Eremitis & Fratribus Tertii Ordinis, ejuſdem tamen coloris, recipiendi, & receptum perpetuo geſtandi, per quaſdam litteras conceſſerat, & nonnulla alia ſtatuerat & ordinaverat; eidem Pio prædeceſſori pro parte nonnullorum Fratrum dictæ Societatis, in primo habitu remanere volentium, expoſito, quod nonnulli Fratres dictæ Congregationis ſua primæva vocatione contenti, cupiebant ſub eodem, quo eatenus vixerunt habitu, perpetuo remanere, idem Pius prædeceſſor ſancti Hieronymi Paduanam, & ſancti Petri Vincentinam domos dictæ Societatis cum omnibus earum bonis, Juribus & pertinentiis, Fratribus in primo habitu remanere volentibus, pro ipſorum uſu & habitatione perpetuis, per alias ſuas litteras deputavit, tonceſſit & aſſignavit, ſtatuens perpetuo & decernens, quod Fratres remanentes hujuſmodi ab omni ſuperioritate & obedientia ac ſocietate Fratrum mutantium prædictorum, eſſent penitus exempti & ſeparati, necnon etiam quod quilibet tam ex remanentibus, quam habitum mutantibus Fratribus hujuſmodi, infra ſex menſes a datu poſteriorum litterarum dicti prædeceſſoris computandos, vel habitum ipſum mutare, vel qui

jam

jam mutaſſent, ad priſtinum redire tenerentur; quodque ſi contingeret ex duabus partibus Fratrum mutantium & remanentium hujuſmodi alteram defiecre, ita quod nullus Frater dictæ defeientis partis inveniretur, domus & loca partis defeientis hujuſmodi, ad alios Fratres partis ſuperſtitis eo ipſo devolverentur & applicarentur, prout in ſingulis litteris prædictis pleniut continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum moderni Prioris Generalis & Fratrum novi habitut hujuſmodi petitio continebat, dilecti filii Philippus de Corono, ac Dominicus & Hieronymus, necnon Elias fratres primi habitus hujuſmodi, electi per Capitula ſuorum Conventuum domorum prædictarum, pro bono pacis & concordiæ, coram dilecto filio Hieronymo tunc Priori Generali totius Congregationis, & nonnullis Fratribus novi habitus hujuſmodi, ac certo Notario publico & nonnullis teſtibus fide dignis, omnia ſua jura, rationes & actiones, quæ in dictis domibus habere poterant & habebant, certis talcibus & ornamentis Eccleſiaſticis, ac aliis utenſilibus pro eorum neceſſitate ab eorumdem Generali receptis, ſponte & libere ceſſerint, prout hæc omnia in quodam publico inſtrumento deſuper confecto, plenius continetur: pro parte Prioris Generalis & Fratrum novi habitus hujuſmodi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ceſſioni hujuſmodi ac omnibus & ſingulis in dicto inſtrumento contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis, cum inſertione dicti inſtrumenti adjicere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui inſtrumentum hujuſmodi in Cancellaria Apoſtolica inſpici & examinari fecimus diligenter, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ceſſionem, ac omnia & ſingula in dicto inſtrumento contenta, eamdem concernentia, rata habentes & grata, illam ac contenta hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem: tenor autem dicti inſtrumenti ſequitur, & eſt talis: In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Anno ab ipſius Nativitate MCCCCLXV. Indictione XIII. die Jovis, IX. menſis Maii, in refectorio Monaſterii & Conventus ſancti Petri in Vivarolo extra muros Civitatis Vincentinæ, præſentibus venerabilibus viris Domino Presbytero Petro de Malerbis de Venetiis, Domino Presbytero Germano de Cogola, Domino Presbytero Joanne Chryſoſtomo de Gardellis, ambobus Manſionariis Eccleſiæ Cathedralis Vincentinæ, & Domino Presbytero Gratiadeo de Albania, Rectore Eccleſiæ Montiſcelli prope, Vincentinæ diœceſis, omnibus teſtibus ad hoc vocatis ſpecialiter & rogatis, & in præſentia Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Angeli Faſalo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopi Feltren. & Comitis, Reverendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Marci Barbo Epiſcopi Vincentini, Ducis, Comitis & Marchionis, Locumtenentis Generalis. Cum hoc ſit, quod dudum Religioſis Viris fratri Jacobo de Alexandria tunc Priori Generali & univerſis Fratribus Societatis ſancti Hieronymi, Ordinis ejuſdem Sancti, & eorum ſucceſſoribus ejuſdem Societatis præſentibus & futuris, tunc ab eadem primæva inſtitutione talem habitum, qualem Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de pœnitentia nuncupati, & nonnulli Eremitæ gerunt, & ab ipſis Eremitis & Fratribus Tertii Ordinis hujuſmodi in habitu differentiam habere cupientibus, differentem habitum, ad cautellam dumtaxat, ab eiſdem Eremitis & Fratribus Tertii Ordinis, ejuſdem tamen coloris recipiendi & receptum perpetuo geſtandi, auctoritate Apoſtolica per litteras conceſſum fuiſſet, & nonnulli ex ipſis Fratribus in primo habitu remanene-

nere voluerint, ſibique eadem auctoritate Apoſtolica conceſſum fuerit, quod in eodem habitu remanere valerent, & pro eorum uſu & habitatione ſibi deputatæ fuerunt ſancti Hieronymi Paduani, & ſancti Petri in Vivarolo Vincentina domus, cum omnibus earum bonis, juribus & pertinentiis, & quod ipſi Fratres remanentes in hujuſmodi primo habitu & habitatione perpetua dictarum domorum, ab omni ſuperioritate, obedientia & ſocietate Fratrum mutantium habitum prædictorum, eſſent penitus exempti & ſeparati, prout in litteris Apoſtolicis ſub data Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. XII. Kalend. Decembris, Pontificatus ſanctiſſimi Domini noſtri Domini Pii Papæ II. anno II. plenius continetur &c. prout ſuperius in bulla. Quibus omnibus & ſingulis præfatus Dominus Epiſcopus Locumtenens, ſuam & qua fungitur pro R. D. Epiſcopo Vincentino interponit auctoritatem pariter & judiciale decretum. *Nulli ergo &c. noſtræ confirmationis, approbationis, communitionis & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXV. XII. *Kalend. Julii, anno* I.

IX. Electus eſt a Capitulo ſub hunc annum Epiſcopus Signien. in Iſtria, ſub Archiep. Jaderen. per translationem Marci ad Tinen. frater Paulus de Boſna, & confirmatus eſt a Pontifice XIII. Kal. Januarii. Caſtren. in Sardinia, ſub Archiep. Turitano, frater Laurentius de Moncada, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Leonardi, XIV. Kal. Novembris. Dionyſien. in Arabia, ſub Patriarcha Hieroſolymitano, Arnoldus de Rotenſen, per obitum Joannis, pridie Nonas Novembris. Conceditur ei jus Pontificalium in diœceſi Verdenſi. Aſſiſii in Umbria frater Bartholomæus Vagnotius vir doctus, quem longa ſerie præceſſerunt in eadem Eccleſia alii Minoritæ. Occurrit etiam hoc anno in regeſto Vaticano mentio Joannis Epiſcopi Libarien. in Helleſponto, ſub Archiep. Cyziceno, cui Pontifex concedit facultatem diſponendi de rebus ſuis mobilibus, quantumvis fuerit Minorita, pridie Nonas Julii. Erat hoc anno Vicarius Provinciæ ſancti Antonii Paulus Veronenſis, quem in regeſto Ordinis video ſummopere a virtute & doctrina commendari, & Prædicatoris Evangelici optimique Patris titulis inſigniri.

Fr. Paulus Epiſc. Signien.

Caſtren. Fr. Laurentius.

Dionyſien. Arnoldus.

Aſſiſien. Fr. Bartholomæus.

Libarien. Fr. Joannes.

Fr. Paulus Veronen.

X. Hoc anno XIV. Kal. Octobris deceſſit Ludovicus de Allibreto, regio Gallorum ſanguine natus, Cardinalis tituli ſanctorum Petri & Marcellini, quem Collegii Purpuratorum Patrum *delicias & amorem* vocat Cardinalis Papienſis, & amiſſum inconſolabiliter deplorat. A pietate omniumque virtutum genere univerſi hujus temporis ſcriptores commendant. Ante obitum decumbens, devote petiit & ſuſcepit habitum Minorum, & cum eodem ſepultus eſt in Conventu Ara-cœli ante Altare præcipuum ſub lapide marmoreo, inſculpta imagine. In ejus exequiis prædicavit beatus Cherubinus de Spoleto.

Card. Allibrerus habitum induit Minoriticum.

Papien. l. 2. comment. & ep. 144. & 136.

XI. Hoc anno Nobiles quidam Brixienſes, virtute & ſanctitate beati Amadei allecti, curarunt, amotis Patribus Conventualibus, ei tradi Conventum * Iſei, Brixienſis diœceſis oppidi, ad Lacus Iſei marginem, ab oppido aliquanto ſemotum, ante annos multos conſtructum, quippe cujus memoriam conſpicere licet apud Piſanum in Provincia Mediolanenſi & Cuſtodia Brixienſi. Introductis Regularis Obſervantiæ Fratribus, domum reformavit Amadeus hoc anno, & numero incolarum adauxit. Extincta Amadeorum Congregatione, Conventus acceſſit Provinciæ Brixienſi Fratrum Obſervantum. Inſalubris auræ locus eſt, & propterea ſæpe derelictus. Habent itaque Fratres intra Iſeanos muros aliam Eccleſiam, ſub ſacratiſſimæ Virginis Mariæ titulo fabricatam, in qua ex conventione facta die

Conv. Iſei. * *al.* Iſchii. *Gonz. in Prov. Brixiæ Conv.* 24.

die VII. Julii anno MCCCCLX. cum Jacobo de Uldefredis Iſeano, & ſub Mediolanenſi Duce cohortis Præfecto, ſacrum faciunt quotidie, unde ad victus ſubſidium mercedem accipiunt.

XII. Ut in Siciliæ Inſula Joannes de Fontana Vicarius Obſervantum tres poſſet in locis opportunis ædificare, vel per alios ædificandos Conventus admittere, Pontifex hoc anno indulſit. Similiter conceſſit nobili mulieri Menciæ de Mendoza, Petri de Velaſco ſenioris, Comitis de Haro conſorti, ut in locis congruentibus & honeſtis ſuæ ditionis domum unam Fratrum, & alteram Clariſſarum Obſervantum poſſet conſtruere. Quid apud Siculos, vel in ditione illa Harenſi apud Hiſpanos virtute harum facultatum peractum ſit, adhuc nobis incompertum.

* *al.* de Roſſeto. Conv. Camberiaci. *Ex lib. 4. de diverſ. form. an. 1. fol. 262. Gonz. in Prov. S. Bonav. Conv. 49. Fodere, & Piquet de hoc Conv.*

XIII. Stephanus de Roneeto *, Sabaudiæ Ducum Conſiliarius, & Cameralis Computi Præpoſitus, longiuſcule a Camberiaco, Allobrogum urbe, diœceſis Gratianopolitanæ, ædiculam ſub vocabulo beatæ Mariæ de Angelis, & ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ ante biennium in proprio prædio de Baſtinello, ad radices rupis *de charmettes*, ſub Nicolao V. & Sybondo Alamendi Epiſcopo Gratianopolitano, ædificavit, euramque commiſit Joanni de Albon ſacerdoti ſeculari, domumque poſtea humilem pro Fratribus Obſervantibus adjunxit. Eam ut liceret augere, iiſdemque Fratribus Conventus de Myano tradere, hoc anno a Paulo impetravit, ita perſuadente Amadeo Duce & Jolanda uxore. Anno MCCCCLXIII. locum acceptarunt Joannes Vilandi Guardianus, & Joannes Burgenſis lector, ſed non ſine gravi oppoſitione Patrum Conventualium, unde ortæ variæ contradictiones, appellationes ad Sedem Apoſtolicam, & innumeræ in diverſis Tribunalibus quæſtiones. Verum Burgenſis conſtanter cauſam proſecutus, tamdem evicit anno MCCCCXCII. & Guardianus ac Fratres Myanenſes locum commiſerunt regimini Vicarii Provincialis, rogaruntque, ut peculiari ibidem conſtituto Prælato, ſe a tot moleſtiis liberaret. Crevit poſtea domus Religioſorum numero & pulchra ſtructura. Etenim venuſtum & decorum acceſſit templum, magnis quadratiſque lapidibus cum triplici teſtudine conſtructum. Beatrix a Portugallia Ducciſſa ſacrarium & campanile; Antonius de Roſſilione refectorium; Janus de Valle-Iſara tabellam majoris Altaris, qua nulla pulchrior aut carior Camberii conſpicitur, fieri curaverunt. Magno feruntur cives erga hunc locum affectu, multique nobiles annuas conſerunt eleemoſynas manu liberali. Fratrum habitacula multiplicavit, & cultiora reddidit Joannes Cavagnet Guardianus; jacent hic Antonius Magotius inſignis Doctor, qui dum Provincialis eſſet, obiit anno MCCCCLXII. die XII. Decembris; Joannes de Exerto Vicarius Provinciæ ſemel, Cuſtos Sabaudiæ quater, ſæpiſſime Guardianus, qui pietate conſpicuus ſenio confectus, lumine amiſſo oculorum annis ante deceſſum viginti, obiit anno MDLXX. Michael Treperius abſolutiſſimus Theologus, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguarum peritiſſimus, concionator ferventiſſimus, hæreticorum acerrimus expugnator, ubique celeberrimus, ſummoque populorum applauſu exceptus, pari ſemper glutino pietatem aſſocians doctrinæ, obdormivit in Domino anno MDLXXXVII. die XVII. Martii, dum coram ſupremo Senatu conciones haberet quadrageſimales.

Hoc anno n. 6.

XIV. Ex actis Capituli Provinciæ Auſtriacæ jam diximus aliquot in regno Poloniæ Conventus extitiſſe ſub hunc annum, de quibus hucuſque nihil egimus, innixi relationi Gonzagæ, qui aliquanto facit poſteriores. Anno incerto Gabriel Veronenſis, auſpiciis Caſimiri Regis, Fratrum de Obſervantia munifici fautoris, locum ſub titulo Converſionis ſancti Pauli inchoavit Lublini, diœceſis Cracovien. in area, quam in colle eminenti extra

Conv. Lublinen. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 8. Manum. MSS. ejuſd. Prov.*

moe-

mœnia Civi tatis ſitam, infra ſtagnum & fluvium Broticæ donavit Doctor Nicolaus civis Lublinenſis. Domus & Eccleſia pietate, largitionibuſque civium & nobilium diſtrictus Lublinenſis, ex lignis breviter conſectæ. Sed frequentibus Scytharum incurſionibus ne quotidie eſſent obnoxii, cœperunt Fratres templum ex lapide conſtruere anno MCCCCXCVI. & abſolverunt anno MDXIX. adjectis in ſuburbio areis pro cœmeterio & hortis, quarum partem dono acceperunt, partem coemerunt. Habitabant illic Fratres dumtaxat duodecim, poſtquam vero nova Satrapia, ſive Palatinatus in tractu Lublinenſi ea in urbe inſtitutus eſt, & ibidem poſteriori ſeculo judicia regni Tribunalitia ſedem acceperunt, Cœnobium a ſexaginta Fratribus cœpit inhabitari, ſtudiis Philoſophiæ ac Theologiæ multipliciter efflorere. Profuit valde hæc diſciplina ſcholaſtica viris Catholicis contra Calviniſtas & Arianos, qui pernicioſos ibidem ſuarum hæreſum nidos cœperunt ædificare. Jacent hic frater Peregrinus vir vere humilis, patiens, Fratrum amator, omnibus gratus, erga omnes obſequioſus, ardentiſſimæ caritatis. Tyburtius de Sroda Sacerdos magnæ abſtinentiæ, devotionis & contemplationis extaticæ: Fratrum contubernium & affatum diſcrete fugiebat, a ſecularium converſatione ſibi cavebat, ſilentium ſemper obſervans, in oratione aſſiduus, in moleſtis morbis mirum in modum patientiſſimus. Paulus Shaſſevius, qui per multos annos ſocius fuit Vicariorum Provinciæ, & cum beato Simone Lypnicio Terram ſanctam viſitavit, multiſque clarus virtutibus, magnum ſui reliquit deſiderium. Varia hic ſunt celebrata Capitula Provincialia.

Fr. Peregrinus Polonus. Fr. Tyburtius de Sroda. Fr. Paulus Shaſſevius.

XV. Leopoli, quæ Ruſſiæ Civitas eſt, alium Gabriel Conventum extruxit ſub titulo ſancti Andreæ Apoſtoli, auctore Andrea Odrovaſſio Ruſſiæ Gubernatore, & Leopolienſi Capitaneo. Reſiſtebant Archiepiſcopus & Canonici Leopolienſes, ſed adverſum conatum ſuperavit ſumma Andreæ in Fratres benevolentia. Poſt aliquot annos combuſtam ex induſtria a Ruthenis ſchiſmaticis domum reædificavit, nihilque prætermiſit, quod in Fratrum beneficium, aut domus cedere poſſet incrementum. Decurſu temporis & poſtremo hoc ſeculo Eccleſia magnifica & Conventus capaciſſimus ante annos duodecim inchoata, ultimam acceperunt manum anno MDCXX. eaque magnitudine & operis perfectione, ut cum optimis totius Europæ certare videantur. Juvit plurimum Sigiſmundi III. Regis, & Georgii Mniſzeh Palatini Sandomirienſis, & Capitanei Leopolienſis pietas, largaſque operi dabat contributiones regni exercitus, partim contra Moſcovitas in Moſcovia, partim contra Turcas in Podolia conſcriptus. Prior Conventus ligneus, platea & via publica ſejungebatur a vallo & muris Civitatis; verum poſterior hic ita contiguus eſt, ut ſit in propugnaculum contra Turcarum, Scytharumque excurſiones. Jacet hic beatus Joannes Duklenſis, cujus oſſa magnifico teguntur ſarcophago, & in magna habentur veneratione. Multa ei offeruntur donaria & votivæ tabellæ. Anno MDCXXIV. mulier quædam Armena, occulte Catholica, calicem cum patena ex auro ſolido & lapidibus pretioſis, valoris ſeptem millium quingentorum florenorum & amplius ad ſepulcrum ejus donavit. Vitam egit ſanctiſſimam & multa patravit miracula, quæ ſub mortis annum commodius referemus. Diligenter agitur in hac Curia de piiſſimo Viro canonizando. „ Et noſtris hiſce temporibus „ a ſacrorum Rituum Congregatione decretum prodiit ſub die IX. Maii „ anni MDCCXXXIII. quo recitandi ejus Officium, Miſſamque ſub ritu duplici facultas toti Eccleſiæ Leopolienſi conceditur, ut ſuo loco dicemus.

Conv. Leopolis. *Indic. Conv. p. Monum. MSS. Polon.*

B. Joannes Duklenſis.

ADDITIO ALIORUM.

XVI. Hæc & quæ ſuperioribus annis retulimus Cœnobia, jam extabant

Anno Christi 1465.	Pauli II. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 258.

Conv. Prævorſci. *Indid. Conv. 10. Mſcr. MSS. Poloni.*

in Polonia, numerataque ſunt in Comitiis Viennenſibus, quibus peractis Marcus Vicarius Generalis in Poloniam tranſivit. A Jaroslao, regni Mareſcallo, Prævorſcum, Ruſſiæ urbem profectus, aream accepit conſtruendo Cœnobio ſub beatæ Barbaræ invocatione. Eccleſiam, ſacrarium, refectorium & coquinam ipſe Jaroslaus ædificavit, eo defuncto, clauſtri ambitum & reliquas officinas, Fratres magno adjunxerunt labore, & Eccleſiæ teſtudinem induxerunt circa annum MCCCCLXXXIX. cum Turcæ & Tartari Ruſſiam igne ferroque vaſtarent, domum Caſtelli inſtar, aggere, vallo, profunda ſolla munierunt. Ante aliquot annos valetudinarium ligneum infirmarii negligentia, ſimul cum inſigni notæque pietatis viro, Petro Candido, Capiſtrani diſcipulo tunc ibidem decumbente, totum conflagravit, & paulo poſt ex lapide refectum eſt. Jacet illic Gregorius de nova Sandecia, ſacerdos a religione & pietate memorabilis.

Fr. Gregorius a Sandecia.

Conv. Caliſſien. *Indid. Conv. 11. Mſcr. MSS. Poloni.*

XVII. Paulo poſt Joannes Gruſcinius, Archiepiſcopus Gneznenſis, Fratribus addictiſſimus, ſpatioſam aream dedit Fratribus cum vicinis hortis prope mœnia Civitatis Caliſſienſis, ibique ſolido, etſi lento opere, Conventus ſub titulo ſanctæ Annæ ab ipſo inchoatus, ſub annum MCCCCLXXXVI. finem accepit. Hic requieſcunt Ambroſius de Clodana ſacerdos, Joannes de Voynicia diaconus, Magiſter Artium, qui propter ſummam humilitatem ad ſacerdotium numquam voluit promoveri. Uterque vir pius & perenni dignus memoria.

Ambroſius de Clodena. Joann. de Voynicia.

* *al.* Helbrunen. Conv. Helprinen. reformatur.

XVIII. Suſcitatis quibuſdam laxioris vitæ ſcandalis & diſcordiis in oppido Helprin * diœceſis Herbipolenſis, Fridericus Comes Palatinus Rheni, & oppidi Communitas impetrarunt hoc anno a Paulo Pontifice, ut tam Cœnobium ſancti Franciſci Patrum Conventualium, quam Clariſſarum Monaſterium reformarentur opera Fratrum Obſervantum. Et eodem tempore fundatum eſſe pro eiſdem Obſervantibus Conventum Keilhemenſem in Bavaria ad confluentes Danubii & Altmoniæ, ſub Alberto Duce, habent Metropolis Salisburgenſis, & antiquus libellus MSS. Provinciæ Argentinæ, ſed celeriora dedimus ex Gonzaga principia.

Conv. Keilhemen. *Metropol. fol. 217. To. 18. an. 1454. n. 79.*

Conv. Kilcreanus. *Monum. MSS. Prov. Hibern.*

XIX. In Hybernia & diœceſi Corcagienſi, extructus eſt hoc anno pro Fratribus Obſervantibus Conventus Kilcreanus, prope flumen Brigid in territorio de Muſgruy VIII. M.P. a Corcagia. Auctor Cormacus Mac Carta Muſgruyenſium Dominus. Adhuc extat, nullas ferme paſſus, uti reliqui Conventus, hæreticorum injurias. Anno MDCXIV. obligarunt hæretici Angli Cormacum Mac Diarmada, illius territorii Dominum, ut ea lege locum ſub ſuam reciperet tutelam, ne tamen Fratres, qui frequenter illuc confluebant, & ſæpe antea commorabantur, deinceps permitteret illic habitare. Sepulturas ſibi iſthic poſuerunt plurimi viri nobiles illius diſtrictus, curaruntque ſemper locum conſervare indemnem ab inſultibus hæreticorum. Anno MDLXXXIV. in templum irruperunt milites Angli; ſed dum circa ſpolia duo contendunt, mutuis vulneribus perierunt. Anno MDXC. iterum irruentes, fratrem Matthæum Oleyn ſacerdotem, annorum LXVII. illorum furiam declinantem, & fluviolum tranſvadantem, lanceis crudeliter confoderunt. Hic ſepultus eſt Phelimæus Mac Carta ſacerdos, qui dum ſub habitu Tertiarii pie & devote magnam exerceret hoſpitalitatem, cum fratre germano rixatus, projecto in eum cultro interemit. Pœniturus, Ordinem Minorum poſt multas repulſas ingreſſus, gravem fratricidii reatum longo diluit corporis cruciatu, & bonorum operum ſatisfactione. In ejus morte viſus eſt totus ardere Conventus, & dum flammas extincturi occurrunt populi vicini, ſignum percipiunt cœlitus emiſſum piiſſimi viri in pace defuncti.

Fr. Matthæus Oleyn.

Fr. Phelimæus Mac Carta.

XX. In

Anno Christi	Paoli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 258.
1465.	an. 1. & 2.	anno 26.	

XX. In Capituli limine jacet frater Thaddæus Sulivanus, anno MDXCVII. die XVII. Septembris ſepultus, qui magnam Hyberniæ partem prædicando peragravit, multis ubique ad meliorem frugem converſis. Dermitius Grayus Epiſcopus Corcagienſis conſiliarium adhibuit, & in rebus arduis auxiliarem. Inſidiantibus hæreticis ſemel intrepide occurrit, dixitque: *novi vos, propoſitis præmiis, iſthuc miſſos ut me capiatis, expendite quid agatis: ſi Dei voluntas hæc eſt ut ego tradar vobis, ecce jam paratum.* Illi ad hæc attoniti, & Divina revelatione cuncta ſibi pateſacta ſuſpicantes, non ſunt auſi manus injicere, ſed liberum abire permiſerunt. Alias equites fugiens inſequentes, & ad quamdam Crucem perveniens, dixit: *Per ſignum Crucis de inimicis meis libera me Deus; nec patiaris ut ſacram hanc metam tranſiliant.* Exauditus eſt; nam licet adhuc in conſpectu eſſet, ultra Crucem proficiſci non potuerunt. Mortuum in quodam vico, ubi agricolis prædicabat, pii quidam viri jumento impoſuerunt ad hoc Cœnobium deportandum. Terra erat invia & noctis confundebat caligo, nec qua eundum eſſet quiſpiam ſciebat. Inito conſilio, decreverunt jumentum ſibi permitti, & inſequi præcedens. Ita factum, nulloque minante, recte per ignotas ſemitas ſtupidum animal ad Cœnobium duxit mirabundos. Ea ipſa nocte, propter metum hæreticorum dum traderetur ſepulturæ, viſum eſt inſolitum lumen ſupra templum, quod dum propius accedunt viſuri quidam Catholici, perceperunt cœleſti coruſcatione Viri ſancti cohoneſtari ſepulturam. Ibidem ſepultus eſt anno MCCCCLXXIX. Thomas Hieralajus Epiſcopus Roſſenſis, poſt multas ærumnas pro fide Catholica conſtantiſſime toleratas, & vitam ſanctiſſime peractam, mortuus in Muſcreana ditione. Compendium vitæ habes in Annaliſtis rerum Hibernicarum. Fr. Thaddæus Sulivanus.

XXI. Circa hunc annum Monaſterium Clariſſarum Cordubenſe, a ſancta Cruce nuncupatum, fundatum eſt, ſi verum eſt, quod habet Gonzaga de conceſſis indulgentiis Eccleſiam prædicti Monaſterii viſitaturis. Fundatricem aſſerit Tereſiam a Zurita, cui maritus Petrus a Rivis magnas reliquit facultates, ex quibus illa Monaſterium a fundamentis conſtruxit & plene dotavit. Monaſt. Corduben. *Gonz. in Prov. Granat. Min. c.*

XXII. In urbe Ticinenſi, ad parochiam ſancti Juventii habitabant nonnullæ Sorores Tertii Ordinis, quæ ſe voto obſtrinxerunt ad ſubeundum ſanctæ Claræ Inſtitutum; his accedebant aliæ juvenculæ ejuſdem propoſiti, quæ collatis facultatibus ad conſtruendum ſanctæ Claræ Monaſterium ea in Civitate, in qua nullum præerat hujus Inſtituti, cum Tertiariis conſpirarunt. Facultatem conceſſit hoc anno Paulus Pontifex: *Ut quælibet ſacra Religio.* v. Nonas Martii. Statim autem Abbatem ſancti Donati de Sexto Papien. cui litterarum Apoſtolicarum executio commiſſa eſt, omnia peregiſſe conſtat ex Bulla Pontificis, data anno ſequenti, in qua quid actum ſit, refert, declaratque electionem Abbatiſſæ debere fieri, uti in reliquis Monaſteriis, & confeſſarium deputari debere in Capitulo Provinciæ Januenſis. Monaſt. Ticinen.

XXIII. Antiquum erat Monaſterium Clariſſarum in oppido .... diœceſis Conſtantienſis, ſub Miniſtro Provinciæ Argentinæ, vulgariter *Bicken* nuncupatum, ſubintrarunt quædam Tertiariæ, quæ ad Clariſſarum vota tranſire cupientes, Monaſterium reſtaurare intendebant. Annuit hoc anno Pontifex, ſcriptis litteris ad Epiſcopum Conſtantienſem. Monaſt. Bicken. *Ex l. 2. de Regul. an. 1. fol. 258.*

XXIV. In Hibernia vir nobilis Robertus Biſſed, Dominus loci de Glenderma, diœceſis Coneren. dedit Fratribus Tertii Ordinis quemdam locum in dicto Glenderma, ut ſibi domicilium ædificarent. Illi, conſentiente Ordinario, & vigore quarumdam litterarum Apoſtolicarum quoddam Domus Fratrum Tertii Ordinis de Glenderma. *Ex l. 3. de Regul. an. 1. fol. 11.*

conſtruxerunr Oratorium, in quo per aliquot annos Deo ſamulati, hoc ipſo petierunt a Pontifice licentiam illud erigendi in domum conventualem, & obtinuerunt. Miniſtri apud eos fungebatur munere frater Robertus de Biſſed, primi donatoris conſanguineus.

Monum. MSS. Domus S. Agnetis Cracoviæ, Sororum.

XXV. Poloniæ in Civitate Cracovienſi tria erant hoc tempore Sororum Tertii Ordinis receptacula; primum ſanctæ Agnetis ad Viſtulam fluvium, & Pontem regalem, *Stradomia* nuncupatum. Secundum in altera parte plateæ ex oppoſito ſanctæ Agnetis. Tertium Caſimiriæ. Ac ſanctæ Agnetis quidem clauſtrum a Gabriele Veronenſi incluſas habet nobiles Virgines, quæ communem vitam in paupertate ducunt abſque ulla prædiorum acceſſione. Fundator fuit Hincza Caſtellanus Sandomirienſis. Anno MDLVIII. igne conſumptum refecerunt Joannes Nouczbach Canonicus Cracovienſis, præcipuus Monaſterii benefactor & alii, ita ut ſub annum MDLXVIII. inſigne evaſerit virginum quinquaginta collegium, per omnem Poloniam celeberrimum. Secundum & tertium clauſuram non admittebant, optimæ tamen & irreprehenſibilis vitæ ſemper exempla dederunt, rationem victus de labore manuum ſuarum quærentes, ſuperioribus Ordinis obedientiſſimæ. Congeſtam de laboritio pecuniam unaquæque ſervabat, & poſt obitum in pia legata convertebat, aſſentientibus confeſſario & ſuperioribus. Civibus erant cariſſimæ; nam moribundis ægrotiſque aſſiſtebant, & proinde *Matres infirmorum* appellatæ. Tamdem decurſu temporis utrumque domicilium finem accepit.

Domus aliæ duæ Cracovienſes.

Domus Belgicæ.

XXVI. Hujus Inſtituti Sorores in pleriſque Xenodochiis & infirmorum hoſpitalibus pie & laudabiliter inſerviebant in Belgio, ſub obedientia Fratrum Minorum de Obſervantia, & Vicarii Provinciæ Franciæ. Multa eis conceſſerunt privilegia Nicolaus V. Pius II. eaque rata voluit hoc anno Paulus, recenſitis hoſpitalibus, & præſcripto habitu Sororum: *Devotionis & ſinceritatis*. pridie Idus Septembris.

Monaſt. Metymnæ Pomarii.

XXVII. Leonora de Velaſco Abbatiſſa Clariſſarum Monaſterii Metymnæ Pomerii, diœceſis Burgenſis, filia nobilis viri Petri de Velaſco Comitis de Haro, dictæ domus fundatoris, nimis onerata adventantium Virginum multitudine, rogavit, ut Monialium numerus contraheretur ad quadragenarium. Votis Pontifex aſſenſit. Ut in Monaſterio Corporis Chriſti Ferrarienſi eſſent tantum quinquaginta, conſtituit Marcus Vicarius Generalis. Sororibus Monaſterii ſanctæ Claræ Bobienſis, Tertii Ordinis, omnia & ſingula conceduntur privilegia & gratiæ quomodolibet conceſſa Sororibus quibuſvis ejuſdem Inſtituti, ſub regimine Fratrum Minorum de Obſervantia degentibus.

Monaſt. Ferrarien.

Monaſt. Bobien.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Diplomata expedit.

„ I. VAria & diverſa emanarunt a ſummo Pontifice diplomata hoc
„ anno: III. Idus Januarii pro Fratribus Tertii Ordinis S. P. Fran-
„ ciſci Mediolani, de Domo ſeu Congregatione Conſortii nuncupatis,
„ extant litteræ: *Humilibus ſupplicum &c.* expeditæ. Ad Eleonoram Ab-
„ batiſſam Medinæ *de Pomar*, ſeu Methymnæ Pomerii: *Votis illarum &c.*
„ XIX. Kal. Februarii. Conceſſa vero indulgentia pro Eccleſia Monialium
„ ſanctæ Eliſabethæ, Brixienſis Civitatis: *Immenſa Dei &c.* III. Kal. præ-
„ fati menſis; apud Scotos in Civitate ſancti Andreæ loci Antiſtitem, Regni
„ Primatem, ad preces fratris Roberti Cleythii, filii Comitis Merchalen-
„ ſium, qui Franciſcanam humilitatem, cum litterarum ſcientia & claritate

ſan-

Anno Christi 1465.	Pauli II. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 258.

„ ſanguinis conjunxerat, intra urbis mœnia Conventum fundaſſe pro Fratribus Regularis Obſervantiæ, referunt Annales ſub anno MCCCCLVIII.
„ Verumtamen fundationis illius diploma nonniſi hoc anno ab Apoſtolica Sede proſiliit, quo Henrico Epiſcopo eum conſtruendi apud ſanctum Andream *Berochcem* in præfato Scotiæ Regno: *Intenta continuæ &c.* IV. Kal. Aprilis, licentiam fecit: Monaſterium autem ſancti Dominici ſub regula ſancti Auguſtini extra muros Narniæ urbis in Umbria, & Sabinorum finibus ad Narem amnem, Fratribus de Obſervantia conceſſum eſt per breve: *Sacræ Religionis &c.* VIII. Idus ejuſdem menſis; Sarthiani oppidi in Etruria, Cluſio vetuſtæ Civitati vicino, Cœnobium, quod paulo ante frater Ludovicus Senenſis reformaverat, Conventualibus reſtituendum fuit per breve: *Expoſitum nobis &c.* pridie Idus ejuſdem. Extra muros Ferulæ oppidi, dioceſis Syracuſanæ in Sicilia, Petrum Moncadam loci Dominum Obſervantibus Conventum extruxiſſe, in annum ſequentem rejiciunt Annales: attamen illius ædis Fratribus hoc anno recipere quædam paramenta indultum eſt: *Piis fidelium &c.* VII. Kal. Julii; Monaſterio Sororum Tertii Ordinis Gabiani, Lucanæ diœc. poſſe uti privilegiis conceſſum eſt: *Digna reddimur &c.* VI. Nonas Julii; & Monialibus beatæ Mariæ Montis-Lucidi, Peruſinæ diœceſis, circa nonnulla bona reſcriptum eſt: *Significarunt nobis &c.* IV. Nonas præſati: & IV. Idus ejuſdem circa controverſiam inter Conventuales & Obſervantes *de Carrion*, Palentinæ diœceſis, qui ultimi occupaverant Conventum ſancti Franciſci, primis ut reſtitueretur: *Humilibus ſupplicationibus &c.* quemadmodum etiam Annales ſub anno ſequenti referunt: favit etiam Pontifex fabricæ Conventus ſancti Pauli Bononiæ: *Merita veſtra &c.* X. Kal. Auguſti. In Allobrogibus Galliæ Narbonenſis eſt Gratianopolis Civitas Epiſcopalis ad Hiſaram fluvium, qui ſuburbium ab urbe dividit, & pons lapideus miræ ſtructuræ illi connectit. Montes prærupti, ad quorum radices in plano ſita, Parlamento cohoneſtatur, nec longe abeſt a Carthuſia, Cœnobio Carthuſianorum celeberrimo, illi imminent optime munitæ, & mediæ inter Lugdunum, & Vapineum ſeu Vapinguum, vulgo *Gap*: hanc urbem prope & Eccleſiam *de Eſſone*, habito aſſenſu Capituli, & a Pontifice Nicolao V. facultate, Ludovicus Delphinus, Regis Caroli VII. filius, Obſervantibus Cœnobium conſtruere ſtatuerat: ſed hujuſmodi pia vota ſuo effectu caruiſſe apparet, cum pro hujuſmodi conſtructione Conventus, novum diploma hoc anno expeditum fuerit: *Piis fidelium &c.* VI. Kal. Auguſti. Martinum V. tribus Religioſis Tertii Inſtituti S. P. Franciſci poteſtatem feciſſe ædificandi ſibi domum prope ædiculam neglectam ſancti Mauritii, ad quintum lapidem a Civitate Caſalis in Lombardia, & in territorio Conzani oppidi, loco ſolitario, nemoroſo & peramœno, oſtendit clare Waddingus ad annum MCCCCXIX. quibus deficientibus, ait Gonzaga, ſucceſſiſſe Obſervantes anno MCCCCXIX. quod abſurdum eſt; oporteret enim Tertiarios inchoaſſe & defeciſſe eodem anno: ſed cum hoc anno MCCCCLXV. indicetur: *Et ſi ex debito &c.* VII. Idus Auguſti, circa ædificationem domus de Callero, de Conzano ab Angelo Padino, circa id temporis Obſervantes Tertiariis ſucceſſiſſe poſſunt. Dimiſſo ad Magiſterium fratre Valerio Alexandri: *Sedis Apoſtolicæ &c.* VIII. Kal. Octobris; XII. Kalendas Decembris ſummus Pontifex privilegia & exemptiones Ordinis confirmavit, ut copia brevis tenoris ſubſequentis oſtendit.

Harol. ad annum 1418. n. 12.
Indic. ex Vatic.
Harold. ad ann. 1563. n. 21.
Ex Copia.
Harold. ad ann. 1466. n. 4.
Ex Vatic.
Harold. ad ann. 1466. n. 9.
Ex Vatic.
Vid. Wadd. ad an. 1447.
Ex Vatic.
Wadd. ad ann. 1419.
Ex Vatic.
Harol. ad ann. 1111. n. 6.

PAU-

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Confirmat privilegia Ordinis.

II. INter ceteros Ordines in agro Domini plantatos, ſacrum Ordinem Fratrum Minorum, fuit exigentibus meritis, gerimus in viſceribus caritatis; & ad ea vigilanter intendimus, ac opem & operam efficaces impertimur, per quæ ſtatus ejuſdem Ordinis ad Divini Nominis gloriam, & exaltationem Catholicæ Fidei proſperis ſemper afflaat ſucceſſibus; & iis, quæ præfato Ordini & ejus Fratribus per prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices conceſſa ſunt, libenter, cum a nobis petitur, munimen adjicimus firmitatis.

Cum, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Franciſci de Savona, Ordinis Fratrum Minorum Generalis, in Theologia Magiſtri, petitio continebat, quod plures Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, diverſa privilegia ſub diverſis formis eidem Ordini illiuſque Fratribus hactenus conceſſerunt, & propterea dictus Generalis pro pace & quiete Fratrum ejuſdem Ordinis ſummopere deſideret, illa per eamdem Sedem Apoſtolicam approbari, ut Ordo ipſe ac illius Fratres dictæ Sedis fulciti præſidiis, devotius & quietius vota ſua Altiſſimo exſolvere poſſint.

Eapropter Generalis ipſe nobis humiliter ſupplicavit, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus & immunitatibus Ordini prædicto & illius Fratribus conceſſis, pro illorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, illaque juxta formas eorum obſervari mandare, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur attendentes fructus ſalutares, quos Ordo ipſe in Eccleſia Dei hactenus produxit & producit in dies, ac ſperantes quod de bono in melius perſeveret, & propterea volentes, quod hujuſmodi privilegia, exemptiones, libertates, ſublatis quibuſvis dubietatibus & diſpendiis, firmiter obſerventur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, omnia & ſingula privilegia, exemptiones, libertates & immunitates, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros, ipſi Ordini, ſub quacumque verborum forma hactenus conceſſa, illorum tenores, necnon nomina dictorum Pontificum, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus inſererentur, pro expreſſis habentes, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, ex certa ſcientia confirmamus & approbamus, ac plenam firmitatis robur obtinuiſſe & obtinere decernimus, necnon irritum & inane quidquid ſecus a quoquam, quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Ex nova Collect. privileg. Roder. fol. 135.

Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus illis, quæ dicti prædeceſſores in eiſdem privilegiis voluerunt non obſtare, etiamſi de illis & eorum tenoribus, per præſentes deberet haberi de verbo ad verbum mentio ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo hominum liceat &c. Datum Romæ apud ſanctam Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXV. XII. Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno II.

Sub eadem data ſunt litteræ Apoſtolicæ declarantes, neminem Fratrum adſiſtentium Cardinalibus eximi ab obedientia ſuorum Superiorum: *Ex fide digna &c.*

III. Si-

Anno Christi 1465.	Pauli II. an. 1. & 2.	Friderici III. Imp. anno 26.	Religionis Minorum anno 258.

„ III. Silesiæ Provinciam olim Visburgiorum & Quadorum, Viadro „ fluvio irrigatam, cum Regularis Observantiæ Fratres penetrarent, te„ nentesque Wratislaviam, vulgo *Breslavv* urbem Metropolim, sua vitæ „ sanctimonia gentes ad virtutes allicerent, Illustris. Heros Joannes Dux „ de Sagano, Dominus in Glogovo majore, pro singulari suo affectu in „ eos, & eximia devotione in S. P. Franciscum, R. P. fratri Francisco de „ *Budissin* Vicario Provinciali, extra Glogoviam suam Civitatem ad Via„ drum, in diœcesi Wratislaviensi ad Fortalitium in confinio contra Polo„ nos, locum suum Ducale, castrum pro Cœnobio construendo obtulit, ac „ in eodem hoc anno MCCCCLXV. die festo sanctorum Mauritii & Socio„ rum ejus Martyrum, ædis lapidem fundamentalem, sub patrocinio san„ ctorum Apostolorum Petri & Pauli, necnon sancti Bernardini, magna „ cum pietate jecit, opusque pia & majori liberalitate prosequutus est: „ quo tempore pariter facta sibi licentia a summo Pontifice Paulo II. *Hu„ nyade* Cœnobium pro iisdem Fratribus Observantibus, Illustrissima Co„ mitissa Elisabetha uxor Joannis Corvini fundavit, ut Provinciæ sancti „ Salvatoris in Hungaria monumenta testantur. In Provincia Mediola„ nensi Observantum, Yporegiense Cœnobium celerrime consummatum, „ ut alibi dicebamus, cum magno Sacello, ideſt Ecclesiæ primæ, accessissent „ juxta artis Architectonicæ leges, plurium Nobilium illius urbis singula„ ria Sacella cum suis monumentis, evasissetque opus in magnificam Basi„ licam, undequaque consummatam & ornatam; imo cum etiam ad latus „ sinistrum Ecclesiam ingredientibus, ad honorem sancti Josephi peculiari „ devotione, & non parvis expensis adfabricata esset perpulchra, sed „ minor Ecclesiola; spiritualem in Domino cordis lætitiam dum communis „ Civium pietas adaugeret, urbis Antistitem movit, ut, sicut primo eam „ magnam Capellam consecraverat, ita nunc secundo incrementa ad eam„ dem solemni & Catholico ritu consecraret; itaque quinto Idus Aprilis „ Civium cujusvis Ordinis, ætatis & sexus, necnon convicinorum popula„ rum concursu, idem Joannes de Parella, consueto more sanctæ Matris „ Ecclesiæ, novo consecrationis beneficio, omnium votis satisfecit: rem „ paucis explicat lapis marmoreus parieti ad latus sinistrum ingredientibus „ Basilicam infixus, his verbis:

Chron. MSS. Prov. Sanctiſ.

Elisabeth uxor Corvini fundat Convent.

Mon. MSS. Provin. S. Salvat.

Vide ſupra ad annum 1457.

„ *Reverendissimus in Christo Pater, & Dominus Joannes de Parella, „ ex Comitibus S. Martini, Yporegiæ Episcopus dignissimus & Comes, con„ secravit hanc Ecclesiam sub titulo S. Bernardini Ordinis Minorum, cum „ maximo honore, & ingenti populorum concursu, summa etiam cunctorum „ lætitia & exultatione. Consecravit quoque Altaria quatuor: primum in „ Capella, quæ est versus Occidentem sub titulo gloriosæ Virginis Mariæ: „ secundum in Capella illi contigua sub titulo S. Mariæ Magdalenæ: tertium „ in Capella, quæ est ad medium Ecclesiæ versus Septentrionem sub titulo „ S. Francisci, & S. Antonii de Patavio: quartum in Capella, quæ est versus „ Meridiem sub titulo S. Ludovici Episcopi & Confess. Ord. Min. S. Claræ „ Virg. & S. Barbaræ Virg. & Mart. Hæc autem acta sunt anno a Nati„ vitate Domini 1465. 5. Idus Aprilis; Guardiano existente fratre Gabriele „ de Prato Bovino Ordinis Minorum, qui ad perpetuam memoriam scriptu„ ram istam fieri fecit, ut nulla dies unquam memori rem eximat ævo.*

„ *Altare majoris Capellæ jam antea per annos, ideſt 1457. tertio nonas „ Februarii, idem Episcopus consecraverat sub titulo S. Bernardini, cum Cœ„ meterio eidem Capellæ contiguo: posuerat quoque idem venerabilis Ponti„ fex*

„ *fex lapidem primarium ad fundamentum Baſilicæ anno* 1455. 18. *Kalendas Octobris, quo die hujus Cœnobii ſtructura cœpit, & lapis crevit ſuper* „ *lapidem. Laus Deo.*

Vide ſupra ad annum 1457. & ad annos 1466.

„ Ita litteris Gothis exaratum legitur in præmemorato lapide. Hic autem (licet minus ad rem noſtram) non gravabor notare præfatum Antiſtitem Joannem de Parella ultimum fuiſſe, qui ad eas Inſulas a Canonicis illius Cathedralis capitulariter congregatis electus fuerit; etenim ſubinde ex conceſſione Apoſtolica, jus eligendi Principi devolutum eſt.

ad ann. 1442.

„ IV. De Conventu Trivilii, Oppidi in Mediolanenſi Ducatu fundatione cum ſuo tempore dixerimus, ut ejuſdem conſecrationis Eccleſiæ „ memoriam faciamus, pia ratio, licet quidpiam in Annalibus de eadem „ legatur, expoſtulare videtur: cum igitur præfati Eccleſia Conventus „ manum ultimam ab Oppidanorum pia liberalitate accepiſſet, hoc anno „ juxta conſuetum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ morem, cum ſuo majori Altari

Eccleſia Trivilii conſecratur.

„ ſolemniter conſecrata fuit, quodam Patre Placido Guardianum loci „ agente, ut ſubſequentis tenoris publicum inſtrumentum docet.

„ *Anno* MCCCCLXV. *die* XV. *Septembris, indictione nona, conſecrata* „ *fuit hæc Eccleſia Fratrum Minorum apud Trivilium cum Altari majori ad* „ *honorem, & gloriam omnipotentis Dei, & gloriosæ ejus matris Virginis* „ *Mariæ, ſub titulo & vocabulo Nuntiatæ: in quo Altari reconditæ fuerunt* „ *reliquiæ ſanctorum Thomæ Apoſtoli, Coſmæ vel Damiani, & ſancti Gau-* „ *dentii Confeſſoris, & Epiſcopi Brixienſis: Quæ quidem Eccleſia cum Al-* „ *tari prædicto conſecrata fuit per R. in Chriſto Patrem Dominum Pagani-* „ *num de ſancto Paulo, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopum Dulcinen-* „ *ſem, de licentia oraculo vivæ vocis conceſſa per venerabilem Dominum* „ *Presbyterum Simoninum de ſancto Peregrino, Vicarium venerandiſſimi Do-* „ *mini Joannis de Bailotis de Novaria, Præpoſiti Eccleſiæ ſancti Joannis* „ *Evangeliſtæ de Pontirolo, tempore regiminis in ſpiritualibus reverendiſſi-*

Ex hiſt. M. SS. Cohn. ad annum 1441.

„ *mi Domini Stephani de Forlivio Archiepiſcopi Mediolani, ac venerabilis* „ *fratris Placidi hujus Conventus Guardiani, in temporalibus vero Illuſtriſ-* „ *ſimi D. Fr. Sforliæ Ducis Mediolani. Huic conſecrationi interfuerunt* „ *dictus Guardianus, Presbyter Lazarus de Cataneis, de Arſago, & Presby-* „ *ter Donatus de Frialdis de Rovato pro teſtibus.*

Marc. Ulyſſbron. p. 3. lib. c. 29.

„ V. Venerabilis ſervus Chriſti, Pater frater Alexius Hungarus, di-„ gnitate Sacerdos, Vir ſanctiſſimus, Wratislaviæ initiatus, multis ful-„ gens miraculis, Bithi Civitatis Sileſiæ, in Conventu ſancti Nicolai ter-„ tio decimo Provinciæ Boemiæ; hoc anno clarebat: ſepultus in loco *Be-* „ *ton*, & Capella ſanctæ Crucis, cui in Martyrologio Franciſcano XXVII.

Artatus in Martyrol. ad diem 27. Julii. Bzovius ex Mon. Ath. S. Provincia Poloniæ.

„ Julii dicata eſt: plurimum etiam commendant P. fratrem Ambroſium de „ Clodana Sacerdotem, ob vitæ ſanctimoniam, Monumenta Polona: cu-„ jus corpus in Conventu ſanctæ Annæ Caliſſii, undecimo Provinciæ Po-„ loniæ requieſcit, poſtquam floruit anno MCCCCLXV. Pridie nonas Julii.

Fr. Hieronimus a Florentia.

„ Thomas vero Mantuanus in ſuo Catalogo Sanctorum & Beatorum Ordi-„ nis, Hieronymum a Florentia meritis & virtutibus clarum commemo-

Martyr. Fr. 2. edit. fol. 557. col. 2. d. e.

„ rat. Petrus a Pegna ſollicitus propagator Regularis Obſervantiæ in „ Hiſpania, ipſe ſui inſtituti religioſiſſimus obſervator & cuſtos, ac proin-„ de vita & moribus omnibus commendabilis, Provinciæ Caſtellæ Vica-„ rius, multis perfunctus laboribus, quibus merita plurima ſibi cumulave-„ rat, eodem in munere, quod egregie ſuſtinebat, Compluti ſanctiſſime „ e vita diſceſſit anno MCCCCLXV. ibidem ſepultus. Memoratur in Mar-

tyro-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 258.
1465.	an. 1. & 2.	anno 26.	

tyrologio Franciſcano II. edit. . Joannem Anconenſem, Virum in Religione egregiarum virtutum, quamplurimis Divinis ac ſpiritualibus chariſmatibus a Chriſto Jeſu dotatum, Anconæ naturæ debito perſoluto, ad Aſtra hoc item anno tranſiviſſe, Julius Magnanus enarrat. Ludovicus a Monte Falcone, Tertii Ordinis S. P. Franciſci alumnus, in magna victus & veſtitus voluntaria auſteritate atque penuria, Evangelicarum virtutum ſollicitus acquiſitor, oratione plurimum proficiebat, & humilitate dum partas cœleſtes divitias cuſtodiret attente, in proximos caritate profuſus, eas in immenſum adaugebat: hac methodo ſanctiſſime vixit, ac tamdem ibidem in Umbria properavit ad Dominum hoc anno MCCCCLXV. *Jul. Magn. de Vir. illuſt. Ord. Minor.* *Bajard. ex Tab. 3. Ord. Magdalen. Auſtriace.*

VI. Ludovicus Sabaudiæ Dux, Amadei VIII. filius, Lugduni cum cecidiſſet ægrotus, die XXIX. Januarii, quæ fuit Martis, inter octavam & nonam horam matutinam, debitum naturæ ſolvit: ejus corpus Gebennam delatum, in Capella ſanctæ Mariæ ad Bethlehem, quam ſua Conjux Anna Cypria in Cœnobio Fratrum noſtrorum conſtruxerat, die VI. Februarii, cum habitu Minoritico humatum fuit, interioribus Lugduni in Eccleſia Cœleſtinorum ante majus Altare conditis. Sepulcro ſequenti Epitaphio inſcripto ab Andrea Rolando Vercellenſi Poeta. Ludovicus obit Lugduni.

Sunt quibus eſt animus ſublimia condere tantum,
Nominis æterni, quæ monimenta ſorent.
Non ſic Illuſtris Amadæus & hic Lodovicus,
Sabbatiæ primi conſtituere Duces.
Ille ſuum, hic nobis Cæleſtinenſibus hortum
Inſignem copiis, pomiferumque dedit.
Alter & hanc poſuit tanto ædem Principe natus,
Hic ubi fulgebat Regia celſa Patris.
Ad quid ea? ut populis ulla non laude minores
Perpetuum canerent hos meruiſſe decus.
Non ſed in hoc ſolum; ut votis penetrare liceret
Cælum & cælicolis thura Sabea dare.
O Pietas! Divum curavit uterque trlumphos:
Neuter ob id Divum de grege pulſus eat.
Exta tamen noſtri Lodovici hoc jure: Gebennis
Oſſa ad dilectæ Conjugis oſſa jacent.
Mille quadringentos ſex & decies ſex
Claudebat triſtis funeris atra dies.
Subtrahe ex eo numero decies ſex, annus erit, quo
Cæleſtinenſes hanc ſubiere domum.

Verumtamen in aſſignatione temporis Poeta erravit; nam hujus Principis deceſſus fuit, ut dicebamus, die XXIX. Januarii anno MCCCCLXV. ut docent antiqua Chronica Latina Sabaudiæ, quorum auctor ejus temporis erat. Antiquum etiam Martyrologium Eccleſiæ ſancti Franciſci Gebennæ, quod in Cœnobio Fratrum noſtrorum Chamberii ſervatur, in quo ita legitur: *Anno Domini* MCCCCLXV. XXIX. *Januarii in Civitate Lugduni obiit feliciſ recordationis Illuſtriſſimus Ludovicus Dux Sabaudiæ, & apportatus ad Conventum iſtum ſepultus eſt in habitu noſtro, in Capella ſua juxta Illuſtriſſimam Uxorem ſuam die ſexta Februarii; cujus anima requieſcat in pace. Amen.* *Guicen. cit. ſupr. in Ludovicum.*

VII. Quam zelaret Eccleſiæ Catholicæ unionem, palam oſtendit, dum

„ dum Patri Pontificatum Petri e Concilio Baſileenſe tenenti, ſupplex pe-
„ teret, perſuaderet ut renuntiaret, ut fecit; quod ſciens Nicolaus V.
„ eum pluribus privilegiis & gratiis exornavit; & quam pie vixerit & juſte
Pingon. & Guicenon. Sor. Hieronima Vid. Bzovius ex Tab. ſup. cit. „ Principatum adminiſtraverit, ipſa ejus vita ab inquinamentis aliena &
„ devotioni addicta manifeſtat.
„ VIII. Tabula tamdem Sanctorum Tertiariorum, Hieronymiani ex
„ Regno Siciliæ Viduam, meritis & virtutibus cumulatam migraſſe ad
„ Dominum hoc anno, ſexto decimo Kalendas Decembris, refert.

ARGUMENTUM.

Franciſcus Cremonenſis abſolvit rebelles Sedi Apoſtolicæ ab errore reſipiſcentes. Polonis datur peculiaris Commiſſarius. Inſtituuntur Epiſcopi. Conſtruuntur Cœnobia.

Ex l. 1. de diverſ. ann. 2. fol. 84. Franc. Cremonen. abſolvit Sedi Apoſtolicæ olim rebelles.

I. PRÆTER pauculas Epiſcoporum promotiones & aliquot domorum-ſtructuras nihil hoc anno ponderoſum occurrit. Franciſco Cremonenſi, viro docto & prudenti Regularis Obſervantiæ commiſſa eſt auctoritas abſolvendi incolas terrarum Jovis, Alviani, Guardei, & Atilliani ab excommunicatione, quam incurrerant, propter hoſtiles excurſiones in terras & ſubditos Apoſtolicæ Sedis, dum ipſi ab ejus obedientia deſciverant, & partes ſequebantur adverſas.

Mon. MSS. Polon.

II. Celebrata eſt hoc anno Congregatio Provinciæ Auſtriæ in urbe Uratislavienſi, aliquantulum diſſidioſa propter diſcordes animos Germanorum & Polonorum. Hi Conventibus & incolarum numero ſufficienter inſtructi, ſeparari cupiebant ab Alemannis & Sileſiis, penes quos major auctoritas, potiorque pars regiminis, non ſine aliorum æmulatione, longa ſerie perſeverabat. Conquerebantur Poloni, duriuſcule ſecum agi, univerſam nationem ab inviſis Alemannis contemni, Superiores in Poloniam profectos, non tam ipſorum incremento proſpexiſſe, quam incommoda multa intuliſſe, & ne creſcerent aut honorificentius florerent, clanculum ſtuduiſſe. Noluerunt itaque ad cœtum convenire, donec pactum eſt eos Commiſſario omnino committendos, neque Provinciales Vicarios in Poloniam tranſituros, aut quidquam ibi præcepturos, modo corpori Provinciæ adhærere vellent, & ad Comitia convenire. Coeuntibus ergo in conclave univerſis, confirmatus eſt in Vicariatu Jacobus de Glogavia major, & delectus eſt Evangeliſta de Lince Commiſſarius Poloniæ.

Polonis datur proprius Commiſſarius.

Alonum. MSS. Prov. Polon. Fratres Saxones cupiunt fundare in Pruſſia. Sed repelluntur. Cromer. lib. 26. rerum Poloniæ. Id conceditur Obſervantibus Poloniæ.

III. Sub iſtud tempus acceſſerunt ad Caſimirum Regem ad Gedanum, celeberrimum Pruſſiæ Emporium, conſiſtentem, aliquot Fratres Provinciæ Saxoniæ, petentes ſibi liceret Cœnobia inter Prutenos acquirere; quibus dum ille facultatem negaret, dicens Alemannos Polonis ſemper inviſos, non adeo conventuros cum Prutenis Poloniæ ſubjectis, ſibique ſuppetere ex familia religioſa Obſervantum plurimos patres, quibus Prutinam gentem committere poſſet inſtruendam. At illi minus reverenter & animoſius quam deceret Regis verba retorquentes, commiſſi ſunt Cuſtodiæ Uratislavienſi extra Pruſſiæ fines in Sileſiam tranſmittendi; magna enim oborta erat ſuſpicio miſſos hos alioſque a finibus Saxoniæ ad Magiſtrum Pruſſiæ, ut defectionem a Polonis ad Cruciferos, cum quibus Rex bellum gerebat, occulte ſuaderent. Egit deinde Rex per ſuum Legatum Jacobum Debinium cum Pontifice, ut facultatem concederet Poloniæ Obſervantibus per Pruſ-

ſiam

ſiam domicilia conſtituere. Atque ita factum eſt circa annum MCCCCLXX. adjutorio præſertim Vincentii Epiſcopi Culmenſis & adminiſtratoris Eccleſiæ Poſnanienſis.

IV. Paulo antea obiiſſe diximus fratrem Petrum de Fuxo Cardinalem Albanenſem, Sedis Apoſtolicæ in urbe Avenionenſi aliiſque partibus annis multis Legatum. Hoc anno Gaſto de Fuxo Princeps Navarræ, Petri nepos, egit cum Paulo Pontifice, ut inſigne Collegium Fuxenſe, Toloſæ a patruo erectum, multiſque privilegiis ab Eugenio IV. Nicolao V. & Calixto III. munitum, amplius ſtabiliret, novamque adjiceret firmitatem ſtatutis & ordinationibus a Cardinale pro bono Collegii regimine præſcriptis. Ut omnia mature fierent, & ſuis legibus Collegium ſubſiſteret, rei prudenter perficiendæ Commiſſarios Pontifex inſtituit Epiſcopos Aduren. & Oloren. & Officialem Toloſanum.

Ann. 1464. n. 19. Collegium Toloſanum Fr. Petri Cardinalis. Amplius ſtabilitur.

Ex l. 4. de diverſ. ann. 2. fol. 121.

V. Translatus eſt hoc anno vel præcedenti, frater Elias de Vicecomitibus de Bourdeille ab Epiſcopatu Petragoricenſi (ad quem alias diximus promotum) ad Archiepiſcopatum Turonenſem, per translationem Gerardi ad Valentinam & Dienſem unitas, XVII. Kalendas Junii. Inſtitutus eſt Epiſcopus Biſacien. in regno Neapolitano, ſub Archiep. Conſano, Ludovicus a ſancta Cruce, per obitum Siſini, Nonis Julii. Themopolitanus in Græcia, ſub Archiep. Athenarum, frater Joannes de Hemburg, Baccalaureus in Theologia, per obitum Petri, XI. Kalendas Decembris.

Fr. Elias Arch. Turonen. Tom. 11. *ann.* 1417. *n.* 35.

Fr. Ludov. Epiſc. Biſacien.

VI. Hoc anno initum acceperat Eccleſia ſanctæ Mariæ de Pace, prope portam Tonſam urbis Mediolanenſis. Cum enim Stephanus de Forolivio Archiepiſcopus Mediolanenſis, Amadeo Luſitano (de quo largius ſupra diſſeruimus) addictiſſimus & familiariſſimus, eo loco paulo antea parvam ei dediſſet Eccleſiam SS. Apoſtolorum Philippi & Jacobi, ſtatuit Vir Dei majorem & venuſtiorem reddere, & humile contiguum habitaculum in commodum permutare Cœnobium. Collectis itaque variis eleemoſynis, adjutus munificentia Galeatii Mariæ Sfortiæ Ducis, prædictique Archiepiſcopi, præſentibus Duce, Magiſtro Franciſco Maria Provinciæ Mediolanenſis Miniſtro, & magna nobilium populique multitudine, præmiſſa Pauli Pontificis licentia, novæ Eccleſiæ jecit Archiepiſcopus fundamenta die XXIX. Octobris. Ea exurrexit mole & majeſtate, iiſque accrevit ornamentis, ut inter optimas totius Sodalitii poſſit connumerari. Acceſſit capaciſſimum & nobiliſſimum Fratrum domicilium, omnibus numeris abſolutum. Valetudinarium commodum, aromatarium abundantiſſimum, bibliotheca optime inſtructa, ſacrarium ſuppellectile argentea, paramentis pretioſis refertum. In Eccleſia ſacella ſunt egregie fabricata quindecim, & multa nobilium mauſolea. In aula capitulari ſepultus eſt Marchio Aimontanus, ſtatus Mediolani pro Philippo II. Gubernator. In templo præ reliquis jacent Franciſcus Craſſus, Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in Septiſolio, deinde tituli ſanctæ Luciæ presbyter, Mediolanenſis, a Pio IV. creatus. Joannes Baptiſta Bagerotus Epiſcopus Bobienſis, & Comes, & Magdalena Borgia, Candiæ Ducis filia, quorum hic exhibeo Epitaphia.

Conv. Pacis Mediolani. *Ann.* 1464. *n.* 30.

Franciſco Craſſo, Petri Antonii filio I. C. Advocato fiſci, Præfecto rerum capitalium, Senæ Prætori, Urbini tertio Magiſtro, quæſturæ ordinariorum Senatori, Conſiliario, Principali Quæſtori, Præfecto urbis Senarum & Bononiæ, Cardinali, qui vixit annis LXVI. *mortuus eſt Romæ Kalendis Septembris anno* MDLXVI. *& in monumentum Cellæ hujus, quam divo Franciſco vivens fecit, inferri voluit. Petrus Antonius & Hyppolitus parenti optime merito PP.*

VII. Epiſcopus poſito ſibi, dum viveret, ſepulcro anno MDXIX. ſolum hæc verba incidi curavit: *Ne quid expectes ab amicis, quod tu per te agere poſſis*. Heroinæ Borgiæ prope portam, qua itur ad clauſtrum, hæc habetur memoria.

Magdalenæ Borgiæ Franciſci Candiæ Ducis filiæ, & corporis & animi nobilitate vere Principi, cui dum partum primum ederet, extremum ſpiritum edendi juſti mores, præſtunſque diſciplina duces in cœlum fuere. Innicus Velaſcus Comes Haro Jo. Fer. Comeſtabilis Caſtellæ, Securii Ducis & Mediolani Gubernatoris fil. poſt obitum etiam Mariæ Franciſcæ dulciſſimæ filiolæ, qua in ſolatium auctus fuerat, monumentum mortuæ uxori, mortuæ infanti, mortis quoque memoriæ mortalis poſuit, mortaleque quod ambarum erat, in hoc templo ſervari, donec in Hiſpaniam deferretur, juſſit anno CIↃ. IↃ. XCVIII.

VIII. Secundum clauſtrum, Eccleſiæ contiguum, egregiis picturis vitæ & actorum ſancti Franciſci ornavit Innicus Velaſcus, prædictæ Borgiæ conjux, cujus monumentum ibidem his verbis exaratum eſt.

Numini, Sanctitatique Divi Franciſci devotiſſimus Innicus Velaſchius Comes Haro Jo. Ferd. Comeſtabilis Caſtellæ, Securii Ducis & Mediolani Gubernatoris fil. pietatis ſtudio incenſus, quod in Cœnobii hujus Sacerdotibus flagrantiſſimum eſſe cognovit, dum ſumma aſſiduitate Deum precati ſunt pro æterna ſalute & gloria amantiſſ. & pientiſſ. conjugis Magdalenæ Borgiæ Franciſci Candiæ Ducis fil. cujus cadaver in proxima æde repoſitum fuit, donec patrio conderetur ſepulcro, Porticum hanc pia vita & miraculis ejuſdem ſanctiſſimi viri exornandam mandavit an. CIↃ.IↃ.XCVIII.

Claudius Medulla.

IX. Hinc prodierunt multi viri illuſtres; paucos hujus noſtri ſeculi recenſeo. Claudium Medullam, qui per omnes munerum gradus tamdem pervenit ad Vicariatum Generalem totius Ordinis, quo per triennium functus eſt. Miſſus a Gregorio XIII. Commiſſarius Apoſtolicus in Belgium, cum poteſtate Legati a latere ad reformandos Eccleſiaſticorum abuſus, Parmenſi Principi Alexandro, Belgarum Gubernatori fuit a Conſiliis, ſuaſorque acerrime propugnandæ fidei Catholicæ. Optimis dotibus inſignitus obiit hoc in loco anno MDCXIV. die XIV. Aprilis.

Evangeliſta Gabbianus.

Evangeliſtam Gabbianum, qui poſt omnes gradus honorum in ſua Provincia, factus eſt Vicarius Generalis Franciſci Belgiojoſi, totius Ordinis Miniſtri, Guardianus Hieroſolymorum, Ordinis Procurator in Curia Romana, demum Commiſſarius Generalis familiæ Ciſmontanæ: obiit Martiliæ rediens ex Comitiis Generalibus Salmanticenſibus anno MDCXVIII.

Benedictus Cinquanta.

Benedictum Cinquanta, & Benedictum de Doctis ejuſdem Provinciæ Miniſtros; penultimus, ſumma induſtria magniſque expenſis Templum & Cœnobium egregie reſtituit, auxit, ornavit. Imaginem beatæ Virginis a Pace, a filio humiliter ſupplicantis, ut ſtatui Mediolanenſi, bellis attrito, optatiſſimam redderet pacem, veſte ubique hoc nomine *Pax Pax*, grata varietate conſperſa, quam beatus Amadeus devotiſſime in pariete pingi curavit, & quæ per annos multos pone iconem chori delituit, ad Altare majus auro & gypſo ornatam transferri curavit. Magna a civibus colitur reverentia, editis per eamdem plurimis miraculis.

* *al.* Joii. Conv. Johyæ.

X. Hoc anno incolæ terræ Johyæ * diœceſis Caputaquen. in regno Nea-

Anno Christi 1466.	Pauli II. an. 2. & 3.	Friderici III. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 259.

Neapolitano, quod diu exoptarunt, ſed propter bellorum diſcrimina perficere non potuerunt, domum Fratrum Obſervantum ſub titulo ſancti Franciſci non procul ab oppido extruxerunt, & Vicario provinciæ Terræ Laboris tradiderunt. Ratum habuit factum Paulus Idibus Junii. Similiter conceſſit civibus Albinganen. in Ligurica maritima, facultatem ædificandi domum alteram pro eiſdem Obſervantibus, ſub invocatione ſancti Bernardini x. Kalend. Aprilis. Falſa eſt itaque illa quorumdam apud Gonzagam traditio de fundata hac æde per ſanctum Bernardinum, & poſtea ab ejus nomine appellata.

Genz. in Provin. Princip. Conv. 20. Lib. 1. de Regular. & præb. an. 2. fol. 41.

Conv. Albinganen.

Lib. 2. de diverſ. an. 2. fol. 276. Genz. in Provin. Genuæ Conv. 14.

XI. In Sicilia prope oppidum Adernionis, diœceſis Catanien. nobilis vir Joannes Thomaſius de Moncata, Comes Adernionen. proſecutus opus Cœnobii Obſervantum, ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu, quod pater Guillelmus Raymundus de Moncata inchoaverat, hoc anno abſolvit, & a Pontifice impetravit facultatem Fratribus tradendi, & ornamenta Eccleſiaſtica auro intexta, nobiliora quam Obſervantum admittebat profeſſio. Horum Comitum ſucceſſores Cœnobium hoc multis proſecuti ſunt beneficiis.

Conv. Adernionis.

Genz. in Provin. Sicil. Conv. 19. Lib. 1. de Regul. & præben. an. 2. fol. 250.

XII. In eodem Regno alius ejuſdem ſtirpis, Antonius Petri de Moncata, ſub hunc annum Cœnobium eiſdem Patribus poſuit extra muros oppidi Ferulæ, Siracuſanæ diœceſis ad ſe ſpectantis: alii dicunt ab ipſis Ferulanis conſtructum. Hoc anno prædictus Dominus de Moncata impetravit a Pontifice, ut liceret Fratribus ab eo recipere paramenta, & quæcumque Eccleſiaſtica ornamenta, etiamſi numero, pretio ac qualitate, eorum profeſſionis ſtatum excederent. Prima ſtructura erat humilis & anguſta nimis, ſed collabentem refici & ampliari curavit beatus Antonius Ferulanus, Siciliæ Reginæ a ſacris confeſſionibus, Regi etiam gratiſſimus. Ibidem requieſcit ipſe, & Matthæus Conterraneus, viri piiſſimi, miraculis clari, eodem lapide contecti.

Conv. Ferulæ *Indid. Conv. 13. Eodem lib. fol. 54.*

Anton. & Matthæus Ferulani.

XIII. Nobiles viri Gaſpar de Schornomil, Andreas Hohen Wanter Milites, & Georgius Gratzer armiger, Aquilejen. diœceſis, decreverunt Conventum Obſervantum in inſula penes caſtrum Gretz, infra parochiam Eccleſiæ ſancti Martini in Samelva & limites oppidi Mattlich. prædictæ diœceſis, ſub vocabulo glorioſæ Virginis Mariæ ædificare, deditque Pontifex hoc anno conſtruendi facultatem. An vero ædificaverint, non mihi plane conſtat, dum in Cœnobiorum catalogo non reperio.

Conv. Grezii. *Lib. 1. de exhibit. de diverſ. &c. an. 2. fol. 227.*

XIV. In extremis finibus Archiepiſcopatus Bituricenſis, verſus Occidentem, conſtructus eſt Conventus Obſervantum prope caſtellum Cloſarum, in loco nemoroſo & campeſtri, per nobilem virum Andream de Calviniaco, verum pauperum protectorem, & ſingularem Minorum benefactorem. Per hæreticos combuſtum, ab integro refecit Ludovicus a Borbonio Dux Montis-penſerii, Dominus prædicti Caſtri Cloſenſis. Sub hunc annum in Civitate Aquenſi alius erectus eſt Conventus, ſub titulo Annunciationis beatæ Mariæ, procurante Patre de Sothono Neapolitano, ſuppeditantibus ſumptus urbis Conſulibus, & familia de Meyrargnes. Eccleſia conſecrata fuit anno ſequenti.

Conv. Cloſarum *Genz. in Provin. Turonia Pictav. Conv. 23.*

Conv. Aquen. *Idem in Provin. S. Ludov. Con. 4.*

XV. Taccoviæ, urbis in Boemiæ confinibus, cives hoc anno ex communibus facultatibus Cœnobium conſtruxerunt ſub titulis ſanctarum Mariæ Magdalenæ & Eliſabethæ: ſæpiſſime diruere tentarunt hæretici Huſſitæ, ſed bene munitum & ſolidis muris præcinctum, reſtitit ſemper impiis eorum conatibus.

Conv. Taccovia.

XVI. Nobili viro Joanni Hinczæ de Ragono, Sandomirienſi Caſtellano, & Colenſi Præfecto, facultatem hoc anno impertivit Paulus ædificandi

Conv. Colen.

Lib. 2. de diverſ. de Regular. &c. an. 1. fol. 110. Monum. MSS. Polon.

candi Obſervantum domicilium in oppido Colo, Gneznen. diœceſis ſub titulo Viſitationis beatæ Mariæ & diviſionis Apoſtolorum. Fundum conceſſit, firmiſſimum fecit fundamentum, Eccleſiam optimamque domus partem ex ſecto lapide & cocto latere conſtruxit. Reliquam ex variis eleemoſynis per annos viginti Fratres abſolverunt. Hic illi abundant piſcibus ex Varta fluvio vicino. Celebrata ſunt hic aliquot provinciæ Poloniæ Comitia. Pro iis quæ habita ſunt anno MCCCCLXXXII. liberaliſſime ſumptus miniſtravit Anna Duciſſa quondam Sochacovienſis, & Conventum calicibus multiſque paramentis optimis ditavit. Plurimum huic loco benefecit Stanislaus Carncovius Archiepiſcopus Gneznenſis. Hic aliquantulum commoratus eſt frater Victorinus Melſtinius, Diaconus, nobili genere magnorum Poloniæ Baronum progenitus. Oppida multa, villas pingueſque reliquit poſſeſſiones, & in tranſitu ad Religionem multam diſtribuit pecuniam, neceſſitatibus Conventuum, præſertim circa ſupellectilem Eccleſiaſticam, providendis: obiit in adoleſcentia, eximia præditus pietate, beatæ Virginis Mariæ ferventiſſimus cultor. Jacet Tarnoviæ, ubi etiam requieſcit frater Bonaventura Cracovienſis, ſacerdos, ultimus omnium, quos beatus Joannes Capiſtranus ad Ordinem ſuſcepit. Deceſſit plenus dierum & bonorum operum. Prompta ejus obedientia & religioſa compoſitio in illa Provincia proponi ſolebat novellis Fratribus in exemplum.

Victorin. Melſtinios.

Bonaventura Cracovien.

Conv. Livoniæ. Lib. 1. de Regul. an. 2. fol. 6.

Conv. Keyſersberg. Conv. Basten. Lib. 2. de Regul. an. 1. fol. 112.

Conv. Bertheonis. Lib. 2. de Regul. an. 2. fol. 89.

Conv. Viebacen. Lib. 1. de exhibit. de diverſ. &c. an. 2. fol. 74.

XVII. Orante Joanne, Magiſtro Fratrum Ordinis beatæ Mariæ Theutonicorum per Livoniam, conceſſit Paulus licentiam Vicario provinciæ Saxoniæ tres domos Obſervantum in eadem Livonia, in finibus Chriſtianorum conſtituta, infidelibus vicina, vel ædificaret vel admitteret. Confirmavit etiam Fratribus Obſervantibus Provinciæ Argentinenſis duas ab eis receptas domos, unam juxta Keyſersberg. diœceſis Baſileen. alteram prope Baar, diœceſis Argentinenſis, eoſque ab omni excommunicationis vinculo propter admiſſas ſine ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia voluit abſolutos. Horum duorum locorum nunc non invenio veſtigium. Abſolvit etiam Fratres Vicariæ Scotiæ, qui ultra annos quadraginta locum Bertheonis, diœceſis ſancti Andreæ, ſibi ab Henrico Epiſcopo ſancti Andreæ conceſſum, & ab ipſis in religioſum redactum domicilium inhabitabant, obtenta dumtaxat Ordinarii facultate. Neque hujus etiam loci reperio apud quempiam memoriam. Habuiſſe Fratres domos hoc tempore in oppido Viebacen. diœceſis Lincopen. in regno Svetiæ, mihi conſtat ex hujus anni diplomate Pontificio, quo Paulus controverſias reſcindit circa decimas, fructus, juriſdictionem & privilegia, vehementi animorum commotione exortas inter Clerum & Regulares.

Conv. Brugen. Lib. 2. de diverſ. formis an. 3. fol. 44.

XVIII. Vir nobilis Carolus Comes Cadraletii & Incolæ oppidi Brugenſis, diœceſis Tornacenſis, impetrarunt facultatem conſtruendi extra oppidum domum Fratrum Obſervantum: dum opus in loco opportuno aggrediuntur, conqueſti ſunt multi, longe Fratres ab oppido conſtitui, propioreſque eſſe debere, ut facilior eſſet acceſſus & utilior frequens inſtructio. Querelis exciti, hoc anno ſecundam petierunt conſtruendi licentiam, ſed vel in ipſo oppido vel in loco propinquiori. Annuit Pontifex, extructuſque eſt locus extra muros, qui ad Sorores Annunciatas tranſiit, tranſeuntibus Fratribus poſt multos annos ad capaciſſimum Cœnobium Patrum Conventualium, de quo alias egimus diffuſius. „ Jacobus Meyerus in „ ſuis Flandriæ Annalibus ait: Poſt annos duos, videlicet x. Kalendas „ Auguſti, poſtridie Divæ Mariæ Magdalenæ Apoſtolæ, anni MCCCCLXVIII. „ quod Iſabella, Vidua Philippi Principis Burgundiæ Ducis, primum poſuit

Tom. 2. an. 1233. n. 40.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

Meyer. an. 1468.

„ fuit lapidem Conventus Obſervantum extra portam Aſinariam, ubi poſt „ multos annos Margarita Caroli V. amita Virgines Annunciationis con„ ſtituit.

Conv. Obſerv. converſus in Monaſt. Annunciatarum.

XIX. Hoc anno in die Converſionis ſancti Pauli Apoſtoli reformatus eſt Conventus Landshutenſis per Joannem Landener Vicarium provinciæ Argentinæ, procurante Principe Ludovico Duce Bavariæ, quod alias admonuimus. Domus etiam Brezen. dioeceſis Varadienſis in Hungaria ſub finem hujus anni tranſivit ab Obſervantes, jubente Pontifice, procurante Eliſabetha Matthiæ Regis Hungariæ genitrice, Pontificium exequente mandatum Epiſcopo Varadienſi. Initium accepit hoc anno Conventus Umbergenſis in Dominio Ducis Eberhardi de Wirtemberg.

Conv. Laudshuten. *Tom. 5. an. 1280. n. 11.*

Conv. Brezen.

Conv. Umbergen.

XX. In Montibus Marianis, vulgo Hiſpanico *la Sierra Morena*, Villa ſeu caſtrum conſpicitur, appellatum Culmina majora, vulgariter *las cumbres majores*, dioeceſis Hiſpalen. diſtatque paululum Monaſterium Clariſſarum, ſub titulo Conceptionis beatæ Virginis Mariæ. Circa ejus originem aliqua poſſet oriri dubitatio, dum hoc anno Paulus Pontifex, miſſo diplomate ad Epiſcopum & Theſaurarium Pacenſem, facultatem largitur Mariæ & Leonoræ, Joannis Martini Vexarani filiabus, ut in prædicta Villa Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ poſſint conſtruere: *Piis fidelium*. VI. Idus Januarii, & tamen ex quibuſdam inſtrumentis & inſcriptione ipſius domus, fundator dicitur Ferdinandus Vexaranus, Canonicus Portionarius Eccleſiæ Hiſpalenſis. E regione portæ templi ſuper pulpitum marmori candido hiſpanice hæc leguntur inciſa.

Monaſt. Culminum. *Gonz. in Provin. S. Michael. Monaſt. 11. Monum. MSS. ejuſd. Provin.*

> *Ad honorem Dei, & Virginis Matris Mariæ, ejuſque ſanctiſſimæ Conceptionis Ferdinandus Bexaranus, Portionarius Eccleſiæ ſanctæ Hiſpalen. & Papæ curſor, hoc Monaſterium cum ſua Eccleſia & reliquis rebus neceſſariis ſuis ſumptibus fundavit pro ſe, pro ſuis genitoribus & deſcendentibus, dotavitque triginta ..... annuì reditus, aliiſque cenſibus pro Monialium proviſione. Scripturæ conſervantur in archivo ſanctæ Eccleſia Hiſpalenſis, anno* M. D. XV.

Prædictæ germanæ Sorores Maria & Leonora amitæ videntur hujus Portionarii, & fortaſſis opus tenui principio inchoarunt, totumque perfecit Ferdinandus, & reditibus ſtabilivit, unde fundatoris nomen obtinuit. Vel fortaſſis illæ quod pie propoſuerunt, aggredi non potuerunt. Ex Ferdinandi teſtamento Decanus & Capitulum Hiſpalenſe patroni ſcripti ſunt & defenſores: vixerunt hic pleræque Sorores religioſiſſime; præ ceteris celebratur memoria Catarinæ de Porta, virtutibus, regimine hujus, & ſanctæ Marinæ de Zafra Monaſterii, ac cœleſtibus viſionibus inſignis.

XXI. In urbe Potentina provinciæ Baſilicatæ, Monaſterium erat Sororum Ordinis Ciſtercienſis ſub titulo ſancti Lucæ, in moribus diſſolutum, & Sororibus ferme deſtitutum. Ad preces itaque Epiſcopi, Cobellæ Ariani Comitiſſæ, & civium Potentinorum, conceſſit Pontifex, ut ſuppreſſo ibidem Ordine Ciſtercienſi, ex urbe Tricaricenſi avocaretur Soror Sveva de Genefra, aliæque Sorores Clariſſæ, quæ ſuum inducerent Inſtitutum. Hæc illa origo eſt Clariſſarum in iſto Monaſterio, non vero quam Gonzaga ſub Paulo III. præſcripſit.

Monaſt. Potentiæ. *Lib. 1. de exhib. de diverſ. &c. an. 2. fol. 249.*

Gonz. in Provin. Baſilic. Monaſt. uld.

XXII. In urbe Capuana hoc tempore Monaſterium fuiſſe Clariſſarum, ſub nomine Jeſu, mihi conſtat ex Pauli litteris datis ad Archiepiſcopum, ut prohibeat conſtrui a Confratribus ſanctæ Mariæ Magdalenæ capellam ſub nomine Jeſu, Monaſterio propinquam. Refert diploma ædificatum ſuiſſe Mo-

Monaſt. Capuan. *Lib. 1. de Regular. an. 1. fol. 86.*

Monaſterium per quondam Antonium Thobiani, & Blanchenam conjugem in propriis ædibus, ea adjecta conditione, ne ullo tempore domum illam Sorores deſererent.

Joann. Veronen. Generalis Tertii Ordinis. *Stirp. fol.* 32. Domus Mediol. Inter Fratrum Tertii Ordinis. Domus Aſculana Sororum. Domus Ulliſponen. Domus Curtiaci. Domus Saleæ. Domus Eimbeck.

XXIII. Tertii Ordinis in Italia Superiorem Generalem inſtitutum hoc anno Joannem Veronenſem Antonius de Sillis enarrat. Domum ſub hoc tempus habuiſſe Mediolani hujus Inſtituti viros, conſtat ex deciſa a Pontifice lite in favorem eorumdem; & Sorores aliam ſub nomine ſanctæ Margaritæ in urbe Aſculana a ſemetipſis conſtructam, patet ex multis hoc anno conceſſis privilegiis; alteram juxta muros veteres nobiliſſimæ urbis Ulyſſiponenſis, ſub nomine Cellæ-Chriſti, ex indulta facultate aſſumendi presbyterum idoneum, qui ſacra peragat & ſacramenta miniſtret; quartam Curtiaci, Tornacen. diœceſis in Belgio, ex ſimili indulto; quintam & ſextam in Saleza & Eimbeck, Moguntinæ diœceſis, ex conceſſo privilegio conventualiter vivendi ſub tribus votis, aliaſque ad ſuum conſortium admittendi.

Eremitæ ſub habitu Obſervantum. Variæ gratiæ & indulta.

XXIV. Apparuerunt hoc tempore multi Eremitæ in partibus Dalmatinis ſub veſte conſimili habitui Fratrum Minorum de Obſervantia, in grave eorumdem præjudicium. Juſſit Pontifex, ut alium omnino diſtinctum & diſſimilem deferrent: *Regularem vitam*. III. Nonas Junii. In eadem provincia Dalmatiæ Dominus temporalis inſulæ Veglen. Fratres Obſervantes duorum Conventuum, unius intra, alterius extra Civitatem Veglen. vehementer perturbabat, non permittens ut ſecundum ſua Inſtituta & privilegia viverent, neque domibus ſibi relictis alio tranſmigrarent. Ex eiſdem Religioſis, quos volebat, etiam invitis Superioribus, in Capellanos aſſumebat, aliaſque inferebat moleſtias, a quibus ut deſiſteret, juſſit hoc anno Pontifex, ſcriptis litteris ad Abbatem Monaſterii ſancti Chryſogoni Jaderen. Conventui Minorum Adrien. propter temporum calamitates, & bellorum incommoda ad magnas anguſtias redacto, & ruinam minitanti, rogantibus Epiſcopo & civibus, donavit & appropriavit Pontifex Monaſterium ſancti Sabini Clariſſarum ejuſdem urbis, ad eum ſtatum redactum, quod una dumtaxat in eo vivebat Monialis. Domui Fratrum Minorum de Inſula extra muros Cuperſanos, in honorem beatæ Virginis Mariæ conſtructæ, erga quam populus religioſo ferebatur affectu, magnas conceſſit indulgentias, aliaſque ſimiles Conventui ſancti Franciſci de Contrata, Fratrum de Obſervantia, diœceſis Torcellanæ, quem *ſanctli Franciſci de Stigmatibus* deinceps præcepit nominari. Conventus ſancti Pauli extra muros Bononienſes Fratribus indulſit, ne ex bonis quibuſcumque ſibi relictis fabricæ Eccleſiæ ſancti Petronii Bononienſis decimam perſolvere tenerentur. Conventum ſancti Franciſci de Carrione, Palentinæ diœceſis in Hiſpania, ab Obſervantibus Eremitorii Scalæ cœli occupatum, juſſit Conventualibus reſtitui.

XXV. Voluit a cœmeterio Fratrum Obſervantum oppidi Tubingen. Conſtantienſis diœceſis, removeri domum publicam, in qua cives conveniebant & magnos excitabant frequenter tumultus in diſcutiendis negotiis, non ſine perturbatione Fratrum, & impedimento Divini officii, quod in propinqua celebrabatur Eccleſia; de quo dedit litteras ad Abbatem Monaſterii Hirſangienſis, diœceſis Spirenſis. Permiſit Fratribus Minoribus oppidi Encopen. diœceſis Upſalen. in Svetia, ubi Religioſi habitabant quadraginta, admittere prædium *,deCleiſta & Najanes* nuncupatum, ſibi a nobilibus viris, Ermigislo Nicolai, & Ermigislo Gelda militibus eo fine donatum, ut ex ejus reditibus provideretur pro Miſſæ ſacrificio vinum, quod in iis partibus rarum erat, & proinde ſummopere earum. Emerant Fratres domus

mus ſancti Angeli de Burgo omnium Sanctorum extra muros Cremonen. quam dam terræ portionem aratoriam, & ex parte vineatam eidem domui contiguam, & ad Prioratum ſancti Gabrielis Cremonen. Ordinis Cluniacenſis ſpectantem, ut viam amplam & directam a Conventu ad Civitatem aperirent. Ratum id habuit Pontifex, datis litteris ad Abbates ſancti Laurentii & ſancti Thomæ Cremonenſes.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

I. EOs bellicos tumultus, quos in Ludovicum Franciæ Regem intereſſe excitaverat, ſequuta pax Conſluentiæ dicta, compeſcuit; quo tempore Franciſcus Sforcia obiit, relicto Ducatu Mediolanenſi Galeatio filio: ſed Georgium Podiebraccium Regem Boemiæ, cujus honorificam mentionem alibi fecimus, quod hæreticis nimium faveret, ut hæreticum e Vaticano fulmine ictum, diris devovit Pontifex, eidem in Regno ſuffecto Matthia Hungaro, acta confirmante Friderico. Pro fundatione Conventus *Septen.* in diœceſi Strigonienſi, breve: *Pii fidelium &c.* IV. Nonas Januarii expeditum fuit; hujuſmodi vero Cœnobium nemo commemorat. Apud Sagium, Gallis *Seez* urbem Epiſcopalem in Normandia, apud Olinæ fluminis ortum, cum eſſet Eremitorium ſub titulo ſancti Jacobi, pro illo dedit litteras: *Ex debito &c.* V. Idus ejuſdem præfati menſis: ſed V. Nonas Martii conceſſit poſſe conſtrui domum apud oppidum *Rocafocardo*, diœceſis Eugoliſmæ in Aquitania, ad Carantonum fluvium ſitæ: *Injunctam nobis &c.* reædificationem vero Conventus Obſervantiæ, Zerbatæ, Vincentinæ diœceſis indulſit: *Sacræ Religionis &c.* III. Nonas Maii, & Monaſterium pro Sororibus Tertii Ordinis apud Atrebatem: *Pia Deo &c.* XV. Kalend. Junii: Atrebates autem, *Araſi*, & *Arazzo* Italis eſt C. E. antiqua Belgi, Scarpa fluvio irrigata, Arteſiæ Regionis caput, Origiacum Ptolomæo dicta: Urbs gemina, muro diviſa, ampla, ingenti populo referta, nobilis, elegantiſſima, cujus ædes, ſacræ præſertim, magnificentiſſimæ, laniſicio clara, propugnaculis & foſſis munitiſſima, media inter Ambianum & Tornacum. Martino de Frangipanibus conceſſit poſſe ædificare domum ſanctæ Mariæ: *Conſtantis fidei &c.* XIII. Kalend. Julii: privilegia ad Tertii Ordinis Fratres extendit; *Excitat arcanum &c.* VII. Kalend. ejuſdem: conceſſa ſubinde Indulgentia pro fabrica Conventus Amadeorum, Cremonæ urbis in confinio Venetorum ad Padum fluvium: *Cum Prophe-ta &c.* IV. Idus Julii: & expeditis litteris pro domo Patrum Conventualium *Debrecen.* vel *Dravecii* in Hungaria: *Ex Apoſtolicæ &c.* Kalend. Septembris: pro Sororibus Tertiariis ſanctæ Eliſabethæ, in parochia ſancti Juventii Papiæ, ſequentis tenoris diploma dedit.

Georgius Rex anathematizatur.

Indic. ex copia.

Eremitorium S. Jacobi.

Ex Vatic.

Ex Topog. Ferrer.

Pro plur. Monaſt.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

Dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſæ, & Conventui Monaſterii ſanctæ Clarę Papienſis, Ordinis ejuſdem ſanctæ Clarę ſalutem &c.

II. *DIgna reddimur attentionę ſolliciti earum ad exauditionis gratiam admittere vota, quæ illecebris mundanis, ac mortalis viri thoro propulſis, in illius, qui ſpecioſus eſt præ filiis hominum, beneplacitis, ſub Regulari Obſervantia laudabiliter converſantur.*

„ *Dudum ſiquidem pro parte veſtra, quæ tunc Tertii Ordinis ſancti*
„ *Franciſci, de pœnitentia nuncupati, in domo veſtra, ſita in Parochia Eccle-*
„ *ſiæ ſancti Juventii Papienſis, ſub perpetua Clauſura & Regula S. Claræ*
„ *exiſtebatis, nobis expoſito, quod nonnullæ ex vobis, quæ vigintiduæ vel cir-*
„ *ca numero exiſtebatis, jamdudum Ordinem S. Claræ ſolemniter profiteri vo-*
„ *verant; nonnullæ vero Juvenculæ in propriis domibus tunc commorantes,*
„ *ob frugem melioris vitæ, eumdem Ordinem ſanctæ Claræ ingredi, ac profeſ-*
„ *ſionem per illius Moniales ſive Sorores emitti ſolitam, emittere propoſuerant.*
„ *Sed quia in Civitate Papiæ nullum ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ Mo-*
„ *naſterium de Obſervantia exiſtebat, Juvenculæ ipſæ earum pium &*
„ *laudabile propoſitum eatenus affectui mancipare nequierant, & propterea*
„ *vos, ut veſtro & Juvenculariam prædictarum deſiderio ſatisfieri poſſet,*
„ *de bonis a Deo vobis collatis, ac pia largitione Fidelium donatis, domum*
„ *prædictam latam & amplam, cum hortis & ædificiis competentibus, ad*
„ *finem, quod ex ea unum Monaſterium in honorem, & ſub invocatione*
„ *ejuſdem Sanctæ, cum Eccleſia, campanili, Clauſtro, dormitorio, cæme-*
„ *terio, horto, hortalitiis & aliis neceſſariis officinis, pro veſtro ac aliarum*
„ *dicti Ordinis Sororum ſive Monialium, ſub Regula & Ordine ſanctæ Cla-*
„ *ræ hujuſmodi viventium, uſu & habitatione perpetuis erigeretur, funda-*
„ *retur & conſtrueretur, ita quod, poſtquam vos profeſſæ eſſetis, unam ex*
„ *vobis in Abbatiſſam ſive Matrem ad veſtrum beneplacitum duraturam*
„ *eligere deberetis & teneremini, acquiſiveratis, & partim dono habucra-*
„ *tis; ac pro parte veſtra nobis ſupplicato, ut vobis de prædicta domo Mo-*
Pro variis Comvento ſcribit. „ *naſterium hujuſmodi erigi, fundari & conſtrui faciendi, & unam ex vo-*
„ *bis Abbatiſſam, quoties opus foret, eligendi, licentiam concedere, aliaſ-*
„ *que in præmiſſis opportune providere dignaremur.*

„ *Nos, tunc Abbati Monaſterii ſancti Douati de Sexto, Papienſis dio-*
„ *ceſis, ejus proprio nomine non expreſſo, aliis noſtris litteris dedimus in*
„ *mandatis, ut, ſi ita eſſet, vobis Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia &*
„ *neceſſariis officinis, ex domo prædicta, in honorem & ſub vocabulo ejuſ-*
„ *dem Sanctæ, ac ſub Ordine prædicto, erigendi, conſtruendi & ædificandi,*
„ *aut fundari, conſtrui & ædificari faciendi licentiam largiretur. Ac volu-*
„ *mus per vos profeſſionem, per Sorores ſive Moniales dicti Ordinis ſanctæ*
„ *Claræ emitti ſolitam, in manibus tunc Guardiani domus ſancti Jacobi*
„ *extra muros Papiæ, Ordinis Fratrum Minorum, ea vice duntaxat emit-*
„ *ti: qui quidem Guardianus, profeſſione hujuſmodi per eum recepta, illam*
„ *ex vobis, quæ ad regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii con-*
„ *ſtruendi magis aptam & idoneam eſſe reperiret, de voluntate tamen &*
„ *conſenſu aliarum Sororum ſeu Monialium prædictarum, vel aliam Soro-*
„ *rem ſive Monialem alterius Monaſterii, ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ, in*
„ *Abbatiſſam dicti Monaſterii eligere, ipſamque ab beneplacitum aliarum*
„ *Profeſſarum Sororum ſive Monialium hujuſmodi duraturam, præfato*
„ *Monaſterio præficere teneretur. Et inſuper vobis, poſtquam profeſſionem*
„ *hujuſmodi emiſſiſſetis, quoties de cetero erigendum Monaſterium hujuſmo-*
„ *di, per obitum vel ammotionem illius Abbatiſſæ vacare contingeret, unam*
„ *ex vobis Sororibus ſeu Monialibus ipſius Monaſterii erigendi profeſſam,*
„ *ad veſtrum nutum duraturam eligere poſſetis: ipſaque ſic electa, curam,*
„ *regimen & adminiſtrationem dicti erigendi Monaſterii recipere, illudque*
„ *in ſpiritualibus ac temporalibus regere & gubernare juxta mores, ſtatu-*
„ *ta & Ordinationes dicti Ordinis ſanctæ Claræ valeret: & quod vos per*
„ *Guardianum dictæ domus pro tempore exiſtentem, ſeu alium vel alios dicti*

Or-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 259.
1466.	an. 2. & 3.	anno 27.	

„ Ordinis idoneos & honeſtos ab eo deputandos, circa confeſſiones audiendas,
„ & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda, perpetuis futuris tempori-
„ bus gubernari deberetis & teneremini, conceſſimus, prout in dictis litteris
„ plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte ve-
„ ſtra petitio continebat, Dilectus filius modernus Abbas dicti Monaſterii, ad
„ earumdem litterarum executionem, juxta illarum formam procedens, quia re-
„ perit ita eſſe, vobis Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia, aliiſque neceſſariis
„ prædictis, ex eadem veſtra domo erigendi, & conſtrui ac ædificari facien-
„ di licentiam conceſſit; & ex tunc domus veſtra prædicta in Monaſterium
„ hujuſmodi erecta fuit, voſque profeſſionem hujuſmodi emiſiſtis, & eidem
„ erecto Monaſterio una ex vobis in Abbatiſſam præfecta extitit.

„ Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, per inadvertentiam
„ ejus, qui nobis veſtro nomine ſupplicationem porrexit, & præter inten-
„ tionem veſtram, nobis ſupplicatum extiterit, quod Abbatiſſa dicti erecti
„ Monaſterii pro veſtro nutu duraret, & Confeſſor per Guardianum præ-
„ dictum vobis deputaretur, cum vos intenderetis & intendatis, ita nobis ſup-
„ plicari debere, ut Confeſſor vobis per Capitulum Fratrum Minorum Pro-
„ vinciæ Januæ, ſub Regulari Obſervantia degentium, vel eorum Vica-
„ rium deputaretur, dictique erecti Monaſterii Abbatiſſa annuatim eligi
„ deberet, ſicut per quaſdam litteras felicis recordationis Nicolai Papæ V.
„ prædeceſſoris noſtri reliquis Monialibus Monaſteriorum dicti Ordinis ſan-
„ ctæ Claræ, in quibus ſub hujuſmodi Obſervantia vivere conceditur &
„ mandatur: in quibus quidem aliis Monaſteriis conſuetum eſt Abbatiſſam
„ non durare niſi per triennium continuum, quæ etiam interim eligitur an-
„ nuatim: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis,
„ quod in electionibus Abbatiſſæ de cetero faciendis, & quanto tempore du-
„ rare debet, ac confeſſoribus deputandis, illud obſervare poſſitis & debea-
„ tis, quod Monialibus aliorum Monaſteriorum prædictorum, per dictas
„ Nicolai prædeceſſoris litteras præcipitur & mandatur, & in eiſdem aliis
„ Monaſteriis obſervatur, concedere de benignitate Apoſtolica dignare-
„ mur.

„ Nos igitur, ut eo firmius in ſancto ſub eadem Obſervantia vivendi
„ propoſito perſiſtatis, quo majoribus per Sedem Apoſtolicam privilegiis &
„ gratiis fueritis communitæ, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis,
„ ut de cetero in Abbatiſſæ dicti veſtri Monaſterii electionibus pro tempore
„ faciendis, & de tempore, quo Abbatiſſæ duraturæ ſint, necnon & Confeſ-
„ ſoribus deputandis, illud idem, quod Moniales aliorum Monaſteriorum
„ prædictorum, juxta præceptum, conceſſionem & litteras Nicolai prædece-
„ ſoris hujuſmodi, & communes earum conſuetudines obſervant, de cetera
„ obſervare, eiſdemque litteris & conſuetudinibus vos conformare libere &
„ licite valeatis & debeatis, prædictis veſtris litteris, quibus, quoad reliqua
„ in eis contenta non intendimus alias in aliquo derogare, ac Conſtitutionibus
„ & Ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtanti-
„ bus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

„ Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis *Ex Arch. præfati Monaſter.*
„ infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
„ præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri &
„ Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſan-
„ ctum Marcum, anno Incarnationis Domini MCCCCLXVI. Idibus Septembris,
„ Pontificatus noſtri anno II.

„ III. Ex hac Paulina, eas Divæ Claræ Moniales Papienſes, conjicio,

quod ante ann. MCCCCLXIV. & diem XXXI. Auguſti eſſe nequit, Guardiano ſancti Jacobi, & ab anno præſentium litterarum, Definitorio Provinciæ Januenſis, ſubjectas fuiſſe conſtat: at de iſtis recurret ſuis temporibus dicendi occaſio. Sororibus Tertii Ordinis Curtacenſibus poſſe habere Capellanum conceſſit: *Devotionis veſtræ &c.* X. Kalendas Decembris: porro Curtacum oppidum Flandriæ famoſum, Gandavo urbi regionis primariæ, cum Aloſto, Dendremanda, & Aldenarda, ſubcenſetur, hoc eſt unitum cenſetur aſſociatione ac tributo, cum Princeps pecuniam exigit vel militem. Emanarunt etiam litteræ pro adminiſtratione domus Tertii Ordinis Cordubæ in Hiſpania: *Humilibus &c.* V. Idus Decembris. Ex Monumentis Provinciæ ſancti Salvatoris in Hungaria habemus hoc anno Bullam prodiiſſe a Paulo II. ſuper conceſſione Conventus *Szeczenienſis*, Patrum Conventualium, facta Fratribus Regularis Obſervantiæ. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, die II. Januarii MCCCCLXVI.

Indic. ex Vatic.

Ex Jacobo Grondano.

Ex Vatic.

Alcuin. MSS. Provi. S. Salvator

IV. Yporenſe Cœnobium, cujus Eccleſiæ ſolemnem conſecrationem anno proxime præterito dedimus, hoc anno Amadei IX. & Sabaudiæ Ducis III. Principis integerrimæ atque ſanctiſſimæ vitæ, patrocinium conſequutum eſt: animadvertentes enim Religioſi ad tuitionem ſuæ vitæ Regularis plurimum valituram fore armatam Sanctitatem tanti Ducis, qui ſub magiſterio Minoritico præcipue ſibimetipſi dominari dicerat, ſupplices ejus gratiam, quam ſuſpirabant, obtinuerunt, ut ejus diplomatis tenor ſubſequens oſtendit.

AMEDÆUS Dux Sabaudiæ, Chabloſii, & Auguſtæ, ſacri Romani Imperii Princeps, Vicariuſque perpetuus, Marchio in Italia, Pedemontium Princeps, Niciæque, Verceliarum, & Friburgi Dominus &c.

Dilectis Poteſtatibus Tporegiæ, Bugellæ, Bailivoque Vallis Auguſtæ, necnon Caſtellanis Bardi, Quarti, Cliti, Caſtri Argentei, Montis Joveti, Miſtralibus, Servientibus Generalibus, ac ceteris Officiariis noſtris mediatis & immediatis, ad quos præſentes pervenerint, ſeu ipſorum locum tenentibus, ſalutem.

Ex Originali ſervato in arch. illius Conventus.

Libenti ſolemus animo, nedum perſonas Eccleſiaſticas cultui Divino deditas, imo etiam quoſcumque noſtro ſub dominio degentes, ab oppreſſionibus aliiſque illicitis quibuſcumque reddere alienos. Sane quippe ſupplicationi venerabilium & devotorum noſtrorum Guardiani Fratrumque Ordinis Minorum de Obſervantia Regulari, Conventus ſancti Bernardini prope noſtram Civitatem Tporegien. ſituati, vitam contemplativam in eorum Cœnobio deducentium, formidantium ex nonnullis veriſimilibus conjecturis, indebite per nonnullos offendi, & in eleemoſynis petendis turbari, ſuper his nobis factæ, producti, moti etiam ob ſingularem, quam gerimus erga beatum Bernardinum devotionem, benevole annuentes, & Conventum ipſum Ducali præſidio confovere, pariter & præſervare affectantes: Ipſos igitur Guardianum & Fratres quoſcumque ejuſdem Conventus ſancti Bernardini, præſentes, & qui pro tempore in dicto Conventu adfuerint, cum eorum Eccleſia, ac toto Conventu præfato, eorumque Procuratoribus, ſervitoribus, rendutis, in, & ſub Salvaguardia, Guidagio, & protectione noſtris ſpecialibus ponimus & reducimus, eſſeque & manere de cetero volumus per præſentes: quas ſi quis temerario auſu infringere præſumpſerit, eoſdem Guardianum & Fratres præfatos dicti

Con-

Anno Christi 1466.	Pauli II. an. 2. & 3.	Friderici III. Imp. anno 27.	Religionis Minorum anno 259.

„ *Conventus ſancti Bernardini, eorumque præfatos Procuratores, Rendu-*
„ *tos, ſervitores ſive factores, in præfatis eorum queſtis & eleemoſynis pe-*
„ *tendis, directe vel indirecte turbando & impediendo quomodolibet, indi-*
„ *gnationem noſtram perpetuam, & ulterius centum Marcharum argenti*
„ *pœnam pro quolibet, & vice qualibet, ſe noverit incurſurum.*

„ *Vobis propterea & veſtrum cuilibet in ſolidum, quantum ad eum*
„ *ſpectaverit, & ſuo ſuberit officio, diſtricte præcipimus & mandamus, ſub*
„ *pœna conſimili præfatæ, quatenus Fratres ipſos, & præfatos eorum Pro-*
„ *curatores, ſervitores & factores, per quæcumque noſtræ Ditionis loca &*
„ *Territoria, ſalvos & ſecuros teneatis, ab omnique vi, violentia, & alia*
„ *moleſtia indebita præſervetis, tueamini & defendatis adverſus quoſcum-*
„ *que, favores quos poteritis, poſſibiles in ſuis quæſtis & eleemoſynis peten-*
„ *dis & fiendis præſtando.*

„ *RR. præterea in Chriſto PP. Epiſcopos, ceteroſque Abbates & Præ-*
„ *poſitos totius Ditionis noſtræ Ciſmontanæ, amicos noſtros bene dilectos,*
„ *eorumque Vicarios & Officiales, ſingulari rogamus affectu; ſubditos vero*
„ *noſtros mediatos & immediatos diſtricte rogando mandantes, ut dum Fra-*
„ *tres præfati ad eos pro eleemoſynis petendis accedere contigerit, ſuſcipere*
„ *commendatos, & de bonis ſuis a Deo ſibi collatis, eis in eleemoſynam ca-*
„ *ritative largiri, donare, & favores opportunos præſtare velint: & nihi-*
„ *lominus vos memorati Officiarii noſtri, & veſtrum quilibet qui primo ſuper*
„ *his requiſitus fuerit, ejuſtemodi Salvaguardiam noſtram locis, & moribus*
„ *talibus ſicut ſolet (ubi tamen Fratres ipſi intimandam duxerint) intimari*
„ *voce Cridæ, & alias faciatis, pannunculos armorum noſtrorum in ejuſmodi*
„ *noſtræ Salvaguardiæ & protectionis ſignum in valvis ejuſdem Eccleſiæ pa-*
„ *tenter erigendo; ne quis prætextu ignorantiæ, de eadem ſe valeat excuſa-*
„ *re. Datum Tporegiæ, die* XXI. *Julii, anno Domini* MCCCCLXVI. *ſubſcript.*
„ Duprafue.

„ V. His muniti præſidiis Fratres cum magna tranquillitate ſpiritus
„ Deo ſervientes, mire admodum proficiebant in populis.

ARGUMENTUM.

Celebrantur tria Capitula Generalia. Ex Provincia Auſtriæ prodeunt Polonica, & Boemica. Diſſentiunt Mediolanenſes & Brixienſes. Prohibentur Obſervantes Conventualium domos occupare. Boſnenſes laudabiliter ſe gerentes contra Turcas, præmium a Pontifice reportant. Moritur Philippus Burgundiæ Dux, & ex Minoritis Thomas, ac Chriſtophorus Crivellus. Referuntur aliqua geſta Amadei Hiſpani. Creantur Epiſcopi. Propagatur Inflitutum.

I. GENERALIA Ordinis Comitia habita ſunt a Patribus Conventualibus in urbe Florentina die XXIV. Maii, eaque ſolemniſſima, certantibus nobilibus & plebe, ne quid in tanto congreſſu deeſſet. Ex adverſo Fratres in vigilia Pentecoſtes magna ſolemnitate decantato ſacro, in urbico palatio, gravi & docta concione habita per Bernardinum ea urbe oriundum, numeroſa ſupplicatione urbem circuierunt, deducentes Franciſcum Rovereum, a ſe omnium ſuffragiis confirmatum. Per dies octo magno populi concurſu prædicavit Jacobus de Callio Picenus, celebris Eccleſiaſtes. Comitia ultima clauſit concione prædictus Bernardinus.

Capitulum Generale 91. Florentiæ. *Regeſt. Ordin. Marian. l. 5. c. 36.*

II. Ob-

Capitulum Generale 10. Ultramontan. Observantum. Capitulum 10. Cismontanum.

II. Observantes Ultramontani eodem tempore Capitulum celebrarunt in Conventu Montis Lucii, Provinciæ Burgundiæ, electo in Vicarium Generalem Joanne Philippi, Vicario prædictæ Provinciæ. Cismontani suum cœtum indixerunt in Cœnobio Mantuano, & Baptistam Tagliacarne de Levanto, alias eo munere functum, in Vicarium adoptarunt. Sumptus largissime ministravit Marchio Fridericus, nhilque prætermisit, per quod suum erga hoc Sodalitium explicare posset affectum. Multa in his Capitulis statuta sunt, quæ in constitutionum collectione dabimus opportunius. Commissarius in Curia Romana pro familia Ultramontana, delectus est Bernardinus de Fossa Aquilanus; Guardianus Hierosolymitanus, Franciscus Placentinus; Vicarius Bosnæ & Dalmatiæ, Dominicus a Gonissa; Vicarius Romaniæ, Franciscus Aretinus, vir bonus & doctus, aspectu venerabilis, & Apostolicus concionator; Commissarius Austriæ, Poloniæ, Boemiæ & Sileliæ, Petrus de Neapoli, functus in curia officio Commissarii.

An. 1462. n. 81.

III. Jussum est Conventum Nicoteræ restitui Patribus Conventualibus; & Sarzanæ, de quo supra dictum est, uniri Provinciæ Tusciæ; Provincias Bosnæ & Dalmatiæ propter contrarias utriusque gentis conditiones, iterum separari, modo Pontificis accederet assensus, atque interim utrique Provinciæ præsideret Dominicus a Gonissa. Conventus circa Jaderam existentes, videlicet Occlani, Pasmani, & sanctæ Catarinæ, Dalmatinis adjudicari; Conventus vero Veglensem, insulæ extra Vegliam, Tersathi & Lesnæ, Bosnensibus. Ragusinos propter suam contumaciam, Unioni cum Bosnensibus & Dalmatinis diu resistentes, a familia Observantum & cura Vicarii Generalis præscindi; Provinciam Austriæ, Poloniæ & Boemiæ, viris doctis, & in regimine peritis abundantem, dividi posse in duas vel tres, modo Pontifex assentiret. Interim in Capitulo proxime celebrato severe cautum est, ut unum ex illis tribus nationibus Vicarium eligerent, Italum vero nequaquam. Gabriel itaque Veronensis, & Christophorus a Varisio, qui ab initio exorientis Provinciæ illas auctoritate rexerunt, vel consilio direxerunt nationes, in suas revocati sunt Provincias. Atqui hic discessurus ad initium anni sequentis, & sancta Hierosolymorum loca, uti disponebat, invisurus, dedit ad trium nationum Patres Epistolam sequentem.

Christophorus a Varisio.

Venerabiles Patres, religiosi Fratres, in Christo dilectissimi, commendatione præmissa cum omni complacendi promptitudine.

Genz. in princip. Provinciæ Boem.

IV. *Cum dudum in mente firmassem vobiscum vivere & mori, & usque ad mortem in bono & malo, in prosperitatibus & adversitatibus vobiscum perseverare, propter curam a beato Patre fratre Joanne de Capistrano mihi adhuc in ætate juvenili constituto impositam, & propter nimiam dilectionem, quam ad vos conceperam, pro qua etiam nativam Provinciam, velut exilium mihi reputabam, & amplius non Italicum, sed Alemanicum me natione putabam; præventus tamen obedientia per R. P. Vicarium Generalem mihi commissa, a vobis Patribus meis in Christo Jesu dilectissimis, & ab his regionibus vestris in brevi recedere intendo. Et sicut cum magno gaudio & lætitia, cum caritatibus vestris pluribus annis conversatus sum, ita cum magno gaudio & lætitia, ex quo per obedientiam vocor, recedo. Auxiliante Altissimo, terram sanctam, in qua Salvator noster pro peccatis nostris mortuus est, primum visitare intendo, ubi & in pace vitam finire desidero, nisi Deus, in cujus manu viæ hominis positæ sunt, aliud de me decreverit. Novit ipse, qui nihil ignorat, quod ante recessum meum vos omnes libentissime vide-*

viderem, alloquerer pariter, & in caritatis vinculis amplexarer, ſed longicudo viarum, & hyemale tempus me retrahunt. His accedit intolerabilis angſtia mentis ex futura ſeparatione contracta, quæ mutuam conſolationem & viſionem proculdubio impediret. Ne tamen tanquam fur a caritatibus veſtris recedere videar, volui vobis his ſcriptis valedicere. Quæ, precor, cum caritate & mentis ſinceritate ſuſcipite, quia forte ultima erunt hæc, quæ ego jam ſcribo, & vobis cariſſimis Fratribus meis mitta. In primis igitur, patres & fratres mei in Chriſto Jeſu dilectiſſimi, caritatibus veſtris immenſas refero gratiarum actiones, pro ea fide, caritate, dilectione, confidentia, amicitia & benevolentia, quam erga me indignum ſervuium veſtrum ſemper habniſtis; fateor enim quod numquam talia erga vos promeruerim. Similiter caritatibus veſtris regratior de magna ſollicitudine & proviſione, quam exhibuiſtis in infirmitatibus meis; licet enim graves ægritudines corporis, ut vos ipſi noſtis, perpeſſus ſim, fateor tamen, & numquam aliter dicturus ſum, quod diligenter, abundanter & cum maxima caritate in omnibus neceſſitatibus meis mihi providiſtis, nec ego tantis beneficiis quoquo modo ſufficio vices rependere, ſed omnipotens Deus, qui nullum bonum irremuneratum dimittit, impoſſibilitatem meam ſuppleat, & vices dignetur rependere: quia, ut noſtis, per plures annos in Ordinis officiis fui, & in multis tamquam homo errare potui, qualitercumque communitatem veſtram, vel aliquem veſtrum verbo vel facto offendi, genuflexus coram omnibus vobis, & coram quolibet veſtrum, humiliter, & ex toto corde veniam peto, rogans præterea ut propter amorem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti mihi parcere dignemini in omnibus, in quibus vos omnes, aut veſtrum aliquem verbo vel opere ſcandaliza ſſem, nam humiliter culpam meam coram omnibus vobis, & coram ſingulis recognoſco; & affectuoſiſſime caritates veſtras, genibus ad terram demiſſis, exoro, quod ſi aliqua bona, quæ certe pauca fuerunt & ſunt, in me cognoverint, illa amplecti velint; de defectibus autem, negligentiis, inſufficientiis & malis exemplis meis obliviſcantur. Super omnia, Patres & Fratres cariſſimi, devotionem veſtram ſupplex exoro, ne mei, qui vobiſcum juventutem, corpus, & omnem corporis valetudinem conſumpſi, in orationibus veſtris obliviſci velitis, ſi namque ab orationibus veſtris derelictus fuero, ſcio quod male ſtabo. O quoties per ferventes orationes veſtras a mortis faucibus ereptus ſum! O quoties a multis periculis animæ & corporis liberatus ſum! Et præcipue, cordialiſſimi Patres, cum audieritis obitum meum, qui, ut credo, in proximo eſt, animam meam recommendo vobis. Ceterum caritates veſtras ad unionem, concordiam, pacem & mutuam caritatem exhortor. Uſque modo ſi fuerint inter vos aliquæ diſcordiæ vel rixæ, patuit eſſe excuſatio propter amplitudinem Provinciæ, propter diverſitatem nationum, & propter Prælatos alienos. Nunc autem quælibet natio partem ſuam habet, Prælato connativo gaudet, omniaque impedimenta ceſſant, unde nulla amplius apud Deum & homines vobis excuſatio relinquitur, ſi concordes non eritis. Quod ulterius ſcribam ignoro, niſi quod ſupra ſcripſi, ſi aliquem veſtrum verbo vel facto offendi, conturbavi vel moleſtavi, aut per malum vitæ ſcandalizavi, aut malum exemplum præbui, iterum atque iterum dico culpam meam, & humiliter rogo vos omnes, & quemlibet veſtrum, ut mihi parcere dignemini. Recommendo autem vos Deo omnipotenti, beatiſſimæ Virgini Mariæ, beato Franciſco, & beato Patri fundatori veſtro Joanni de Capiſtrano, ut vos conſervare dignentur in ſancta vocatione & profeſſione veſtra, vivendo in obedientia, paupertate & caſtitate, & in aliis bonis & ſanctis ordinationibus & inſtitutis veſtris, & præcipue in ſanctiſſima oratione, quæ eſt clavis totius ſa-

ſacræ Obſervantiæ noſtræ, & qua perdita, omnia alia evaneſcunt. Ego quocumque ivero, ſemper vos omnes in corde meo portabo. Valete dulciſſimi & cordialiſſimi Patres & Fratres, & in orationibus veſtris mementote mei. Ex hoc loco S. Radegundis, die XXII. *Januarii,* MCCCCLXVIII.

Gabriel Veronenſis jubetur reverti in Germaniam.

V. Gabriel Porro Veronenſis dum ad Comitia accedit, juſſus eſt in eas, a quibus veniebat, Provincias reverti; probaverat enim Paulus, quam utilem rebus fidei impendebat operam. Ut vero Patres capitulares eum haberent excuſatum, has litteras tranſmiſit.

Dilectis filiis Vicario, & toti Capitulo Generali Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupat. &c.

Ex autographo.

Dilecti filii, ſalutem &c. Quoniam docente experientia didicimus, dilecti filii Gabrielis de Verona, Ordinis veſtri profeſſoris præſentium, circa negotia fidei Nobis & ſanctæ Eccleſiæ in partibus regni Boemiæ, & illis vicinis regionibus, & adverſus perfidum hominem Georgium Podiebrat, prædicti Regni occupatorem, nuper a nobis damnatum, hæreticum, perjurium & ſacrilegum, necnon contra illius complices & adhærentes, proque Catholicorum fidelium exhortatione & firmitate baccalaureus perutilem fuiſſe, &, ut non dubitamus, deinceps futurum; hinc eſt, quod eumdem Gabrielem, non obſtante veſtro imminente Capitulo, in quo, ut referebat, intereſſe ex officio tenebatur, ad prædictas partes ſine mora reverti juſſimus. Volumus itaque ut præfatum Gabrielem abeſſe in eodem Capitulo veſtro, hac vice in favorem Catholicæ fidei æquo animo ferati, eique in commiſſis per Nos ſibi negotiis poſſibilia adjutoria exhibeatis, habituri propterea Nos & Apoſtolicam Sedem ad gratiam & favores erga vos & familiam veſtram proniores. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die XV. *Aprilis* MCCCCLXVII. *Pontificatus noſtri anno* III.

Dividitur Provincia Auſtriæ in tres.

VI. Peractis Comitiis Mantuanis, ubi Romam venit novus Vicarius Baptiſta, & Pontifici quæ ſtatuta erant, expoſuit, miſit continuo prædictum Petrum Neapolitanum, adjuncto ſocio Angelo a Clavaſio, Provinciæ Genuenſis Vicario, auctoritate Pontificia ſuffultos, qui Germanorum, Polonorum & Boemorum animos explorarent, & ſuffragia exciperent circa nationum & Provinciarum diviſionem. Id ipſum in mandatis habuit Rodulphus Epiſcopus Lavantinenſis, Pontificius legatus ad Caſimirum Regem, ut de pace ineunda cum Cruciferis perſuaderet: qui Toruniæ, die natali Virginis Mariæ, coram Rege & proceribus in Cœnobium Minorum, ritu ſolemni ſacra peregit, & poſtridie mandata Pontificis expoſuit, Regemque ad pacem exhortatus eſt. Indictis porro trium nationum Comitiis Poloniæ in Conventu ſancti Bernardini Cracovienſis, auditis omnium ſententiis, & Jacobo de Glogavia Commiſſario Poloniæ ſuum officium renunciante, & ſigillum conſignante, Petrus Præſes unum illum diverſarum gentium Vicariatum in tres diviſit, Auſtriacum, Polonicum, Boemum, diſtributis per eoſdem, qui tunc exiſtebant, Conventibus, ea quæ in ejus hiſce litteris forma continetur.

Commtr. l. 16. de reb. Polon.

In nomine Domini. Amen.

VII. *Ego frater Petrus de Neapoli, Ordinis Minorum, Reverendi Patris Vicarii Generalis Ciſmontani, & in aliquibus partibus Ultramontanis ſuper Fratres de Obſervantia nuncupatos, in partibus Auſtriæ, Boemiæ, Poloniæ &c. ab eodem Reverendo Patre Vicario Generali, & a tota Ge-*

Generali noſtra Congregatione nuperrime Mantuæ celebrata, immeritus Commiſſarius deputatus, volens Fratribus dictarum Provinciarum Auſtriæ, Boemiæ &c. quoad regimen ipſorum Fratrum, pacem atque quietem, ad conſervationem Regularis Obſervantiæ, & mutuæ caritatis, de opportuno remedio debite providere, auditis omnibus, & ſingulis matura conſideratione diligenter inſpectis, auctoritate mihi in hac parte commiſſa a ſæpedicto Reverendo Patre Vicario Generali, ac Diffinitoribus, & univerſa Congregatione Generali, necnon ab Apoſtolica mihi Sede conceſſa, de conſilio pariter & aſſenſu venerabilis Patris fratris Angeli de Clavaſio, ejuſdem Ordinis, ac Provinciæ Januæ non immerito Vicarii, & per Reverendum Patrem Vicarium Generalem & Patres Congregationis prædictæ, quoad infraſcripta examinanda, declaranda & decidenda, in ſocium mihi dati, conſiliarium & collegam, præſentibus prædicto fratre Angelo, atque omnibus vocalibus Provincialis Congregationis Auſtriæ, Boemiæ, Poloniæ &c. hoc in loco ſancti Bernardini Cracovien. ſecundum formam Juris, & noſtræ familiæ conſuetudinem, ad ſonum campanellæ capitulariter congregatis, declaro atque pronuncio, & per præſentes ſtatuo atque decerno, quod circa loca Auſtriæ, Styriæ & Carinthiæ, quæ nunc extant, vel in futurum accipi vel fundari, ſeu erigi continget, cum Fratribus ibi commorantibus & commoraturis, cum omnibus finibus ac metis ſeu pertinentiis & terminis ſuis, juxta antiquam Ordinis noſtri diviſionem, eligere ſemper debeant & habeant unum Vicarium juxta mores aliarum Provinciarum Italiæ, qui dicta loca & Fratres regat & gubernet ſub perpetua obedientia prænominati Reverendi Patris Vicarii Ciſmontani, ſecundum Apoſtolicas Bullas & juſſiones. Loca vero quæ ſunt in Polonia baſſa, infra terminos & metas regni Poloniæ, atque in Polonia alta, necnon Mazovia & Ruſſia, præſentia & futura, ſi quæ accipientur in Litlandia, & Cujavia, & per totum regnum Poloniæ, & Fratres in his locis pro tempore exiſtentes, habeant unum Vicarium ſub obedientia præfati Patris Vicarii Generalis, quem ipſi eligent ſecundum conſuetudinem familiæ noſtræ. Loca autem in Boemia, Moravia & Sileſia, quæ nunc exiſtunt vel quæ in futuro accipientur vel erigentur in toto regno Boemiæ, intra limites Provinciæ Boemiæ, uſque ad limites Provinciæ Saxoniæ & regni Poloniæ, unu cum loco ſancti Bernardini in ſuburbio Wratislaviæ, qui ex Apoſtolico reſcripto applicatus eſt ad Provinciam Auſtriæ, quando omnia iſta alia loca erant unita in unam Provinciam, habeant unum Commiſſarium per me nunc aſſignandum, qui prædicta loca & Fratres ſub obedientia jam dicti Reverendi Patris Vicarii Generalis Ciſmontani regat, donec per Reverendum Patrem Vicarium Generalem prædictum, ſeu noſtram Generalem Congregationem fuerit expreſſe determinatum, an prædicta loca ſint uni vel alteri prædictarum Provinciarum applicanda in totum vel in partem, an vero debeant per ſe ſub uno Vicario, a prædictis diſtincto, regi & gubernari ſecundum alias Provincias familiæ noſtræ: Cui determinationi fiendæ debeat ſtari, nec aliud in contrarium attentari, nec etiam de conſenſu & ſcitu dicti Reverendi Patris Vicarii Generalis. Ne autem in dictis iſtis Provinciis perturbatio fiat propter Fratres, qui vellent ſe de una in alteram transferre, declaro, quod nullus Frater poſſit de Provincia, in qua ſe reperit, ad aliam transferre, quouſque per me ſuper hoc fuerit aliter proviſum, ne ſcandalum oriatur. Et ita pronuntio & ſententio ego qui ſupra frater Petrus de Neapoli in his ſcriptis, manu propria: in quorum omnium fidem & robur, præſentem ſententiam ſigillo, quo in officio utor, & ſigillo Provinciæ Auſtriæ munivi feci, in prædicto loco ſancti Bernardini Cracovien. die III. *Octobris,* MCCCCLXVII.

Vicarii novarum Provinciarum.

VIII. Vicarii autem harum Provinciarum electi ſunt; Auſtriæ, Bonaventura de Bavaria in regimine prudens, ſive, uti alii volunt, Andreas de Lous; Poloniæ, Marianus de Jeziorco vir eruditus, olim in Univerſitate Cracovienſi Artium Magiſter, inſignis Theologus & Canoniſta; Boemiæ Commiſſarius, Jnannes de Miſna. Paulo poſt, uti ſuo loco dicemus, datus eſt etiam Boemis Vicarius.

Anno 1469.

Regeſt. Ord. Marian. cit. Controverſia inter Mediolanen. & Brixien.

IX. Orta magna controverſia & implacabili diſſenſione inter Fratres Mediolanenſes & Brixienſes, ſub eodem Vicario eouſque degentes, oportuit Baptiſtam Vicarium, abſolutis Mantuæ Comitiis, Mediolanum proficiſci, ut ſemina tolleret diſcordiæ. Inde porro jacta, quod cum atrox inter Mediolanenſes & Venetos, quibus Brixia parebat, bellum vigeret, fera ſecuta ſunt inter populos odia, quæ clauſtra etiam Monachorum penetrarunt. Mediolanenſes, penes quos regimen perſeverabat, imperioſius Brixienſibus præcipiebant: hi vero ſe contemni judicantes, obſequi detrectabant, ægre ferentes adverſariorum, quos putabant, imperium. Præcipui ſeditionis auctores, Petrus Capriolus, Matthæus de Trivillio, Gabriel de Malvetiis, Bonaventura Brixienſis, a Provincia exulare juſſi, & ad alias proficiſci, cum ad Patres Conventuales, vel ad familiam fratris Amadei Hiſpani, de quo ſupra diximus, tranſire procurarent, injunctis quibuſdam pœnitentiis, in ſua Provincia ſunt relicti. Capriolus autem vir acris ingenii, variæ eruditionis, magnæ opinionis in populo, in concionando celebris, cum ægre ferret ſocios male habere, perturbatorum nomine audire, ſe ad unius humilis Cœnobii limites, quos tranſilire non licebat, reduci, multa ſequentibus annis machinatus eſt, quæ ſuperioribus ingrata, & ſubditis moleſta, eum ſortita ſunt exitum, ut ſibi ſuiſque ſequacibus peculiares poſuerit manſiones in territorio Brixienſi, Bergomate & Cremonenſi, ſub obedientia Patrum Conventualium, inſtituta Capriolorum (alii perperam vocant Caperolanos) Congregatione, quæ cum ipſo extincta eſt, unitis Provinciæ Mediolanenſi conſtructis ab eo Cœnobiolis. Sæpius in ſequentibus annis de illo ſermo redibit.

An. 1464. n. 30. & ſeq.

Jubet Pontifex ne occupentur domus Conventualium.

X. Frequentes hoc tempore recipiebat Paulus Pontifex querelas circa Conventus a Conventualibus ad Obſervantes translatos, & frequentia nimis audiebat inter utroſque diſſidia, quibus ut mederetur, gravem hanc ex utriuſque partis conſenſu edidit conſtitutionem.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex originali.

Cum ſacer Ordo Fratrum Minorum in agro militantis Eccleſiæ, tamquam rutilans in amictu ſponſæ carbunculus, aut candida margarita præfulgeat, indignum & ejus ſanctimoniæ contrarium reputamus, illum diſſenſionum ſentibus implicari. Unde ne inteſtinæ diſcordiæ, quæ per verſutum humani generis hoſtem inter dicti Ordinis profeſſores jamdudum diſſeminari cœperunt, diutius invaleſcant, ad officium noſtrum pertinet eas eradicare, & ut ipſi inter ſe mutua caritate conjuncti, expectatum fructum afferant, & exemplo proficiant, partes noſtræ ſollicitudinis adhibere. Sane, licet olim tam felicis recordationis Eugenius IV. Nicolaus V. Calixtus III. & Pius II. quam nonnulli alii Romani Pontifices prædeceſſores noſtri, ad amputandas quaſdam diſſentiones inter Fratres ipſos, qui Conventuales, & qui de Obſervantia nuncupantur, vertentes, diligenter intenderint, & varia eorum ſtatuta & ordines, & litteras ediderint, noſque ipſorum prædeceſſorum veſtigia imitati, eiſdem Fratribus, de Obſervantia nuncupatis, ne loca Conventualium, aut

aut Monaſteria Monialium eorum curæ ſubjecta recipere, neque ut illo a cura ipſorum Conventualium auferantur tentare, aut etiam privatis perſonis perſuadere præſumant, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna prohibuerimus, prout in noſtris & eorumdem prædeceſſorum litteris pleniùs continetur; tamen propter ipſius Ordinis longe lateque diffuſi magnitudinem, aliqua adhuc diſcordiarum ſemina ſuperfuerunt. Nos ea, de dilectorum filiorum Franciſci de Saona Generalis Miniſtri dicti Ordinis, & Marci de Bononia ipſius Generalis in Ciſmontanis partibus ſuper Fratres de Obſervantia Generalis Vicarii, necnon Generalis Procuratoris Fratrum Conventualium, ac Commiſſariorum de Obſervantia prædictorum, tam citra, quam Ultramontanorum in Romana Curia deputatorum, & ſufficienter, prout nobis plane conſtat, mandata habentium, expreſſo conſenſu, per moderationem litterarum prædictarum & aliarum proviſionum adjectionem, amputanda auferendaque duximus. Cum itaque in prædictis noſtris litteris in Fratres de Obſervantia præfatos, quoquo modo de alicujus domus, Conventus, ſeu Monaſterii abiatione perſuadentes, excommunicationis feratur ſententia eo ipſo, cujus abſolutio dumtaxat Sedi Apoſtolicæ reſervatur, & propterea, ut prædicti Vicarii & Commiſſarii coram nobis expoſuerunt, facilis ad multos ſimplices eadem ſententia illaqueandos, & pro obtinenda abſolutione ad Romanam Curiam vagandi via paretur; Nos cupientes eorumdem Fratrum de Obſervantia metum tollere, eoſque nihilominus ne domos Conventualium, & ab eorum cura Monaſteria prædicta ſubtrahant, eadem pœna viam præcludere, & viciſſim ne Conventuales ad eorum perturbationem proſiliant, providere, necnon prædictas noſtras litteras, quæ incipiunt Superna diſpoſitionis, *non obſtantibus quibuſvis in eis adjectis, derogatoriarumque prohibitoriis, aliiſque fortioribus clauſulis, quas & ipſarum litterarum tenores, etſi de verbo ad verbum pro earum derogatione forſan requiri videretur, licet præſentibus non enarrentur, haberi volumus pro expreſſis, harum ſerie, ex certa ſcientia moderantes, & ſi quid ultra ſit, vel contrarium revocantes: auctoritate Apoſtolica, & ſcientia ſimili, tenore præſentium tam Conventualibus, quam de Obſervantia & nonnullis aliis, qui Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris ſubſunt, & de Obſervantia nuncupantur, dicti Ordinis Fratribus tam citra, quam Ultramontanis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna diſtrictius inhibentes, ne proprio motu, induſtria & malitia, videlicet Fratres Conventuales Obſervantum, & e converſo illi de Obſervantia per ſe vel aliam ſeu alios, quovis quæſito colore vel ingenio, de cetero Conventualium Fratrum prædictorum aliquam domum, locum, Conventum, ſeu Monaſterium Monialium de novo recipere, invadere vel perturbare, aut de illa vel illo ſe quomodolibet intromittere; Conventuales autem & alii Fratres etiam de Obſervantia, Generali dumtaxat, ſeu etiam Provincialibus Miniſtris ſubditi, eorumque Prælati, ne aliquos Fratres de Obſervantia ſub Vicariis vivere ſolitos, transfugas, ſeu ad eos fugientes, niſi oſtenderint litteras ſuæ licentiæ a Prælato ſuo per eos obtentas, in quibus contineatur nomen Conventus a quo receſſerint, & illius ad quem remiſſi ſunt, etiam ſub prætextu cujuſcumque licentiæ ſuper hoc ipſis Fratribus Conventualibus, & aliis de Obſervantia dictis Vicariis non ſubditis, eorumque Prælatis ab Apoſtolica Sede conceſſæ, quam quoad hoc penitus revocamus, acceptare quoquomodo præſumant, ſed illos ad præfatos ſuos, juxta litterarum dicti Pii prædeceſſoris noſtri ſuper hoc editarum, quas per omnia volumus obſervari, continentiam remittere teneantur. Et viceverſa prohibemus ne Fratres de Obſervantia nuncupati prædicti, ſcandaloſos & criminoſos Fratres Conventuales, & diſciplinam Or-*

diuis ſubterfugientes, recipere, ſed illos ſimiliter ad præfatos ſuos remittere debeant, ſervata tamen piæ memoriæ Eugenii Papæ IV. & Pii prædicti prædeceſſorum noſtrorum litterarum, quoad hoc editarum, forma, alioquin nos ex nunc prout ex tunc in contrafacientes, & inhibitionum omnium noſtrarum prædictarum tranſgreſſores tam Conventuales, quam de Obſervantia & alios Fratres prædictos, eiſque in præmiſſis omnibus dantes auxilium, conſilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, cujuſcumque ſtatus vel dignitatis fuerint in Ordine, excommunicationis ſententiam, harum ſerie promulgamus, a qua non poſſint niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo conſtituti, abſolutionis beneficium obtinere. Si vero illi Fratres, qui de Obſervantia nuncupantur, & ſolum Generali ſubſunt, inhibitioni prædictæ contravenerint, ultra præmiſſas pœnas, etiam per Miniſtros Provinciales eorumque Vicarios, Miniſtro extra illam Provinciam exiſtente, ad omnem ipſorum Fratrum de Obſervantia requiſitionem, non obſtante quacumque ipſis per Sedem Apoſtolicam vel alias conceſſa exemptione, arceri, & ad ſatisfactionem in præmiſſis compelli poſſint & debeant remediis opportunis. Præterea, cum intellexerimus, nonnullos dicti Ordinis Fratres ab obedientia quam voverunt ſubterfugientes, variis prætenſis coloribus, & mediantibus litteris Apoſtolicis, ſibi procuraſſe Conventus & loca, in quibus ſine Superiorum obedientia degerent, Nos attendentes id eſſe regulari dicti Ordinis diſciplinæ contrarium, auctoritate & ſcientia ſupradictis, earumdem tenore præſentium, omnes & ſingulos per eoſdem Fratres taliter receptos Conventus ſeu domos, aut Generali immediate, aut Provincialibus Miniſtris ſeu Vicariis de Obſervantia dicti Ordinis ſubeſſe debere decernimus & mandamus, ita quod infra XV. dierum ſpatium, habita præſentium notitia, illi Fratres, qui ea receperunt, vel qui in eis habitant, eligere & manifeſte ſub publico teſtimonio dicere teneantur, utrum Generali vel Provincialibus Miniſtris, an vero Vicariis de Obſervantia ſubeſſe malint: ſtatuentes, quod in poſterum nullus talis Frater aliquem locum ſeu domum, etiam quarumcumque litterarum obtentu, recipere valeat, niſi de licentia Generalis ſeu Provincialium Miniſtrorum vel Vicarii Obſervantum illius Provinciæ, in qua locus ſeu domus ipſa conſiterit, niſi his litteris fuerit ſimpliciter derogatum; quam ſi receperit, ſi ipſe maluerit ſubeſſe Vicariis de Obſervantia nuncupatis, ipſis præfatis Vicariis, alioquin ipſis Generali vel Provincialibus Miniſtris ſubeſſe debeat, ut ſupcrius eſt expreſſum. Et ſi forte recuſaverint ita ſubeſſe, Nos per eos taliter recepta loca ex nunc prout ex tunc Eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto. Cetcrum ut Seraphicus iſte Ordo dilatetur, auctoritate & ſcientia prædictis, ſtatuimus & ordinamus, quod eiſdem Fratribus de Obſervantia eorumque Vicariis perpetuo liceat, habita tamen ſuper hoc ab eadem Sede licentia, in quacumque Civitate, caſtro ſeu alio loco, etiamſi in illo vel alio, aliæ vel aliæ Conventualium Fratrum domus eſſent, novas domos ædificare, vel ſi ædificatæ a Principibus, Dominis, Communitatibus aut aliis, eis largirentur, dummodo non ſubjiciantur Conventualibus, aut immediate Generali Miniſtro dicti Ordinis, accipere & inhabitare: inhibentes Miniſtris & Fratribus Conventualibus ac aliis, ſeu dumtaxat Generali ſupradictis, ſub eadem excommunicationis pœna, quam in contrafacientes ex nunc prout ex tunc ferimus in his ſcriptis, & a qua non poſſint, niſi per eumdem Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo abſolvi, ne proprio motu vel induſtria per ſe vel alium ſeu alios, quovis quæſito colore vel ingenio, ſuper receptione vel retentione talium domorum per eos, juxta hanc noſtram licentiam accipiendarum, contra præſentium tenorem impedire, aut eis moleſtiam aliquam in-

inferre præſumant. Et ſimiliter ſub eadem pœna prohibemus Fratribus de Obſervantia prædictis, ne eoſdem Fratres Conventuales, aut alios Generali vel Provincialibus Miniſtris ſubditos, quominus in eiſdem Civitatibus atque locis etiam nova loca conſtruere, & conſtructa, dummodo Vicariis non ſubſint, ſi eis ut præfertur, donentur vel concedantur, accipere & retinere poſſint, impedire audeant. Et nihilominus volumus, & tenore præſentium ordinamus, quod, ſi quando (quod abſit) Conventuales, vel de Obſervantia aut alii Fratres prædicti inhibitionibus noſtris hujuſmodi contravenerint, aut alias contra tenorem præſentium attentaverint, ex tunc Fratres de Obſervantia ad Generalem vel Provinciales Miniſtros, & e converſo Conventuales & alii Fratres prædicti ad Vicarios memoratos pro obſervatione præſentium, & rebellium correctione recurrere poſſint. Qui quidem Miniſtri & Vicarii tranſgreſſores ipſos teneantur & debeant, auctoritate noſtra per cenſuram Eccleſiaſticam & opportuna remedia uſque ad ſatisfactionem debitam coercere, aliis pœnis prædictis in ſuo robore nihilominus permanentibus: decernentes irritam & inane ſi ſecus ſuper præmiſſis vel eorum aliquo, per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Per hoc autem, privilegiis & litteris, Generali & Conventualibus, ſive Vicariis & Fratribus de Obſervantia prædictis per Eugenium & Piam præfatos & alios Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros conceſſis, non intendimus alias in aliquo derogare, niſi in quantum ſupradictis contrairent. Poſtremo, quia difficile foret præſentes litteras ad ſingulas Provincias originaliter deſtinare, volumus & dicta auctoritate decernimus, quod tranſumpto earum, manu notarii publici & Curiæ caſarum Cameræ Apoſtolicæ, aut alicujus Epiſcopalis vel Archiepiſcopalis ſigillo munito, eadem prorſus in judicio & extra, ubicumque exhibitæ vel oſtenſæ fuerint, fides adhibeatur, ac ſi ipſæ originales litteræ forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ moderationis, inhibitionis, revocationis, prohibitionis, promulgationis, conſtitutionis, mandati, ſubjectionis, ſtatuti, ordinationis, intentionis, voluntatis & decreti infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVI. *pridie Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno* III.

XI. Fratres Vicariæ Boſnenſis poſt devictum a Turcarum Imperatore Boſnæ regnum, regemque Thomam occiſum, etſi triginta & plura loca perdiderint, multique ex ipſis trucidati ſint, nihilominus quod bonorum erat virorum, præſtare non deſtiterunt. Chriſtianos in fide continuerunt, ut excuſſo gravi Turcarum jugo, Matthiæ Hungariæ Regi nomen darent, Caſtrum Jayctzæ fortiſſimum, de quo alias diximus, eidem traderent, & fortiter contra Sarracenos dimicarent, ſecretis conſiliis, & publicis prædicationibus perſuaſerunt. Præmium aliquod daturus Pontifex, in hoc diplomate contenta conceſſit.

Fratres Boſnenſes laudabiliter ſe gerunt contra Turcas.

To. 13. an. 1458. n. 35.

Dile-

Dilectis filiis Vicario & Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Provinciæ Boſnæ, juxta morem dicti Ordinis.

Ex lib. 1. de benef. vacant. de Regul. &c. an. 3. fol. 189.

VOtis Domino ſub regulari &c. favorabiliter exaudimus. Sane pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum olim regnum Boſnæ per immaniſſimam Turcarum gentem occupatum ſuerit, ipſaque gens inſigne dicti regni oppidum Zayczæ nuncupatum, vi armorum detineret, vos verbo Dei & publicis prædicationibus, ac ſecretis ſuaſionibus & aliis diverſis mediis, populum & incolas dicti oppidi, ut eoſdem Turcas inde ejicerent & propellerent, & Cariſſimum in Chriſto filium Matthiam, Hungariæ Regem illuſtrem in eorum dominum reciperent, induxiſtis, unde ipſius oppidi dicto Regi deditio, & non parva terrarum & locorum dicti regni per ipſum Regem eſt facta recuperatio, & ab ejuſdem immaniſſimæ gentis ſæva tyrannide liberatio ſubſecuta extitit, cum præſertim dictum oppidum fortiſſimum, & pro ipſius regni manutentione valde opportunum exiſtat; & licet eadem Turcarum gens oppidum ipſum noviter obſediſſet, & eorum imperio iterum ſubdere moliti eſſent, tamen, quod forſan alias eis contigiſſet, prædicationibus, ſuaſionibus & exhortationibus veſtris tam publicis, quam privatis, populus & incolæ oppidi præfati, ad reſiſtendum eorum potentiæ, ac continue, tempore obſidionis hujuſmodi, ad præliandum cum eadem gente adeo animati fuere, ut dicta gens, perſpecta virtute & conſtantia populi & incolarum prædictorum, qui potius mortis ſupplicium ſubiiſſent, quam ſe ipſorum Turcarum imperio ſubjugari paſſi eſſent, commiſſis quamplurimis & inenarrabilibus pugnis, in quibus multi etiam ex eiſdem Fratribus perierunt, & quatuor ex eis ab eadem gente capti, crudeliſſimo Martyrii ſupplicio diditi fuerunt, obſidionem ipſius oppidi deſerere & inde recedere compulſi extiterunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos ex domibus ſive locis, quæ in dicto regno habuiſtis, triginta & amplius amiſeritis, & propterea quamplurimi Fratres, qui in illis degebant, ſe ad alia ejudem Vicariatus in partibus maritimis vel illis vicinis conſiſtentia loca ſeu domos veſtri Ordinis, quæ jam diu & per octuaginta annos & ultra poſſediſtis, ſe tranſtulerint; pro parte tam dicti Regis, quam veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod in prædictis domibus tam maritimis, quam aliis dictæ Provinciæ, in quibus propter eorumdem Turcarum vicinitatem valde neceſſarii eſſe dignoſcimini, a nullo moleſtari, & quominus illa pacifice poſſidere poſſitis, impediri valeatis, vobis indulgere, ac alias ſtatui & quieti veſtræ ſuper his &c. dignaremur. Nos igitur, ut eo ferventius in hujuſmodi ſancto fidem Catholicam defendendi propoſito perſiſtatis, quo majoribus per nos privilegiis & gratiis fueritis communiti, præfati Regis ac veſtris hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, quod ſuper prædictis domibus ſive locis infra limites ejuſdem Vicariatus conſiſtentibus, quæ, ut præfertur, pacifice poſſidetis, a quoquam, cujuſvis dignitatis, ſtatus vel gradus, ordinis vel conditionis fuerit, directe vel indirecte, aut alio quovis quæſito colore moleſtari minime valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. noſtræ conceſſionis infringere &c. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVII. *v. Idus Auguſti, anno* III.

Boſnenſes à Turcis occiſi.

Moritur Philip. Bonus Dux Burgundiæ.

XII. Deceſſit hoc anno Philippus Burgundiæ Dux, re & cognomento *Bonus*, Chriſtianorum Principum pulchrum ornamentum, Romanæ fidei propugnaculum, Turcarum & infidelium glorioſus debellator, ſubditorum non

Anno Christi 1467.	Pauli II. an. 3. & 4.	Friderici III. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 260.

non tam Princeps, quam Pater, ſacrorum hominum venerator eximius, Religioſorum beneſactor, noſtri Inſtituti propagator & cultor. Brugis circa Nonas Junii ægrotare incipiens, poſtridie Idus, ætatis anno ſeptuageſimo ſecundo, imperii quadrageſimo octavo, ſpiritum Deo reddidit, extincto levi continuaque febri calore naturali. Imperium Belgicum ſua virtute auxit, & prudentia ſtabilivit, maximumque poſt regium totius Europæ Principatum, filio Carolo Audaci pacificum reliquit. Tepero erga noſtros affectui nihil non debemus: Loca ſancta Hieroſolymorum protexit, reſarcivit, miſſo quotannis ſubſidio ſuſtentavit; per omnes ſuæ ditionis urbes & oppida Regularis Obſervantiæ Inſtitutum dilatavit, Adminiſtris & locorum Rectoribus impenſe commendavit; quod e re publica aut militari ſupererat otii, inter Minores, & quos maxime judicabat pios, religioſe tranſigebat. Adeo frequens erat cum illis converſatio, notumque beneſaciendi ſtudium, ut qui ex aulicis Principi placere vellent, ſe Minoritis addictos oſtenderent, vel ſaltem effingerent. Atque hinc tantopere aucta in Belgio Religio, certantibus miniſtris, ut erga eam ſuam quiſque Principi pietatem explicaret. Frequentiſſima hujus pii certaminis argumenta per ſuperiores annos admirabundus expoſui, & Principis attribui virtuti, cujus piæ digniſſimæque memoriæ vel tenue hoc noſtræ gratitudinis ſymbolum volui ſupereſſe. Minoribus aperime addictus.

XIII. Obiit hoc anno in Conventu Agnonis, Provinciæ ſancti Angeli, Thomas Theutonicus, vir venerabilis & ſanctus, qui Provinciam illam pie & prudenter longo tempore gubernavit. Annis viginti quatuor nudis pedibus inceſſit, vinum non bibit, carnes non manducavit, noctes integras cœleſtia contemplans ducebat inſomnes, & ſuper ſingulas orationis Dominicæ petitiones, varias efformans meditationes, per horas multas unius orationis recitationem protrahebat. Apparuit ſacrum facienti Chriſtus in hoſtia, & cogitanti receſſum ad loca ſolitaria dixit, in familia ſibi gratiſſima perſeverandum eſſe, & proximorum ſaluti ſolerter incumbendum. Antiquus dierum deceſſit, magnum ſui relinquens deſiderium populis oppidiſque vicinis, cujus ſepulcrum magna pietate venerantur. *Marian. citat. c. 36. Marc. 3. par. lib. c. 37.* Moritur Thomas Theutonicus.

XIV. Hoc eodem anno ex humanis abiit Chriſtophorus Crivellus Mediolanenſis, nobili ortus progenie, Tribunus Militum ſub Joanne Cornetano Patriarcha Alexandrino, mox Cardinale, Pontificii exercitus imperatore. In viſione a ſancto Franciſco monitus, ut Minoribus nomen daret, & Bernardini Senenſis ſermonibus vehementer commotus, eo tempore, quo Franciſcus Beccaria Ticinenſis, ſub Duce Mediolanenſi Ordinum ductor, de quo alias actum eſt, ab ipſo Bernardino initiatus, & in Tuſciæ Provinciam deſtinatus eſt. Militares ardores & ſeculi vanitates compreſſuri Magiſtri, utrumque humilibus exercuerunt officiis, & adhuc ſub ſericis pretioſiſque veſtibus incedentes, ruderum, ſabuli & calcis oneribus diebus multis probatos voluerunt. Abſoluto tirocinio, per omnes ſe virtutes Chriſtophorus exercuit, & brevi perfectus Chriſti miles evaſit. Superbiam & avaritiam eorum, qui caſtra ſequuntur, male ſuadas ſocias, profunda humilitate & rigoroſa paupertate, ſumma violentia ad mortem uſque ſtuduit effugare. Contra carnis incendia Apoſtoli remedium adhibuit, corpus ſuum miris modis caſtigans, crebris diſciplinis, lacera veſte, tenui cibo, ſomno brevi, omni prorſus requie denegata. Cum ſemel in Conventu ſancti Cerboni prope Lucam, ubi deceſſit, poſt horti culturam, propter calorem & laſſitudinem, tria tantum grana ex uvarum botro delibaſſet, nimiam ſentiens dulcedinem, corpuſque præ ſolito more recreari, annis tribus uvas noluit deguſtare. Item Chriſtophorus Crivellus. *To. 2. an. 1454. n. 42.* Ejus virtutes & ſanctitas. *1. Cor. 9. 27.*

XV. Ora-

XV. Orationi ſemper intentus, ſive ſibi vacabat, ſive quidpiam etſi operoſum faciebat, ad Deum preces effundebat, vitam & paſſionem noſtri Salvatoris aſſidue meditabatur, omneſque dolores flens percurrebat. Nocte quadam in Eccleſia ſancti Cerboni flentem & ejulantem audientes, accurrerunt Conſodales auxiliaturi. Poſtratum invenientes & lacrymantem, dum quid doleret, extorquere non poſſent, præcepit Guardianus, ut dolorem explicaret. Se dolere, inquit obedientia adſtrictus, virum dolorum Chriſtum Dominum, cujus tormenta tranſierunt in affectum cordis, eumque animæ intulerunt cruciatum, ut vociferari, ejulare, opemque viribus deſtitutum implorare oportuerit. Multas paſſus ſatanæ inſidias, & in oratione moleſtias, omnes invicta virtute ſuperavit. Præliis aſſuetus in ſeculo, majora inibat certamina in Religione, & cum fortiori hoſte crebrius dimicabat. Parat miracula. Inter alia miracula, quæ adhuc vivens patravit, illud unum eſt, quod Fridiani Lucenſis uxorem ab infeſtiſſimo dæmone, nullis exorciſmis, neque reliquiarum attactu, abire volentem, in cella orans liberaverit. Andreas del Vigna Lucenſis, cum in toto tirocinii anno ſe Officio Divino, pſalmodiæ & chori functionibus ineptum reputaret, nec ad ſeculum regredi vellet, inſtanter agebat cum Magiſtro Paulo de Luca, ut ad Laici ſtatum adaptaretur. Renuit Magiſter, litterarum conſpiciens etſi ad hæc munera rudiorem. Indignatus itaque novitius, incompoſite ab illo receſſit, ſed obvium habuit Chriſtophorum jam ætate provectum, qui blande increpavit, omnia repetens, quæ clanculum in cubiculo aliquanto audacius dixerat Vicario, & nemo hominum præter ipſos collocutores poterat ſcire, perſuaſitque ut facti pœnitens extemplo rediret & veniam deprecaretur. Multos excepit Chriſtophorus e cœlo favores, illumque maximum, remiſſionis peccatorum, & plurima ante & poſt obitum opera peregit miraculoſa. Cadaver præ foribus Eccleſiæ ſepultum ſub aquæ ſtillicidiis, annis multis incorruptum permanſit. Dum caſu ita conſpiceretur, nec Sodales inde vellent amovere, Eccleſiæ tectum amplius protraxerunt, ne deinceps imber defluereet.

Legen. MSS. Conaret. 4. p. 3. c. 17. An. 1464. n. 10. Varia B. Amadei pia opera. XVI. Multa referuntur hoc tempore beati Amadei Hiſpani, de quo ſuperius egimus, opera prodigioſa. Dum in Eccleſia Quintiani Cœnobii, quod hoc anno accepiſſe dicemus, noctu ferventius oraret, vocem excepit ter dicentis; *Amadee ſurge, vade Bordolanum*: ſummo mane iter aggreſſus, dum Lollium flumen trajiceret, ab impiis nebulonibus in aquas projicitur. Sed licet altæ eſſent cubitis ſex, in ripam oppoſitam profiliit ſolis pedibus madefactus. Ubi Bordolanum pervenit, vidit omnia ſeditionibus & clamoribus permiſceri propter vulneratum lethaliter oppidanum præcipuum. Domum ingreſſus, comperit vicinas & conſanguineas flentes, & amicos de ſepulturæ loco diſputantes, neque enim ulla vitæ ſpes ſupereſſe videbatur. E cubiculo dimiſſis arbitris, languentem monuit, ut percuſſori dimitteret, oppidanos propter eum in partes diſtractos, & ad arma irruentes, pacificari curaret, & peccatorum pœniteret. Deinde in genua procumbens oravit. Statim qui morti appropinquabat, cœpit reviviſcere, libere loqui, omnes convocare, ſeque ſanum Amadei precibus atteſtari. Chriſtophorum de Piſcaria ex alta turri prolapſum, oſſibus contritum, toto corpore contuſum, morti ſe præparantem juſſit, ut bono animo eſſet, & poſt diem tertium ad ſancti Franciſci Templum Deo gratias ageret pro reſtituta ſalute. Convaluit, præceptum adimplevit.

XVII. Abrahami de Fedriſiis filiam, Joannis de Capriotis Brixienſis uxorem, ægro & periculoſo partu laborantem, oratione & miſſo ſuo cingulo ex domo Petri de Advocatis, felici partu lætificavit. Marina parturiens ge-

Anno Christi 1467.	Pauli II. an. 3. & 4.	Friderici III. Imp. anno 28.	Religionis Minorum anno 260.

genitrix, chordam, ad cujus contactum filia tantum conſecuta eſt beneficium, apud ſe retinuit, eſtque hodie in veneratione apud Brixienſes. Habent etiam Viri ſancti æmulos & impios adverſarios, idque probavit Amadeus, porrecto in pane veneno. Eo res pervenit ut nullam vitæ ſpem ſupereſſe palam medici proferrent. Circumſtantibus cubiculum Quintiani oppidi hominibus, ne defunctus alio transferretur, & corporis jacturam pati contingeret, ſoli decumbenti, & animam ferme agenti apparuit ſpecioſiſſima Virgo, quæ morbi remedium explicuit, & reſtituendam ſalutem prædixit. Sacratiſſimam Dei Genitricem, cujus auxilium paulo antea enixe imploravit, fuiſſe intellexit, accepto poſtea, quod illa promiſit, ſalutis beneficio. Neque inultum hoc ſcelus immiſſi veneni reliquit Dominus; quippe auctores & participes eodem anno incurabili morbo perierunt. Nihil his inſidiis remiſit ſtudii proximos juvandi, omnibus benefaciendi, quin potius omnibus omnia factus, univerſos ope, conſilio, precibus ſublevabat. Steriles multas in mœrore & lacrymis dies ſuos tranſigentes, aſſidua prece impetratis a Deo filiis, exhilaravit. Inter has numerantur ſub hunc annum nobiles mulieres, Antonia uxor Comitis Aloiſii Vermi, coniux Matthæi a ſancto Angelo, Præfecti cohortis equitum, uxor Domini Gregorii Genuenſis, Margarita Arcimbolda conſors Domini Boni Joannis Fiſi-ragii Laudenſis.

XVIII. Nepos parvulus D. Petri de Advocatis Brixienſis, conſumpta carne, totus extenuatus & languidulus, ab eo benedictus, infra ſex dies optime convaluit. Thaddæus Bucerinus graviſſime infirmatus, rogatum Amadeum miſit, ut antequam moreretur, viſum veniret. Venit, vidit, a malo curavit, idque ipſum reſtitutæ ſalutis eidem ſecundo præſtitit, dum Buſchi apud Alexandriam graviter ægrotaret. Anno MCCCCLXI. ſparſa fama mortis Franciſci Sforziæ Ducis Mediolanenſis, falſam dixit Amadeus etſi longe abeſſet, & aliquot adhuc annis prædixit victurum. Anno vero MCCCCLXVI. cum Blancam Mariam Duciſſam viſitaſſet, & multis ſpiritualibus præludiis ad tolerandum æquanimiter quodcumque infortunium præoccupaſſet, Ducis bene habentis prænunciavit mortem brevi ſecuturam. Suo dolore vere vaticinatum, illa probavit, mortuo conjuge poſt pauculas hebdomadas die VIII. Martii ſequentis.

XIX. Opportune hic referemus ex Ordinis regeſto religioſum ſane & laudabile Vicarii Generalis & Patrum provinciæ Mediolanenſis decretum circa concedendum eidem Duciſſæ Minoritam Confeſſarium. Utinam hæc nunc æmularentur, qui præſunt, Ordinum Superiores, & conſtantiam hanc retinendæ juſtitiæ, libereque docendi Principes abſque turpi adulatione, & venali ſervitute, quæ ad bonum Reipublicæ regimen ſpectant, confeſſarii ſectarentur, & non potius eſſent ex numero eorum, *qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*. Ipſum uti jacet decretum præmiſſa hac monitione exſcribam. A viri morte, quæ, uti diximus, incidit in annum præteritum, Duciſſa ſæpius monita a confeſſario Minorita, ut juſte regeret, & Provinciam ſub Galeatio filio abſente, potiori cura adminiſtraret, omnia neglexit. Populorum itaque exciti querelis Superiores, Confeſſarii obſequium denegarunt, dicentes: fruſtra Medicum adhiberi medicinam reſpuenti. Illa ægre hoc ferens, modis omnibus inſtitit, ut reſtitueretur, & cum Vicario Generali, quem diximus Mediolanum adveniſſe poſt abſoluta Comitia Mantuana, ſolertiſſime egit, ut quem vellet, poſſet ex Fratribus eligere Confeſſarium, pollicita ſe facturam quidquid Patres ſtatuerent. Inito itaque graviorum virorum conſilio, tandem ita decrevit Vicarius.

Duciſſæ Mediolani datur Confeſſarius ſub quibuſdam conditionibus. *Ezech.* 13. 18.

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 260.
1467.	an. 3. & 4.	anno 28.	

XX. *Determinatum eſt die* XVIII. *Junii, anno* MCCCCLXVII. *per Patres videlicet Vicarium Generalem fratrem Baptiſtam de Levanto, fratrem Antonium de Vercellis Vicarium provinciæ Mediolani, Murcum de Bononia, Petrum de Neapoli, Bernardinum de Caymis, Petrum de Forris, Bonaventuram de Plantanidis, Thomam de Novara, Angelum de Clavaſio, ac Jacobum de Caſtillione, quod quia Domina Duciſſa Mediolani Blanca Maria ſe obtulit determinationi Fratrum ſtare, dummodo audiatur in confeſſione ab eis, quod ex nunc audiatur cum modificationibus infraſcriptis: Primo, quod pro viribus inſtet obtinere titulum Ducatus. Secundo, quod non ſuſpendat executionem juſtitiæ in cauſis civilibus. Tertio, quod minuat expenſas ſuperfluas quantum poſſibile eſt, ejus conſcientiam ſuper hoc aggravando, quæ melius novit, quæ expenſæ ſibi ſint neceſſariæ pro conſervatione ſtatus, cujus reſpectu tanquam bonum commune concernentis, novit ipſa quid neceſſarium ſit. Quarto, quod ſatisfaciat creditoribus pro poſſe annuatim vel dictim. Quinto, quod ſe de beneficiis non impediat, niſi pro reformatione, aut alicujus ſimplicis beneficii porrigenda prece pro aliqua perſona, quæ quatuor notabilium perſonarum judicio videbitur idonea, & præſertim quod ſit beneficium ſine cura, voluntate ſummi Pontificis ſemper reſervata. Quibus omnibus præmiſſis, de prædictorum Patrum conſilio & aſſenſu, frater Bonaventura de Plantanidis, in præfatæ Dominæ Duciſſæ confeſſorem electus eſt, hac modificatione, ut commutari poſſit infra longum vel breve tempus, ad beneplacitum Fratrum Provinciæ, & alius loco ejus deputari, juxta Patris Vicarii provinciæ beneplacitum & voluntatem, ac Patrum eorum, quos in hujuſmodi duxerit conſulendos, quando Patris Vicarii Generalis voluntas & conſilium commode haberi non poſſit. Ex loco noſtro ſanctæ Mariæ de Angelis apud Mediolanum, die ultima Junii,* MCCCCLXVII. Subjiciuntur deinde litteræ obedientiales ſecundum eamdem normam, & præſcriptas conditiones per Vicarium Generalem, præfato Bonaventuræ traditæ die II. Junii.

Fr. David Epiſcop. Caſtren.

XXI. Epiſcopi creati ſunt hoc anno, Caſtren. in Tuſcia, immediate ſub Pontifice Romano, frater David de Forolivio per translationem Antonii ad Ortanam & Civitatis Caſtellanæ Eccleſias unitas III. Kalend. Novembris. Rubicen. in inſulis Fortunatis, ſub Archiepiſc. Hiſpalen. frater Didacus. Cedit Epiſcopatui reſervans ſibi quartam partem fructuum menſæ Epiſcopalis. Subſtituitur Martinus de Roxas, Ordinis ſancti Hieronymi, Monaſterii ſanctæ Mariæ de Armedilla, Segobien. diœceſis, XVI. Kalend. Aprilis. Scythien. ſub Archiepiſc. Creten. Leo de Naxia, a litterarum peritia valde commendatus, per obitum Joannis, eodem die.

Rubicen. frater Didacus.

Scythien. frater Leo.

Conv. Quintiani. *Gonz. in Provin. Brixien. Cano.* 18.

XXII. Hoc anno, menſe Aprilis beatus Amadeus Hiſpanus rogatus ab oppidi Quintiani, Brixienſis diœceſis incolis, & maxime a Theodoldo Archipresbytero Eccleſiæ, Plebis nuncupatæ, ejuſdem oppidi, locum admiſit Eccleſiæ & Conventui ædificandis prope dictum Oppidum, ſub nomine ſanctæ Mariæ Gratiarum. Manus ſtatim operi admoverunt Oppidani, & communibus facultatibus fabricam proſecuti, abſolvendæ, & Amadeo tunc cuſtodi domus ſanctæ Mariæ de Briaianoro, ejuſque ſociis tradendæ facultatem a Paulo Pontifice anno ſequenti, III. Nonas Novembris obtinuerunt.

Lib. 1. de diverſ. form. an. 5. fol. 280.

Conv. Pedis Mootis. *Lib. 4. de diverſ. form. an. 5. fol. 281.*

XXIII. Conceſſit hoc anno Pontifex facultatem Nicolao Epiſcopo Fundano, ut, ſi ita judicaret expedire, ad preces Ferdinandi Regis Siciliæ, Honorati Caetani Comitis Fundorum, & populi Oppidi Pedis montis, Aliſanæ diœceſis, Monaſterium ſancti Salvatoris extra muros prædicti Oppidi, Ordinis ſancti Benedicti ruinoſum, trium tantum Monialium ineptum ha-

habitaculum, translatis Sororibus ad alia ejuſdem Ordinis Monaſteria, converteretur in Cœnobium Minorum Obſervantum, applicatis reditibus, qui ſatis exiles erant, Eccleſiis parochialibus ſanctæ Mariæ & ſancti Bartholomæi, in quibus duodecim presbyteri arcto nimis vivebant ſtipendio. Commode conſtruendi vel reficiendi domicilii expenſas Comes Honoratus liberaliter offerebat. An vero ita factum ſit, aliunde non comperio.

XXIV. Diximus alias Conventum Pennæ ſancti Joannis in Piceno, diœcesis Firmanæ translatum ad interiora oppidi anno MCCCCLXIV. Atqui ſane tunc cœpit novus conſtrui Conventus, & hoc anno facta eſt Fratrum translatio. Ita conſtat ex inſcriptione a me alias citata; ita habet. *Papa Paulo II. In nomine Domini, anno Domini* MCCCCLXVII. *locus iſte fere totus factus eſt his viventibus conterrigenis fratribus Magiſtro ſancte Boncordis, Mag. Catherino, fratre Alexandro, fratre Jacobo, & fratre Angelo, & Architectoris nomen Magiſter Salinus Lombardus.* Aſſervatur ibi corpus beati Joannis de Penna in arca lapidea, incilis his verbis: *Corpus beati Joannis de Penna hic conditum eſt.* Floruit ibi Magiſter Tubatius Mariottus, vir doctus, & egregius Concionator, Sabaudiæ Ducibus gratiſſimus & a ſacris concionibus. *Tom. 5. an. 1291. n. 47. Conv. Pennæ S. Joannis.*

XXV. Conceſſit Paulus Pontifex Fratribus Conventus Cervariæ in Catalonia, Vicenſis diœceſis, de quo alias egimus, facultatem transferendi reliquias domus bello dirutæ, ad locum propinquum, ubi hoſpitale & domos erexit Berengarius de Caſteltore pro recipiendis pauperibus, ut ibidem novum ædificarent Cœnobium. Inter reliquos oppidanos plurimum Fratribus faverunt quidam nuncupati Pacrarii. Sed nonniſi poſt aliquot annos domus reædificata eſt auſpiciis Joannis Regis, & Jacobi Cardinalis a Cardona. *Conv. Cervariæ. Tom. 3. an. 1245. n. 34. Lib. 1. de vacantib. de Regular. &c. an. 3. fol. 320.*

XXVI. Nobilis vir Petrus de Velaſco Comes de Haro, Fratres cuſtodiæ del Abrojo, provinciæ Caſtellæ, & incolæ oppidi Villæ-Diego, Burgen. diœceſis, rogarunt Pontificem hoc anno, ut liceret Eccleſiam ſancti Michaelis, quæ prius fuerat Synagoga Judæorum, ab oppidanis refectam, & in Chriſtianorum uſum redactam, eiſdem Fratribus conferre, ut ſibi domicilium eo loco conſtituerent. Scripſit Pontifex ad Abbatem de Cervatos, & Lupum de Roxas Canonicum Eccleſiæ Burgenſis, ut ſi expediret, facultatem largirentur. Oblatum puto aliquod impedimentum domus conſtruendæ; neque enim inter reliquas illius Provinciæ invenio recenſitam. *Conv. Villæ Diego. Lib. 3. de diverſ. an. 4. fol. 162.*

XXVII. Hoc anno in Sardinia Fratres Obſervantes domum Epiſcopalis Cameræ, ad mille paſſus a Saſſaris urbe diſtantem, dono acceptam, civium facultatibus adjuti, in commodum adaptarunt Conventum. Hortos adjecerunt alii amœniſſimos, & neceſſaria quæque ad vitam religioſe pacificeque tranſigendam. Magnus illuc fit populorum concurſus ad ſacellum beatæ Mariæ de Gratiis propter crebra, quæ contingunt ibidem miracula. *Conv. Saſſaris. Gonzaga in Provincia Sardiniæ Conv. 2.*

XXVIII. In Hiſpania etiam prope Lorcæ Civitatem, ædiculam Dominæ noſtræ de Hortis, a Lopetio Carthaginenſium Epiſcopo datam, in pulchrum amplumque Cœnobium tum ex privatis, tum ex publicis Lorcanorum facultatibus, tum quoque ex Sarracenorum Granatenſis regni ſpoliis a fidelibus liberaliſſime oblatis, hoc anno, retento primo ædiculæ titulo tranſtulerunt. Factum confirmavit Paulus anno MCCCCLXX. VI. Idus Decembris. Numerorum error eſt apud Gonzagam, qui VI. Decembris anno MCCCCLXXVI. ita feciſſe affirmat. At illo anno non Paulus II. ſed Sixtus IV. ſedebat. Cupientibus vero Civibus Fratres habere propinquiores, pia quædam matrona fundum cum horto & domo contigua obtulit novo *Conv. Lorcæ. Idem in Provincia Carthag. Conv. 10.*

conſtruendo Cœnobio. Cnjerunt Magiſtratus & Fratrum in Capitulo Bellinontis anno MDLIV. celebrato ſuffragia, ut nova illic fabrica inchoaretur. Sed dum locum illum minus opportunum compererunt, pro alio commodiori in ipſo Civitatis ſuburbio ex Pauli IV. cnncelſione anno MDLV. die 9 Novembris XI., commutarunt, opuſque ſub invocatione ſancti Franciſci ex piorum eleemoſynis lente prnſecuti ſunt. In priori loco aliquot annis commoratus eſt Vincentinus Lunellus, totius Ordinis Generalis Miniſter, qui in Tridentino Concilio diem clauſit extremam.

Conv. Queſnen. *Lib. 1. de beneſic. vacant. de Regul. &c. ann. 3. fol. 316.*

XXIX. Conceditur hoc anno Abbati Monaſterii ſancti Martini Sagien. & Cantori Eccleſiæ Sagien. facultas abſolvendi Fratres Obſervantes Provinciæ Franciæ a cenſuris incurſis ob receptum a nobili viro Guillelmo de Beawocin Eremitorium ſancti Jacobi, loci de Queſnes, Sagien. diœceſis, in nemore & ſolitudine conſtitutum, ibique conſtructum ante aliquot annos humile Fratrum domicilium abſque Sedis Apoſtolicæ facultate. Quid deinde factum ſit de iſto Cœnobiolo, non comperio; neque enim inter illius Provinciæ domos connumeratur.

Lib 1. de dignit. vac. & Regul. an. 3. fol. 203.

XXX. Nobilis vir Joannes de Rochaſocaudi, Dominus loci de Baronia de Rochaſocaudi, Engoliſmen. diœceſis, votum vovit Domino, quod ſi prolem ex uxore ſuſciperet, Conventum Fratribus de Obſervantia quocumque in loco ſui dominii, ubi magis placeret Vicario & Fratribus Provinciæ Turoniæ, fabricaret. Exaudiente Domino, voti compos effectus, a Pontifice hoc anno V. Nonas Martii facultatem obtinuit domum conſtruendi juxta promiſſa. An vern, vel ibi conſtruxerit, eſt incompertum.

Conv. Zechen. *Lib. 1. de diverſ. form. ann. 3. fol. 13.*

XXXI. Hoc anno, rngante nobile viro Michaele Orzag. Comite Palatino, domus Fratrum Minorum Conventualium, oppidi Zechen. Strigonien. diœceſis, ab eiſdem derelicta & penitus deſolata, data eſt ex Pontificis facultate Fratribus Obſervantibus, promittente dicto Comite reparandæ domus expenſas.

Conv. Rimichmez. *Lib. 3. de diverſ. an. 3. fol. 8.*

XXXII. Nobilis vir Joannes Comes Zagariæ, ac Banus & Capitaneus Generalis regni Sclavoniæ, domum Fratrum Minorum, ſub vocabulo beatæ Mariæ Virginis in Rimichmez. Zagabrien. diœceſis, in Dominio ſuo hæreditario fundavit egregia ſtructura. Factum hoc anno Pontifex probavit, hortatus inſuper fideles, ut manus porrigerent adjutrices pro operis complemento, & ſacris ornamentis. Hoc anno reformatus eſt Conventus Kilconelienſis in Hybernia.

Conv. Kilconelien.

Mon. Vallifoletan. *Lib. 1. de Regul. an. 3. fol. 41.*

XXXIII. Invenio hoc anno conqueſtos Patres Prædicatores domus ſancti Pauli de Vallifoleto, Palentinæ tunc diœceſis, quod prope eamdem, non obſervata conſtitutione Clementis IV. & Urbani VI. de numero cannarum trecentarum intervalli, nobilis mulier Tereſia Comitiſſa de S. Martha, dictæ diœceſis Monaſterium Clariſſarum, nulla obtenta Sedis Apoſtolicæ licentia, incœperit. Scripſit itaque Pontifex ad Priorem ac Theſaurarium Eccleſiæ Collegiatæ Vallifoletanæ, ut contra prædictam Conſtitutionem nihil permitterent intentari. Puto itaque impeditum hoc opus; non enim inter plurima, quæ a Patribus Provinciæ Conceptionis reguntur, Monaſteria, inter quæ quinque numerantur Vallifoletana, iſtud reperio.

Mon. Reginum. *Lib. 1. de Regul. an. 3. fol. 270.*

XXXIV. Simile obſtaculum brevioris intervalli, ſeu minoris ſpatii, quam ſit trecentarum cannarum a Monaſterio ſancti Thomæ, Sororum Ordinis ſancti Benedicti, removeri rogavit hoc anno Philippus Abbas Monaſterii ſancti Proſperi, ejuſdem Ordinis extra muros Reginos, ut domum ædificaret Monialibus ſanctæ Claræ de Obſervantia, Corporis Chriſti nuncupatis, in eadem urbe. Rem examinandam poteſtate mque concedendæ licentiæ Pontifex commiſit Epiſcopo Regino. XXXV.

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 260.
1467.	an. 3. & 4.	anno 28.	

XXXV. Conceſſa eſt hoc anno facultas nobili mulieri Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ, ut ex conſenſu filii ſui Caroli Kadraleſii, in Villa Bethunæ, Atrebatenſis diœceſis, domum ædificaret pro Sororibus Tertii Ordinis, de quo aliud nihil narrandum comperimus. Domus Sororum Testii Ordinis Bethunæ. *Lib. 4. de diverſ. form. an. 3. fol. 79.*

XXXVI. Conqueſtæ ſunt hoc annn Abbatiſſa & Sorores Monaſterii ſanctæ Claræ Nurembergæ, Bambergen. diœceſis, eo in oppido inoleviſſe abuſum ſeu corruptelam, quod prædictis Abbatiſſæ & Snroribus nnn licebat in eodem Monaſterio novitias admittere abſque conſenſu Conſulum & Rectorum prædicti oppidi, etſi ſufficientes haberet reditus Monaſterium ad plures Moniales ſuſtentandas, domuſque ipſa capax eſſet majoris numeri Monialium. Scriptis litteris ad Epiſcopum Bambergenſem juſſit Pontifex hunc tolli abuſum; quippe immunitati Eccleſiaſticæ contrarium. Mon. Nurembergæ. *Lib. 1. de Regular. an. 3. fol. 3.*

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. BOemiæ Regnum, a quo ſua culpa dejectus fuerat Georgius, ut dicebamus, non habuit Matthias, ſed per cnnventiones Caſimiro ceſſit: & hoc anno Brugis in Belgio Philippus Burgundiæ Dux ſtrenuus, a ſuis maxime dilectus obiit; qui Carolum filium ſucceſſorem & hæredem ſortitus eſt, virum bellicoſiſſimum, qui Eburonum in Belgio Leodium urbem ſuo Antiſtiti rebellem domuit. Georgius Caſtriotus *Scanderbech*, ideſt Alexander Dominus nuncupatus, Turcarum terror & flagellum, pariter & ipſe hoc anno occubuit. Paulus II. ſummus Pontifex Petri naviculam regens, x. Kalendas Februarii pro Cœnobio Minorum Campanæ, diœceſis Vincentinæ breve expedivit: *Sinceræ devotionis &c.* ac Kalendis Martii, publicata lege communi de non alienandis bonis Eccleſiaſticis: *Ambitioſæ cupiditatis &c.* pro conſtructione Monaſterii Clariſſarum Novariæ, urbis antiquæ in Inſubria, & humili Collæ poſitæ; cujus Ager ad Alpes uſque protenditur, breve emanavit: *Proviſionis noſtræ &c.* Pridie Kalendas Maii. Haroldus ſub Calixto III. enarrat plures Virgines & Viduas Novarienſes voluiſſe Inſtitutum Clariſſarum Regularis Obſervantiæ ſubire, ac ob eam cauſam Cives a ſummo Pontifice anno MCCCCLV. impetraſſe licentiam, ut in ipſa Civitate Clauſtrum illis conderent; verumtamen an factum fuerit, dubium ingerere Gonzagam, qui refert, hujuſmodi Monaſterium exordium habuiſſe hoc anno MCCCCLXVII. ſub Inſtituto ſancti Auguſtini, cum appellatione Virginis Annunciatæ, ſed relicto eo Ordine Auguſtiniano, poſtea incerto tempore Clariſſarum Regulam admiſiſſe. Hujuſmodi autem Gonzagæ enarratio, licet in anno concordet cum brevi Apoſtolico, quod hic ſupra indicavimus, in reliquis tamen diſcordare videtur, quod breve ſit pro conſtructione Monaſterii Clariſſarum, & non Ordinis ſancti Auguſtini.

Ad an. 1466.

Dogl. cit. fol. 452.

Georgius Caſtriotus obiit.

Ex Topogr. Ferr.

Ex Vatic. Harold. ad annum 1455.

» II. In Cnmitiis Generalibus Patrum Regularis Obſervantiæ Mantuæ celebratis, Provinciarum Auſtriæ & Boemiæ unitarum, decreta juſtis de cauſis diviſione, ob eam firmandam ſummo Pontifici ſupplicatum eſt, a quo fratri Baptiſtæ *Taliacarne* de Levanto, Vicario Generali Fratrum Ciſmontanæ Familiæ nuper electo, breve Apoſtolicum ſubſequentis tenoris directum fuit.

PAU-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 260.
1467.	an. 3. & 4.	anno 28.	

PAULUS EPISCOPUS
Servus Servorum Dei.

Dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, Vicario Generali Citramontano, Ordinis Fratrum Minorum ſub Regulari Obſervantia degentium, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Monum. MSS. Prov. Bohemiæ.

„ AD Ordinem veſtrum, *quem paterna caritate diligimus intime, di-*
„ *rigentes conſiderationis intuitum, illa tibi libenter concedimus,*
„ *quæ in tua Familia optatæ quietis fructum inducunt, & ſtatum afferunt*
„ *pacificum & tranquillum. Exhibita quidem nobis nuper pro parte tua, ac*
„ *dilectorum filiorum Capituli Generalis Fratrum Ciſmontanorum, Ordinis*
„ *Fratrum Minorum ſub Regulari Obſervantia degentium, petitio conti-*
„ *nebat; quod licet olim felicis recordationis Nicolaus Papa V. prædeceſſor*
„ *noſter, de Auſtria & Boemia, quæ pridem duæ Provinciæ, juxta morem*
„ *dicti Ordinis eſſe ſolebant, unam tantum Provinciam per ſuas litteras fe-*
„ *cerit, illique domum ſancti Bernardini extra muros Wratislavienſes, dicti*
„ *Ordinis, Provinciæ Saxoniæ addiderit; ſtatuerit quoque, quod pſis ſic uni-*
„ *tis Provinciis unus tantum Vicarius præfici deberet, qui omnia loca &*
„ *Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, ibidem tunc & pro*
„ *tempore exiſtentes, regeret & gubernaret; quodque dicta ſic unita Provin-*
„ *cia illiuſque Fratres Vicario Generali Ciſmontano ſubeſſent, eique ſicut*
„ *ceteri Fratres Provinciæ Italiæ parere tenerentur. Et deinde recolendæ*
„ *memoriæ Pius Papa II. etiam prædeceſſor noſter unionem prædictam per*
„ *alias ſuas litteras confirmaverit, prout in ſingulis litteris plenius conti-*
„ *netur.*

„ *Tamen, quia Provinciæ ſic unitæ prædictæ, & domorum numero,*
„ *& Fratrum multitudine excreverunt, valdeque difficile eſt illas per unum*
„ *Vicarium, propter locorum diſtantiam, linguarumque & morum, ac do-*
„ *miniorum diverſitatem debite poſſe regi; tu & Fratres prædicti in eodem*
„ *Capitulo nuperrime congregati, valde deſideretis, Provincias ipſas, juxta*
„ *antiquam Ordinis diviſionem, ab invicem ſeparari, domumque Wratisla-*
„ *vienſem prædictam eam alteri applicari: quare pro parte tua & Capituli*
„ *prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune*
„ *providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.*

„ *Nos igitur, qui dicti Ordinis & profeſſorum ejuſdem ſtatum proſpe-*
„ *rum & tranquillum zelamus . . . . , hujuſmodi ſupplicationibus incli-*
„ *nati, tibi aut alicui Fratri dicti Ordinis Commiſſario ad hoc per te, vel*
„ *aliquem ſucceſſorum tuorum ſpecialiter pro tempore deputatum, Provincias*
„ *ſic unitas prædictas, ab invicem, juxta antiquam diviſionem Ordinis, ſe-*
„ *parandi & dividendi, domumque Wratislavienſem prædictam, earumdem*
„ *ſic diviſarum alteri applicandi; etſi ac prout tuæ & ejuſdem Commiſſarii*
„ *conſcientiæ videbitur, pro bono domorum earumdem Provinciarum regi-*
„ *mine Fratrumque quiete, aliquas domos unius Provinciæ alteri, & vici-*
„ *ſim illius alteri applicandi & conjungendi, plenam & liberam, auctori-*
„ *tate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus facultatem: volentes, &*
„ *eadem auctoritate ſtatuentes, quod in eiſdem dividendis Provinciis duo*
„ *Vicarii eligantur, juxta morem aliarum Provinciarum, qui Generali Vi-*
„ *cario Citramontano pro tempore exiſtenti, in omnibus ſubſint & pareant;*
„ *necnon diviſioni, ſeparationi, & applicationibus per te vel eumdem Commiſ-*

» *miſſarium faciendis hujuſmodi ſtare, illaſque obſervare debeant: ac man-*
» *dantes omnibus & ſingulis earumdem tunc diviſarum taliter Provincia-*
» *rum Fratribus tam Prælatis, quam ſubditis, præſentibus & futuris, ut*
» *ſeparationem & diviſionem, ac applicationem per te vel eumdem Commiſ-*
» *ſarium faciendas hujuſmodi, quavis appellatione remota, protinus acce-*
» *ptent; nec in aliquo per ſe vel per alium ſeu alios, directe vel indirecte,*
» *verbo vel ſcripto contraveniant, ſub excommunicationis, ac officiorum om-*
» *nium in dicto Ordine, & actuum legitimorum privationis, quam ipſi Fra-*
» *tres etiam Prælati, necnon interdicti pœnis, quam eorum domus & loca*
» *(ſi contravenerint) incurrant, & a quibus abſolui & in priſtinum ſta-*
» *tum reſtitui non poſſint, niſi per te, vel tuum in Vicariatu Generali Citra-*
» *montano ſucceſſorem, præterquam in mortis articulo conſtituti, nec inter-*
» *dictum hujuſmodi relaxari. Nos enim, ſi ſeparationem & diviſionem præ-*
» *dictas fieri contigerit, ut præfertur, illam cum omnibus per te vel Com-*
» *miſſarium, tam univerſaliter, quam partialiter, pro bono earumdem*
» *Provinciarum & Fratrum regimine, ſecundum judicium conſcientiæ de-*
» *terminandis & faciendis, etiam quoad perſonas eligendorum in Vicarios*
» *ſeu Commiſſarios vel Guardianos hac prima vice, ex nunc, prout ex tunc,*
» *dicta auctoritate, tenore præſentium confirmamus & approbamus.*

» *Non obſtantibus conſtitutionibus ac ordinationibus, ac prædictis &*
» *aliis privilegiis, indultis, ac litteris Apoſtolicis, quorumcumque tenorum*
» *exiſtant, quibus, etiamſi de illis do verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa*
» *mentio foret habenda, quoad hoc dumtaxat, illis alias in ſuo robore per-*
» *manſuris, ſpecialiter derogamus; ac dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudi-*
» *nibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia ro-*
» *boratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſan-*
» *ctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ* MCCCCLXVII. *ſexto decimo*
» *Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno* IV.

» III. Præfatum breve Baptiſtæ de Levanto directum, per venerandum Patrem fratrem Marianum *de Jeſſiorko* Vicarium Provinciæ Poloniæ de Obſervantia, Eccleſiæ Cracovienſis Capitulo legitime præſentatum, a Stanislao *de Suviradyce* Canonico & Vicario in ſpiritualibus, necnon Officiali Cracovienſi Generali, per Joannem Jacobi *de Glogie* Clericum, Gneſnen. Diœceſis, publicum Imperiali auctoritate Notarium, tranſumptum & publicatum fuit, die XXIII. menſis Octobris, indictione XV. anno MCCCCLXVII. ut ex ejus publico actu conſtat. *Ex Mon. MSS. Prov. Bœmiæ.*

» IV. In Capitulo vero Generali Obſervantum Ultramontanorum habito apud Conventum Montis-Lucii, in feſto Pentecoſtes, die XXIV. Maii, electo in octavum Vicarium Generalem Ultramontanæ familiæ R. P. fratre Joanne Philippi, adhuc Miniſtro Generali totius Ordinis Magiſtro Franciſco de Savona, nonnulla ordinata fuere, quæ differre videntur ab iis, quæ leguntur in Orbe Seraphico; & ideo ea tranſcribenda cenſui. Joannes Philippi. *Ex memoriali Ordin. fol. 54.*

» 1. *Primo. Ordinatum eſt, quod promovendi ad officia prædicationis*
» *& confeſſionis in Capitulo Provinciali, debeant illuc perſonaliter accedere,*
» *& ibidem examinari, licet prius fuiſſent in Conventibus, a quibus mit-*
» *tuntur, examinati. Verumtamen in Provinciis, in quibus ſunt Cuſtodiæ,*
» *ſufficit quod tales Fratres promovendi ad Capitulum Cuſtodiale conve-*
» *niant, & ibidem examinentur. Et in caſu, quo Vicarius Provincialis ibi-*
» *dem præſideret, poſſit eos ad dicta officia promovere: ſi vero non adfuerit,*
» *tunc per Diffinitores illius Capituli Cuſtodialis fiat veridica relatio ad Capitu-*

„ *pitulum Provinciale de prædictorum examinatione, & tunc, ipſis abſenti-*
„ *bus, poſſint ad præfata officia promoveri. Extra vero dicta Capitula Vica-*
„ *rius Provincialis promovere non poſſit Fratres ſuos ad præfata officia,*
„ *etiam ſi fuerit Commiſſarius Vicarii Generalis, ſed ipſe Generalis Vicarius*
„ *hoc poſſit facere per ſe tantum.*

„ 2. *Item. Ordinatum eſt, quod nullus de cetero audeat confiteri cui-*
„ *quam extra Ordinem noſtrum exiſtenti. Nam licet D. Eugenius alias con-*
„ *ceſſerit ſuper hoc privilegium Fratribus in contrarium; verumtamen*
„ *D. Pius II. aliquibus rationabilibus cauſis incitatus id revocavit: infra*
„ *vero Ordinem, ſcilicet extra familiam noſtram, nullus attentet confiteri,*
„ *niſi de licentia ſui Prælati.*

„ 3. *Item. Ordinatum eſt ad conſcientiarum pacem & tranquillita-*
„ *tem, quod de ſtatutis ſeu ordinationibus, temporibus retroactis, per quoſ-*
„ *cumque Prælatos tam Vicarios Generales, quam Provinciales, editis,*
„ *tantum illa debeant obſervari, quæ Capitulo Provinciali cujuslibet Pro-*
„ *vinciæ videbuntur ad Regularis Obſervantiæ conſervationem & incre-*
„ *mentum idonea: & inſuper obſecrat Capitulum Generale, ac exhortatur*
„ *R. P. Vicarium, quod de cetero nulla ſtatuta conficiat ſine conſilio & aſ-*
„ *ſenſu Capituli Provincialis, aut Patris Vicarii illius Provinciæ, & ma-*
„ *joris partis Patrum notabilium in ipſa Provincia exiſtentium, per ipſum*
„ *in aliquo Conventu præfatæ Provinciæ convocandorum.*

„ 4. *Item. Nullus cujuſcumque ſit eminentiæ, etiamſi in officio Genera-*
„ *latus extiterit, retineat vel alienet quoſcumque libros a Provinciis, ad*
„ *quas ſecundum ſtatuta pertinent: & ſi ſecus attentatum fuerit, attenta-*
„ *tores vel alienatores cogantur dictos libros reſtituere, & hoc per Capitu-*
„ *lum Generale, vel per eum, qui poſſit eos compellere.*

„ 5. *Nullus Vicarius Provinciæ, etiamſi fuerit Commiſſarius Vicarii*
„ *Generalis, niſi hoc fuerit ei expreſſe & ſpecialiter commiſſum, poſſit li-*
„ *centiare Fratres ſuos ad eundum extra Provinciam ſuam ad manendum,*
„ *nec recipere aliquem venientem de aliena Provincia abſque licentia Vica-*
„ *rii Generalis, nec inſuper venientes de partibus Ultramontanis, niſi ob-*
„ *tinuerint licentiam a R. P. Vicario Generali Ultramontano. Nec de ce-*
„ *tero mittantur Fratres ad Curiam, niſi maturi & idonei, & hoc de li-*
„ *centia Vicarii Provincialis aut Cuſtodis hanc auctoritatem a Vicario Pro-*
„ *vinciali habentis: & non mittantur niſi pro cauſa legitima, & cum ple-*
„ *na informatione negotiorum neceſſariorum, pro quibus illuc tranſmittun-*
„ *tur: nec Fratres illuc miſſi quidquam attentare præſument abſque conſi-*
„ *lio & ordinatione Patris Commiſſarii ibidem pro tempore exiſtentis.*

„ 6. *Ad præcludendum viam Apoſtatis, ordinatur, quod quicumque*
„ *Frater Clericus a Familia ſua apoſtataverit, ſi contingat eum redire &*
„ *recipi, maneat ſuſpenſus ab officio Prælationis, Prædicationis & Con-*
„ *feſſionis ſecularium uſque ad biennium; ſi vero Laicus apoſtataverit, &*
„ *extra Familiam ordines ſuſceperit, ſi contingat ipſum denuo in Familia*
„ *noſtra recipi, maneat ſuſpenſus ab executione Ordinis, & ab omni pro-*
„ *motione ad officia omnimode, quoadusque per Generale Capitulum fuerit*
„ *determinatum.*

„ 7. *Ad diſcurſus Fratrum evitandos, & ad pacem mutuo conſervan-*
„ *dam, ordinatur, quod pro quæſtis fiendis nullus vadat extra Provinciam*
„ *ſuam, niſi in caſu, in quo aliquis Conventus foret conſtitutus in confinio*
„ *alterius Provinciæ; tunc enim Fratres illius Conventus poſſunt facere*
„ *quæſtam in terminis aſſuetis præfati Conventus: nec aliquis prædicet in*

alie-

„ *aliena Provincia vel Custodia, contra voluntatem illius Provinciæ vel Cu-*
„ *stodiæ, nisi contingeret ipsum ibidem transitum facere ad peragendum*
„ *viam suam: In locis vero, in quibus Fratres morantur, non debet aliquis*
„ *prædicare, nisi de licentia Guardiani illius Conventus.*

„ 8. *Declaratur etiam, quod procurare satisfactionem fiendam prave*
„ *empta, Fratribus necessaria, vel etiam pro emenda de proximo necessaria*
„ *& determinata, non est contra puritatem Regulæ: ita tamen ut Fratres*
„ *nec per se nec per interpositam personam intromittant se de pecunia. Non*
„ *tamen licet Fratribus indifferenter & indeterminate tales procurationes*
„ *elecmosynarum pecuniarum facere, nec per nuncium a se positum ducere,*
„ *sed dans faciat per se, vel per nuncium ab ipso depatatum. Recipere gra-*
„ *num vel alia hujusmodi pro acquisitione seu commutatione in aliquam*
„ *rem necessariam non licet Fratribus. Verumtamen ubi Fratres aliter non*
„ *possent bene provideri in suis necessitatibus, talia possunt recipi per amicos*
„ *spirituales, de consensu dantium, & de licentia seu dispensatione Vicarii*
„ *Provincialis seu Custodis.*

„ 9. *Transeuntes per vias possunt accedere ad loca Fratrum habentium*
„ *regimen Sororum sanctæ Claræ, & ad Ecclesiam, ad quam seculares*
„ *communiter accedunt, dum tamen super hoc a suis Superioribus obtinuerint*
„ *licentiam.*

„ 10. *Inhibetur, ne aliquis procuret alicujus libri usum aut alicujus*
„ *rei, remanente apud Parentes vel amicos proprietate, sub pœna privatio-*
„ *nis illius, cum punitione condigna.*

„ V. Interea, ut nos admonent Monumenta novissima Provinciæ san-
„ cti Salvatoris in Hungaria, in Regia Civitate *Zukolcha* a benefactori-
„ bus *Kropachi*, Dominis nempe Sasinienſibus, Comitibus Czoboriani,
„ constructum fuit pro Fratribus Regularis Observantiæ Cœnobium, ejus
„ Ecclesia dicata beatissimæ Virgini Mariæ de Compassione, qui hoc anno
„ ut habitandum acceptarunt: etenim in Odæo illius Ecclesiæ, & vetusta
„ membrana, hujusmodi inscriptio legitur: *Iste locus Fratrum Minorum*
„ *de Observantia est ædificatus in honorem beatæ Mariæ Virginis de Com-*
„ *passione, & est receptus a Fratribus tempore Vicariatus R. P. Valentini*
„ *de* Sziget, *tempore Pauli II. Pontificis, anno* MCCCCLXVII. *Ecclesia ejus*
„ *consecrata est cum quinque Altaribus per R. in Christo Patrem Andream*
„ *Brunensem, Dei gratia Episcopum Nicopolitanum, Suffraganeum Olo-*
„ *mucensem, die* XXI. *Novembris, in festo Præsentationis Deiparæ Virginis*
„ *Mariæ anno* MCCCCLXXXIX. Hæc ibi. Porro hujus Conventus nomen est
„ in Catalogo Pisani, & recensu decimæ Custodiæ, de *Zechen* appellatæ,
„ Provinciæ præfatæ Hungariæ, at ejusdem domus mentio recurret.

Harold. ad annum 1540. n. 84.

„ VI. Beja pariter, sive Pax Julia, Oppidum in diœcesi Eborensi,
„ & regno Portugalliæ, præter Monasterium sanctæ Claræ fundatum an-
„ no MCCCXLV. ut dictum est, extra & prope Mœnia situm, aliud ejus-
„ dem Instituti, & secundæ Regulæ, sub titulo Immaculatæ Conceptionis
„ beatæ Mariæ Virginis, hoc anno admisit, & non anno MCCCCLXXI. ut
„ ajunt Chronica Generalia: Cum enim Beatrix, quæ Ferdinando Portu-
„ galliæ Infanti, filio Odoardi Regis nupserat, maxima pietate ferretur
„ in sanctam Claram, & summe sui Instituti Moniales diligeret, Mona-
„ sterium illis intra mœnia propriis sumptibus excitare decrevit; cujus
„ voto Princeps Ferdinandus adhærens, pari cum ipsa liberalitate & pie-
„ tate certans, factum est ut una simul cum summo jubilo totius communis
„ meditati Monasterii, sub invocatione beatæ Mariæ Virginis, & ejus

» Immaculatæ Conceptionis Myſterio, prima fundamenta poſuerint, & » perſeveranter uſque ad ſupremum lapidem Regia munificentia ædificari » curaverint. Verumtamen in loco ædificii quoddam erat pium recepta- *Monum. MSS. Prov. Algarbiorum* » culum fœminarum Tertii Inſtituti ſancti P. Franciſci, quæ ſimul viven- » tes a quadam Ouſanda nomine regebantur, ut ex quibuſdam Bullis » Pii II. & Pauli II. ſummorum Pontificum ſatis conſtare, monumenta » provinciæ Algarbiorum enarrant: quid vero de eo factum ſit, non ap- » paret: Mouaſterium brevi capax evaſit triginta Monialium, ut a Fun- » datoribus ſtatutum fuerat.

Barez. 4 p. Coronici l. 5. c. 25. » VII. Ex Gonzaga & Barezzio virum ſui inſtituti zelotem perfervi- » dum, P. fratrem Andream *Leubs*, unum ex potioribus provinciæ Auſtriæ » Fundatoribus, qui mira pietate præditus & doctrina clarus, ſuis tempo- » ribus fulgebat, exiſtens Provincialis Miniſter, Conventus omnes præfatæ » Provinciæ varias per oras Stiriæ, Carniolæ, Boemiæ, Syleſiæ, Polo- » niæ, Ruſſiæ &c. diſperſos, pedes inviſit: Decem diebus in extrema ſua *Artarus in Martyrol. ad diem 13. Octobris. P. fratris Thomæ narrat vitam & mortem. Wadd. ad hunc annum n. 13. & quidem luculentius, ex quo ipſe Meliſſan. illa exſcripſit, quæ merito non expungimus.* » infirmitate ab omni alimento abſtinuit; denique ſingulari Religione » exornatus, & Provincialatus munere præclare functus, quievit in Au- » ſtria, III. Idus Octobris, anno MCCCCLXVII. de eo pariter agit ad præfa- » tam diem Arthurus.

» VIII. Torella de Caſſentino Virgo, Tertii Ordinis ſancti P. Franci- » ſci alumna, humilitati, orationi & contemplationi vacans, plurimum in » ſchola virtutum profecit, ac tamdem vitæ ſanctimonia fulgens, ibidem » in diœceſi Aretina migravit ad Sponſum, anno MCCCCLXVII. juxta Ta- » bulam Sanctorum Tertiariorum, Sereniſſimæ Mariæ Magdalenæ Auſtriæ » & Etruriæ Archiduciſſæ dedicatam.

ARGUMENTUM.

Jubet Pontifex ut Vicarius Generalis Obſervantum curam reaſſumat Raguſinorum, & domorum Caſſenſium. Boemis cenceditur peculiaris Commiſſarius. Moriuntur pii viri Ludovicus Petri Latini, Franciſcus de Caſtro Millio, & Andrea Peruſina. Minifter Generalis Franciſcus Saonenſis evehitur ad Cardinalatum. Amadeus Hiſpanus multas patitur moleſtias. Florent Inquiſitores & viri docti. Fratres Hieroſolymitani multa paſſi, hoc tempore melius habent. Ædificantur Cœnobia.

Num. 1.

I. DIximus anno præcedenti dimiſſam fuiſſe curam Fratrum Raguſinorum per decretum Capituli Mantuani, neque Oratores Reipublicæ Raguſiæ, Mantuam miſſi de controverſia hac acturi, quantumvis interpoſuerint Nobiles Mantuanos alioſque interceſſores, quidquam in hac re impetrare potuerunt. Præſciſi itaque a regimine Vicarii & Patrum Obſervantiæ propter inobedientiam, & unionis cum Dalmatinis & Boſnenſibus, a Pontifice conſtitutæ, contradictionem, cum Oratoribus Romam perrexerunt, ſummiſque precibus Cardinalem Beſarionem, Ordinis protectorem rogarunt, ut ſuam interponeret auctoritatem, vel præcipiendo Patribus ut admitterentur, vel rogando Pontificem ut id ipſum præciperet. Satius duxit Cardinalis cum Pontifice agere, cujus imperio illa trium nationum decreta eſt unio, obtinuitque ut Raguſinis peculiaris deputaretur Commiſſarius, & a Vicario Obſervantum more priſtino gubernarentur. Ita Pontifex verbo & ſcriptis Vicario ſignificavit, repetitiſque litteris præcepit. Primæ perierunt, ſecundas exhibeo, & quas ad ipſos dedit Raguſinos.

Jubetur Vicarius Generalis ut reaſſumat curam Fratrum Raguſinorum.

Di-

Dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, Vicario Generali Obſervantiæ ſancti Franciſci.

II. *Dilecte filii, ſalutem &c. Mandavimus alias per noſtras Apoſtolicas certi tenoris litteras, rationabilibus cauſis ſic ſuadentibus, ſex Conventus ſeu loca Obſervantiæ tui Ordinis, in litteris ipſis expreſſa, quæ in dilectorum filiorum Raguſinorum diſtrictu ſeu juriſdictione conſiſtunt, per Vicarium Generalem dictæ Obſervantiæ pro tempore exiſtentem regi ac gubernari debere, quemadmodum per eaſdem litteras noſtras plenius conſtat. Cum ergo, ſicuti ſuperioribus diebus tibi coram nobis conſtituto, mandavimus, ut ſollicitam curam eorumdem Conventuum gereres & haberes, ſic nunc quoque præſentium tenore devotioni tuæ, in virtute ſanctæ Obedientiæ mandamus, ut non obſtantibus contrariis quibuſcumque, etiam in Capitulo Generali Obſervantiæ ſupradictæ, apud Civitatem Mantuanam nuperrime celebrato, alias quomodocumque diſpoſitis, ſupradictorum ſex Conventuum ſeu locorum curam ſuſcipias, illoſque ſeu illa, quouſque aliud ſuper hoc mandaverimus, ad laudem Dei, Ordiniſque tui honorem & ædificationem populorum fidelium regere & gubernare ſtudeas & procures. In quo re, præter Divinum meritum & commendationem expectanda, nobis etiam non mediocriter ſatisfacies. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die* VIII. *Januarii* MCCCCLXVIII. *Pontificatus noſtri anno* IV. Ex autographo.

Dilectis filiis Vicario, Guardianis, ac ceteris Fratribus locorum Raguſinorum.

III. *Dilecti filii, ſalutem &c. Mandavimus alias per noſtras dicti tenoris litteras, ſex Conventus ſeu loca veſtra, in dilectorum filiorum Raguſinorum diſtrictu ſeu juriſdictione conſiſtentia, quæ in Regulari Obſervantia perſeverare accepimus, per Vicarium Generalem ipſius Obſervantiæ pro tempore exiſtentem regi ac gubernari debere, ſicuti per ipſas latius apparet litteras. Quamvis autem intelleximus, vos magna ex parte dediſſe cauſam, ut veſtri Conventuumque ſeu locorum veſtrorum prædictorum cura a reliqua ſocietate Fratrum Obſervantum, Ordinis veſtri in eorum Capitulo Generali, nuper ad Civitatem Mantuanam celebrato, prorſus dimitteretur: Nos tamen paterno moti zelo, ſciſſuram hujuſmodi in dicta ſocietate & Ordine moleſte ferentes, ac intendentes, ut ſupradictum mandatum noſtrum omnino ſervetur, ſcribimus & mandamus ad præſens dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, moderno Obſervantiæ præfatæ Generali Vicario, ut quemadmodum eidem paucis ante diebus coram nobis conſtituto diximus & iterum mandavimus, prædictorum ſex Conventuum ſeu locorum veſtrorum curam, non obſtantibus quibuſcumque contrariis ſuſcipiat, illoſque ſeu illa, quouſque aliud a nobis mandatum fuerit, regat & gubernet; ut is hujuſmodi igitur mandatum noſtrum ad laudem Dei exequi poſſit, vos in Domino hortamur, ut præſtitæ Deo & Ordini veſtro debitæ obedientiæ collum ſubmittatis, vobis nihilominus univerſis & ſingulis ſupradictis in virtute ejuſdem Obedientiæ expreſſe mandantes, ut non obſtantibus quibuſvis mandatis, huic ordinationi noſtræ contrariis, de dictis veſtris Conventibus ſeu locis abſque præfati Vicarii Generalis pro tempore exiſtentis, ſeu ab eo deputandi, aut noſtra vel Sedis Apoſtolicæ ſpeciali licentia vel mandato, nequaquam recedere, ſeu ad alia loca tranſire præſumatis, quinimo ibidem ſub ejuſdem Vicarii cura Domino famulatu-* Ex Reg. Ordinis.

laturi, juxta emiſſa a vobis vota, fideliter & ſollicite intendatis, ut pro obedientia veſtra Divinam noſtramque Apoſtolicam benedictionem, cum debita commendatione digne promereri valeatis. Datum ut ſupra.

Quid egerit Vicarius circa Raguſinos.

IV. Quid autem Baptiſta Vicarius his acceptis litteris circa regimen horum Conventuum & Fratrum præſtiterit, his ipſius litteris clarius apparebit.

Venerandis Patribus & Fratribus Raguſinis.

Ex Reg. Ordinis pag. 92.

Venerabiles in Chriſto Patres ſalvete. Recepi litteras veſtras Apoſtolicumque Breve de reaſſumenda cura veſtra: ut mandatis paream Apoſtolicis, curam veſtram ſuſcipiens, Commiſſarium ad vos mitto vice mea apud vos futurum cum omnimoda auctoritate mea ſuper vos & loca Raguſea, quouſque per me aliud ſtatuatur, fratrem ſcilicet Jacobum Paduanum, prædicatorem eruditum & acceptum; cum reverentia eum ſuſcipite & tractate. Intendo enim, terminatis per S. D. N. negotiis Boſniæ & Dalmatiæ, curæ veſtræ, ſecundum quod opus erit, aliter providere: Suades autem, taliter vos habeatis, ne contra vos familiam noſtram ulterius irritetis, nec credatis ſecularium perſonarum judicio, aut ſecundum illorum complacentium negotia veſtra ulterius tractetis, ſed ſub manibus Prælatorum veſtrorum tantum at veri Obedientiæ filii ſicut mortui ſtate, accincti ad ſtandum vel recedendum parati, ſicut eis melius videbitur expedire; ut de vobis ulterius illud non dicatur, quod diei quandoque conſuevit, ſcilicet, quod duplices ſitis ac inſtabiles, ſeculari vos judicio gubernantes, adeoque erga parentes & patrias ſenſuales, ut ab eorum uberibus abſtrahi nequeatis? hoc pro certo vobis ſuadentes, quod contra voluntatem familiæ ſub alarum ſuarum tegmine non confovebiminî, ſi claudicaveritis in futurum. Committo autem Commiſſario meo, ut per loca veſtra diſcurrens, vos omnes abſolvat ab excommunicatione cenſuraque qualibet & irregularitate; nam dubito ſatis, ne ab illo tempore, quo claudicare cœpiſtis, in animarum veſtrarum præjudicium & famæ veſtræ decens non leviter abolendum, multis laqueis ſteteritis irretiti. Nullam quoque ulterius fratri Jacobo de Eſculo, quem præter juris ordinem, in veſtrum hactenus Vicarium elegiſtis & tenuiſtis, obedientiam tribuatis, cui ad omnem controverſiam ſubtrahendam, obedientiam tranſmitto, ut ad provinciam Marchiæ revertatur. Valete & orate pro me. Cariati, ultima Martii, MCCCCLXVIII.

Committuntur Vicario domus Caſſenſes. An. 1458. n. 7.

V. Similiter præcepit eidem Vicario, ut Fratrum domorumque Caſſenſium curam reaſſumeret, quam in Patres Conventuales diximus ſuperius fuiſſe translatam. Præcepti hoc eſt documentum.

Dilecto filio Baptiſtæ de Levanto, Ordinis Minorum de Obſervantia Vicario Generali.

Ex brevi originali.

Dilecte fili ſalutem &c. Cum Univerſitas Civitatis Caſſenſis, ut nuper per Oratores ſuos nobis fecit exponi, grandi deſiderio teneatur pluriminumque exoptet, quod domus beatæ Mariæ & ſancti Franciſci de Caſſa per Fratres tui Ordinis Regularis Obſervantiæ, pro majori devotione & ſpirituali recreatione regantur ut prius, ac propterea Oratores ipſi nobis humiliter ſupplicaverint, ut opportune eis ſuper hoc providere, paterna diligentia curaremus; Nos hujuſmodi ſupplicationibus piis atque devotis non immerito inclinati, diſcretioni tuæ per præſentes, in virtute ſanctæ obedientiæ commiti-

timus & mandamus, quatenus domos præfatas ſub cura & regimine tuo ſuſcipiens, in eiſdem Fratres Ordinis & Obſervantiæ prædictæ, pro loci qualitate & capacitate collocare & deſtinare procures, ut illi juxta Ordinis normam, Divino cultui inſiſtentes, gratum Altiſſimo exhibeant famulatum, ac verbo & opere exemplarique vita ſperatam Univerſitati prædictæ conſolationem pariant, & lucram ſibi faciant animarum: ſuper quo eidem tuæ diſcretioni pleaam, tenore præſentium concedimus facultatem; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub anulo Piſcatoris, die XVIII. *Auguſti* MCCCCLXVIII. *Pontificatus noſtri anno* IV.

VI. In diviſione illa facta Provinciarum Auſtriæ, Poloniæ & Boemiæ, diximus huic poſtremæ datum fuiſſe ſuperiorem ſub *Commiſſarii* nomine non Vicarii, aliis duabus conceſſi. Æquiparandam itaque hanc reliquis judicans Pontifex ex ſuggeſtione Vicarii Generalis, hoc dedit diploma. Conceditur Vicarius Provincialis Boemis.

Venerabili fratri Epiſcopo Wratislavien.

Cum illius, cujus perfecta ſunt opera, vices, licet immeriti geramus in terris, ad hoc nos intendere dignum eſt, at ea, quæ pro perſonarum Domino ſub Regulari Obſervantia famulantium, quiete ſtatuſque ſolliditate, auctoritate noſtra utiliter cœpta ſunt, pro ipſius Obſervantiæ robore, ſublatis quibuſvis incommodis, ad debitum exitum feliciter perducantur. Dudum, ſiquidem pro parte dilecti filii Baptiſtæ de Levanto Vicarii Citramontani & Capituli Generalis Fratrum Citramontanorum, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, nobis expoſito, quod licet olim fel. rec. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter, de Auſtria & Boemia, quæ pridem duæ Provinciæ juxta morem dicti Ordinis eſſe ſolebant, unam tantum Provinciam per ſuas litteras effeciſſet, illique domum ſancti Bernardini extra muros Wratislavien. dicti Ordinis Provinciæ Saxoniæ addidiſſet, ſtatuens quod ipſis ſic unitis Provinciis unus tantum Vicarius præfici deberet, qui omnia loco & Fratres dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatos, ibidem tunc & pro tempore exiſtentes regeret & gubernaret, quodque dicta ſic unita Provincia illiuſque Fratres Vicario Generali Citramontano ſubeſſent, eique ſicut ceteri Fratres Provinciæ Italiæ parere tenerentur: & deinde recolendæ memoriæ Pius Papa II. etiam prædeceſſor noſter unionem prædictam per alias ſuas litteras confirmaſſet & approbaſſet; tamen quia Provinciæ ſic unitæ prædictæ & domorum numero & Fratrum multitudine excreverant, valdeque difficile erat illas per unum Vicarium, propter locorum diſtantiam, lingarumque ac morum & dominiorum diverſitatem, debite poſſe regi, ipſe Baptiſta & reliqui Frotres Ciſmontoni, in eodem Capitulo tunc proxime congregati, valde deſiderabant, Provincias ipſas juxta antiquam Ordinis diviſionem ab invicem ſeparari, domumque Wratislavien. prædictam earum alteri applicari: Nos tuæ præfato Baptiſtæ, aut alicui Fratri dicti Ordinis Commiſſario, ad hoc per eum vel aliquem ſucceſſorem ſuum ſpecialiter pro tempore deputato, Provincias ſic unitas prædictas ab invicem, juxta antiquam diviſionem Ordinis, ſeparandi & dividendi, domumque Wratislavien. prædictam earumdem ſic diverſarum Provinciarum alteri applicandam, & ſic ac prout Baptiſtæ & dicti Vicarii conſcientiæ videretur, pro bono domorum earumdem Provinciarum regimine, Fratrumque quiete & pace, aliquas domos unius Provinciæ alteri, & viciſſim illius alteri applicandi & conjungendi, plenam & liberam, per alias noſtras litteras conceſſimus facultatem; ac volumus & ſtatuimus, quod Lib. 1. de Regul. & exhib. an. 5. fol. 52.

Anno Christi 1468.	Pauli II. an. 4. & 5.	Friderici III. Imp. anno 29.	Religionis Minorum anno 261.

quod in eiſdem dividendis Provinciis duo Vicarii eligerentur juxta morem aliarum Provinciarum, qui Generali Vicario Citramontano pro tempore exiſtenti in omnibus ſubeſſent & parerent, necnon diviſioni, ſeparationi & applicationibus per Baptiſtam vel Commiſſarium præfatum faciendis perpetuo ſtari, illaſque obſervari debere, prout in eiſdem noſtris litteris plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Baptiſtæ Vicarii petitio continebat, dilectus filius Petrus de Neapoli, frater dicti Ordinis, ab ipſo Baptiſta Vicario Commiſſarius ad hoc ſpecialiter deputatus, in quadam Congregatione ſeu Provinciali Capitulo Fratrum eorumdem ſic unitarum Provinciarum in domo ſancti Bernardini in ſuburbiis Civitatis Cracovien. dicti Ordinis celebrata, ad quam omnes, qui ſecundum ritum & conſuetudinem Provincialium Congregationum Fratrum dicti Ordinis vocandi erant, legitime vocati fuerunt, auditis audiendis, ac omnibus plene diſcuſſis, liquido ſecundum judicium ſuæ conſcientiæ cognoſcens, quod ad pacem & bonum regimen Fratrum ipſarum Provinciarum neceſſe erat, quod dictæ unitæ Provinciæ in tres Provincias ſeu Vicarias dividerentur, ordinavit, quod Provincia Auſtriæ ſecundum antiquam Ordinis diviſionem, cum omnibus locis & Fratribus ſuis præſentibus & futuris, per ſe ſub uno Vicario, quem pro tempore eligerent, regi deberet, qui prædicto Generali Vicario Ciſmontano ſubeſſet; Fratres vero & loca dicti Ordinis infra limites Regni Poloniæ & Ruſſiæ tunc & pro tempore conſiſtentia, alium Vicarium per eos eligendum, dicto Vicario Generali Ciſmontano ſubjectum, haberent. Et quia in dictis noſtris litteris ei non dabatur facultas, niſi de duobus Vicariis in eiſdem dividendis Provinciis faciendis, determinavit idem Commiſſarius, quod Fratres & loca totius regni Boemiæ uſque ad confines Provinciæ Saxoniæ & terminos regni Poloniæ, una cum prædicto loco ſancti Bernardini Wratislavien. ſub uno Commiſſario ab eo conſtituendo, qui ſoium prædicto Vicario Generali ſubjiceretur, regerentur, donec de dictis locis applicandis, vel Vicario inibi eligendo aliud ſtatueretur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, omnes Fratres in eodem Provinciali Capitulo congregati, eamdem triplicem diviſionem de dictis Provinciis, ut præmittitur, factam, unanimiter conſentientes acceptaverint, ſuoſque Vicarios inibi elegerint, & Fratres regni Boemiæ deputatum Commiſſarium voluntarie ſuſceperint, & attentis nationum, linguarum, morum & dominiorum diverſitatibus, ac illarum partium latitudine, Fratrumque multitudine, prædicta triplex diviſio in tres Provincias ſeu Vicarias diſtinctas, ad omnium pacem & reguiarem Obſervantiam valde utilis & neceſſaria videatur; pro parte Baptiſtæ Vicarii & Fratrum Provinciarum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut diviſioni Provinciarum hujuſmodi, pro illius ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, necnon quod Fratres regni Boemiæ & omnium locorum dicti Ordinis Moraviæ & Sleſiæ, & dicti loci ſancti Bernardini Wratislavien. quæ omnia in dicto regno Boemiæ ſita ſunt, & aliorum locorum, quæ inibi pro tempore erunt, poſſint ſibi unum Vicarium futuris temporibus eligere juxta morem aliarum Provinciarum, qui cum ſuis Fratribus & locis ſubſint Generali dicti Ordinis Vicario Ciſmontano, eis concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per diligentem informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, & ad hoc illorum qui habent intereſſe, conſenſus acceſſerit, diviſionem Provinciarum prædi-

cta-

ſtarum, per ipſum Commiſſarium, ut præmittitur, ſuctam, eadem auctoritate noſtra approbes & confirmes. Et nihilominus eiſdem Fratribus regni Boemiæ, Moraviæ & Sleſiæ, dictoque loco ſancti Bernardini Wratislavien. unum Vicarium Provincialem juxta morem Frutrum dicti Ordinis aliarum Provinciarum, qui cum ſuis Fratribus & iocis ſubſint prædicto Generali Vicario Ciſmontano, eligere, ac omnibus privilegiis, gratiis, exemptionibus & indultis, quibus Fratres aliarum Provinciarum Italiæ dicti Ordinis potiuntur & gaudent, potiri & gaudere libere ac licite valeant, dicta auctoritate noſtra concedas: non obſtantibus præmiſſis & quibuſvis aliis diviſionibus ſeu unionibus earumdem Provinciarum per Sedem Apoſtolicam, vel profeſſores dicti Ordinis factis, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon dicti Ordinis ſtatutis & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud S. Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVIII. *v. Kal. Octobris, anno* V.

Deſtinantur vasii Commiſſarii.

VII. Deſtinati ſunt Commiſſarii Obſervantum; Sardiniæ, frater Jacobus de Flumine frigido, ſucceſſor Ludovici Vincentini; Romaniæ, Franciſcus de Philocaſtro; prædictarum Provinciarum Auſtriæ, Poloniæ, Boemiæ, Michael Mediolanenſis. Cum enim illæ tenellæ plantulæ recenter ab invicem ſeparatæ firmiores requirerent radices, petierunt a Vicario Generali, ut vir aliquis gravis & prudens mitteretur, qui prima doceret boni regiminis rudimenta, & qualiter in futurum ambulandum eſſet, ſemitas præmonſtraret. Do Provinciæ Auſtriacæ humiles poſtulatorias, Vicarii reſponſivas, & Commiſſarii inſtitutrices.

Provinciæ Auſtriæ petiit Commiſſarium.

Reverendo in Chriſto Patri frutri Baptiſtæ de Levanto, Ordinis Minorum regularis Obſervantiæ Vicario Generali Ciſmontano.

Ex Reg. Ordinis fol. 91.

Reverende in Chriſto Pater, commendatione præmiſſa cum omni obedientia promptitudine. In primis Reverendo Patri Vicario magnificas gratias agimus, ut univerſo Capitulo Generali Mantuæ naperrime celebrato, ſuper omnibus beneficiis nobis impenſis, ac laboribus, vigiliis, diligentiis ac paternis ſollicitudinibus pro ſalute noſtra aſſumptis. Quoniam in his omnibus apertis oculis fidei ac experientiæ agnovimus, licet utcumque ingratos nos, a vobis non derelictos, ſed quaſi nolentes & renuentes ereptos, ſuſcitatoſque de gravi torporis, timoris ac negligentiæ ſomno, ac defenſos, munitos contra negotia perambulantia in tenebris, & inſidias inimici offendere nitentes, diſciplina quoque paternali edoctos, & inſtructos in bonum noſtrum: de quibus omnibus & ſingulis gloriantes, rurſus admirantes executionis gratiam, commendanteſque ſignificamus, quod Commiſſio quam Reverenda Paternitas veſtra fecit venerandis Patribus, videlicet fratri Petro Commiſſario noſtro, & fratri Angelo Vicario Januæ, juxta bullam Apoſtolicum ſuper diviſione Provinciæ noſtræ impetratam, optatum accepit effectum. Quoniam hi Patres ita fideliter, diligenter, examinate & deliberate rem hanc executi ſunt, ut non reſtaret, viſis, & examinatis rationibus pro & contra diviſionem facientibus, niſi obediens & reverens determinationis acceptio, beneplacitum & aſſenſus omnium, nec eſſet, qui auderet os ponere in cælum, rebus ſe habentibus ut tunc, de quibus omnibus particularem relationem & expoſitionem Reverendam Paternitatem veſtram credimus habituram ex prædictis Patribus melius & clarius, quam hic poſſet vel conveniret inſeri. Quorum relationibus aut narrationibus referendis ſuper prædictis addimus teſtimo-

nium

nium noſtrum per præſentes. Poſtremo in animo contrito & ſpiritu humiliato confitentes petimus, quatenus dimiſſis, indultis & remiſſis paternaliter omnibus diſplicentiis aut culpis, per nos vel noſtros in Veſtram Paternitatem Reverendam, aut alios Patres retroactis temporibus commiſſis, dignemini miſereri noſtri, & intereſſe Capitulo noſtro Provinciali proxime celebrando, ſi poſſibile erit, vel ſi, quod abſit, intereſſe non poſſetis, prædictum Patrem Commiſſarium, cui nunc multa nota ſunt, quæ apud nos geruntur, aut alium ſibi ſimilem in virtute, ſcientia & experientia, atque zelo profeſſionis noſtræ mittatis, qui formam introducat in materiam diſpoſitam, & efficiatur compoſitum irrefragabile, ſub obedientia inclytæ Italiæ in ſempiternum & ultra. Quoniam ſine hoc, per vos & alios Patres apud nos incæpta, & uſque huc glorioſe deducta, deſideratum ſalutis effectum conſequi non poſſe, vehementer formidamus, comminantibus impedimentis multis. Rogamus ergo iterum atque iterum ſuppliciter obſecrantes per merita Chriſti Domini noſtri, beatæ Mariæ Virginis Matris ejus, Seraphici Patris noſtri ſancti Franciſci, beati Bernardini, ac omnium Sanctorum & Sanctarum Dei, ſed & intuitu beati Patris fratris Joannis de Capiſtrano, ut non deſit piæ & neceſſariæ poſtulationi benigna & pia inclinatio exauditionis, qua omnino neceſſaria, ſalubria, ſancta, juſta, & poſſibilia atque decentia petimus. Exaudiat ergo, aſſentiat, veniat, aut mittatur deſideratus cunctis electis Fratribus, & ſalvet confidentes in illum, quia tempus faciendi, Domine, nec negandum vel protrahendum amplius, eo quod excuſatio amplius eſſe non poſſit egredi a diligente uſque in finem. Ecce, quem diligis, infirmatur. Valeat Reverenda Paternitas Veſtra ad vota felicia in ſeculorum ſecula. Amen, & ſuſcipiat has ſupradictas gratiarum actiones, ſignificationes atque pias & neceſſarias ſupplicationes, fiat, fiat. Ex loco noſtro ſancti Bernardini & Theobaldi in ſuburbio Viennen. VI. *Novembris,* MCCCCLXVII.

Venerandis Patribus Provinciæ Auſtriæ Regularis Obſervantiæ.

Ex Reg. Ord. ibid. VIII. *Venerabiles in Chriſto Patres, recommendatione præmiſſa: ut per alias litteras vobis ſcripſiſſe me memini, gratam valde geſſi diſtinctionem ſeparationemque Provinciarum veſtrarum per Commiſſarios a me miſſos, magna prudentia, ſummaque pace & tranquillitate concluſam. Verum, quia magna cum inſtantia requiſiſtis, Patrem aliquem auctoritate in familia venerandum ad vos mitti, qui Provinciam veſtram viſitaret, Capituloque & Congregationi præeſſet, qui & vos in nuper dato vivendi modo ſolidaret & confoveret, reſcripſi vobis, pro viribus daturum me operam, ut votis veſtris ſatisfacerem. Nunc autem plurium venerabilium Patrum conſilio fretus & judicio, licet cum magna incommoditate, nedum mea ſed totius Italiæ, mitto ad vos venerandum Patrem fratrem Michaelem de Mediolano, prædicatorem eximium, vita, ſcientia, fama & experientia præclarum, officium ſunm modis & verbis honoraturum cum utilitate veſtra non modica, ſi ſalutaribus ejus conſiliis & monitis acquieveritis. Rogo autem, digna a vobis veneratione ſuſcipiatur, humanitateque tractetur, utpote qui vitam ſuam ex obedientia pro utilitate veſtra periculis mortis exponit, ut illud audituri ceteri Patres Italiæ, cum neceſſarium quid vobis contigerit in futurum, venire ad vos libentius animentur. Valete & orate pro me. Et quidquid ei reverentiæ & humanitatis exhibueritis, exhibuiſſe mihi exiſtimate. Senis* XVIII. *Julii* MCCCCLXVIII.

In

In Chriſto ſibi veneraudo Patri fratri Michaeli de Mediolano, Ordinis Miuorum, Prædicatori Clariſſimo.

IX. *Frater Baptiſta de Levanto ejuſdem Ordinis, Reverend. Patris Geueralis in partibus Ciſmoutauis, qaoad Fratres de Obſervantia nuncupatos, immeritus Vicarius Generalis Ciſmontanus, ſalutem & pacem in Domino ſempiternam. Impoſiti oneris me cura ſollicitat, & conſcientiæ perurget aculeus, commiſſarum mihi Proviuciarum curæ & ſollicitudini debita vigilantia inteudere, earum præcipue, quæ remotiores favorem meum & auxilium ſollicite quærere nou deſiſtant, & quibus memetipſum perſoualiter communicare uequeo, ſaltem per idoneos Commiſſarios non deeſſe. Cum itaque a trinm Provinciarum Patribus, Auſtriæ ſcilicet, Boemiæ & Poloniæ ſimili cum iuſtantia requiſitus uuuciis & ſcripto, ut eorum litteris clarius continetur, pro conſervanda ſeparatione ſeu diſtinctione Proviuciarum ipſarum nuper facta per Commiſſarios meos ad id ſpecialiter trauſmiſſos, fratrem Petrum ſcilicet Neapolitanum, uunc Vicarium Apuliæ, & fratrem Angelum de Clavaſio Vicarium Proviuciæ Jauuæ, in ſumma pace & tranquillitate commnuique conſenſu; quinimo pro tradendo eis forma regulaque viveudi, quaſi ex nove hujuſmodi modo pro ſeparatione diſtinctioueque prædicta, quibus dietim proficientes in finem pacis vinculo perſeverent, idoueum Patrem aliquem ad eos mittam, qui ſemel ſaltem eos viſitet, eorumque Capitnlo præſideat; plurium venerabilium Patrum conſilio freti & judicio, te idoneum judicans ad prædicta, harum tenore, te, de cujus vita laudabili, perreligioſa converſatione, diſcretione præfulgida, morum & conſilii gravitate, ſufficientia doctrinæ, mnltipliciqne idoneitate mihi conſtat, in antedictis Provinciis ex nunc Commiſſarium meum inſtitno, inſtitutumque denuncio per præſentes ad prædicta duo, ſcilicet ſemel eas viſitaudi, earumque Provincialibus Capitulis præſidendi: Dans tibi ſuper Proviucias prædictas in eiſque degentes Fratres, Prælatos & ſubditos, ac Sorores meæ curæ commiſſas, omnimodam auctoritatem meam & facultatem, vocaudi, citaudi, inquirendi, examinandi, procedendi, judicaudi, admouendi, corrigeudi, paniendi, carcerandi & de carceribus liberoudi, excarcerandi & abſolvendi, actibus legitimis privandi, & ad eos reſtituendi, ordinandi, diſponendi, viſitaudi publice & private, demumque omnia & ſingula faciendi, quæ ego ipſe poſſem, ſi perſonaliter intereſſem: maudans omnibus & ſingulis Fratribus & Sororibus in antedictis Provinciis commorantibus, Prælatis & ſubditis, ut tibi tamquam vero & legitimo Commiſſario meo in omnibus officium tuum concernentibus, pareant humiliter & intendaut: tuqae autedictum Commiſſariatus officium humiliter ſuſcipe ad meritum obedientiæ ſalutare, ſuſceptumque, juxta gratiam a Domino tibi datam, diligentius exeqaaris, & ad partes illas cum gratis tibi ſocils te quam citius poteris transferas. Vale & ora pro me. Senis* XIX. *Julii*, MCCCCLXVIII. Ex Reg. Ord. ibid. Iterum eõmendatur.

X. Obiit hoc anno, die XIV. Februarii in Conventu Capriolæ prope Senas, frater Ludovicus Petri Latini Laicus, Dei honoris zelotes ardentiſſimus, humilitatis conſtantiſſimus ſectator; licet enim multa Cœnobia rexerit, & Tuſciæ Provinciam Obſervantum quater, annis undecim, Vicaria poteſtate gubernarit, nihil tamen elationis oſtendit in opere, nec ſuperbiæ in ſermone, ſed eloquio & factis omnium videbatur abjectiſſimus, demiſſa quæque Conventus officia libenter exercens, caſtitatem, obedientiam, & monaſticas quaſque virtutes perfectiſſime aſſecutus, diſciplinæ regularis fa- Moritur Ludovicus Petri Latini. *Marian. lib. 5. c. 36. Marc. l. 5. c. 37.* Ejus virtutes.

ctus eſt omnibus exemplar. Si quis indecore vel leviuſcule quidquam contra cœnobitica perpetrabat inſtituta, ejus fugiebat conſpectum, ſciens non impune fore, etſi parvum delictum contra Dei honorem vel diſciplinam regularem perpetratum. Virtutes, quibus pulchre nitebat, dabant odorem ſuavitatis ſuæ, unde ubicumque conſiſtebat, vel quacumque pertranſibat, miram emittebat fragrantiam; & qui poſtea accedebant, ſentientes odorem unguentorum ſuorum, ſeu ſacrorum charismatum, & ſi non viderint incedentem, dicebant tamen: *hic tranſivit frater Ludovicus*. Erga pauperes & miſeros viſcera indutus pietatis, quæ poterat, adminiſtrabat caritatis ſubſidia: obvium leproſum ſeminudum inter Capriolæ Cœnobium & Senarum urbem, ſua tunica contexit, ſeu potius induit ſalutari: atqui ille exultatione exultavit videns ſe protinus a lepra mundatum, & depulſo omni morbo perfecte ſanatum. Demum ſenio confectus, laterum correptus dolore, Fratres ad ſe vocavit, & Guardiani, qua fungebatur auctoritate, omnibus benedixit, deditque voce, & ſcriptis reliquit pia quædam monita tum Cœnobii regimini, tum vitæ ſpirituali ſatis opportuna. Sanctiſſimis Eccleſiæ ſacramentis munitum, omniumque mœrore defunctum, ſepelierunt Fratres in concamerato ſepulcro ſacelli ſancti Antonii, in quo jacebat frater Vincentius, ſancti Bernardini ſocius, de quo alias diximus diffuſius. Sed anno MDXIII. Ludovici caput Fratres ex hoc loco eduxerunt, & in ſacriſtia repoſuerunt, ubi cum veneratione aſſervatur. Aliqui ex noſtris hiſtoricis hunc unum, trinum faciunt ſeu in tres dividant perſonas; Ludovicum Senenſem unum dicunt, ab hoc dividunt Petrum Latinum, alii fratrem Latinum tertium conſtituunt. Circa mortis annum diſcrepant aliqui, Bzovius de eo agit ſub annum MCCCCLXXI. Gonzaga refert ſub Julio II. eum reformaſſe Cœnobium Sartianenſe, quod ſupra refellimus; atqui ex monumentis loci, in quo deceſſit & jacet, & ex vetuſto codice MSS. quem exſcripſit Marianus, iſta damus longe certiora.

Ter. 12. an. 1442. n. 12. & ſeq.

Gonz. in Prov. Tuſc. Conv. 29. An. 1463. n. 123.

XI. Hoc eodem anno obiit in Conventu Forani Provinciæ Marchiæ frater Franciſcus de Caſtro Millio *, qui cum laicalis & humilis eſſet ſtatus, orationi & contemplationi penitus addictus, frequenter extra ſe rapiebatur, viſuſque eſt aliquando in culina una manu roſarium, altera tenens cochleare, extra ſe factus, mente in Divina abſorpta. Cum vero perſpicacis eſſet ingenii, ſciretque legere & ſcribere, obtinuit a beato Jacobo de Marchia Vicario Provinciæ, cujus erat ſocius, ut dimiſſo laicali, ad clericalem ſtatum promoveretur. Miſſus Ferrariam ut ſtuderet, annis ſeptem ibidem hæſit, & cœpit prædicare, ſed magno ſpiritus detrimento, neque cœleſtes illos igniculos amplius ſenſit, neque ferebatur ſuper ſe. Reverſus itaque ad priſtinam humilitatem, rediit etiam ad primos fervores, majuſque deinceps acquiſivit virtutis incrementum. Rogavit eum mulier apud virum diffamata, ut pro ipſa oraret. Fecit, accepitque media hyeme ab Angelo roſam pulcherrimam, per quam teſtificatus eſt marito conjugis innocentiam, & obtinuit ut pacifice & peramanter aſſociaretur. Dum ad ſenium tenderet, orabat ut brevi morbo, Forani, & inter brachia Jacobi de Marchia ſui ſocii & Magiſtri vitam terminaret. Exauditus eſt pro voto; cum enim Piſauri, ubi Guardianum agebat, præſentiret ſibi mortem imminere, rogavit urbis Principem, ut equum languenti accommodaret uſque ad Foranum, quo moriturus abibat. Ægre hominem a ſuo conſpectu & urbe illa dimittebat Princeps, finxitque ſe præter unum ferocem, nullum domi equum habere. Atqui *hunc*, inquit Franciſcus, *accommoda; ego ferocientem & refractarium cohibebo*. Miſit ille, qui ferret, & quibus poſſet modis iter impediret. Acceptum

Item Franciſcus de Caſtro Millio. *Marian. citat. Manc. cit. c. 3 & alii Æmilii.*

ptum ille, obducta per clunes manu, reddidit manſuetiſſimum, pervenitque placide Foranum; ubi beatum Jacobum Picenum, Venetiis reverſum, invenit, & paucos poſt dies levi febricula inter ejus brachia deceſſit. Pulchriorem poſt mortem oppidani aliquot diebus voluerunt inſepultum.

Andrea Peruſina. *Jacobil. de SS. Fulgin. f.l.251.*

XII. Deceſſit item hoc anno in Monaſterio ſanctæ Luciæ Fulginatenſi, Franciſca Andrea Peruſina, virtute & pietate commendabilis, Divinis aſſueta revelationibus. Tres quadam nocte contemplata Angelos, ab uno accepit, Deo placitum eſſe illud Virginum Monaſterium; vidit alias Chriſtum crucem humeris geſtantem, ſenſitque dolores ſibi communicantem. Mortis præmonita pie deceſſit.

Franciſcus Savonen. creatur Cardinalis.

XIII. Franciſcus Savonenſis Miniſter Generalis, poſtquam multa utiliter ad dignitatem Ordinis, reformandoſque Fratrum mores inſtituiſſet, poſt longam etiam infirmitatem, cum recuperandæ valetudinis cauſa, Roma Savonam primum ſe recepiſſet, deinde Ticino Venetias ire cogitaret, creatus eſt hoc anno, XIV. Kalendas Octobris Presbyter Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, tituli Eudoxiæ. Ciaconus creationem hanc uno loco ſub Paulo II. rejicit in annum MCCCCLXIV. alio vero in vita Sixti IV. in an. MCCCCLXIII. ſed plane utroque errat loco, cum conſtanter in Ordinis regeſto ejus referantur acta, & decreta uſque in hujus anni menſem Septembris. Papiæ primum Cardinalis Mantuani Franciſci Gonzagæ, deinde Beſſarionis Cardinalis Niceni dignitatis prænuncias litteras, mox miſſum a Pontifice pileum, Cardinalatus inſigne, recepit. Romam veniens, comiter ab omnibus ſuſceptus, & a Pontifice galero donatus, ſummo deſtinatus eſt Pontificatui Pauli vaticinio; eo enim die, quo galerum dedit, adſtantibus dixit: *hodie nobis deſignavimus ſucceſſorem*. Quorumdam Cardinalium benignitate adjutus, ædes ſui tituli ruinoſas & jam collabentes ita reſtituit, ut ſibi & familiæ commodum adaptarit habitaculum. In hoc vitæ ſtatu potiſſimum in eo poſuit ſtudium, ut familiam ſuam in officio contineret, nihil laboris in obſequium Sedis Apoſtolicæ ſubterfugeret, exorientes errores aſſidua litterarum diſciplina refelleret. Tantæ integritatis & doctrinæ habebatur, ut huic uni ex cœtu Cardinalium præcipuæ res fidei potiſſimum committerentur. Etſi vero Paulus nihil tale cogitantem ad hanc dignitatem promoverit, noluit tamen Religionis regimen deponeret, ſed uſque ad proxima Comitia Generalia retineret.

Legenda MSS. Cimarel. 4. par. l. 3. c. 17. Amadeum aliqui calumniantur.

XIV. Amadeus Hiſpanus, de quo toties locuti ſumus, hoc tempore multa ab iis paſſus, quibus dolebat in ejus transferri poteſtatem tot Cœnobia, quæ ab eo diximus reformata, multas ei ſtruxerunt inſidias, multiſque onerarunt calumniis apud Ducem Mediolanenſem, Archiepiſcopum, & Curiales. Accepto jam pileo Cardinalitio, dum illac tranſiret Miniſter Generalis, adverſariorum querelas accepit, & diligenter objecta diſcuſſit, quæ magis ex æmulatione & livore, quam ex zelo & veritate proceſſiſſe perſpexit. Inſontem itaque declaravit, & calumniatores graviter reprehendit. Suſcitata iterum adverſantium perſecutione, furorem declinaturus, Romam abiit, ubi propitium habuit Pontificem, & Cardinalem Savonenſem defenſorem. Tamdem impetravit per Breve Apoſtolicum cauſam ſuam Duci Mediolanenſi committi, qui eam Alexandro Sforziæ, locum ejus tenenti & Gubernatori commendavit: apud hunc diffamatus Amadeus, tamquam idiota, hypocrita, ſuperiorum contemptor, apoſtata & ſuperbus audiebat. Multoties itaque repulſam paſſus, orationibus & jejuniis apud Deum inſtabat, ut protector in tribulatione dignaretur adeſſe. Suis ſectatoribus aſſidue prædicabat, ut omnem in Deo fiduciam reponerent, nec hominum timerent

insidias, sed Domino suam causam committerent, qui facit judicium injuriam patientibus, qui judicat justitiam & facit æquitatem.

XV. Eo tamen pervenit adversariorum potentia, & apud Alexandrum diligentia, ut quodam die ad se vocatum graviter reprehenderit, & a toto Statu Mediolanensi infra triduum jusserit recedere. Ille genuflexus, oculis & manibus ad beatæ Virginis imaginem in cubiculo appensam elevatis, dixit: *Deum ejusque Genitricem deprecor, ut meæ innocentiæ testimonium aliquod perhibeant*; vixque recesserat, cum vehemens dolor Alexandrum invasit. Timens autem malum propter indigne judicatum, Amadeum immissum, jussit protinus revocari. Noluit ille redire, neque vocantem videre, donec a Duce & Bona conjuge rogatus, aliisque suadentibus, æquum judicavit graviter patienti succurrere. Accedentem humili confessione sui reatus ægrotus excepit, seque deceptum confessus, veniam petiit, utque pro pellendo malo deprecaretur, instanter oravit. Vir Dei languenti compassus, preces obtulit & vota, pauloque post perfecte sanatus est. Idem ferme contigit Florentinorum Oratori, Amadei adversario, magnis doloribus oppresso. Nam vocatus, rogatus oravit, atque in bono vincens malum, deperditam restituit sanitatem. Superatis itaque his aliisque similibus difficultatibus, consocios, ut bene sperarent, piis exhortationibus excitabat, inchoatas Cœnobiorum fabricas absolvit, aliasque domos suæ Congregationi adjunxit, uti suis locis & paulo inferius hoc ipso anno referemus.

Fr. Jacob. Episcop. Castren. *Num.* 22.

XVI. Episcopus hoc anno creatus est Castrensis in Tuscia, immediate sub Pontifice Romano, frater Jacobus de Romanesiis, vir doctus, per obitum Davidis, etiam Minoritæ, ad eamdem anno præterito, uti diximus, promoti, IV. Nonas Maii. Inquisitor in eadem Tuscia erat hoc anno frater Joannes Petri de Monte Ilcino, ab Antonio de Medicis nobili Florentino, Provinciæ Etruriæ Ministro deputatus, & a Francisco Sansone Ministro Generali designatus Urbini Inquisitor anno MCCCCLXXV. & Grosseti & Etruriæ anno MCCCCLXXVI. Floruit hoc tempore in eadem Tusciæ Provincia Andreas Cortonensis, Evangelicæ paupertatis observantissimus, S. Bernardini olim socius, qui longe antea quam accidit, mortem prævidit, & in patrio Cœnobio sanctæ Margaritæ centenarius decessit. Vocatus hoc anno Parisios Joannes Tisserandus celeberrimus Concionator, Provinciæ Burgundiæ, quem alias diximus vitam scripsisse Beatorum quinque Martyrum Marochii, summa cum laude, maximoque fœnore ibidem per decennium singulis diebus prædicavit, in omnibus parochiis per integrum mensem populum numerosissime confluentem ad meliora provocans charisuata, & peccatores potenter ad viam revocans salutis. Ejus opus & partus est Monasterium fœminarum a prostibulo ad pœnitentiam transeuntium, quæ hodie vulgo vocantur *Le filles repenties*. Inde invitatus ad alias urbes, ingentem retulit fructum, & aliquot sui Ordinis Cœnobia reformavit, pœnitentumque mulierum Cœnobia multiplicavit. Hinc Ordinem mulierum pœnitentum instituisse Parisiis, scribunt Volaterranus, Gualterius, & Robertus Cœnalis Episcopus Abrincensis: *Ordo*, inquit iste, *pœnitentium fœminarum* MCCCCXC. *exoritur auctore fratre Joanne Textore* (*Gallice* Tisserant) *Minorita, primumque hujus Ordinis Cœnobium erigitur apud Lutetiam Parisiorum*. Genebrardus: *Ordo*, ait, *pœnitentium mulierum ex prostitutis cœpit Parisiis, prædicatione Joannis Tisserani Minoritæ*.

Fr. Joan. Inquisitor in Tuscia.

Floret Andreas Cortonien.

Item Joan. Tisserandus. *Tom. 1. an. 1320. n. 53.*

Volat. l. 22. Antrop. Gualter. in seculo 15 an. 1494. Cœnalis de sacre catlib. tom. 2. an. med. Genebr. sub Alexand VI.

XVII. Multas molestias passi sunt Hierosolymis Fratres Observantes ab eo tempore, quo possessionem adepti sunt Sancto rum illius urbis locorum. Assueti enim sive Turcæ sive Christiani Patrum Conventualium mori-

Fratres Hierosolymitani melius habere cœperût.

ribus, ſive largiori modo vivendi, aliquanto duriores & ſeveriores ſe exhibebant erga Obſervantes, multaque inferebant gravamina. At hoc tempore prudenter agente Franciſco Placentino, quem diximus deſignatum Guardianum Montis-Syon, melius haberi cœperunt. Miſſi namque illuc exules Admirallii duo, quorum primo Cathibei, ſecundo Isbel nomen erat, ab eodem Guardiano perhumaniter excepti ſunt, & quos alii propter metum Sultani ſtudioſe vitabant, ille neceſſariis rebus inſtruxit. Comperta illorum innocentia, in gradum priſtinum reſtituti ſunt, & defuncto Sultano, ſubſtitutus eſt Cathibei: ſummæ dignitati congratulantes Fratres a Guardiano miſſos, benigne ſuſcepit, deditque Isbelum, exilii ſocium, Fratrum omnium in ſuis ditionibus commorantium patronum & protectorem. Poſt aliquot annos ſub Guardianatu Jacobi Magna-Vaccæ, Hieroſolymorum Prætorem, vinclis & verberibus affectum a Pretura dejecit, quia Guardianum carceri mancipavit, & aureos centum extorſit. Profectus etiam Lamech, Fratres commendavit Farchadino Cayri gubernatori, ſibi ſumme dilecto, qui nullas Fratrum injurias etiam leviſſimas, volebat inultas. Hinc tantus terror Fratrum inimicos invaſit, ut nullus deinceps auderet offendere. Sub protectione iſtius Sultani frater Joannes Thomacellus, Guardianus Montis-Syon, Eccleſias Bethlehem & ſancti Sepulcri ære multo reſarcivit. *Am 1467. n. 2.*

XVIII. Hoc anno, ut ait Gonzaga, illuſtris heros Matthæus Stendardus, Dominus urbis Bovinæ, & Univerſitas oppidi Vicarii, diœceſis Trojanæ, Cœnobium Obſervantibus Provinciæ ſancti Angeli in clivo amœniſſimi & frondoſi Montis D. P. ab oppido, ſub invocatione ſancti Antonii de Padua, fabricari & rebus omnibus inſtrui neceſſariis, diligenter curavit. Paulus Pontifex anno ſequenti, Nonis Martii ita faciendi licentiam impertivit. Sed neque anno MCCCCLXXII. inchoatum probat Sixti IV. diploma, quo tunc XIV. Kalendas Julii facultatem conceſſit eidem Matthæo, Cœnobium hoc ædificandi in loco idoneo, per Vicarium Provinciæ ſancti Angeli eligendo. Hic obiit frater Chriſtianus a ſancto Donato laicus, cujus tanta fuit ſanctitas, ut juvenem lethaliter ab aſpide morſum, ab imminente morte crucis ſigno liberarit, mortem prædixerit primogeniti Comitis Viſcariorum, magnumque in ea regione diluvium. Poſt mortem, Angelum Conſodalem, animam agentem, e mortis faucibus eripuit. Hic etiam jacet frater Joannes ab Iſchitella, incomparabilis continentiæ, orationis & abſtinentiæ, quem *beati Viri* nomine compellant. *Gonz. in Prov. S. Angeli Conv. 11. Lib. 2. de Regul. & de exhib. an. 5. fol. 49. Lib. 9. bullar. Sixti IV. fol. 145.* Conv. Vicarii. Chriſtianus a S. Donato.

XIX. Univerſitati & Incolis oppidi Anguillariæ, Sutrinæ diœceſis, conceſſit hoc anno Pontifex licentiam ædificandi Conventum Fratribus Obſervantinis Provinciæ Romanæ: *propter ſpem*, inquit, *quam conceperunt, quod ipſorum vita laudabili & exemplari, verbi Dei prædicationibus, monitionibus & exhortationibus ad bene ſanctèque vivendum, uberes fructus ſpirituales ad animarum ſalutem eſſent allaturi.* Extat illic commodum Cœnobium, hoc tempore probabiliter erectum; ſed eſt quod miror, inter domos Provinciæ Romanæ nullam hujus fieri mentionem. Conv. Anguillariæ. *Lib. 1. de diverſ. form. an. 5. fol. 119.*

XX. Dedit etiam hoc anno facultatem Leonoræ, Vaſconum Principi, ut in loco propinquo Taffaliæ, diœceſis Pampilonen. regni Navarræ, oppido antiquiſſimo, a Tubal, Noe Patriarchæ nepote, ut fertur, conſtructo, Conventum Minoribus Obſervantibus ædificaret, ſub invocatione B. Mariæ de Miſericordia. Proximam ſancti Sebaſtiani parochiam ex Innocentii VIII. facultate adnecti, & propterea domum hanc ab eodem ſancto Sebaſtiano deinceps nuncupari curaſſe, centumque ferme annis paruiſſe Patribus Conv. Taffaliæ. *Gonz. in Provin. Bargen. Con. 16. Lib. 1. de diverſ. de exhib. & c. an. 5. fol. 130.*

Con-

Conventualibus, uſque ad annum MDLXVII. quo deprecante Philippo II. per Pium V. translatus eſt ad Obſervantes, ſcribit Gonzaga. Certum tamen eſt, non potuiſſe Leonoram unionem illam per Innocentium ſactam procurare, cum quinque aut ſex annis antequam Innocentius ad Pontificatum aſcenderit, Leonora jam ad Navarræ regnum aſſumpta, ut alias narrabimus, obierit. Neſcio inſuper quomodo Conventus primum Obſervantibus conſtructus tranſierit ad Conventuales, totque annis eiſdem ſubſuerit. Sed hæc clariora fient ex iis quæ ſub annum MCCCCLXXXIX. de hoc Conventu dicemus.

Vide Garibay. de regno Navar. l. 29. c. 6.

An. 1479.

Conv. Gardiæ. *Gonz. in Provin. Franc. Conv. 29. Mon. MSS. Cuſtod. Picardiæ.*

XXI. Nobilis vir Rodulphus de Hutſalize, poſtquam annis multis ſub Duce Borbonio meruit, arma poſuit, & humili ſe devovit obſequio Clariſſarum pauperum Ambianenſium. Deinde ſub habitu Franciſcani Tertiarii ſeceſſit in Silvæ Heſſenſis abditum, in Comitatu Claromontano, & diœceſi Bellovacenſi ad III. M. P. ab urbe Gardiæ, ubi loco amœno erecta domuncula ſub invocatione beatæ Mariæ Virginis, vitam aliquamdiu degit ſolitariam. Hieroſolymitanam peregrinationem meditatus, hoc ipſo anno Romam venit, ubi mutato conſilio, obtinuit a Paulo Pontifice facultatem (quam etiam Sixtus IV. confirmavit) tribuendi Minoribus Obſervantinis, quam inchoavit fabricam majoris ædificii. Regreſſus ipſe, manum admovit liberaliter, adjutus beneficentia Petri Borbonii Comitis Claromontani, & nobilis mulieris Joannæ de Heruart, cognomento *de Mouchli*, quæ in ſuæ devotionis teſſarum juſſit ibidem cor ſepeliri. Eccleſiam & Capitulum cum Cœmeterio conſecravit ex conſenſu & voto Epiſcopi Bellovacenſis anno MCCCCLXXXVII. Abbas Frigidi montis, Epiſcopus Nazarenus. Incorporatus eſt hic Conventus Provinciæ Franciæ anno MCCCCLXXXI. in Comitiis Medunti celebratis, Nicolao Guiotello Miniſtro, qui etiam Rodulphum ad habitum & profeſſionem ſuſcepit. Obiit ibidem virtutibus & pietate ornatiſſimus, cui Epitaphium hoc poſuerunt conſanguinei.

Cygiſt devant Frere Raul de Hutphalize eſcrier, lequel apres avoir en la fleur de ſon age frequente la noble maiſon de Bourbon, meu de bon vouloir print l'habit d'hermite auquel le reſidu de ſa vie a veſcu, en ce lieu devotement, & fat premier autheur de eriger ce convent a l'honneur de S. François, avec pluſieurs encores dignes de bonne memoire; en ce lieu rendit ſon ame a Dieu l'an mil quatre cent quatre vingt & dix, pries Dieu prou luy.

Conv. Avenionen. *Gonz. in Provin. S. Ludov. Gen. 3.*

XXII. Hoc anno Pontifex indulſit Vicario & Fratribus Provinciæ, necnon quibuſdam Civibus, ut in urbe Avenionenſi domus extrueretur Obſervantum. Ita factum eſt anno ſequenti expenſis nobilis viri Ludovici Auriæ, & inſigni ſtructura. Multorum inſignium virorum, præſertim Gubernatorum a Pontificibus miſſorum, ibi conſpiciuntur ſepulcra. Jacent illic Paulua Soncinas, totius Ordinis Generalis Miniſter, de quo ſuo tempore dicemus; frater Claudius bis Provinciæ cum laude Miniſter, qui multa domus addidit incrementa; Antonius Faber, qui dum tertio Provinciam rexit, deſignatus eſt Definitor Generalis, & familiæ Gallicanæ Commiſſarius, doctumque librum contra quemdam hæreſiarcham Arelatenſem emiſit; necnon Ludovicus Columbus, per præcipuas Galliæ Civitates inſignis prædicator, de quo diffuſius illo, quo floruit, tempore diſſeremus.

An. 1520.

Conv. Vartæ. *Idem in Provin. Polon. Conv. 21. Monum. MSS. cinſd. Provin.*

XXIII. In oppido Vartæ, diœceſis Gneſnenſis in Polonia majori, inchoavit hoc anno ſuis Fratribus novus, quem diximus, novæ Provinciæ Vicarius, Marianus Jeſioreovius ædificium ſub titulo Nativitatis Virginis Ma-

Anno Christi 1468.	Pauli II. an. 4 & 5.	Fridrici III. Imp. anno 29.	Religionis Minorum anno 261.

Mariæ, fundum ſive aream liberaliter largiente quodam oppidano, Darmopichio nuncupato, & ſumptus ad conſtruendum Gerardo Brudzenio, Canonico Cracovienſi, Præfecturam tunc habente Vertenſem. Cum vero totum eſſet ligneum ædificium, infra decennium bis conflagravit, decreveruntque Patres in quibuſdam Comitiis locum penitus deſerere. Obſtitit frater Paulus Vertenſis, egitque cum compatriotis, ut lapideum facerent vel lateritium. Obtinuit pro voto, & infra triennium, quod Patribus promiſit, totam domum abſoluit. Ibidem ipſe virtutibus plenus, corporalibus & ſpiritualibus exercitiis extenuatus deceſſit, anno MCCCCXC. cum quo illic requieſcunt vir optimus, beati Joannis Capiſtrani diſcipulus, Melchiſedech, & beatus Raphael de Proſſovice, de cujus beatificatione agitur in Curia.

Paulus Vertenſis.

XXIV. Hoc eodem anno, ut ex ejus diplomate, ſub finem regeſti apponendo conſtabit, Caſimirus Rex, cultus Divini ſtudioſiſſimus, curavit ut Vilnæ (quæ Litnaniæ caput eſt celeberrimum, cum optimis Europæ Civitatibus comparanda) ſub cura & induſtria prædicti Mariani, Fratres Obſervantes ampliſſimam Fratrum ſexaginta domum acciperent. Primo lignea; ſecundo facta eſt lapidea, ſed adeo tumultuario opere, vel imperfecta materia, ut poſt aliquot annos circa MD. inclinantibus muris, teſtudo corruerit. Nocebat etiam perpetua agitatione & tremulo motu proximum regium molendinum, juſſitque Alexander, Magnus Lituaniæ Dux, Caſimiri Frater, ut dirueretur. Ut tertio ſolide conſtrueretur, magnum tulit adjutorium Nicolaus Radivillus, Palatinus Vilnenſis. Totam Eccleſiæ teſtudinem cum pinnaculis templi, uſque ad ædes ſanctæ Annæ in cœmeterio conſtructas fabricavit, ambitus clauſtri per circuitum verſus refectorium fecit teſtudineos. Ejus beneficentiam proſecutus eſt uterinus frater Georgius Cardinalis Radivillus, Adminiſtrator Epiſcopatus Vilnenſis, Dux in Olica & Neſvefio. Multa & pretioſa miniſtravit ornamenta Eccleſiaſtica Hieronymus Chodkicuicius, matre ortus Ducisſa Slucenſi, Caſtellanus Vilnenſis, & Præfectus Oeconomiæ Breſtenſis, aream clauſtro contiguam, cum ſuo palatio & hortis donavit, & organis pulcherrimis templum illuſtravit. Jacent hic, Stanislaus Huymacenſis, a beato Joanne Capiſtrano initiatus, cujus fuit perfectus æmulator: Angelus de Oſtrono, & Marianus de Jeſiorco, qui non ſemel laudabiliter valde Provinciam gubernarunt. De utroque inferius ſermo redibit.

Conv. Vilnæ. *Indid. Conv. 14. Monumen. MSS. ejuſd. Provin.*

XXV. Eodem anno Joannes Gruſcinius, Archiepiſcopus Gnenſnenſis, quem diximus Caliſſienſis Cœnobii auctorem, in urbe Lovitii ſecundum ædificavit ex ligno, ex lapide poſtea ſtructurus, ſub invocatione ſanctorum Bartholomæi Apoſtoli, Bernardini & Ludovici confeſſorum Ordinis Minorum. Sed pias cogitationes mors immatura diſſipavit, opuſque lapideum in ſe ſuſcepit frater Pancratius Coſinius, egregius Prædicator, qui prima jecit Eccleſiæ fundamenta, opuſque ad ſummum perduxit, adjectia ſacriſtia, aula capitulari & bibliotheca. Multum diuque Fratres in hoc opere laborarunt. Ea erat erga Fratres primus ille fundator pietate & beneficentia, ut vix explicari poſſit; nihil ſiniſtrum de illis audire poterat, nullam prætermiſit occaſionem benefaciendi. Tertium & quartum præparabat Fratribus locum in oppidis Zuein & Lamezii, ſuæ diœceſis, ut conſtat ex bulla Pauli, qua anno ſequenti utrumque ædificandi facultatem conceſſit. Ad dextrum Eccleſiæ latus amplum adjectum eſt palatium pro Archiepiſcopis Gneſnenſibus, exercitia ſpiritualia cum Fratribus peracturis, unde ad interiora clauſtri & Fratrum converſationem patet ingreſſus. Ante paucos annos Henricus Firley Archiepiſcopus hoc pio delectatus ſeceſſu, multiſona orga-

Conv. Lovitii. *Indid. Conv. 15. Mon. MSS. Polon. An. 1465. n. 16.*

organa grandi pecunia in templi ornatum, & Divini cultus incrementum erexit. Bene inſtructa hic habetur bibliotheca, & ſtudium Philoſophicum. Sepulti ſunt in templo Lovitii prædictus Pancratius, & Joannes Smolia, qui ob multiplices a Deo dotes conceſſas, arca virtutum appellabatur, & viſum ſuis orationibus reſtituit Priori Dominicanorum per decennium orbato.

Conv. Irialacen. *Tom. 7. anno 1340. n. 26.*

XXVI. Occurrit hoc anno Pauli Pontificis diploma, quod dabimus in regeſto: *Paſtoris æterni*. IX. Kalend. Maii, ex quo corrigenda veniunt monumenta Hibernica ad nos tranſmiſſa, quæ Conventum Irialacenſem juxta Lochleyn, ſeu lacum Leyni fabricatum, integra annorum centuria faciunt antiquiorem, quam vere ſit, & nos induxerunt ut ſub annum MCCCXL. ejus conſtructionem reponeremus. Refert enim in hoc diplomate Pontifex, inchoatum fuiſſe a Donaldo Mac-lare Principe Deſmoniæ, adhuc hoc anno vivente, in eoque habitaſſe Fratres ferme viginti annis ſub arcta pœnitentia & Regulari Obſervantia. Si ergo demptis viginti annis, recurramus ad tempus conſtructionis, numerabimus annum MCCCXL. vel circa, non autem MCCCXL. quem illa monumenta, fortaſſis ex ſcriptoris errore, præferebant. Situm in parte Occidentali totius orbis in diœceſi Ardſertenſi, loco apto ad ſerviendum Deo, remoto ab urbibus XI. M. P. narrat diploma, admiſſumque a fratre Richardo Chilvart aliiſque Conſodalibus, ſub invocatione ſanctiſſimæ Trinitatis. Multi Heroes hic ſibi delegerunt ſepulturas, præſertim Oſublivanus-manus, & aliquot ex utraque Emilia Mac-Donacha.

Monaſt. Bituricen. *Gonz. in Provin. Turon. Monaſt. 2.*

XXVII. Joannes Cordis, vulgo *Cœur*, Archiepiſcopus Bituricenſis, vir inſignis, ut a ſe, ſuis, piorumque expenſis in eadem urbe inchoatum Monaſterium Clariſſarum proſequi, Sororibus reformatis Inſtituti beatæ Coletæ, ſub cura & regimine Confeſſarii Minoritæ tradere liceret, petiit & obtinuit hoc anno a Pontifice facultatem: *Inter univerſa*. Kalend. Septembris. Gonzaga in multis diſcordat: conſtructum, ædificatum, impetratum & acceptatum ait a beata Coleta, quæ tamen obiit anno MCCCCXLVII. eamque obtinuiſſe anno MCCCCLXX. locum & fundum in vico Arenarum a Domino Cadoit, tunc Priore Dominæ noſtræ de Salles, mox Archiepiſcopo Bituricenſi. Sed qui fieri potuit, ut ante tot annos defuncta, hoc impetrarit? Mox addit eumdem Cadoit curaſſe, ut in illo fundo, a ſemet empto, Monaſterium conſtrueretur, ſed morte præventum abſolvere non potuiſſe, abſolviſſe tamen Jacobum Cordis ſeu de *Cœur*, & ubique ſua inſignia, nomen vel effigiem beati Jacobi apponi voluiſſe. At Dominus Cadoit, ſeu uti habent Scriptores Galli, Jacobus Cadonetus, nonniſi circa annum MCCCCLXXXIII. ex Priore *de Salis*, & magno eleemoſynario Regis Ludovici II. aſſumptus eſt ad Archiepiſcopatum Bituricenſem, obiitque anno MCCCCXCII. Judico itaque probabilius, Joannem Cordis ſupra nominatum Archiepiſcopum, Monaſterii a ſe inchoati opus proſecutum uſque ad annum MCCCCLXXXIII. quo obiit, & quod ſupererat perficiendum, abſolviſſe Jacobum, Cordis Patrem fortaſſe (ita enim ejus genitor appellabatur) vel fratrem aut nepotem.

Vide Gall. Chriſtian. in Arch. Bituric. n. 87. & Chenu. in notitia Beneficiorũ diœc. Bituricen.

Monaſt. Tornacen. *Lib. 1. de diverſis formis ann. 5. fol. 248.*

XXVIII. Conceſſa eſt hoc anno facultas Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ ut in Civitate Tornacenſi, in quacumque parte, ſive in illa, quæ ſpectabat ad Epiſcopum Tornacenſem, ſive in ea, quæ diœceſis erat Cameracenſis, Monaſterium ædificaret Clariſſarum ſub prima regula & regimine Vicarii Generalis Ultramontani provinciæ Franciæ.

XXIX. Sorores Tertii Ordinis duas domos habuiſſe in diœc. Trajectenſi, unam

unam in Delfo, ſub nomine ſanctæ Agathæ, & alteram in Scheydam, ſub invocatione ſanctæ Urſulæ, conſtat ex Pauli diplomate, quo exemptam vult utramque domum a juriſdictione Davidis Epiſcopi Trajecten. & ſucceſſorum. Sub annum MDLXXI. ſe ſubdiderunt regimini Fratrum Obſervantum.

Domus Delfi, & Scheydam Tertii Ordinis. *Lib. 1. de exhibit. & dignit. vacant. an. 5. fol. 176.*

XXX. Cuidam fratri Nicolao, Tertii Ordinis celebri profeſſori, collatum eſt hoc anno a Pontifice Monaſterium beatæ Mariæ, alias ſancti Congalli de Beanchor Ordinis ſancti Auguſtini, Dunen. diœceſis in Hibernia, per malum regimen Seneguini Okeyllin. Abbatis diſſipatum & dilapidatum. Tertiariis Patriarchatus Veneti, & Epiſcopatus Tarviſini præerat hoc tempore frater Bernardus de Auſtria, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, deputatus in correctorem & viſitatorem hujus Sodalitatis, per bonæ memoriæ Laurentium Juſtinianum, primum Venetiarum Patriarcham.

Domus Beanchor. *Lib. 3. de Regular. & exhibit. an. 5. fol. 8.* Fr. Bernard. de Auſtria Viſitator Tertii Ordinis Venetiis. *Lib. 3. de Regular. & exhibit. an. 5. fol. 10.*

XXXI. Conventus ſancti Franciſci extra muros Legionenſes hoc tempore ruina & incendio ferme totus conſumptus eſt. Ut reſtaurando fideles opem adhiberent, Pontifex hoc anno adhortatur. Confirmat etiam venditionem cujuſdam prædii in Comitatu Civitatis Fulginaten. *Rachanati* nuncupato, factam Trojilo Juſtini de Bon-compagnis de Viſſo, Laico Spoletanæ diœceſis, pertinentis ad Clariſſas Monaſterii ſanctæ Luciæ Fulginaten. ex cujus pretio volebant domum dilatare, ut capacior eſſet numeroſæ multitudinis Sororum quinquaginta quinque, quæ tunc inibi commorabantur. Monaſterium Catacenſe Clariſſarum translatum eſt hoc anno a regimine Conventualium ad Obſervantum.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

» I. DUm Rex Ludovicus Eburones ad novam defectionem per ſuos Oratores incendit, a Carolo Burgundo veluti captivus detinetur; quamobrem iterum Rex, & Burgundus pacem ſimul redintegrarunt; ſed Leodium ſuæ defectionis pœnas luit, ſecundo, quam magna & ſemper memorabili ſtrage ſuorum, a Burgundo bebellatum. Summus Pontifex ſtudia pietatis Chriſtianæ ſedulo ubique promovere ſtudebat, & noſtris provinciæ ſancti Angeli ut Regularis Obſervantiæ domum ſibi conſtruerent licentiam fecit: *Injunctli nobis &c.* IV. Nonas Martii, & Henrico *Gomez*, ut in ſuis terris aliam ponat: *Eximiæ devotionis &c.* Nonis Aprilis; ſed horum major notitia non habetur: pro Sororibus ſanctæ Mariæ Annuntiatæ Oppidi ſancti Severini in Apulia prodiit Breve: *Sacræ Religionis &c.* V. Idus Aprilis; aliud pro Sororibus Tertii Ordinis Aſſiſii de ſancta Eliſabetha: *Sacræ Religionis &c.* Idibus Maii; tertium etiam pro Sororibus ejuſdem ſanctæ Eliſabethæ Tertiariis Mediolanenſibus: *Paſtoralis officii &c.* XV. Kalend. Julii: Conceſſum eſt etiam Sororibus Tertiariis Venetiarum poſſe habere Sacerdotem Viſitatorem: *Pia conſideratione &c.* XII. Kalend. Octobris; & Monialibus Ciſtercienſibus Monaſterii ſancti Jacobi de Palude Torcelan. & ſanctæ Margaritæ transferri ad Conventuales: *Romani Pontificis &c.* Kalendis ejuſdem menſis.

Conceſſiones pro Sororibus. *Degl. cit. fol. 451.* *Indic. ex Vatic.* *Ex Archiv. SS. Apoſt.*

» II. Provinciæ Januenſis Capitulum celebratum fuiſſe Cunei in Conventu ſancti Franciſci menſe Maii hujus anni MCCCCLXVIII. cum liberalitate civium & lætitia, narrant Chronica illius Civitatis: Ingolſtadii Civitatis Bavariæ frequenti Academia nobilis, Sorores Tertii Ordinis ſan-

Sorores Ingolſtadii emittunt tria Vota. *Chron. MSS. Cunei.*

ſancti Patris Franciſci, quæ ad hæc uſque tempora ſub Ordinario Eiſtetenſe vixerant, hoc anno reformationem ſubjere, directioni & gubernio Fratrum dimiſſæ: coram R. P. fratre Joanne *Linder* provinciæ ſuperioris Germaniæ Vicario, trium votorum eſſentialium ſolemnem Profeſſionem emiſerunt, Clauſuræ autem nequaquam, quod Monaſterio nec bona immobilia, nec annui reditus eſſent; unde ſuis neceſſitudinibus mendicitate providere cogebantur; & quidem ea tempeſtate omnibus fere hujuſmodi Inſtituti Sororibus talis vivendi mos erat.

Chronica MSS. Prov. Bavariæ de do Gouv.

III. Venerabilis P. frater Angelus de Oſtrono, natione Polonus, & dignitate Sacerdos, admodum pius & devotus, cum non ſemel Poloniæ Provinciam laudabiliter rexiſſet, tamdem naturæ debitum ſolvens, Vilnæ in Conventu ſancti P. Franciſci quartodecimo illius Provinciæ, properavit ad Dominum Nonis Aprilis.

Monumen. MSS. provincia Poloniæ.

IV. Venerabilis item Chriſti ſervus P. frater Raphael de Proſſorice, natione & ipſe Polonus, eadem tempeſtate ſanctitate vitæ celebris florebat, ac ob ejus eximias virtutes in Curia Romana de ejus Canonizatione agitur, teſte Arthuro de Monaſterio in ſecunda editione ſui Martyrologii. Celebris eſt etiam memoria Patris fratris Joannis *Duren.* Germani, qui in pietate & ſtudiis, ſed potiſſimum litterarum lectione felicem collocavit operam; in declamandis ſermonibus ad populum magnæ & præclaræ fuit opinionis, ſcripſitque de ſeptem peccatis mortalibus, de vitiis occultis, de Confeſſione, Sermones Quadrageſimales, de Tempore & Sanctis, ut Bibliotheca Virorum illuſtrium noſtri Ordinis habet.

Martyr. Fr. 2. edit. fol. 110. col. 2. §. 3.

Joannes Duren.

Fol. 240. col. 1.

V. Inter ſacras Virgines, Fulginii in Monaſterio ſanctæ Luciæ, quod eſt ſeptimum Provinciæ ſancti Patris Franciſci, floruit Venerabilis Soror Franciſca de Andrea Virgo Perufina, quæ in omni virtutum genere perfecta evaſit: in omni loco, omnique tempore ſemper orabat, nec aliquod exercitium vel tumultus animam ſuam a Chriſto Sponſo ſeparabat; quamobrem ab eo multis reficiebatur conſolationibus, Diviniſque revelationibus dignabatur. Tres quadam nocte contemplata Angelos, ab eorum uno accepit, Deo gratum & placitum eſſe illud Virginum Monaſterium: vidit etiam alias Chriſtum crucem humeris geſtantem, ſenſitque dolores ſibi communicantem: tempus tamdem ſuæ mortis ab Angelo cum didiciſſet, ſancto fine quievit die XXV. Auguſti anno MCCCCLXVIII. de eaque ſcripſit Jacobillus, qui & aliam Franciſcam Virginem de Perufio, genere ac virtute illuſtrem, in præfato Monaſterio ſanctæ Luciæ floruiſſe ſcribit v. Kalendas Januarii, an. MCCCCLXVIII.

Soror Franciſca ab Andrea.

Jacobillus de San. Fulginat. ſub die 22. Julii fol. 251.

Soror Franciſca de Perufio.

VI. In Tabula Sanctorum Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci, Sereniſſimæ Mariæ Magdalenæ Auſtriæ & Etruriæ Archiduciſſæ dedicata, legitur de Joanna Romana Virgine illius Inſtituti, Illuſtriſſima orta proſapia, quæ oratione, humilitate, contemplatione & vitæ ſanctimonia, generis nobilitatem longe ſuperavit, ac ibidem ad cœleſtem Sponſum abiit hoc anno MCCCCLXVIII.

Joanna Romana.

ARGUMENTUM.

Celebrantur Comitia Generalia, & fit Miniſter tatius Ordinis Zanettus Utinenſis. Obſervantes Ciſmontani convocant Capitulum Generale, & creant Vicarium Generalem Marcum Bononienſem. Pie moriuntur Alphonſus Boroxius, & Theodora Annibaldenſis. Bernardinus Feltrenſis incipit doctrina & ſanctitate florere. Fiunt Epiſcopi, & multiplicantur Cœnobia.

I. ASSUMPTO ad Cardinalatum, uti diximus, Miniſtro Generali Franciſco Saonenſi de Ruvere, commiſſoque ei per Pontificem Ordinis regimine uſque ad proxima Comitia Generalia, ſtatuit ea hoc anno Venetiis indicere, & Præſidem Vicario nomine ſtatuere Joannem ſive Zanettum Utinenſem, Provinciæ ſancti Antonii Miniſtrum, virum doctum, ſacræ Theologiæ Magiſtrum. Collatis itaque ſuffragiis die XIX. Maii compertum eſt, ſexaginta tria in unum Zanettum abiiſſe, omniumque applauſu aſſumptus eſt ad totius Ordinis Præfecturam. Errat Rodulphus dum ſemel XXX. Maii, atque iterum XIII. Maii anno præcedenti celebratum hoc aſſerit Capitulum; neque enim adhuc ſub illud tempus Savonenſis creatus eſt Cardinalis. Nullas invenio hujus conſeſſus conſtitutiones, neque aliud memorabile, præter unam Miniſtri Generalis electionem, & decretum de remittendis ad ſuos Vicarios Fratres de Obſervantia, qui ſub quovis prætextu ad Conventuales tranſmigrarunt.

Chronic. antiqua MSS. Marian. l. 5. c. 36. Marc. 3. p. l. 6. c. 44. Capitulum Generale 93. Venetiis. Zanettus Utinen. Miniſter Generalis. *Rodul. fol. 193. & 244.*

II. Fratres Obſervantes aliud celebrarunt hoc anno Capitulum. Cum enim Baptiſta Vicarius Generalis ex contracta Cajetæ ſub menſem Januarii gravi infirmitate, Romæ menſe ſequenti occubuiſſet, ſepultus honorifice præ foribus Sacriſtiæ in Templo Aracœlitano; Jacobus Cornetanus Vicarius Provinciæ Romanæ, auctoritate Apoſtolica inſtitutus Obſervantum Commiſſarius, ad Generalem Conventum in Inſulam Biſentinam, lacus Vulſini, infra limites ejuſdem Provinciæ conſtitutam, convocavit. Tertium electus eſt in Vicarium Generalem Marcus Bononien. vir optimus, prudens, & longo rerum uſu in regimine expertus. Erat autem conſuetudo inter Obſervantes, ſuffragia in quibuſcumque electionibus publicandi, & ſuffragantium nomina legendi, quæ libertati electionum videbatur adverſari. Judicarunt itaque Patres ad Aram-cœli, ante Capitulum congregati, expedire ut Apoſtolico præcepto hæc tolleretur conſuetudo. Obtinuit proinde Bernardinus Aquilanus a Foſſa, in Curia Commiſſarius, hoc Pontificis decretum.

Capitulum Generale II. Obſervantum Ciſmontanorum.

Marcus Bononien. fit Vicarius Generalis.

Dilectis filiis Capitulo Generali Fratrum Minorum de Obſervantia celebrando in Inſula Bixentina, lacus Vulſini.

III. *DILECTI filii, ſalutem &c. Intelligentes, a paucis annis citra introductum fuiſſe in Congregatione veſtra, quoties eam pro electione Vicariorum Generalis & Provincialium, & aliorum veſtræ Familiæ Prælatorum fieri contigerit, quod voces tam eligentium, quam electorum publice nominantur, ac volentes hanc introductionem abolere, ex eo quod hoc modo ſæpius indigni vel timore, aut alias privati favoris vel affectionis ſingularis reſpectu, non rite eliguntur, committimus vobis & tenore præſentium in virtute ſanctæ Obedientiæ mandamus, quatenus de cetero per dictum modum*

Ex Brevi originali.

Præcipitur ne publicetur in Capitulis nomina electorum.

in dicta electione Prælatorum minime procedatis, ſed per illos, qui ſcrutinium ingunt, ſimpliciter dicatur, quot voces quiſque electus habeat, ſuppreſſis ſilentio eligentium nominibus; nam hac via ſalubrius & melius cum pace & quiete omnium ſine rancore & invidia ad ipſam electionem in Domino procedetur. Datum Romæ apud ſanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die VII. *Junii* MCCCCLXIX. *Pontificatus noſtri, anno* V.

IV. Ad iſta Comitia miſſum hoc Pontificium diploma circa condemnationem Georgii Conſtat de Podiebrat hæretici, regni Boemiæ occupatoris.

Dilectis filiis Præſidenti & Diffinitoribus Capituli Generalis Fratrum Minorum de Obſervantia &c.

Ex autographo. Condemnatur Rex Bohemiæ.

Dilecti filii, ſalutem &c. Conſueverunt prædeceſſores noſtri Romani Pontifices annis ſingulis in die Cœnæ Domini, ſedentes pro Tribunali, in Pontificalibus parati, aſſiſtentibus ſibi Venerabilibus Fratribus S. R. E. Cardinalibus, necnon Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac aliis Prælatis ſimiliter in Pontificalibus conſtitutis, & eminenti aliquo loco, audiente multitudine tum Curialium & incolarum, quam peregrinorum ad Urbem Romam eo tempore propter indulgentias & benedictionem Apoſtolicam confluentium, ad majorem deteſtationem gravium quorumdam criminum, quoſcumque criminibus ipſis illaqueatos, ſolemni publicatione, cum candelis accenſis, & deinde extinctis, ac in terram projectis, denunciatos excommunicare. Quem ritum & laudabilem conſuetudinem nos quoque ſecuti, tempore noſtro obſervavimus, & obſervaturi ſumus, nihilque baccenas excommunicationi conſuetæ addidimus, præter juſtiſſimam & omnino neceſſariam condemnationem obſtinatæ perditionis filii Georgii de Podiebrat, Huſſitarum hæreſim non modo pertinaciter tenentis, verum etiam illam totis conatibus defendentis: Et quamvis excommunicatio ipſa, præter hujuſmodi ſolemnem publicationem, ſingulis annis in propatulo aliquo ad tempus aliquod affigatur, ita ut quicumque voluerint vel legere, vel exemplar inde tranſcribere, optime poſſint, nec quiſque veriſimiliter, etiam ubivis conſtitutus, ignorantiam prætendere valeat: nos tamen pro debito noſtri Paſtoralis officii, ne ignorantia hujuſmodi ſub quavis excuſatione prætendi poſſit, obviare, & quantum in nobis eſt, etiam ſalubrius vobis & perſonis veſtri Ordinis providere cupientes, ut aperte intelligere poſſitis, hujuſmodi ſententiis irretitos a nullo præterquam a nobis abſolvi poſſe, & vobis abſolvendi poteſtatem eſſe interdictam & prohibitam, litteras excommunicationis & publicationis originales ad devotionem veſtram mittimus, commiſtentes, & in virtute ſanctæ Obedientiæ vobis mandantes, quatenus eas in Capitulo veſtro palam, ſolemniter, alta ac intelligibili voce publicari faciatis, tranſmittendo ad ſingula Monaſteria ejuſdem Ordinis unum tranſumptum, ad litteram originalem noſtri diplomatis collatum, & manu publici Notarii coram teſtibus ac pendenti ſigillo tui Præſidentis roboratum. Mandantes cuilibet Superiori cujuslibet Monaſterii, ut ter ſingulis annis, in feſtis diebus inter Miſſarum ſolemnia, dum populus ad Divina concurrerit, ſimili modo in materno & vulgari ſermone, juxta idioma uniuscujuslibet Provinciæ, in qua dicta veſtra loca conſiſtunt, publicet. Volentes ex nunc, prout ex tunc & e contra ab omnibus indubitatam fidem, tamquam eidem originali noſtro, non obſtantibus, in præmiſſis, omnibus quibuſcumque contrariis, omnino adhiberi. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die XII. *Aprilis, anno* MCCCCLXIX. *Pontificatus noſtri anno* V.

V. Ele-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 262.
1469.	an. 5. & 6.	anno 30.	

V. Electi ſunt Commiſſarius Curiæ, Albertus de Peruſio; Commiſſarius ſuper Provincias, Auſtriæ, Poloniæ, Boemiæ, qui vices gerat Generalis Vicarii in remotis illis regionibus, Ludovicus Vincentinus; Guardianus Hieroſolymorum, qui tunc erat, confirmatus eſt propter ea, quæ diximus anno præcedenti, Franciſcus Placentinus; Vicarius Provinciæ Romanæ inſtitutus eſt Jacobus Patavinus; Commiſſarius Cœnobiorum Caffæ relictus eſt arbitrio Vicarii Generalis inſtituendus; judicatum enim eſt debere prius agi cum Pontifice circa regimen eorumdem & Fratres in eiſdem commoraturos, quos commodius miniſtrare poterat Miniſter Generalis ex vicinis Conventibus ſuæ poteſtati immediate ſubjectis; Guardianus Conventus Sarzanæ, de quo ſuperius diximus multam exortam controverſiam inter Provincias Genuenſem & Etruſcam, Archangelus a Pontremulo; Guardianus & Commiſſarius Sardiniæ Jacobus a Matelica. Varia acta Capituli Obſervantum. *Num.* 17. *An.* 1462. *n.* 81. & *an.* 1467. *n.* 3.

VI. Abſolutis Comitiis, Vicarius Generalis abiit Romam, ubi benigne exceptus a Pontifice, quem prius habuit familiarem patronum in Cardinalatu, petiit die 111. Auguſti ad tertiam noctis horam, poſt benignum in cubiculo colloquium, uti ipſe in ſuo narrat regeſto, ut liceret Fratribus, vel capitulorum præfectis ad arbitrium uti brevi ſuæ Sanctitatis de publicandis ſuffragiis. Annuit Pontifex pro electionibus Vicariorum Provincialium; voluit tamen ut publicarentur in electione Vicarii Generalis. Secundo rogavit, ne tenerentur Fratres ad publicandum toties ſuæ Sanctitatis edictum graviſſimum contra Georgium Podiebratium, ſupra relatum. Placuit ut ſemel ante finem quadrageſimæ publicaretur; voluit tamen ut exemplar ubique ſervaretur, ut commodius ſcirent Fratres, qualiter ſe haberent in cauſa graviſſima, & populos docerent, quatenus peſtem hanc fugerent perniciosam, & in reconciliandis hæreticis Fratres ſe gererent prudentius. Rogavit inſuper, ut cura committeretur Miniſtro Generali providendi utrique Cœnobio Caffenſi, de quibus ſupra actum eſt; commodius enim ille mittere poterat Fratres Hungaros regularis Obſervantiæ ſibi immediate ſubjectos; diſtabant enim longiſſime ab illa Civitate in Taurica Cherſoneſi ad mare Euxinum, ſub Genuenſium Dominio conſtituta, Conventus Obſervantum, qui Vicario parebant Generali: atque ita conceſſum. Addidit inſuper Pontifex, ut pro faciliori expeditione negotiorum recureret ad Joannem de Mellinis Epiſcopum Urbinatem ſibi familiarem & ab intimis conſiliis, qui cuncta referret & reſponſum reportaret. Vicarius Generalis varia impetrat a Pontifice. *An.* 1463. *n.* 5.

VII. Diximus ſuperius, Joannem de Frangipanibus Comitem, unum aut alterum Conventum, in ſuo dominio in Iſtria, a Patribus Conventualibus ad Obſervantes tranſtuliſſe, deinde hos adeo injuſtis vexaſſe oneribus, ut pro remedio ad Sedem Apoſtolicam illos oportuerit recurrere. Atque hinc ille commotus decrevit ab illius gentis Fratribus ad Venetos vel Picenos Cœnobia transferre. Ut facilius obtineret, miſit ex ſua familia gravem virum, qui rem perageret cum Patribus in Comitiis Generalibus. At illi, re bene perpenſa, hujuſmodi dederunt reſponſum. *An.* 1461. *n.* 29. Fratres nolunt votis injuſtis Comitis Legniæ acquieſcere.

Magnifico D. D. Joanni de Franchapanibus, Legniæ, Veglæ, atque Modruſæ Comiti digniſſimo, ſingulari benefactori.

Magnifice Domine, recommendatione præmiſſa. Audito Ambaſiatore Dominationis veſtræ, taliter reſpondemus; Fratres Provinciæ ſancti Antonii, inſuper & Fratres Provinciæ Marchiæ, locorum abundantiam & Fratrum penuriam habentes, nullo modo veſtra loca tenere poſſe teſtantur. Fra-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 262.
1469.	an. 5. & 6.	anno 30.	

Fratres Dalmatini locum Inſulæ tantum, ſi libere & abſque omni onere, ſicut cetera ſuæ Provinciæ loca, & totius noſtræ familiæ ſunt, illum dare velletis, libenter acceptarent, alias nullo modo; Conventum vero nullatenus acceptare volunt, & D. V. unum ſine reliquo, nullo pacto concedere contentatur. Quo fit ut res iſta habere locum non poſſit, nec nos aliter providere poſſumus. Valeat D. V. ad ſecula felix. Data in loco noſtro inſulæ Biſſentinæ lacus Bulceni MCCCCLXIX. XII. *die Junii. E. M. D. V. Oratores frater Jacobus de Corneto, Ordinis Minorum totius familiæ Cismontanæ Commiſſarius Apoſtolicus, & frater Marcus de Bononia, ejuſdem familiæ Vicarius Generalis noviter electus, ceterique Definitores Capituli.*

An abſtinendum a carnibus diebus Mercurii?

VIII. Actum eſt inſuper in eis Comitiis de abſtinentia a carnibus ſingulis diebus Mercurii, quam introducere tentaverat Baptiſta de Levanto Vicarius defunctus; ſed commiſſa cauſa Vicario Generali, Angelo de Clavaſio Vicario Provinciæ Januenſis, Petro de Neapoli Vicario Apulo, Alberto Peruſino Commiſſario Curiæ Romanæ, Bernardino Aquilano, in eodem munere Alberti prædeceſſore, judicarunt non eſſe aggravandum jugum, neque cogendos Fratres ad plura præcepta, quam legislator præſcripſerat, & rem hanc relinquendam arbitrio & devotioni Provinciarum.

An retinenda paramenta pretioſa?

Circa pretioſa paramenta multorum Conventuum diſceptatum eſt acriter, præſertim circa ea, quæ a Cœnobiis Neapolitanis Baptiſta defunctus abſtulit, & Romam, ut diſtraherentur, fecit deportari. Viſum eſt ea reſtituere, & monere Vicarios Provinciarum, & Conventuum ſuperiores, ne plura recipiant, & quæ pauperis Inſtituti qualitatem excedebant, Syndicorum miniſterio in alios uſus commutentur, modo largitorum accederet conſenſus. Ubi organa non præceſſerant, cautum eſt, ne admitterentur. Statutum eſt ut Fratres Raguſini Dalmatinis uniti in unam coaleſcerent Provinciam, & Boſnenſes, juxta antiquum morem, ſuum eligerent Vicarium.

De organis. Provincia Dalmatiæ. Vicaria Boſnen.

IX. Petrus de Capriolis Brixienſis, de cujus turbis ſupra dictum eſt, acquieſcens conſilio novi Vicarii, & quorumdam gravium Virorum, tradidit Marco ſcripturas, inſtrumenta omnia, & quæcumque in gradu appellationis, vel quovis modo contra ſuam Provinciam tentavit, ipſoque rogante & ſpectante, omnia combuſta ſunt; putaruntque omnes finem habituras Brixienſium & Mediolanenſium controverſias, præſertim cum anno ſequenti eum in gradum priſtinum Marcus reſtituerit, & benigne habitum ad balnea ſancti Philippi, ſocio Jacobo Anroldo dimiſerit. Sed inquieta mens litibus aſſueta, non potuit a jurgiis abſtinere.

An. 1467. *n.* 9. Petrus Capriolus acquieſcit conſilio Vicarii Generalis.

Moritur Alphonſus Boroxius. *Rodul. fol.* 154. *Marc. cit. lib.* 2. *c.* 27. *To.* II. *an.* 1437. *num.* 47. & *an.* 1447. *n.* 19.

X. Obiit hoc anno in Conventu Occaniæ Alphonſus Boroxius, vir doctus & prudens, magnus Obſervantiæ propagator per Caſtellæ Provinciam & Cuſtodias, uti alias monuimus. In ſacra Theologia Magiſter, prius Miniſter fuit Conventualium, deinde Vicarius Obſervantum, ad quos ſtrictioris vitæ ſtudio tranſivit. Sepultus eſt honorifice in ſacello majori, adjecta ejus effigie.

Item Theodora Annibaldenſis. *Gallon. de Virginib. Rom. pag.* 141. *Jacobil. de SS. Fulgin. pag.* 184.

XI. Moritur etiam hoc anno Theodora Annibaldenſis, virgo Romana, nobilibus parentibus Joanne de Annibalis, Molaræ Domino, & Franciſca Alberina, anno MCCCCXXX. progenita. Audito Roberto Caracciolo Licienſi ſummo ſui temporis concionatore, de quo ſæpius locuti ſumus, ingens concepit deſiderium Deo ſerviendi ſub ſanctæ Claræ Inſtituto. Ubi commodius & religioſius poſſet, ſecreto interrogavit Silviam Albertoniam, Jacobi de Cithara conjugem, nobilem conſanguineam. Prætulit hæc omnibus Monaſterium ſanctæ Luciæ Fulginatenſe, religioſiſſimum ſacrarum Nobiliumque Virginum collegium. Poſt unius anni varia impedimenta victaſque

que tentationes, ætatis vigeſimo, illuc ſe recepit, omniumque ſuffragiis admiſſa, ſimul cum habitu animum induit generoſum, quæ mundi erant & carnis, in ſervitutem ſpiritus redigendi. Nihil conſpiciebat in Sororibus laudabile, quod imitari non ſtudebat, & quæ per omnes ſparſæ erant virtutes, in ſe unam ſtudioſe colligebat. In oratione fervida, in meditatione exardeſcens, jejuniis & corpori macerando, ultra quam fœmineæ patiantur vires, aſſueta, cilicium ſemper portabat aſperum, omnibus grata, ſuperiorum præceptis promptiſſime obſequebatur. Ejus virtutes.

XII. Paulo poſtquam profeſſionem emiſit, anno MCCCCLI. mittebatur Romam Margarita Sulmonenſis, cum ſociis duodecim, Monaſterium ſanctorum Coſmæ & Damiani, in regione Trans-tyberina, vulgo *ſan Coſmato* reformaturæ, quæ paulo ante ad meliorem frugem reduxerunt alterum Montis-Lucis, extra Peruſium. Invitata Theodora ut in harum conſortio conſanguineos viſura, in urbem rediret, renuit, dicens, quæ paulo antea omnia propter Chriſtum contempſit, nolle parentum ineſcari blanditiis, ſeque proinde voluntarium hoc ſibi indixiſſe exilium, ut obliviſceretur populum ſuum & domum patris ſui. Paulo poſt anno MCCCCLIV. Nicolaum V. rogarunt Sorores prædicti Monaſterii Tranſtyberini, ut exiguum ſuum numerum augere vellet aliarum acceſſu, ea illo præſertim Monaſterio Fulginatenſi evocatis cum Theodora aliis ejuſdem vitæ & diſciplinæ conſortibus. Februarii XV. expedito brevi facultatem fecit Pontifex huic Virgini nominatim, ut cum Sororibus in Urbem veniret. Lectis litteris: *Non mihi*, inquit, *Beatiſſimus Pater præcipit, ſed permittit ut abeam, remanendi, ſi voluero, facultatem indulget: hanc ampleƈtor, probe ſciens me imperfectam adhuc diſcipulam, male connumerari poſſe aliarum Magiſtris. Ubi cœpi diſcere, perſeverabo.* Conſanguinei & ſorores Romanæ illius allectæ deſiderio, impetrarunt a Pio II. aliud breve Apoſtolicum, cui poſt decennium incolatus Fulginatenſis oportuit obedire; venitque in Urbem anno MCCCCLX. Comitibus Emerentiana Antonii Angeli Muti filia, olim nupta Antonio Columnæ Nobili Romano; Fenicola Columna, Emerentianæ filia, ſorore Domitilla & Ludovica de Peruſio. Illic ſanctiſſime vixit, commercium & colloquium exoſa parentum, eamque omnium adepta eſt virtutem, ut alias poſſet edocere. Poſt aliquot pie inſtructas diſcipulas, in morbum incidit, meruitque ſub vitæ exitum in vigilia Nativitatis Dominicæ Chriſtum Dominum conſpicere: in ipſo autem feſtivitatis die, receptis devote Sacramentis, felicem animam reddidit Creatori.

XIII. Hoc tempore Clariſſæ factæ ſunt aliæ nobiliſſimæ Virgines, Margarita nata anno MCCCCLIII. ex Alberto Achille Germanico, Marchione Brandemburgico, & Margarita filia Jacobi Marchionis Badeni, quæ poſtea facta eſt Abbatiſſa Monaſterii ſanctæ Claræ Curiæ Nariſcorum. Ita habet Reuſnerus in ſua genealogia, qui etiam refert Catarinam & Agnetam Abbatiſſas fuiſſe ſanctæ Claræ Hoſii in Voitlandia, & filias Friderici III. Burgravii Norimbergen. ex Ingelburga Boja filia Ludovici Romani Marchionis Brandemburgii. Ex regeſto Ordinis habetur, Baptiſtam Vicarium Generalem die V. Januarii hujus anni dediſſe facultatem Vicario Provinciæ ſancti Antonii, ut in Monaſterio ſanctæ Paulæ Mantuano reciperetur Suſanna filia Marchionis Mantuani, cum duabus conſanguineis, non obſtante præcepto ne ultra præſcriptum numerum quæquam admitteretur. Multæ nobiles Clariſſæ. *Reuſner. fol. 377. & 378.*

XIV. Bernardinus Tomitanus Feltrenſis, de cujus vitæ & virtutis primordiis alias actum eſt, hoc anno inſtitutus eſt Divini verbi Concionator in Capitulo Veronenſi ſuæ Provinciæ Divi Antonii. At ille de ſe humiliter *To. 12. an. 1456. n. 148. & ſeq. Gratian. in vita B. Bernard.*

Marc. 3. p. l. 7. c. 22. Cimarel. 4. par. l. 6. c. 1. Legenda duæ MSS.

Bernardinus Feltren. inſtituitur Prædicator.

ter ſentiens, nobile hoc detrectabat miniſterium, prætexens nullum ſibi ſubeſſe librorum ſubſidium, nullum a Deo accepiſſe huic muneri peragendo talentum. Sixtus Mediolanenſis, qui tunc Guardiani abſentis vices agebat, ſummaque apud omnes pollebat auctoritate, ac Bernardinum diu inſtruxit, ut obſequeretur, obtinuit: *Ejа*, inquit, *fili, mitte animo, non eſt quod quidpiam timeas, aut contra obedientiam objicias. Qui inſpiravit Patribus, ut hoc munus injungerent, libros, talentum, neceſſaria quæque miniſtrabit. Annos jam natum triginta te adhuc ætate dicis immaturum? Ezechiel iiſdem annis incæpit prophetare, Joannes Baptiſta prædicare, Chriſtus Dominus evangelizare. In proximo eſt feſtivitas ſancti Bernardini, cujus præfers nomen; ab illo tuos exordire ſermones, ille tibi Divinum impetrabit auxilium.* Tamdem obſequendum fuit, eoque applauſu ſermonem habuit, ſuſcepto themate: *Ille erat lucerna lucens & ardens*, ut nihil facundius, nihil excellentius univerſi dixerint ſe audiviſſe. At dum primum cathedram conſcendit, oculis menteque captus, diu hæſit, nec quid ageret aut diceret, occurrebat. Converſus ad Deum & ſanctum Bernardinum rogavit, ut quas probe novit, dæmonis artes diſſiparent, nec permitterent ſiniſtro hoc eventu omnem deinceps dicendi tolli fiduciam. Statimque reddita eſt lux & ſpiritus tantus, ut ultra ſpem & naturæ vires ſit concionatus.

XV. Diebus porro feſtivis proſecutus in Cœnobio Mantuano ſermones, numeroſos habuit conſeſſus, & ingentis lucri dedit ſpecimen futuri. Sub anni finem creatus eſt illius ædis, & prædicti Sixti Vicarius, mox fratris Antonii de Padua, intimi amici, qui ab ipſa initiatione, cui interfuit, Bernardinum dilexit. In nocte ſacratiſſimæ Nativitatis, canebat in choro (egregie quippe muſicam callebat) & depoſito ſuperpelliceo, ſub Evangelii finem pulpitum conſcendens, pulchro ſermone tenelli infantuli erga genus humanum immenſum explicavit amorem, reverſuſque in odæum, primum miniſterium, etſi feſſus & ſudans, humiliter proſecutus eſt. Pleraque ejus facta notabilia per ſequentes annos diſtribuemus.

Fr. Anton. Epiſc. Naturen.

XVI. Epiſcopus creatus eſt Naturen. ſub Patriarcha Conſtantinopolitano frater Antonius Nicolai, ſacræ Theologiæ profeſſor, per obitum Joannis, XI. Kal. Julii. Datus eſt ſuffraganeus Archiep. Gneſnenſi. Translatus eſt hoc anno frater Alphonſus de Palenzuela ab Eccleſia Civitaten. (ad quam diximus evectum anno MCCCCLX.) ad Ovetenſem. Functus eſt Legatione ad Ludovicum XI. Regem Galliarum, & Henricum VIII. Anglorum. Multa beneficia ſuis præſtitit Conſodalibus, illorum Templum Beneventanum reſtauravit; erga pauperes ſumme miſericors. Floruiſſe hoc anno fratrem Cornelium Minoritam in Epiſcopatu Clonfertenſi, ſub Archiep. Tuamenſi in Hibernia (forte illum, quem diximus anno MCCCCXLVIII. ad hanc Eccleſiam aſſumptum) habent monumenta Hibernica, ad me tranſmiſſa; adduntque hoc anno celebrata Comitia Provincialia in Conventu Waterfordienſi, electumque Miniſtrum Guillelmum Reilii, ſacræ Theologiæ profeſſorem. In Cuſtodia autem Dublinenſi, cum magna eſſet Fratrum penuria, rogavit Cuſtos Miniſtrum Generalem Zanettum Utinenſem, ut liceret Fratres ex aliis Cuſtodiis advenientes in ſua retinere, curavitque Miniſtri indultum Pontificis reſcripto confirmari: *Illa quæ pro Divini cultus*. XI. Kal. Septembris. Refert etiam Antonius de Sillis hoc anno habitum Capitulum Generale a Fratribus Tertii Ordinis in Italia, electumque Generalem Joannem Cremenſem.

Fr. Cornelius Clonfertens.

Capitulum Generale 3. Ordinis. *Sillis 19. fol. 32.*

XVII. Tres hoc tempore inchoatos in ſtatu Mediolanenſi Conventus Minorum habeo ex Pauli Pontificis diplomate, quo eoſdem admittendi concedit

Libri. de Regul. & benef. vac. an. 5. fol. 62.

cedit Fratribus facultatem. Unum prope Legnani, ſecundum prope Variſii, tertium prope Gardoni oppida; de quibus ſingillatim hic agemus. Legnanum inter Mediolanum & Variſium ſitum eſt, populo frequens & agro fertiliſſimum. Non longe diſtat Obſervantum Cœnobium ſub invocatione ſancti Angeli (ſed in citato diplomate a ſancta Maria Gratiarum appellatur) in media quercea & amœniſſima ſilva. Pulchrum eſt & peramplum Cœnobium ab oppidanis conſtructum, licet alii auctorem velint Joannem Rodulphum Vicemaram, qui fortaſſis auxiliatus eſt. Poſſeſſionem accepit anno MCCCCLXXI. Chriſtophorus Variſius, tunc Provinciæ Vicarius. Conſecrationis Eccleſiæ feſtum celebratur in menſe Octobris, a quo tamen conſecrata eſt, ignoratur. Hic ſuſcepit habitum Bernardinus a Buſto, auxitque Bibliothecam, quæ magna Fratrum incuria ex bene inſtructa ad nihilum ferme redacta eſt. Decipiuntur, qui aſſerunt, hic habitaſſe Albertum Sartianenſem, & prædicaſſe Bernardinum Senenſem. Conv. Legnani. *Gonz. in Prov. Mediol. Conv. 14. Monum. MSS. Prov. Mediol.*

XVIII. Variaſianus Conventus parum ab oppido diſtat, ſub vocabulo Annunciationis beatæ Virginis Mariæ, ab oppidanis ære publico fundatus, & a quibuſdam viris piis adauctus. Primum poſuit lapidem die XV. Auguſti anni præcedentis, Præpoſitus Eccleſiæ ſancti Victoris Variſianæ: ſitus ſeu locus donatus fuit Antonio de Vercellis Vicario Provinciæ Mediolanenſis, die XI. Januarii, poſtquam doctiſſime prædicavit in Eccleſia ſancti Victoris, præſentibus Bonaventura de Plantanidis, Bartholomæo de Porris, Paulo de Brixia, Auguſtino de Valle Seſſia, aliiſque ſociis illius. Eccleſia conſecrata eſt anno MCCCCLXXVI. die VII. Julii ab Antonio de Latiis Salodienſi Epiſcopo, præſente Chriſtophoro Variſio Provinciæ Vicario, & Angelo Caſtillionenſi. Quidam volunt motos oppidanos, ut Conventum hunc conſtruerent, ex quodam miraculo ſancti Bernardini. Dum enim ardenter prædicaret contra ferales inimicitias, quæ Variſii fervebant, prætervolantes columbæ auditorium averterunt, quibus ille præcepit, ut in ſuos nidos evolarent. Paruerunt ſtatim, neque deinceps illi loco iſtæ aliæve volucres inſederunt. Eſt hic Bibliotheca vetuſta, multis codicibus MSS. referta. Jacet hic Paulus Brixienſis, de quo dicemus; & ibidem initiati ſunt Raphael de Griffis Variſianus, peritus in ſeculo Medicus, mox inſignis in Religione Theologus & Concionator, qui in perpetuo timore & tremore ſalutem operatus, numquam viſus eſt ridere. Pie obiit dum Guardianum ageret Conventus ſancti Angeli, & oſſa translata ſunt reverenter ab antiquo Conventu ad novum. Franciſcus de Senis, eodem oppido natus, bis Commiſſarii Generalis functus officio; Joannes Baptiſta de Porcariis U. J. D. in ſeculo, & poſtea inter Fratres vir magnæ opinionis & pietatis; Franciſcus a Biumio, præcipuis Provinciæ functus muneribus. *Indid. Conv. 15. Monum. MSS. Mediolan.* Paulus Brixien. *Anno 1477.* Raphael de Griffis. Franciſcus Senen.

XIX. Duo priores Conventus erecti ſunt in diœceſi Mediolanenſi, tertius Gardoni in Brixienſi. Eum ſub titulo ſanctæ Mariæ de Angelis conſtructum aſſerit Gonzaga, ſed ſanctæ Mariæ Gratiarum habet Pontificis diploma. Pauperculum eſt oppidum, ferri Fodinis abundans: pauci illic commorantes Fratres adjacentium pagorum eleemoſynis potiſſimum ſuſtentantur. Conv. Gardoni. *Gonz. in Prov. Brixien. Cap. 13.*

XX. Diſſidet etiam valde Gonzaga ab alia bulla ejuſdem Pontificis circa originem Conventus Annunciationis beatæ Mariæ de Burno, ejuſdem diœceſis & provinciæ, in Valle Camonica, aliquanto longius ab oppido conſtructi. Ait enim a beato Amadeo Hiſpano a prima origine admiſſum, & poſt ipſius mortem a Petro & Joanne Bernardo Fratribus Tertii Ordinis magna ex parte promotum aut abſolutum. At peculiari diplomate Paulus Conv. Burni. *Indid. Conv. 15.*

Pontifex facultatem hoc anno concedit Amadeo Cœnobium admittendi, refertque diſerte, a prædictis Fratribus Tertiariis fuiſſe ſuper montem extra Burnum ædificatum, eoſque ſponte & libere loco ceſſiſſe, & Conventum dimiſiſſe: *Sacræ Religionis*. Kal. Auguſti. In ſudore vultus ſui veſcuntur pane ſuo Fratres in iſto loco; undique enim montibus vallantur, & quocumque pergere velint, etſi in editiori habitent colle, ſemper aſcendere oportet, unde conceſſum eſt eis, ut tempore meſſis frumentum in horreum poſſint inferre, atque ita ſuis neceſſitatibus tempore hyemali ſatisfacere.

XXI. Cum in loco prædicto Burni habitaret Amadeus, & opus promoveret, accuſatus eſt apud Venetos, quod explorator Mediolanenſium, ſub pietatis ſpecie in illorum dominium advenerit, unde ſtatim abire juſſus, obediit. Comperta æmulorum calumnia, revocatus eſt honorifice, conceſſa ei facultate ubique per Venetorum ſtatum ædificandi. Accepit itaque hoc anno vel ſequenti Cœnobium ſanctæ Mariæ de Gratiis Antignati, populoſi apud Inſubres oppidi, inter Soncinum & Bergomum. Conſtruendi, eique offerendi inde deſumpta occaſio, quod accepto cibo a muliere, quæ prandium meſſoribus ferebat, compertum eſt, magno fœminæ & meſſorum ſtupore, nihilo penitus imminutam, quam domo extulit portionem, etſi ſufficienter de ea Amadeus & ſocius comederint. Relato omnibus miro rerum ſupplemento, eam erga Dei ſervum conceperunt opinionem Antignatenſes, ut domum ejus decreverint ſodalitio. Circa ſundum ſeu ſitum magna fuit diſceptatio, contradicente oppidanis quodam Antonello, ſed cum repente cordis compreſſione corripitur, Dei judicat vindictam, & ſundum & plura bona operi largitur promovendo. Eccleſia pro ſuo modulo ſatis pulchra conſecrata eſt, & hoc in loco diu habitavit frater Antonius a Piſcina, famoſus ſui temporis Eccleſiaſtes, virtutibus inſignis, Florentiæ ſepultus.

Conv. Antignati. *Vita Amadei MSS. Cimarel. 4. p. l. 3. c. 20. Gonz. in Prov. Medial. Con. 8.*

Antonius a Piſcina.

XXII. Conceſſa eſt hoc anno facultas eidem Amadeo domos tres accipiendi in Provincia Lombardiæ, quas nonnulli populi offerebant, & ſe conſtructuros promittebant: *Inter cetera deſiderabilia*. x. Kalendas Maii. Harum litterarum virtute aliquot Cœnobia, quæ ſequentibus annis numerabimus, admiſit. „ Sed cum Fratres Provinciæ Mediolanenſis valde ægre „ ferrent conceſſam eis fuiſſe domum Mediolani, aliaſque timerent multi- „ plicandas ſub nomine Cuſtodiæ, & ſucceſſu temporis a corpore Provin- „ eiæ ſeparandas; Amadeus has litteras corrigi, ab eiſque Cuſtodiæ no- „ men deleri impetravit a Pontifice anno ſequenti. Correctoriæ eodem „ modo incipiunt, quo præcedentes, & in regeſto, eo anno exſcribentur.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

XXIII. Hujus anni partus eſt in eadem Provincia Mediolanenſi Conventus Annunciationis beatæ Mariæ oppidi Abbiatæ, a Galeatio Maria Sforcia ex voto conſtructus. Fratribus traditur anno MCCCCLXXII. Sixto IV. annuente. Eccleſia a ſupradicto Epiſcopo Salodienſi fuit conſecrata. Domus tota perfecte abſoluta eſt, & ante pancos annos diligenter reſtituta. In ſacello ſancti Firmi tumulatus eſt beatus Jacobus a Caſtro Leone, qui cum opinione ſanctitatis deceſſit. Hic ſuſcepit habitum Hieronymus Stropinus, eruditus ſacræ Theologiæ profeſſor, præcipuis functus muneribus ſuæ Provinciæ. Conſtruendæ domus licentiam hoc anno Pontifex largitur ſub invocatione ſanctorum Mariæ, Sebaſtiani & Rochi: *Eximiæ devotionis*. tti. Nonas Junii.

Conv. Abbiatæ. *Indic. Conv. 16. Mon. MSS. Provinc. Mediolan.*

Jacob. a Caſtro Leone.

XXIV. Circa hunc annum inchoatus fuit prope mœnia Civitatis Amerinæ in Provincia Umbriæ, Conventus Obſervantum, ſub ſancti Joannis Baptiſtæ invocatione. Pulcherrima habetur in Altaris majoris tabula S. Franciſci

Conv. Ameriæ S. Joan. Baptiſtæ. *Idem in Prov. S. Franc. Conv. 21.*

ciſci imago, inſignis pictoris opus, quod fieri curarunt Domini de Petrignanis, uti teſtantur hujus familiæ ſtemmata ibidem expoſita.

XXV. In Sicilia Bizinii incolæ, non procul ab urbe, diœceſis Siracuſanæ, Conventum ſanctæ Mariæ de Jeſu Obſervantibus ædificarunt, de quo nihil aliud occurrit. In villa ſanctæ Anaſtaſiæ, diœceſis Nolanæ in regno Neapolitano, frater Ludovicus a Neapoli Oratorium ſibi & quatuor Fratribus conſtruxit. Hoc anno Pontifex ſubmiſit Miniſtro Terræ Laboris; utque in regularem coaptaret Conventum, indulſit. Fratribus Conventus ſanctæ Mariæ de Monte extra muros Januen. procul ab urbe conſtructi, difficile erat medicum habere, & infirmis curandis neceſſaria. Eorum commiſerati Rector & Protectores hoſpitalis ſanctæ Mariæ de Miſericordia de Pamateno ejuſdem urbis, dederunt eis domus & viridarii, quæ ad prædictum pertinebant hoſpitale, uſum & habitationem pro Fratribus curandis, donationemque hoc anno Pontifex approbavit.

Conv. Bizinii. *Idem in Prov. Sicil. Conv. 20.*
Conv. S. Anaſtaſiæ. *Lib. 3. de Regular. & exhib. in 3. fol. 144.*
Conv. Montis Januæ.

XXVI. Paulo ante hunc annum translatum fuit a Patribus Benedictinis ad Fratres Obſervantes Monaſterium ſanctæ Cæciliæ Monialium ſancti Benedicti, extra urbem Mutinenſem in Flaminia conſtructum. Ab his derelictum poſſederunt Monachi, & noſtris ſponte dederunt. Totum ruinoſum reſtaurare Fratres incœperunt, atque hoc anno obtinuerunt a Pontifice poteſtatem accipiendi ab Epiſcopo Mutinenſi quamdam Eccleſiam derelictam, cum adjuncto Territorio Conventui contiguo, aliiſque terræ menſuris, ut ex dejecto illo templo ſuum poſſent reſtaurare, & terræ portiones in hortos convertere. Commodum & amœnum illic extruxerunt habitaculum, quod tamdem Hercules II. Dux Ferrarienſis demolitus eſt, ne belli tempore negotium urbi faceſſeret. Fratribus per incertas ſedes errantibus compaſſus Antonius Boninus Mutinenſis Canonicus, & Eccleſiæ ſanctæ Margaritæ Parochus, concreditam hanc ſibi Eccleſiam Fratribus tradi, & in Conventum transferri curavit. Annuit Paulus III. anno MDXXXVIII. & domum ædificarunt Antonius Fiordibellius, Epiſcopus Lavellenſis, & Ludovicus frater, Nobiles Mutinenſes, piorum eleemoſynis adjuti. Temporis injuria cum ruinam minaretur, domus alia, iſta dejecta, in honorem ſanctarum Cæciliæ & Margaritæ pulchrior & longe melior extructa eſt. Coram Altari majori honeſto ſepulcro jacent prædicti Fratres Fiordibellii.

Conv. Mutinæ S. Cæciliæ. *Idem in Prov. Bonon. Conv. 19. Lib. 1. de diverſ. form. an. 6. fol. 66.*

XXVII. Fratres Obſervantes Provinciæ Franciæ habebant Conventum in inſula ſancti Marculfi, diœceſis Conſtantien. Provinciæ Rhotomagen. ſed ſub hunc annum quadam inſolita maris inundatione magna ex parte corruerat. Volentibus itaque domicilium & ſedem mutare, Ludovicus Galliæ Rex locum quemdam opportunum eis dederat juxta oppidum Vallemari, prædictæ diœceſis, ut in eo alium Conventum ædificarent. Ut ita facerent, & priorem locum dimitterent, orante Rege, Pontifex licentiam indulſit. Objecerunt ſe Officialis Conſtantienſis & alii ex clero, & totis viribus fabricam impedientes, Sedem Apoſtolicam appellarunt. Demum ad preces Regis, cauſam commiſit Pontifex in illis partibus diſcutiendam Cantori Eccleſiæ Bajocen. officialibus Bajocen. & Lexovienſi, qui tamdem ſententiam pro Fratribus tulerunt.

Conv. Vallemarti. *Lib. 1. de Regul. & diverſ. form. an. 6. fol. 84.*

XXVIII. Radomiæ, quæ minoris Poloniæ Civitas eſt, ſub hoc tempus initium accepit Conventus Obſervantum ſub titulo ſanctæ Catarinæ. Circa annum MCCCCLXXX. abſolui curavit Caſimirus Rex, finibus regni pro majore parte pacatis. Poſt annos viginti, ſub Rege Joanne Alberto, totum ædificium Senatus Radomienſis fecit lapideum & muro præcinxit, vallo, aggere & propugnaculis communivit. Eo namque tempore Turcæ, Tartari.

Conv. Radomiæ. *Gonc. in Prov. Polon. Conv. 15. Monum. MSS. ejuſd. Prov.*

tari, Valachi crebris excurſionibus Ruſſiam, Minorem Poloniam, Lithuaniam, univerſumque territorium Lublinenſe, a quo Radomia duabus tantum diſtat dietis, infeſtabant, rapinis & incendiis omnia devaſtantes. In Conventum fugiebant viri primates, Fratrumque præcipui benefactores, ibique impetum declinabant inimicorum. Similibus tunc propugnaculis convallata ſunt Cœnobia Samboriæ ad Tyram fluvium, Prævorſcii, Opatoviæ, & Tornoviæ, ob cladem immanem, quam omnibus hominum ſtatibus, ſenibus, pueris, fœminis, virginibus impii prædones inferebant.

Conv. Langtuvſz.

XXIX. Prope Langtuvicz, diœceſis Soccomen. vel potius Solanien. ſub Archiepiſcopatu Lunden. in partibus Daniæ, hoc tempore domum fuiſſe Obſervantum ſub titulo ſanctæ Mariæ, habeo ex conceſſis a Paulo hoc anno indulgentiis Eccleſiam illius Cœnobii viſitantibus in feſtivitatibus Dedicationis Eccleſiæ, & Nativitatis beatæ Mariæ. Moguntinus & Oppenheimenſis Conventus hoc anno reformati ſunt. De poſteriori ita habetur in vetuſto codice MSS. ipſius Cœnobii: *Anno Domini* MCCXI. *fundatus eſt Conventus in Oppenheim, & anno* MCCCCLXIX. *die* IX. *Maii reformatus eſt auctoritate Apoſtolica, per Reverendiſſimum D. N. D. Adolphum Archiepiſcopum Moguntinum, redditibus partim in Xenodochium ſancti Spiritus, partim ad leproſorium translatis.* * Moguntinum hodie habent Patres Societatis ab anno MDLXXVII. die XVI. Julii eis traditum per Danielem ab Homburg Archiepiſcopum, quem ſæpe Minoritæ repetere fruſtra tentaverunt. Jacet coram ſummo Altari Joannes Ferus, inſignis ille Eccleſiaſtes.

Conv. Moguntin. reformatur. Et Oppenheimſ.

* *Circa annum fundationis videnda ſunt quæ alibi diximus to. 6. an. 1328. n. 37.*

Vide Serar. de reb. Mogunt. l. 5. in Daniel. c. 10. & in Wolfango c. 9. Joan. Ferus.

XXX. Conceſſit hoc anno Pontifex facultatem nobili viro Henrico Comiti de Stalborg ædificandi domum Fratrum Obſervantum extra dictum oppidum de Stalborg, vel de Werngenrocde, Moguntinæ & Halberſtadenſis diœceſum, ſub regimine Vicarii Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Saxoniæ. Alias diximus acceptam a quodam Fratre Tertii Ordinis domum prope Oppidum de Kelhaim, Ratiſponenſis diœceſis, fautoribus Alberto & Ludovico Bavariæ Ducibus. Sed cum Sigiſmundus & prædictus Albertus Monacenſes, ut habet diploma, ſen Bavariæ Duces, eam propter inundantiam Danubii, fluxumque aquarum ex vicina & ſupereminenti rupe deſcendentem, inſalubrem nimis & humidam eſſe conſpicerent, neque in ea velle Fratres conſiſtere, decreverunt, auxiliantibus oppidanis, domum aliam in monte ſancti Michaelis prædicto oppido viciniori, pro eorumdem Fratrum uſu conſtruere. Conceſſit hoc anno Pontifex licentiam Fratribus ad eamdem jam inchoatam tranſeundi, juſſitque eam, quam relinquebant, tradi Fratribus Tertii Ordinis, qui tamquam ſuam, & a ſe inchoatam repetebant. Ter aut quater de hoc Conventu egimus, juxta varia quæ occurrebant monumenta Vaticana & auctorum narrationes. Aliquantulum diſcrepant circa Ducum nomina, & annum fundationis, quæ tamen facile poſſunt conciliari.

L. 5. de diverſ. form. an. 6. fol. 41.
Tom. 12. ann. 1454. & ſupra an. 1459. n. 79.
Conv. de Kelheim.

XXXI. Hoc anno Petrum Zapatam, Methymnæ Turritanæ Commendatarium, Joannis II. Regis Hiſpaniæ cubicularium, & Catarinam Emmanuelem de Lando conjugem, obtenta facultate a Nicolao Franco Parentino Epiſcopo, & in Hiſpania Legato Apoſtolico, in pago quodam *Rexas* Hiſpanice nuncupato, Monaſterium Clariſſarum, ſub titulo ſalutationis beatæ Mariæ conſtruxiſſe, referunt Gonzaga, Salazarius, & Ægidius Gonzales de Avila. Hieronymus Quintana, in eo opere quod ſcripſit de Madritenſi amplitudine, poſt decennium introductas Moniales & primas inſtructrices ex Monaſterio Zafrenſi, ex ipſo conventionis & amplæ dotationis inſtrumento recenſet. Quinque, relatis nominibus, enumerat, Mariam & Beatri-

Mon. Rexenſe.

Gonz. in Prov. Caſtel. Mon. 5. Salaz. de ſ. de cad. Prov. c. 32. Avila de rebus Madrit. l. 2. c. 3. Quintana l. 3. c. 74.

tricem de Lando, fundatricis ſorores, Mariam de Soria, Elviram Gonzalez, Iſabellam Godinez. Primæ harum diſcipulæ, & ſacri Uiridarii plantulæ fuerunt Catarina Baçan, Tereſia de Cardenas, Mençia Luçon, Bernardina Luxan, Iſabella de Guadalupe, Guiomora de Bexar, Iſabella de Torres. His acceſſerunt aliæ multæ, quæ religioſiſſime viventes, eo in loco perſeverarunt uſque ad annum MDLI. quo ex Julii III. Pontificis, & Andreæ Inſulani, Miniſtri Generalis facultate, translatæ ſunt in villam Madritenſem, & nobile Monaſterium, quod ſanctæ Mariæ de Conſtantinopoli, ab imagine miraculoſa illinc adducta, communiter appellatur. Peramplum & nobile eſt Monaſterium, nobilium Virginum celeberrimum Collegium. Illuc translata ſunt oſſa fundatorum, uti innuit hæc inſcriptio lapidi inciſa, niſi dicas, ipſum lapidem ſolum a primo domicilio in iſtud tranſuectum.

Mon. S. Mariæ de Conſtantinop. Madriten.

Iſtud Monaſterium fundarunt & dotarunt honorifici Domini Petrus Zapata Commendatarius Methymnæ de Turribus, & Dom. Catarina Emanuel de Lando ejus conjux, qui ſe in hoc Monaſterio ſepeliri juſſerunt, eorumque ſucceſſores Lopetius Zapata Hinojoſæ Commendatarius, ejuſque conjux Dom. Tereſia de Figueroa, quot Dominus in ſuam gloriam admittat.

XXXII. Monaſterium ſanctæ Agnetis Hiſpalen. de quo ſepius locuti ſumus, olim religioſiſſimum, hoc tempore magna indigebat reformatione. Evocata itaque ante triennium ex Monaſterio Safrenſi Iſabella de Guzman, nobili ſata progenie, & regimini Monaſterii præfecta, alias petiit coadjutrices ex eodem Monaſterio, & viſitatorem virum religioſiſſimum Franciſcum a ſancta Maria, ætate ſexagenarium, vita probatum, ſacræ Theologiæ profeſſorem. Utrumque ei hoc anno, v. Idus Julii conceſſum.

Mon. S. Agnetis Hiſpalen. *L. 1. de diverſ. form. de benef. vac. &c. ann. 5. fol. 111.*

XXXIII. Dixi alias, conceſſam Humberto Delphino Viennenſi a Clemente VI. facultatem ædificandi in urbe Gratianopolitana Monaſterium Clariſſarum, quod prius cogitaverat in ſuo caſtro Iſſeroni fabricare, idque feciſſe ſuſpicatus ſum citata bulla Pontificia. Sed error obrepſit in citatione vel relatione primorum verborum bullæ; non enim incipit: *Ob devotionem ſinceram*, uti tunc ſcriptum eſt, ſed: *In iis, quæ animæ tuæ*, eodemque die datum eſt utrumque diploma, ſed hoc poſterius amanuenſis incuria excidit, neque cum reliquis regeſti Pontificii appoſitum eſt. * Vere autem Monaſterium ædificaſſe conſtat ex clauſula teſtamenti ab eodem conditi, anno MCCCLV. quam refert Fodereus in deſcriptione hujus Monaſterii. Verba exſcribo: *Et Monaſterio ſanctæ Claræ Grationopolis in compenſationem præcipue certorum redituum, quos olim dederamus eidem Monaſterio, quorum donatio non eſt effectum ſortita &c. damus decem millia florenorum &c.* Atqui hoc anno conceditur facultas Joanni de Armaniaco Comiti Convenarum, Provinciæ Delphinatus Gubernatori, & Franciæ Mareſcallo, ut in eadem Civitate Monaſterium ſanctæ Claræ ſecundum reformationem beatæ Coletæ, ſub regimine Minorum Obſervantum conſtrueret. Ut iſtud peteret & facere vellet, motum ferunt precibus devotæ Virginis Joannæ Pulchræ, ſeu Bellæ, filiæ Præſidis Parlamentarii Gratianopolitani. At vocatus Turonem ad Generalia Comitia, & paulo poſt defunctus, quod concupivit, non potuit inchoare, tædioque tantæ moræ Joanna abiit Camberiacum, &, quod in votis habuit, ſanctæ Claræ ſubiit Inſtitutum. Anno vero MCCCCLXXVIII. ſimul cum tredecim Sororibus ex Monaſteriis Camberiaci, de Molinis, Aquæ amiſſæ, & de Puii, vel primum illud Monaſterium ab Humberto Delphino conditum, reditibus diſtra-

Tom. 8. an. 1347. n. 36. Mon. Gratianopolis.

* *Mendum correctum ad ann. 1347. Tom. 8. fol. 18. §. 36. in margine reperies & in Regeſto Tomi ejuſdem deſideratis habes Diploma. P. Foder. de Prov. S. Ruasv. pag. 163.*

Joanna Bella.

ſtractis reformavit, vel novum diſciplina Coletanea imbuit, & imbutum diligenter gubernavit, ea vitæ ſanctitate, ut vivens & mortua plura miracula perpetrarit. Unum ab eo, qui gratiam recepit, propria manu ſcriptum, hic ſubjungam.

XXXIV. *Ego frater Claudius Malet, Ordinis Fratrum Minorum de Regulari Obſervantia, Conventus noſtræ Dominæ de Mijanis alumnus, inter Minores minimus; eum in hoc Conventu ſanctæ Claræ Gratianopolis, tali febre continua eireumdarer, ut ab omnibus potius mors quam vita de me ſuſpicaretur, Deo & Virgini me commendavi, ut meritis beatæ Matris Joannæ Bellæ, non tantum a febre, ſed a mortis periculo me liberarent. Et ut efficacius obtineretur, novenam ſuper oſſa ejus in Capitulo Sororum præfati Conventus, ab una ex Sororibus fieri humiliter exoravi, ſed caritative Matres ex abundanti affectu, quem erga eas non merueram, novenam ipſam, omnes proceſſionaliter procedentes perfecerunt. Sed in ipſo exordio novenæ, quanti meriti apud Deum præfata beata mater Joanna extiterit, ſigno ſenſibili declarare dignatus eſt omnipotens, nam ſtatim ſenſi mortis tramitem in vitæ proſperitatem commutari, & a febre liberatus, ac ſi numquam ea infeſtatus fuiſſem, & hæc propria manu veridice aſſerui & ſcripſi.* Capta ab Hugonottis urbe, conſtantiſſime reſtiterunt hæreticorum conatibus ſacræ Virgines, perque varia domicilia diſperſæ, tamdem in domum ſuam illæſæ redierunt, ubi religioſiſſime vixerunt, & quæ ſubſecutæ ſunt diſcipulæ. Primæ ſtructuræ Eccleſiam valde anguſtam & humilem, ampliorem & pulchriorem effecerunt.

XXXV. Ex hac narratione conſtat, Monaſterium Camberiaci hunc annum præceſſiſſe, in quo quippe hæc Joanna Bella habitum ſumpſit, & ex quo prodierunt primæ vel reformatrices veteris, vel magiſtræ novi Monaſterii Gratianopolitani. Nihil autem memorabile de illo occurrit dicendum, præterquam quod extra muros ædificatum ſit ante annum MCCCC. uti notat Fodereus, ſub regula Urbani IV. laxioriſque fuerit Obſervantiæ, ita ut ſub annum MCCCCLIV. Anna Cypria, Duciſſa Sabaudiæ, Ludovici Ducis conjux, apud Nicolaum V. de illius egerit reformatione ſub cura Patrum Obſervantum, quod tamen variis artibus impedierunt Patres Conventuales. Facile credendum eſt, non ad eam morum diſſolutionem tunc perveniſſe, quin ex eo prodire potuerint cum Bella aliæ Monaſterii Gratianopolitani inſtructrices. Aliud poſtea illic intra urbis mœnia conſtructum eſt Monaſterium ſecundum reformationem beatæ Coletæ.

Foder. citat pag. 103.

XXXVI. Expoſuerunt hoc anno Capitulares Eccleſiæ Dignen. Monaſterium ſanctæ Catarinæ, Ordinis ſanctæ Claræ, extra muros ejuſdem urbis, quod quondam Joanna de Mediolano Abbatiſſa Monaſterii ſancti Damiani Siſtaricen. dicti Ordinis, habebat in commendam, per obitum ejuſdem Abbatiſſæ omnino deſolatum, & Monialibus deſtitutum ab aliquot annis remanſiſſe. Obtinuerunt itaque ut menſæ uniretur capitulari. Sed, cum anno ſequenti narratum fuiſſet Pontifici, Monaſterium illud, & alterum ſancti Petri de ſub ripis, Vapincen. diœceſis, ejuſdem Ordinis unita fuiſſe Monaſterio ſupradicto ſancti Damiani Siſtaricenſi, prædictam unionem cum capitulari menſa Dignenſi revocavit. Habetur etiam memoria, ſed nuda nominetenus, Monaſterii Clariſſarum in Novo clauſtro prope Veyſebaden. diœceſis Moguntinæ.

Mon. Dignen. *Lib. 1. de exhib. & ben. vac. an. 7. fol. 128.*

Mon. Novi clauſtri.

XXXVII. Eremitorium & Capella beatæ Mariæ extra muros Auſaren. in Iſtria, collapſa & derelicta, collata ſunt hoc anno Matthæo Jaderenſi & ſociis Tertii Ordinis, ut ibidem ſibi domum conſtruerent.

Domus Auſaren. Fratrum Tertii Ordinis.

XXXVIII.

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 262.
1469.	an. 5. & 6.	anno 30.	

XXXVIII. Ante annos viginti Eliſabetha Gondiſalvi de ſancto Paulo, pia mulier, dioeceſis Caurienſis, cum aliis honeſtis mulieribus caſtam vitam ſub clauſura ducere cupientes, ſe recluſerunt in domo ſancti Pauli infra limites Parochiæ ſancti Matthæi de Cazeres, ejuſdem dioeceſis, cum propoſito perpetuam caſtitatem obſervandi. Deinde Alphonſus Epiſcopus Caurien. licentiam conceſſit votum ſeu juramentum caſtitatis emittendi; magnæque pietatis augmento & Sororum numero creverunt, donec hoc anno Joanna Dei ſive *de Dios*, mater & adminiſtratrix earum, petiit ut liceret prædictam domum in regularem Tertii Ordinis ſancti Franciſci erigere, & ſub regimine Fratrum Regularis Obſervantiæ religioſe converſari. Annuit Pontifex, commiſſa executione Archidiacono Caurienſi. Domus Sororum Caurien. *Lib. 3. de Regul. & exib. an. 5. fol. 117.*

XXXIX. Hoc anno approbavit Pontifex aliam ſimilem reductionem domus Spineti ſive de Carçoſo Pœnitentum ad regularem vitam & Obſervantiam trium votorum eſſentialium, ac perpetuæ clauſuræ, ſub regimine Vicarii Provinciæ ſancti Jacobi, Fratrum de Obſervantia, & Abbatiſſæ, ita deincepa appellandæ, cum uſque ad annum MCCCCLXIV. quo hæc inter ſe decreverunt ſtabilienda, *Matris* nomine vocaretur. Cum vero a Civitatibus locisque populoſis omni ex parte plurimum diſtaret, nec medici aut medicinæ opem haberent infirmæ, indulſit Pontifex, ut infirmæ ſecundum prudena arbitrium prædicti Vicarii transferrentur curandæ ad domum aliquam honeſtam & religioſam. De hoc Monaſterio alias egimus diffuſius. Domus Spineti. *Ex lib. 3. de Regular. an. 6. fol. 87.* *Tom. II. ann. 1444. n. 74.*

XL. Tertiariis Sororibus, Griſiis nuncupatis, earumque Matri habitantibus infra limites parochiæ S. Joannis Villæ Ganden. dioeceſis Tornacen. omnia & ſingula impertivit privilegia, immunitates & gratias, quibus potiebantur Sorores ſancti Jacobi, ejuſdem Villæ & Religionis. Sororibus domus ſanctæ Mariæ Annunciatæ de ſancto Severino ejuſdem Ordinis, dioeceſis Camerinen. conceſſit ſimiliter ut participarent omnes gratias & privilegia conceſſa Sororibus dicti Ordinis, domorum Aneonitanæ & Fulginatenſis. Sororibus domorum ſanctarum Agathæ in Delft. & Urſulæ in Scheydam, indulſit ut cum propinquis componere & concordare poſſent de bonis ex parentum ſucceſſione debitis, ad evitandas varias lites & laicorum moleſtias; & inſuper ut confeſſarius a labe ſimoniæ, quam recipiendo Novitias incurrerant, poſſet abſolvere. Domus Gaudn. Domus S. Severini. Domus Delfen. Domus Scheydam.

XLI. Circa hoc tempus Ferdinandus Gundiſalvi de Carrion, laicus Toletanus, Baccalaureus in Decretis, ædificavit in templo ſancti Franciſci extra muros de Guadalajara, ſacellum ſanctæ Annæ, quod paramentis & ſuppellectile Eccleſiaſtica magnifice inſtruxit. Conventum ſancti Pauli extra muros Bononien. hoc anno Pontifex liberavit a gravi exactione. Etenim, uti ille refert, cum extra portas Civitatis aliqua exportari aut intra illas importari ad victum & uſum ſuum neceſſaria, ſive ad ſtructuram domus ſuæ pertinentia, Fratres faciebant, ad ſolvendum datia vel gabellas, quas alii ſolvebant; pro legatis inſuper & relictis eiſdem Fratribus, ſeu illorum domui per Chriſtifideles, ad ſolvendum duos bolendinos pro qualibet libra, pro conſtructione Eccleſiæ ſancti Petronii Bononien. ab officio Cartæ-ſellarum dictæ Civitatis compellebantur. Rectoribus urbis Tyburtinæ ſub graviſſimis pœnis interdixit, ne cuiquam aſſignarent manſiones ad habitandum vel hoſpitandum in Conventu Minorum Regulatis Obſervantiæ. Conv. S. Pauli Bononiæ. *Tom. 10. ann. 1425. n. 32. & Tom. 11. ann. 1438. n. 35.*

XLII. Monaſterium ſancti Apollinaris Mediolanen. de quo ſuo loco egimus, a regimine Patrum Conventualium ad Obſervantes Conventus ſanctæ Mariæ de Angelis tranſtulit, ab eiſque gubernari voluit ad inſtar Mo- Mon. S. Apollinaris Mediolanen.

Monaſteriorum SS. Claræ & Urſulæ ſibi ſubjectorum. Cum vero decem Moniales & aliquot Patres Conventuales huic ordinationi ſe opponerent, gravi conſtitutione, anno ſequenti ratum voluit, quod hoc anno præcepit.

ADDITIO ALIORUM.

„ Et quidem ſub Obſervantum regimine pulcherrimos pietatis fructus
„ idem Monaſterium longo tempore protulit. At huic bono invidens ne-
„ quitiæ ſpiritus, varias demum corruptelas induxit, pravoque ſenſu ita
„ fœmineos animos obfirmavit, ut Superiores nullo conatu priſtinam di-
„ ſciplinam tueri poſſent. Res eo devenit, ut, cum plures ex Monialibus
„ aperto ſchiſmate rebellarent, neque foris deeſſent, qui earum gubernio
„ inhiantes, rebellionis fomenta ſufficerent, Ordo indemnitati ſuæ conſu-
„ lens, Monaſterii regimen abdicaverit. Primum quidem ſancta Sedes
„ admittere noluit abdicationem hanc: cum tamen ſpes nulla pareret debi-
„ tæ emendationis, tamdem anno MDCCXXX. reipſa Monaſterium ab Or-
„ dine reſciſſum fuit, & Ordinario ſubjectum: cum interim nonnullæ Mo-
„ niales, quæ numquam ab inſtituto & obedientia defecerant, in aliud Or-
„ dinis Monaſterium admitti contenderent; quod anno MDCCXXXII. a
„ Clemente XII. impetrarunt.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Conceſſio pro Fratribus & Monialibus. *Hiſt. Fran. du Verdier Tom. II. in Ludov.*

„ I. HOc anno Ludovicus XI. Franciæ Rex Equeſtrem Ordinem ſan-
„ cti Michaelis inſtituens, ſibi & poſteris conſtabiliendo Regno
„ attente ſtudebat. E Vaticano prodiit licentia conſtruendi Cœnobium
„ in oppido Villaloni: *Piis ſupplicum &c.* IV. Kalend. Februarii. Quod
„ anno ſequenti Rodericum Pimentelum, Comitem Beneventi, ſub invoca-
„ tione ſanctæ Mariæ a Jeſu inchoaſſe narrat Annaliſta; pertinet autem ea
„ domus ad Provinciam ſancti Jacobi: Conceſſit etiam Pontifex Monali-
„ bus Monaſterii ſanctæ Claræ Urbini, ut mulieres tres ſervitrices recipe-
„ re poſſent: *Exhibita nobis &c.* XVI. Kalend. Junii: Epiſcopo Cracovienſi facultatem conſtruendi pro Minoritis duas domos fecit, unam in *Zzeno* & alteram in *Leovicz* oppidis, expedito diplomate: *Piis fidelium &c.* XV. Kalend. Auguſti, ut habet Chronologia provinciæ Poloniæ: Scripſit etiam Epiſcopo Salamantino circa Sorores Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci infirmas, oppidi de Zarzoſa: *Digna exauditione &c.* XIV. Kalend. Octobris: & Vicario Generali Ciſmontano Marco Bononienſi tertia vice in Comitiis Generalibus habitis menſe Junii ad Conventum Inſulæ Biſentinæ, Lacus Wlfeni, poſt obitum Baptiſtæ de Levanto, electo, reformationem Monaſterii Forlivienſis commiſit: *Ut inter eternæ &c.* III. Kalend. Octobris; pro Provincia ſancti Jacobi Compoſtellana Bullam expedivit, tenoris, qui ſequitur.

Ex Vatic.

Wadd. ad ann. 1470.

Chron. Polon. fol. 401.

Harold. ad hunc an. 4.

Ex Archiv. SS. Apoſt.

PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,

Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Compoſtellano, & Epiſcopo Salamantino, ac dilecto filio Scholaſtico Eccleſiæ Salamantinenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex Specul. fol. 125. in 2. tract. Proœmium.

„ *MIlitanti Eccleſiæ, licet immeriti, diſponente Domino, præſidentes,*
„ *circa curam Regularium Ordinum quorumlibet, & domorum*
„ *eorumdem ſolertia reddimur indefeſſa ſollicitì, ut juxta debitum Paſtora-*
„ *lis officii, eorum occurramus diſpendiis, & profectibus, Divina cooperante*
„ *gratia ſalubriter intendamus.*

Sa-

Anno Christi 1469.	Pauli II. an. 5. & 6.	Friderici III. Imp. anno 30.	Religionis Minorum anno 262.

„ *Sane dilectorum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum Ordinis*
„ *Minorum ſub Obſervantia Regulari viventium, provinciæ ſancti Jacobi,* Recurſus ad ſtatum Pontificem.
„ *ſecundum morem dicti Ordinis, conqueſtione percepimus, quod nonnullæ*
„ *perſonæ tam Eccleſiaſticæ, quam ſeculares, quæ nomen Domini in vanum*
„ *recipere non formidant, contra immunitates & privilegia Ordini &*
„ *Fratribus prædictis Apoſtolica auctoritate conceſſa, necnon contra certas*
„ *tam per ſanctæ recordationis Eugenium IV. & Pium II. aliosque Roma-*
„ *nos Pontifices prædeceſſores noſtros, quam etiam per nos, præſertim ſuper*
„ *concordia inter ipſos de Obſervantia, & alios dicti Ordinis Fratres Con-*
„ *ventuales nuncupatos, inita, quam etiam alios, ſuper domibus & locis*
„ *eorumdem Fratrum de Obſervantia in dicta Provincia conſiſtentibus, ac*
„ *obſervatione vitæ Regularis in eiſdem conceſſas litteras, moleſtias & injuriis inferunt ac facturas: quare Vicarius & Fratres prædicti vobis humiliter ſupplicarunt, at, cum eis reddatur valde difficile pro ſingulis querelis ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum, providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus.*

„ *Nos igitur adverſas præſumptores, moleſtatores & injuriatores hujuſmodi, illo volentes eiſdem Fratribus remedio ſubvenire, per quod illorum*
„ *compeſcatur temeritas, & aliis aditus committendi ſimilia præcludatur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo*
„ *aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, etiamſi ſint extra loca in*
„ *quibus deputati eſſis Conſervatores & Judices, præfatis Fratribus efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, non permittatis eos, præmiſſorum occaſione, ab eiſdem vel quibuſvis aliis indebite moleſtari, aut eis gravamina*
„ *ſeu damna vel injurias aliquas irrogari; faciatiſque prædictas, præcipue*
„ *Concordiæ litteras, tam ab ipſis de Obſervantia, quam aliis Conventualibus Fratribus, inviolabiliter obſervari; non permittentes alterutros contra earumdem litterarum tenorem ſibi injurias aliquas inferre: facturi*
„ *eiſdem Fratribus, cum ab eis, vel Procuratoribus ſuis aut eorum Superioribus fueritis requiſiti, de prædictis & aliis perſonis quibuslibet ſuper*
„ *præmiſſis, necnon de quibuslibet moleſtiis, injuriis ac damnis præſentibus & futuris, in illis videlicet, quæ judicialem requirunt indaginem,*
„ *ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout*
„ *qualitas eorum exegerit, juſtitiæ complementum: occupatores ſeu detentores, præſumptores, moleſtatores & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet & rebelles, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus,*
„ *ordinis vel conditionis extiterint, quandocumque & quotieſcumque expedierit, auctoritate noſtra, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſeculari.*

„ *Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. etiam*
„ *prædeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem*
„ *& diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam,*
„ *a fine ſuæ diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices & Conſervatores, a*
„ *Sede deputati prædicta, extra Civitatem & diœceſim, in quibus deputati*
„ *fuerint, contra quoſcumque procedere, ſeu alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine diœceſis eorumdem, trahere*
„ *præſumant (dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate præſentium*
„ *non trahatur) quam aliis quibuſcumque Conſtitutionibus a prædeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis,*

dit, aut aliis editis, quæ veſtræ poſſent in hac parte juriſdictioni aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare; ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim a prædicta ſit Sede indultum, quod excommunicari vel interdici, ſeu extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dicta Sedis indulgentia generali vel ſpeciali, cujuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtræ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri; & de qua, cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris litteris habenda ſit mentio ſpecialis.

Ceterum volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento Canonico præpeditus; quodque a datis præſentium ſit vobis & unicuique veſtrum in præmiſſis omnibus, & eorum ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa; ut eo vigore eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro prædictis procedere, ac ſi prædicta omnia & ſingula coram vobis cœpta fuiſſent, & juriſdictio veſtra & cujuslibet veſtrum in prædictis omnibus & ſingulis, per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet, conſtitutione prædicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante, præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. III. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno VI.

Litteræ Pontificiæ.

II. Prodierunt etiam litteræ Apoſtolicæ pro indulgentia pro fabrica Conventus ſanctæ Mariæ Gratiarum Mediolanen. *Ordinis Fratrum &c.* & pro Fratribus ſanctæ Cæciliæ extra muros Mutinen. *Injunctum nobis &c.* omnes IX. Kalend. Novembris: VII. Idus præfati menſis Gabrieli de Verona, viro notiſſimo, de quo plura honorifice, licet non ad meritum, leguntur in noſtris hiſtoriis, ſummus Pontifex domum ſive locum intra vel extra muros Znoymæ oppidi, Olomucenſis diœceſis, habendi ſeu fundandi, per ſe vel per alium, pro ſui Ordinis de Obſervantia Fratribus, dato Brevi, qui mox ſequitur, licentiam fecit.

Indicul. ex Vatic.

PAULUS PAPA II.

Dilecte fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Præmium. *Chronica MSS. Prov. Bohemiæ.*

Piis fidelium votis, illis præſertim, quæ cum animarum ſalute Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum concernunt, libenter annuimus, & ut optatum conſequantur effectum in illis potiſſimum locis & partibus, quæ propter vicinitatem hæreticorum, majoribus præſidiis, & ſpiritualibus hortationibus egere maxime dignoſcuntur, opem & favores opportunos impertimur.

Hinc eſt, quod tibi, de cujus prudentia & vitæ Religioſitate plurimum confidimus, ut unam domum ſive locum intra vel extra muros oppidi Znoymenſis, Olomucenſis diœceſis, per te ſeu alium ordinationi tuæ, pro Fratrum tui Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, perpetua habitatione,

„ ne, cum Eccleſia, campanili, campanis, claustro, cœmeterio, dormito-
„ rio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in aliquo tamen ad
„ hoc apto & honeſto loco, ſi tibi fidelium largitione, & maxime civium
„ ſive Conſalatus dicti oppidi legitime conceſſum fuerit, fundare, conſtrue-
„ re, erigere & ædificare, ſive fundari, conſtrui, erigi & ædificari facere;
„ necnon hujuſmodi locum recipere, & perpetuo retinere libere ac licite poſ-
„ ſis ac valeat, alterius cujuſque licentia deſuper minime requiſita: jure
„ tamen Parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo:
„ & inſuper, quod Fratres in dicta domo ſive loco pro tempore commoraturi,
„ quos etiam illi Vicario, ſub quo alia loca, & Fratres dicti Ordinis de
„ Obſervantia in Marthionatu Moraviæ morantur, & pro tempore mora-
„ buntur, obediro, & ab eodem perpetuo regi & gubernari decernimus,
„ & ſubditos eſſe volumus, omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus,
„ libertatibus, immunitatibus, indulgentiis, gratiis & indultis, aliis do-
„ minis dicti Ordinis & Fratribus in eis pro tempore commorantibus, per
„ Sedem Apoſtolicam vel alios in genere conceſſis, in perpetuum uti & gau-
„ dere libere valeant, tenore præſentium, auctoritate Apoſtolica concedi-
„ mus ac etiam indulgemus.

„ Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſ-
„ ſoris noſtri conſtitutione prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium
„ in aliqua Civitate aut Caſtello, vel loco ad habitandum domos vel loca
„ quæcumque de novo recipere, aut recepta dimittere vel mutare præſu-
„ mant abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali facientc plenam & expreſ-
„ ſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, &
„ aliis quibuſcumque Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac
„ dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmi-
„ tate roboratis, ſtatutis & conſuetudinibus in contrarium facientibus qui-
„ buſcumque.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, VII. Idus
„ Novembris, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. Pontificatus no-
„ ſtri anno VI. L. Dathus a tergo.

Dilecto filio Gabrieli de Verona, Ordinis Minorum, hæreticæ pravitatis Inquiſitori.

„ III. Apoſtolicum autem Breve ſuper diviſione provinciarum Auſtriæ
„ directum pro exequutione ad Epiſcopum Wratislavienſem, indicatum,
„ exequutioni demandatum, eamque diviſionem conſtabilitam fuiſſe, ſe-
„ quens litterarum ejuſdem Epiſcopi exemplar oſtendit. Vide ad annum 1467.

RODULPHUS Dei gratia Epiſcopus Wratislavienſis, ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, D. Pauli Divina providentia Papæ II. & ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Boemiæ & Poloniæ Regna, ac Alemanniæ partes, cum poteſtate Legati a Latere Legatus miſſus, Exequutor unicus ad infraſcripta a Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus.

„ UNiverſis & ſingulis Chriſtifidelibus has noſtras litteras inſpecturis, Rodulfus exequitur Breve.
„ ac illi vel illis, quorum intereſt vel intererit, quoſque infraſcri-
„ ptum tangit ſeu tangere poterit quomodolibet in futurum, quibuſcumque
„ nominibus cenſeantur, aut quacumque præfulgeant dignitate, ſalutem in
„ Domino, & præſentibus fidem indubiam adhibere.

Noveritis pridem litteras præfati ſanctiſſimi noſtri Papæ ejus veras bullæ plumbeæ, in cordula canapis, more Romanæ Curiæ impenden. bullatas, ſanas & integras, non vitiatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, nobis pro parte Religioſorum, fratris Ludovici Vincentini Generalis Commiſſarii, & aliorum Fratrum Minorum ſancti Bernardini de Obſervantia, regni Boemiæ, Moraviæ & Sileſiæ, ac domus eorundem Fratrum Wratislavienſis, coram Notario publico, & teſtibus infraſcriptis, præſentatas, nos eum ea, qua decuit reverentia, recepiſſe, ſub hac verborum, quæ ſequitur forma, videlicet: Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Epiſcopo Wratislavienſi ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Cum illius, cujus perfecta ſunt opera &c. Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVIII. V. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno V.

Monum. MSS. Provin. Boemiæ.

Poſt quarum quidem litterarum Apoſtolicarum præſentationem & receptionem nobis, & per nos factam, ut præmittitur, fulmus pro parte prædictorum Fratrum ſancti Bernardini principalium debita cum inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem præmiſſarum litterarum Apoſtolicarum, & in eiſdem contentarum confirmationem procedere dignaremur.

Wadd. ad ann. 1468.

Nos igitur juxta tenorem litterarum Apoſtolicarum rite procedere volentes, receptis certis litteris teſtimonialibus per eoſdem Fratres ſubſcriptis, comperimus conſenſum omnium illorum Fratrum, & Commiſſariorum Ordinis prædicti, quorum intererat, in Generali Congregatione ſeu Capitulo inter eos, in loco ſancti Joannis Inſulæ Biſcutinæ, Provinciæ Romanæ habito atque ſervato, ad hoc expreſſe accedere, eiſdem Fratribus hujuſmodi diviſionem ad omnem pacem, & Regularem Obſervantiam utilem & neceſſariam eſſe.

Ideirco auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte conceſſa, diviſionem in præmiſſis litteris Apoſtolicis latius expreſſam, necnon quod Fratres regni Boemiæ, & omnium locorum, dicti Ordinis, Moraviæ & Sileſiæ, & dicti loci ſancti Bernardini Wratislav. quæ omnia in locis ad prædictum regnum Boemiæ pertinentibus ſita ſunt, & aliorum locorum, quæ inibi pro tempore erunt, poſſint ſibi unum Vicarium futuris temporibus eligere, juxta morem aliarum Provinciarum, qui cum ſuis Fratribus & locis ſubſit Generali dicti Ordinis Vicario Ciſmontano, tenore præſentium confirmamus, approbamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus, has noſtras litteras oppartunas deſuper concedendo.

In quorum omnium fidem, & teſtimonium præſentes litteras hujuſmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes, exinde fieri, & per Notarium noſtrum ſubſcribi, noſtrique ſigilli juſſimus & fecimus appenſione communiri.

Datum & actum Wratislaviæ in Curia noſtra Epiſcopali, anno Domini MCCCCLXIX. die vero XI. menſis Septembris, Pontificatus præfati ſanctiſſimi Domini noſtri D. Pauli II. anno VI. præſentibus ibidem honorabilibus viris D. Joanne de Monte, Cuſtode Eccleſiæ ſanctæ Crucis Wratislav. & Andrea Berlot Clerico, Argentinen diœceſis, teſtibus ad præmiſſa vocatis pariter & rogatis.

Et ego Joannes Euvich de Jodendam Clericus, Colonienſis diœceſis, publicus Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius, præfatique Reverendiſſimi in Chriſto Patris, ac Domini D. Rodulphi Epiſcopi Wratislavien. Legati Apoſtolici, & Executoris, ac

L. S. N. P.

Anno Christi 1469.	Pauli II. an. 5. & 6.	Friderici III. Imp. anno 30.	Religionis Minorum anno 262.

» *ac coram eo Scriba, quia prædictarum litterarum Apoſtolicarum præſentationi & receptioni, confirmationi, approbationi, & præcedentis proceſſus petitioni, & decreto, omnibuſque aliis & ſingulis, dum, ut præmittitur, agerentur & fierent, una cum prænominatis teſtibus præſens fui, eaque omnia ſic fieri vidi & audivi; ideoque præſens hoc publicum inſtrumentum meum, alterius manu, me aliunde legitime occupato, fideliter ſcriptum, exinde confeci, ſubſcripſi, publicavi, ſignoque & nomine meis ſolitis & conſuetis, una cum dicti Reverendiſſimi D. Epiſcopi executoris ſigilli appenſione ſignavi in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum rogatus & requiſitus.* Hujuſmodi vero acta poſtea ſuo diplomate confirmavit Sixtus IV. ut videbis ad annum MCCCCLXXXI. *L. S. Epiſc.*

IV. Anonymus quidam Frater natione Hybernus, Catholicæ Fidei Agonotheta, pro libera ejuſdem prædicatione, gladiis impiorum Hæreticorum glorioſe occubuit hoc anno MCCCCLXIX. XI. Kalend. Julii. Joannes de *Bizzis*, patria Florentinus, vir eximiæ humilitatis, orationis & ſanctitatis, abiit ad Dominum Sartiani in Etruria, cujus corpus haud modico fragrans odore, a quarto poſt ejus felicem tranſitum * integrum & incorruptum inventum eſt. Antonius Eremita, Tertii Ordinis ſancti Patris Franciſci alumnus, & Joannis Urbinatis germanus Frater, miris virtutibus clarens, ob vitæ ſanctimoniam a Cæſaribus, Regibus, Ducibus & Principibus maximo in honore ac reverentia habebatur. Moritur in Domino anno ſalutis MCCCCLXIX. XXVII. Junii. *Monum. MSS. Provinciæ Hyberniæ.* Joannes de Bizzis. * *Num quartus dies, vel menſis, vel annus fuerit, non indicavit, quia forte neſcivit P. Meiſſanus.*

V. Commendatur autem plurimum ob Religioſitatem, vitæque ſanctimoniam a Dionyſio Pulinari venerabilis Soror Matthæa de Caldanis Virgo, patria Feſulana, quæ in Monaſterio ſanctæ Florentiæ, hoc anno MCCCCLXIX. florebat: & Andreas Bonſanti digne commemorat Mariam ab Alcazario Virginem Hiſpanam, Tertii Ordinis ſancti P. Franciſci, quæ in oratione ſervens profluviis lacrymarum abundabat: Migravit ad Sponſum ibidem in territorio Abulenſi hoc anno. Soror Matthæa de Caldanis. Maria ab Alcazario.

ARGUMENTUM.

Moriuntur pii Fratres, Antonius Scozectus, & Didacus a Solorzano. Floret in Polonia Ludovicus de Varta. Ex humanis abeunt Paulus Fulginas, & Margarita Comitiſſa Venafri. Creantur Epiſcopi. Celebratur Capitulum Generale Ultramontanum. Propagatur Inſtitutum.

I. Beatus Jacobus Picenus Venetiis reverſus, hoc tempore in Marchiæ Provincia ingenti animarum lucro prædicabat, & Civitatem Aſculanam ſibi addictiſſimam, & conſiliis obſequentiſſimam, hoc anno diſſidiis civilibus æſtuantem, ſacra doctrina & ſalutatibus monitis ad ſummam reduxit concordiam, uti Antianorum & Conſulum litteræ XXIX. Novembris ad ipſum directæ teſtantur. Jacobus Picenus Aſculanos pacificat.

II. Moritur hoc anno beatus Antonius Scozectus apud Amanteam, Calabriæ oppidum, in quo natus eſt honeſta progenie. Suſcepto in juventute habitu Minorum, cum Venetiis Theologiæ operam daret, & Magiſtrum ſuum, in proprietatis cumulatæque pecuniæ pœnam miſerabiliter periiſſe videret, in patriam reverſus, ad Obſervantes tranſivit, inter quos brevi tantum profecit, ut totius perfectionis ſpecimen videretur. Zelo animarum per villas & oppida ferventer prædicabat, omniumque animos ita ſibi Moritur Antonius Scozectus. *Marian. lib. 5. c. 17. Marc. 3. p. l. 5. c. 44.*

ſibi conciliaverat, ut quo vellet, alliceret, & integros populos ad ſui ſequelam attraheret. Omnem hanc reverentiam conciliaverant fervens doctrina, vita immaculata, & gratia miraculorum. Ex ſuggeſto Divini verbi virtute ægros ſanabat animos, & exinde deſcendens, variis morbis languentes crucis ſigno curabat. Senio confectus in caſtro ſancti Innocentii incidit in febrim, abieruntque ſtatim conterranei per mare viſuri, noctuque, inſciis omnibus, in cymba repoſitum celeriter Amanteam deduxerunt, ibique in Conventu ſancti Bernardini ſanctiſſime deceſſit, etiam poſt obitum multis clarus prodigiis.

Et Didacus a Solorzano. *Gonz. in Prov. S. Jacobi Conv. 35.*

III. Hoc item anno deceſſit beatus Didacus a Solorzano Ineſtroſa in Caſtella Veteri ortus, cujus humilitas, paupertas, oratio, abſtinentia, caritas, ac reliquæ virtutes, præcipue vero in perferendis aſſiduis infirmitatibus patientia, fuere incredibiles: ſummo ſtudio mulierum vitabat conſortia, vas ſuum ſervare cuplens immaculatum. Multa prophetiæ prædixit ſpiritu, & plurima præſtitit Taurinis civibus beneficia. Apud eos vita functus, ſanctique aſſecutus opinionem, non potuit ſepeliri eo quo voluit tempore Guardianus, concurrente tanto populo, quantus raro aut numquam viſus eſt in illa Civitate, ad corporis venerationem. Sepultus eſt e latere ſacelli majoris, ubi ejus viget memoria.

Floret Ludovicus a Varta. *Gonz. in Prov. Polon. Conv. 2. Chron. MSS. Polon.*

IV. Sub hoc tempus florebat in Polonia, Conventu Varſavienſi, Ludovicus de Varta ferventiſſimus prædicator, poſt obitum miraculis illuſtris. Statim ut deceſſit, miſerum quemdam pellificem, qui deſperabundus guttur veru transfixerat, & ad ſe reverſus, intimo cordis affectu ſe tanti Patris precibus commendarat, jam animam agentem, ad ſuum ſepulcrum allatum extempore curavit. Honeſtam matronam graviſſime pedibus dolentem, ad ſepulcrum pie voventem, a malo liberavit. Aliorum plurimorum miraculorum teſtimonia votivæ tabellæ innumeræ tumulum exornabant. Ejuſdem ferme temporis Nicolaus Paſſer laicus, vita & miraculis reſplenduit, omnibus propter inſignem ſanctitatem & profundam humilitatem cariſſimus. Nudis pedibus in hyeme, Cracoviæ, defluente ſæpe ſanguine, nives & gelu calcabat. Eo tempore quo deceſſit, quidam frater Gregorius Sacerdos jacebat in Valetudinario, maniæ paſſioni ſubjectus, vinculis ferreis aliquando conſtrictus; eique apparuit Vir ſanctus monens, ut ſi ab illo malo liberari cuperet, ad ejus ſepulcrum oraret. Fecit, ſanus evaſit. Frater Ægidius Sartor laicus ob ulceratum pedem timens ne a profeſſione emittenda repelleretur, conſulente Magiſtro, ad Nicolai ſepulcrum precatus, perfecte ſanatus eſt. Multa ad ſepulcrum pendebant miraculorum ſigna, quæ fortuito igne perierunt.

Et Nicolaus Paſſer.

Moritur Paula Fulginas. *Jacobil. de SS. Fulgin. pag. 27.*

V. Deceſſit hoc anno beata Paula Fulginas, claris orta parentibus, in juventutis flore anno MCCCCXXX. Inſtitutum Tertii Ordinis profeſſa in Monaſterio ſanctæ Annæ. Inde anno MCCCCXXXIII. tranſmiſſa Aquilam, comite beata Antonia Florentina, ut Monaſterium ſanctæ Eliſabethæ recens conſtructum, ſub eodem Inſtituto regularibus imbuerent diſciplinis. Hic per aliquot annos hæſerunt, donec prædicante in eadem urbe beato Joanne Capiſtrano, uti alias narravimus, & domum mutarunt & Inſtitutum. Sub prima Regula ſanctæ Claræ arctiſſimam profeſſa paupertatem, in ſumma corporis munditia, & cordis puritate, Cœleſti Sponſo placere cupiens, multas paſſa eſt hoſtis inſidias, immundas ſuggerentis cogitationes, & fœdiſſimas ante oculos objicientis illuſiones. Duo erant in urbe Aquilana ſpecioſi juvenes, quorum imagines frequenter adhibebat, & deinde inhoneſtis actibus concupiſcentiæ ignem ſubjiciebat. Illa ne arderet, quibus poterat modis, lacry-

To. II. an. 1447. n. 90.

lacrymarum rivulis, corporis inedia, cilicio, flagellis & copiosa sanguinis effusione periculosum hoc incendium non semel extinxit.

VI. Longo tempore his concussa tentationibus, tamdem consulente Francisco a sancto Homero, viro religioso & pio, qui tunc advenerat, Monialium confessario, per noctem integram excubias egit, & preces effudit coram sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, viditque Christum Dominum ex tabernaculo versus se prodeuntem, sensitque e terra sublevantem, & laudata constantia ab omni malo liberantem. Spiritu deinceps tranquillo, & sensu composito Deo perfecte inservivit, tamquam protectricem suam sanctam Paulam Romanam reverita, cui omnes suos commendabat agones. Demum ineunte hoc anno, die XXVI. Januarii, magnam adepta sanctitatis opinionem, in Domino requievit.

Ex Margarita Comitissa. *Indid. pag. 245. To. 10. an. 1465. n. 31.*

VII. Circa hunc annum vita functa est soror Margarita Comitissa Venasfri & Menfrii, Reginæ Neapolis, ut alias innuimus, consanguinea, atque, uti quidam volunt, soror germana. Dum ex Monasterio sanctæ Luciæ Fulginatensis (in quo simul cum Seraphina Roberti Aliani Neapolitani filia, sua pedissequa, lectissima virgine, sanctæ Claræ habitum assumpsit) Venasfrum pergeret, directura Sorores novi Monasterii, a filio suo Venasfri Comite constructi, Romæ piissime diem clausit extremum in Monasterio Trans-Tyberino sanctorum Cosmæ & Damiani.

Fr. Hieronymus Epis. Chien.

VIII. Electi sunt hoc anno Episcopi, Chiensis, sub Archiep. Colossensi frater Hieronymus de Camulio, per obitum Antonii, *Prid. Id. Januarii*.

Lariss. F. Werboldus.

Lariſſenus in Syria, sub Patriarcha Antiochiæ, & quarta sede Apamiæ, frater Werboldus de Heyss, Licentiatus in Theologia, per obitum Joannis, IV. *Id. Decembris*. Factus est suffraganeus Monasterienſis.

Rubicen. Fr. Joannes.

Rubicensis in Insulis Canariæ, sub Archiep. Hispalen. frater Joannes de San-Lucar, Canarienſium Conventuum Vicarius, per cessionem Martini de Rojas Monachi sanctæ Mariæ de Armedilla, diœcesis Segobien. Ordinis sancti Hieronymi, *eodem die*.

Bericen. Fr. Libertus.

Bericen. in Armenia, sub Archiep. Sebasten. frater Libertus de Broehun, per obitum Joannis, *eodem die*. Duo Catalogi MSS. Episcoporum Ecclesiæ Fanensis in Piceno, Pontifici Romano immediate subjectæ, inde ad me transmissi, referunt, Joannem de Tonsis de Fano hoc anno Episcopum fuisse, Porticum Ecclesiæ Cathedralis vetustate collapsam restaurasse, & anno MCCCCLXXXII. decessisse. Joanni Serevalensi successisse anno MCCCCXLV. VI. Idus Martii referretur. „ Circa hunc annum „ frater Helias de Bourdeille ex Episcopo Petragoricensi factus est Episco„ pus Turonensis. „ Erat etiam hoc anno Archiepiscopus Tarantasiensis frater Thomas a Susa, alias *de Sur*, Cyprius, qui anno sequenti, uti dicemus, Conventum suis Fratribus ibidem fundavit.

Fanen. Fr. Joannes.

ADDITIO *Ex originalibus MSS. Auctoris in prima editione Lugdunensi prætermissa.*

Tarantasien. Fr. Thomas.

IX. Ante aliquot annos ad hanc Ecclesiam assumptum fuisse constat ex monumentis Abbatiæ beatæ Mariæ de Caramania in Pedemontio, ex quibus habetur, eum post Archiepiscopatum accepisse in Commendam prædictam Abbatiam ab Amadeo Card. Sabinensi, post renunciatum Pseudo-Pontificatum, in nonnullis Italiæ Galliarum & Germaniæ partibus Legato, & Vicario perpetuo. Verba instrumenti sunt: *Cum Monasterium Caramagnæ Ordinis sancti Benedicti, cui quondam Antonius de Provanis, ipsius Monasterii Abbas, dum viveret, præerat, per obitum dicti Antonii, qui extra curiam nostram debitum naturæ persolvit, Abbatis regimine destitutum existat, nos vacatione hujusmodi, fide dignis relatibus intellecta, ac de provisione &c. ad personam R. Thomæ Archiepiscopi Tarantasien. quem claris meritorum insignibus Divina benignitas decoravit &c.* Amadeus autem, uti alias

To. 12. an. 1449. n. 1. * *Vide quæ diximus an. 1460. n. 14.*

alias diximus, obiit anno MCCCCLI. Liquet ergo * Thomam ante annos viginti ad hanc Eccleſiam promotum fuiſſe.

Florent Guillelmus Forleo. *Trithem. de Scriptorib.*

X. Hoc anno floruiſſe Guillelmum Forleonem natione Britannum, in Divinis litteris eruditiſſimum, & in ſeculari Philoſophia egregie doctum, ſcribit Trithemius, ejuſque diſcipulum, ait, fuiſſe Stephanum Bruliferum, Theologum inſignem, qui Pariſiis, Moguntiaci & Metis cum laude prælegit.

Marcus a S. Maria in Gallo Montem Pietatis inſtituit. *Monum. MSS. Fabrian.*

XI. In frequentiſſimo & nobili oppido Fabriani in Marchia Anconitana, hoc anno Marcus a ſancta Maria in Gallo, ejuſdem Provinciæ non ignobili vico, ſerventiſſimus prædicator, Montem Pietatis erexit. Videns enim Chriſtianorum, præſertim pauperum, ſubſtantiam uſuris, & iniquis Hebræorum contractibus attenuari, & ad nihilum ferme reduci, modum hunc adinvenit, pauperum neceſſitatibus ſubveniendi. Collectam magnam pecuniarum ſummam reponi juſſit, mutuo commodandam egenis, dummodo reddendæ pignus adhiberetur. Nomen Montis indixit ſanctæ Mariæ a Jeſu, optimiſque regulis per viginti quatuor capitula diſtributis, erigendi & conſervandi modum die XXIV. Aprilis præſcripſit. Omnia confirmavit generale oppidanorum conſilium die XXIII. Junii; Hieronymus Petri Conradus & Collegæ Priores; Angelus Meus, & Collegæ Regulares; Joannes Franciſcus Petri, & ſocii deputati, Natanbenus Valenti de Trevio, oppidi Poteſtas, ſive Gubernator, & demum Epiſcopus Marſicanus Theſaurarius & Vicarius ſeu locum tenens Legati in Provincia Marchiæ, qui tunc reſidebat in urbe Fanenſi. Dubia aliquot circa intellectum prædictæ normæ Montis conſervandi, a quibuſdam objecta, idem Marcus IV. Decembris amplius declaravit præſente Gaſpare Stellutio, & Collegis Prioribus cum reliquis conſiliariis. Prima hæc mihi occurrit Montis Pietatis erectio, etſi alios prius erexerit Barnabas Interamnenſis, primus horum Montium, piorumque depoſitorum fundator, uti inferius dicemus, quam etiam vetuſtis tabulis æreis graphice delineatam, Marco ex ſuggeſtu docente, variis ſunctionibus & officialibus diſtinctam, ejus temporis habituum grata diverſitate notabilem, fortuito acceptam, in venerandæ vetuſtatis memoriam, inter reliqua ſtudiorum monumenta conſervo. Opus & doctrina Montium Pietatis erigendorum temporis decurſu magnas paſſa ſunt difficultates & contradictiones, quas nos ſuo loco opportunius ſuggeremus. Porro Fabriani alius erectus eſt Mons Pietatis Montanimus, a fundatrice Montanina, Joannis Pogliani Firmani olim conjuge, nuncupatus.

Anno 1474.

Capitulū Generale undecimum Ultramontanū. *Mar. an. lib. 5. c. 17. Marc. 3. p. l. 5. c. 44.*

XII. Celebratum eſt hoc anno Capitulum Generale Fratrum Obſervantum, familiæ Ultramontanæ, in Conventu Palentiolæ, Provinciæ Caſtellæ, in quo electus eſt Vicarius Generalis Franciſcus Blonde Vicarius Provinciæ Franciæ, variæque ſunt editæ conſtitutiones, quas in ſuum locum reſervamus.

Conv. Saonen. S. Jacobi. *Lib. 1. de Regul. & dignit. vacuan. n. 7. fol. 83. Monum. MSS. ibidem Conv.*

XIII. Hoc anno conceſſit Pontifex licentiam Fratribus Obſervantibus Provinciæ Januenſis, acceptandi capellam ſancti Jacobi prope Civitatem Saonenſem, in colle ſitam, a quibuſdam civibus oblatam, ut ibidem ſibi Monaſterium ædificarent. Acceptavit omnium nomine frater Baptiſta de Salis Vicarius Provinciæ, & anno ſequenti XXVII. Decembris donationem confirmarunt urbis Antiani, Angelus Sachus Prior, Chriſtophorus Banitius ſub-Prior, Joannes Paſtus, Lucianus de Gambarana, Baptiſta de Nuceto, Odoardus de Maria, Ludovicus de Monelia, confectoque publico aſſenſus ſui inſtrumento, dederunt poteſtatem fratri Angelo a Clavaſio capellam, territorium & ædificia ſancti Jacobi de Valloria a Gubernatoribus Hoſpita-

lis

lis Miſericordiæ Saonenſis, ad quos pleno jure ſpectabant, alias donata, in Cœnobium ſui Ordinis convertendi. Pulchrum & commodum demum illic exercuerunt Fratres domicilium, piorum eleemoſynis adjuti.

XIV. Ut eidem Provinciæ Fratres aliam magna ex parte conſtructam ſub titulo Annunciationis Virginis Mariæ, prope oppidum Portus ſancti Mauritii, Albinganen. diœceſis domum reciperent, etiam hoc anno v. Kal. Maii, Pontifex indulſit. Tertium etiam Conventum ſub hoc tempus acquiſierunt ſub invocatione ſanctæ Mariæ, prope Vulturis oppidum, diœceſis Genuenſis, ab ipſa urbe Genuen. x. m. p. diſſitum ad ripariam occiduam, anguſtum quidem & paucorum Fratrum capacem. Conſtructum hoc anno aſſerit Gonzaga, ſed monumenta ad me inde tranſmiſſa, non tam conſtructum, quam templum hoc anno conſecratum referunt a Paulo Fregoſio, Archiepiſcopo Genuenſi die xx. Octobris, quo etiam die ab incolis dedicationis memoria celebratur. In choro conſpicitur egregia & ampliſſima pictura Chriſti cum diſcipulis cœnantis, opus admirabile Simonis Donghi ſacerdotis Minoritæ, inter ſui temporis pictores celeberrimi. Illuc confluunt multi rem ſane digniſſimam conſpecturi. Hoc anno, inſtante Duce Mediolanenſi Galeatio Maria, & univerſitate oppidi Pontis-tremuli, Lunen. & Sarzanen. diœceſis, translata eſt ad Obſervantes domus ſancti Franciſci extra muros conſtructa, reclamantibus acriter Patribus Conventualibus.

Conv. Portus S. Mauritii. *Lib. 1. de Regul. & div. for. an. 6. fol. 109. Gonz. in Prov. Januen. Con. 16.*

Conv. Vulturis. *Indic. Conv. 13.*

Conv. Pontis-Tremuli.

XV. In Provincia ſancti Bernardini duo hoc anno erecti ſunt Conventus pro Fratribus Obſervantibus, unus ſub vocabulo ſanctæ Mariæ de Cumis, prope oppidum Civitellæ, diœceſis Aprutinæ; alter prope Toccum, diœceſis Theatinæ. Uterque ex publicis oppidanorum proventibus ædificatus eſt. Poſterior vocatur ſanctæ Mariæ de Paradiſo, alias de Luminibus, propter crebra lumina, quæ ante & poſt Cœnobii conſtructionem ibidem noctu conſpiciuntur in præcipuis feſtivitatibus, prodeuntia ex quodam puteo & prato, in quo dicitur ſub ſancti Franciſci tempus extitiſſe Conventum, ad interiora oppidi translatum. Etiam in hæc poſteriora tempora perſeverare hos fulgores nocturnos aliqui referunt, ſeque vidiſſe teſtantur. Jacet hoc in loco frater Liberatus a Civitella Laicus, de cujus virtute & ſanctimonia ſuo loco dicemus.

Conv. Civitellæ. *Idem in Prov. S. Bernardin. Conv. 17. & 18.*

Conv. Tocci.

Marian. lib. 5. c. 21. & 17. Rodul. fol. 300. An. 1306.

XVI. In Provincia Raguſina prope Corſolas, in ſupercilio collis amœni, pro eiſdem Fratribus conſtructus eſt Conventus ſanctæ Mariæ, in honorem imaginis beatæ Virginis Mariæ, quæ ibidem apparuit, & multis miraculis coruſcabat. Hoc anno ædificatam domum hanc & perfectam ſcribit Gonzaga, ſed prius inchoatam probant quæ diximus ſuperius de controverſiis Provinciarum Boſnæ & Dalmatiæ.

Conv. Corſolarum.

Idem in Prov. Raguſ. Conv. 7. An. 1465. n. 3.

XVII. Nobili viro Roderico Pimentelo Comiti Beneventano, hoc anno iv. Kal. Februarii facultatem conceſſit Pontifex domum Obſervantibus ædificandi in ſuo oppido Villaloni, diœceſis Legionenſis, a Vicario Provinciæ ſancti Jacobi gubernandam. Statim pius heros operi manum admovit, ſub nomine ſanctæ Mariæ de Jeſu, & ne imperfectum remaneret, ſi forte immatura morte præoccuparetur, condito teſtamento hanc clauſulam adjecit: *Si contigerit Franciſcanum hoc Monaſterium a me incœptum, immatura morte ſuperveniente, imperfectum remanere, præcipio meis hæredibus atque ſucceſſoribus ſub maledictionis meæ, atque a primogenitura privationis pœnis, ut ipſum perficiant, omnibuſque ſuis numeris abſolvant, quatenus voto a me emiſſo ſatisfacere queam.* Jacent hic piiſſimi viri Didacus Villalonius, & Joannes Guazza, quorum virtutes & vitam annis, quibus deceſſerunt, enarrabimus. Conventus hic deſtinatus eſt Patribus Recollectis, qui

Conv. Villaloni. *Lib. 1. de diverſ. form. an. 6. fol. 251. Idem in Prov. S. Jacobi Conv. 26.*

vere ſanctiſſimam ibi degunt vitam, optimam aſſecuti opinionem tum inter ſuos Conſodales, tum per regiones omnes circumvicinas.

Conv. Turrium Veterum. *Idem in Prov. Algarb. Conv. 2.*

XVIII. In Luſitania & Provincia Algarbiorum, in oppido Turrium Veterum, diœceſis Ulyſſiponenſis, Alphonſus Rex hoc anno Cœnobium conſtruxit Obſervantibus, ſub ſancti Antonii invocatione. Ut conſtructum admitterent, Sixtus IV. anno MCCCCLXXIV. facultatem conceſſit.

Conv. Aberdoniæ. *Idem in Prov. Scotiæ Conv. 4.*

XIX. Aberdonia Scotorum Civitas eſt populoſa, & Academia collegiiſque inſignis. Pulchrum hoc litterarum ornamentum debere R. ſuo Epiſcopo, eumque hoc anno Conventum adjeciſſe Obſervantum quadraginta Sodalium capacem, poſtea ab hæreticis dirutum narrat Gonzaga. Sed Academiam fundaſſe Guillelmum Elphinſtonum, qui ſub annum MDXIV. deceſſit, ſcribit Leslæus, & hoc anno MCCCCLXX. Epiſcopus Aberdoniæ erat Thomas Spens (quem anno MCCCCLXXX. obiiſſe refert Hector Boethius in Appendice hiſtoriæ Scotorum) uti habetur in regeſto Vaticano. Sed & Conventum hunc fundatum fuiſſe anno MCCCCL. dicit Thomas Demſterus lib. 1. ſui apparatus.

Leſl. l. 9. de reb. Scot. Boeth. Demſter.

Conv. Inſulæ in Hibernia. *Monum. MSS. Hibern.*

XX. In Hibernia, diœceſi Ardſertenſi, in parva inſula Fluminis Sianani conſtruere cœpit hoc anno pro Obſervantibus Conventum Dominus Joannes Oconochor Kiaray, Dominus locorum Areadcht Oconochor. Pro perficiendo & Obſervantibus tradendo facultatem obtinuit a Sixto IV. *Paſtoralis officii*. MCCCCLXXVII. Pridie Idus Maii. Diploma dabimus ſub illum annum in regeſto. Illuc irrumpentes hæretici anno MDLXXX. & præ contemptu rerum ſacrarum equos prope Altare majus ſtabulantes, dum templum egrediuntur, diſſolutis ungulis, equi perierunt. Anno MDLXXXII. hic comprehenſi Donatus Hinrecan, Philippus Oſeus, Mauritius Oſcallan, religioſi ſenes & debiles, qui imminentem perniciem cum reliquis Sodalibus effugere non poterant, & violenter, crudeliterque attracti ante ſummum Altare, ibidem tamquam ſacræ victimæ in conſpectu Domini jugulati ſunt.

Conv. Ros Irialay. *Eadem Monum.*

XXI. In eodem regno, diœceſi Tuamenſi & Comitatu Galviæ reformationem ſuſcepit hoc anno Conventus Ros-Irialay, cujus primam fundationem incidiſſe in annum MCCCLI. ignoto auctore, referunt monumenta Hibernica ad me recenter tranſmiſſa. Cum reliqua Cœnobia ab Anglis diriperentur, hoc ſibi concedi obtinuit Comes Clan-Ricardus, cujus tutelæ adhuc perſiſtit. Locus eſt ſolitarius, aquis undique circumvallatus, una tantum porta, & ſemita lapidibus ſtrata acceſſibilis. Tutius itaque illic ſemper Fratres commorati, etſi etiam aliquando Anglorum paſſi excurſiones. Solitudinis amore diutius hic converſatus Ferallus Eganus olim Provinciæ Miniſter, vir ſummæ probitatis, & Concionator egregius, qui multa huic Conventui præſtitit beneficia.

Conv. Caunæ. *Conv. in Prov. Polon. Conv. 17. Monum. MSS.*

XXII. In magno Lithuaniæ Ducatu ad Caunam urbem, ſub hunc annum fratri Mariano Vicario Provinciæ Poloniæ oblatus eſt per Stranconem Palatinum Trocenſem ſitus Conventui ædificando prope Caſtrum munitiſſimum Regium, in faucibus duorum fluminum, Nemeni & Viliæ. Regis Caſimiri conſenſu cœpit fabricari Eccleſia, pecuniis a quodam Mercatore collatis, reliquum ædificium. Caunenſis Senatus abſolvit. Ad tempora Alexandri, magni Lituaniæ Ducis, Caſimiri Regis filii, ligneum clauſtrum conſtructum eſt, ſed paucis elapſis annis, ex lateribus refectum, etſi multi contradixerint, inde arcis expugnationi præcaventes. Impetrarunt demum litteras ab Innocentio VIII. ut ad alium locum ſatis amœnum extra Civitatem transferretur, ſed irrito conatu; prædictus enim Alexander ad regni habe-

habenas aſſumptus, voluit ut ſuo loco ædificium conſiſteret, muroſque clauſtri provexit. Templum ſatis amplum, ſub titulo ſancti Georgii diverſi Magnates fabricarunt, præſertim generoſus D. Vonzevius Capitaneus Caunenſis, & prædives quidam Civis Regio Montanus, juvante ad reliquam ædificii molem Caunenſi Senatu, auctore potiſſimum Proconſule Ciemierica, qui pro Eccleſiæ teſtudine magnam contulit ſummam pecuniæ. Recens a Paganiſmo converſus populus, Fratrum inſtructionem & ritus magno amplexus eſt fervore. Tanta eſt civium erga Fratres pietas, ut poſt alteram & tertiam fœdam conflagrationem, domum meliorem & pulchriorem effecerint. Operi perficiendo egregiam navavit operam frater Pancratius Alamannus loci Guardianus, vir religioſiſſimus, moribus graviſſimus.

XXIII. Eodem anno apud Opatonium, Poloniæ urbem, Joannes Reſſovius Epiſcopus Cracovienſis cum Capitulo, Eccleſiam parochialem in ſuburbio, loco eminenti ſitam, translato Baptiſterio ad Eccleſiam Collegiatam, Fratribus, ut ibidem Conventum ædificarent, conceſſit. Hinc commota in Fratres cleri ſecularis ſeditio, quæ annos duravit novem, etſi viri primarii, & Nicolaus Præpoſitus Opatonienſis, & Joannes Tarlo, ſanguine clarus, Eccleſiaſticis dignitatibus, regioque favore conſpicuus, Fratrum partes ſuſceperint propugnandas. Tandem miſera morte Camorcii, qui factionem ducebat, & Epiſcopi Cracovienſis decreto, controverſia ſedata eſt. Cœperunt itaque Fratres ſub hunc annum pacifice hic vivere, & opus promovere. Sacrarium ſive Sacriſtiam Joannes Sicova civis Opatonienſis, refectorium Anaſtaſius Badina, alias officinas Fratres, præſertim Hieronymus Sandomirienſis, fecerunt lapideas. Chorus nonniſi ad annum MCCCCXCIII. cum teſtudine conſtructus eſt. Clauſtri mœnia ad modum propugnaculi contra inſultus Tartarorum de lapidibus ſectis in ſublime exurgunt. At vero præfatus Joannes Tarlo terrena faſtidiens, & aucta erga ſanctum Franciſcum devotione, una cum genitrice, Leopoli tertium ejus Inſtitutum ſubivit, & paulo poſt Minorum habitum ſuſcepit, deinde peregrinationem in Terram ſanctam inſtituit; ubi in oratione aſſidua & lacrymis ſacra Chriſti veſtigia perluſtrans, in Monte Sion anno MCCCCLXXXVIII. in vigilia ſanctæ Marthæ diem clauſit extremum.

Conv. Opatoni. *Indid. Conv. 18. Monum. MSS.*

XXIV. Hoc anno XVII. Julii Paulus Pontifex, & ſequenti die ultimo Februarii, Sixtus IV. licentiam concefferunt Violanti Sabaudiæ Duciſſæ Monaſterium Clariſſarum, ſecundum reformationem beatæ Coletæ ædificandi intra muros Camberiaci, nobilis inter Allobroges Civitatis. Evocatis ex variis Monaſteriis Sororibus duodecim, præſente Epiſcopo Gratianopolitano, ad hoc Commiſſario Apoſtolico deputato, electa eſt in primam Abbatiſſam Joanna de Durue Monaſterii Suorienſis alumna, & in Vicariam Maria Chevaliera, quæ Joannæ in officio ſucceſſit, & virtutem hæreditavit. Namque & utraque ſanctiſſime vixit, & piiſſime deceſſit, plurimis adhibitis ſuæ ſanctitatis indiciis, earumque corpora poſt annos centum exhumata, inventa ſunt integra odorem expirantia ſuaviſſimum. Vivunt hic religioſiſſime magna omnium laude nobiles virgines, in nihilo a primo fervore & inſtitutione beatæ Coletæ deficientes.

Monaſt. Camberiaci. *Fodr. de hoc Monaſt. pag. 101.*

XXV. Quatuor honorabiles fœminæ oppidi Lugnani, cum ex viris quibus nupſerant, liberos ſuſcipere non poſſent, collatis in medium facultatibus, Tertii Ordinis ſancti Franciſci habitu ſuſcepto, Monaſterium ſub invocatione ſanctæ Claræ conſtruxerunt hoc anno, quod etiam ipſæ cum aliis honeſtis fœminis ingreſſæ, ſub eodem habitu uſque ad vitæ terminum perſeverarunt.

Domus Lugnani Tertii Ordinis Sororum. *Gonz. in Prov. S. Franc. Mon. 22.*

Lib. 1. de Regular. & benef. vacant. an. 7. fol. 66.

XXVI. Domibus ſancti Hieronymi Florentinæ & Aretinæ, Cortonienſi & Piſtorienſi Tertii Ordinis Sororum, conceſſit hoc anno Pontifex facultatem ſuas Miniſtras eligendi, religioſas admittendi, & ſingula, quæ ad vitam regularem ſpectant, faciendi independenter ab aliis quibuſcumque Monaſteriis, aut Tertiariarum Matribus Præfectis.

ADDITIO WADDINGI.

Gonz. in Prov. Franc. Pariſ. Mon. 24. & 25.

» XXVII. Duas domos caritatis exercendæ hujus Inſtituti Sororibus » conſtruxit in Gallia ſub hoc tempus Ludovicus XI. pius Rex: primam » apud oppidum Berneii, reſtaurato xenodochio ruinoſo, & ferme neglecto, a ſancto Ludovico Rege olim infirmis curandis, & peregriuis excipiendis conſtructo, & domicilio adjuncto pro Sororibus, quæ infirmis » etiam peſtifero morbo laborantibus inſerviunt: ſecundam apud Novum » Caſtrum in Normandia, diœceſis Rothomagenſis, aucto & abſoluto ædificio, quod pro leproſis curandis Sorores pie incœperunt. Utrobique bene audiunt & habent, propter opera, quæ præſtant pietatis.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

Litteræ Apoſtolicæ pro pluribus Provinciis. *Indic. ex Vatic.*

» I. HOc anno IV. Idus Januarii Summus Pontifex paterna liberalitate noſtris Fratribus conceſſit, ut domos dirutas extra muros » Tarraconenſes ædificare poſſent: *Apoſtolicæ ſervitutis &c.* & pridie Idus » ejuſdem menſis noſtris ſanctæ Mariæ Annuntiatæ Parmen. ut quamdam » petiam terræ reciperent: *Sedis Apoſtolicæ &c.* Indulgentiam pro capella » ſancti Nicolai in Eccleſia Fratrum Venetiarum: *Splendor paternæ &c.* » VIII. Idus Aprilis; & pro nonnullis Conventibus Regularis Obſervantiæ Provinciæ Caſtellæ in Hiſpania, ſub eorumdemque regimine litteras » expedivit: *Vacantibus ſub Religionis &c.* VI. Idus Maii; Fratres Obſervantini Palencuelæ in Provincia Caſtella, habitis Comitiis Generalibus, » in Vicarium Generalem Ultramontanum ſibi elegerunt Franciſcum *Blonde* Vicarium Provincialem Franciæ, Miniſteriatum Generalem totius » Ordinis regente fratre Zaneto de Utino, Magiſtro in ſacra pagina, anno » proxime elapſo Venetiis electo. Porro in eo Capitulo Palencuelæ in » feſto Pentecoſtes celebrato, nonnulla pro bono regimine conſtituta fuere, quæ huc transferre minime pigebit, hac præcipua ratione, quod non » conveniunt cum Statutis, quæ retulit P. Dominicus de Gubernatis in » ſuo Orbe Seraphico.

» 1. *Primo ergo decretum, ſuit electionem Vicariorum Provincialium, » præſentationem & confirmationem fiendam ſingulis annis a qualibet Provincia, eſſe debere juxta conſuetudinem cujuſque Provinciæ, quouſque per » Sedem Apoſtolicam aliter ordinatum fuerit: in fine tamen triennii de aliis » electio fiat: auferanturque de Statutis Barchinonen. illæ tres dictiones de » eis.*

» 2. *Rurſus ad evitandam inquietudinem conſcientiarum timoratarum, » & refrænandum laxationes inſolentium, ordinatur quod nulla expoſitio » Regulæ, ſive declaratio legatur in Communitate, præter declarationes » Dominorum Nicolai III. & Clementis V. ſummorum Pontificum: Invigilentque omnes Superiores ut lectio authentica, profectui Fratrum accommoda, in Conventu habeatur; nullaque doctrina, niſi ſecura & conformis ſententiæ Patrum orthodoxorum, inibi unquam legatur.*

» 3. *Ulterius: Cum ſecundum declarationem Domini Clementis V. omnia ſpectantia ad formam habitus tam Novitiorum, quam Profeſſorum, » æquipollcant præcepto, ſtatuit & vult R. P. Vicarius Generalis cum Capi-*

„ *pitulo aniverſo, ut de cetero in omnibus Provinciis Habitus Novitiorum*
„ *patenter ſit diſtinctus ab Habitu Profeſſorum; ita quod diffatura Caputii*
„ *non ſufficiat, ſed vel portent Caparonem juxta Regulam, vel aliom petiam*
„ *panni aute pectus, niſi quoad aliquas perſonas uotabiles recipientibus aliud*
„ *ſecundum Deum aliquando videatur.*

„ 4. *Item: Declaratur ſecuudum Regulam & Expoſitores ejuſdem,* Quid ſit pecu-
„ *quod uomine pecuniæ intelligitur omnis res, quæ procuratur & recipitur,* nia.
„ *non ut Fratres utantur ea immediate, ſed eo animo, ut commutetur in*
„ *aliam, vendatur vel diſtrahatur: hortaturque Generale Capitulum omni*
„ *qua pollet efficacia, ut in recurſu ad amicos ſpirituales, & in procuratio-*
„ *uibus ſeu receptiouibus aliarum rerum, quarum uſum facti licet habere,*
„ *adeo diligeuter & diſcrete procedant, quod in Regulam, & declarationes*
„ *Apoſtolicas uuliatenus offendant: Inſuper ad conſervandam pacem inter*
„ *Patres Conventuales, & Nos, iubibetur ue loca eoramdem, vel Mouaſte-*
„ *ria Mouidium eis ſubjectarum, quovis modo recipiautur: ſed ordinatio*
„ *Sanctiſſimi Domini Noſtri Pauli Papæ moderni, in Bulla Concordiæ con-*
„ *tenta, & Breve ſuæ Sanctitatis R. P. Vicario Geuerali uoviſſime, eſſe de Suæ*
„ *Sanctitatis intentione declaratur, ad unguem obſervetur: ubi autem ſuffi-*
„ *cieus auctoritas haberi videtur, nullatenus exequutioui demaudetur, ab-*
„ *ſque licentia Vicarii Generalis. Circa vero ædificationem novorum locoram,*
„ *iſtud ſollicite ſervetur, quod nullo modo recipiantur, niſi habeantur ido-*
„ *nea ſuppoſita ad illa iuhabitaudum; poſſintque Fratres habere neceſſitates*
„ *in loco vel termino, ſecundum Regulæ paritatem; & habeantur Funda-*
„ *tores ſufficientes, qui pro majori parte dicta loca ædificent, & neceſſariis*
„ *ad cultum Divinum competeuter muniant, ne per diſtractiouem uimiam,*
„ *Fratrum devotionis ſpiritus extinguatur, impuritates variæ contra Re-*
„ *gulam committantur, & Seculares propter multiplicationes quæſtarum*
„ *ſcandalizentur, prout frequeuter contingit; & hoc ſemper de conſenſu*
„ *Capituli Provincialis.* Hæc ea ſunt, quæ in præfatis Generalibus Comi-
„ tiis ordinata ſuere.

„ II. Præterea. Ordinem Provinciarum Ultramontanæ Familiæ Pa-
„ trum Regularis Obſervantiæ, ſervandum in Choro, Definitorio, &
„ Menſa, factum & ordinatum in Capitulo Generali Montis-Lucii eorum-
„ dem, anno Domini MCCCCLXVII. & nunc in iſto Palencuelæ confirma-
„ tum, in poſterumque obſervandum, ſubjicimus; adjectis aliis Provin-
„ ciis ultimo inſtitutis; qui talis eſt.

„ Prima Provincia Franciæ	1.	Provincia Hyberniæ	12.
„ Provincia Caſtellæ	2.	Provincia Scotiæ	13.
„ Provincia Saxoniæ	3.	Provincia de *Sanctoyo*	14.
„ Provincia Turoniæ	4.	Provincia Datiæ	15.
„ Provincia Argentinæ	5.	Provincia Angliæ	16.
„ Provincia Burgundiæ	6.	Provincia Beticæ	17.
„ Provincia ſancti Jacobi	7.	Prov. Inſularum Indiar.	18.
„ Provincia Coloniæ	8.	Cuſtodia Inſular. Franc.	1.
„ Provincia Aquitaniæ	9.	Cuſtos Cuſtodum	2.
„ Provincia Portugalliæ	10.	Cuſtos Britanniæ	3.
„ Provincia Provinciæ	11.	Cuſtos Livoniæ	4.

„ III. E Vaticano prodiit licentia conſtructionis domus pro Fratribus *Ex Vatic.*
„ Regularis Obſervantiæ in loco Fociniaci, Diœceſis Gebennenſis: *Pia* Litteræ Apoſto-
licæ pro Ordine.

Chri-

Anno Christi 1470.	Pauli II. an. 6. & 7.	Friderici III. Imp. anno 31.	Religionis Minorum anno 263.

„ *Chriſti &c.* XV. Kalend. Junii; & ut Clariſſæ ſancti Bernardini Paduan.
Harol. ad ann. 1460. n. 9. „ recipiant hortum circa Eccleſiam ſancti Blaſii: *Apoſtolicæ manſuetudi-*
„ *nis &c.* X. Kalend. ejuſdem menſis. Habitatores de Lorca, Chartagi-
„ nenſis Diœceſis, qui decem ante annis conſtruebant domum pro Fratri-
„ bus, hoc illis anno dederunt Oratorium liberum, & factum comproba-
„ vit Pontifex, expedito Brevi: *Merita facræ &c.* VI. Idus Decembris.
„ Pater frater Petrus *de Golgauz*, provinciæ Boemiæ Vicarius in deſerto
„ *Ketzerdotffenſi* locum accepit ad ſolitariam vitam agendam pro Fratri-
„ bus, qui ſpirituali receſſu & animi recollectione delectantur; in eoque
„ Eremitorium nuncupatum *de Emaus*, excitavit: & hic locus eſt in Sile-
Chronica MSS. Prov. Bohemiæ. „ ſia, ſub Epiſcopatu Wratislavienſe, verſus Luſatiam. Alphonſum V.
„ Luſitaniæ Regem ſub invocatione ſancti Antonii pro Minoritis Cœno-
Ad ann. 1477. „ bium Turrium Veterum, Luſitanis *de Torres Vedras*, regia & pia li-
„ beralitate fundaſſe noſtri Annales habent: præſtabit autem animadver-
„ tere eam ædem vocari *de Veratoio*, a loco ſcilicet in quo ſita eſt: Locus
Ad hunc annum. „ autem Turrium-Veterum ab Ulyſſipone in Septentrionem ad ſex para-
„ ſangas hiſpanicas, nec nimium a Mari Oceano diſtans, eſt Oppidum
„ pernobile & antiquum in Diœceſi Ulyſſiponenſi, extra quod in clivo
Monum. MSS. Prov. Algarbi. „ Montis viſitur Vicus, qui vulgo *Veratoio* nuncupatur, apud quem no-
„ ſtrorum Fratrum Cœnobium extructum, ultimis temporibus ejuſdem
„ Vici nomine ſpecificatur: Locus aeris, ſoli & aquarum bonitate, ſalu-
„ britate ac ſertilitate commendabilis, ſylvis frugiſeriſque arboribus in
„ ſolitudine dives, tanta amœnitate & jucunditate præditus eſt, ut animos
„ facile recreet, & ad pietatem Cœleſtiumque contemplationem excitet.*
* *Margarita Comitiſſæ mortis deſcriptionem, & Conventus Cavenſis relationem P. Meliſſanus ex integro excerpſit a P. Waddingo, & nos expungimus ab ipſo. Marian. in Chronic. l. 4. c. 23.* „ Apud Montem-Feltrum in Italia, Blanchus ejuſdem loci, Tertii Ordi-
„ nis ſancti Patris Franciſci alumnus devotiſſimus, virtutibus conſpicuus,
„ & glorioſis meritis cumulatus, hoc anno MCCCCLXX. XII. Kalend. Ju-
„ nii ibidem moritur, ut in quadam Tabula Sanctorum Tertii Ordinis de-
„ ſcribitur. Venerabilis Soror Domitilla Peruſina, Virgo & præclara
„ Sponſa Chriſti, ubi earum duodecim fuit, quas beata Margarita Sul-
„ monenſis Monaſterio Fulginatenſi, ſecum Romam pro Reformatione
„ Monaſterii ſanctorum Coſmæ & Damiani conduxit. Fuit poſtea Abba-
„ tiſſa, & perfectiſſima ſanctæ Claræ Sectatrix: Migravit in Cœlum
„ XIV. Kalend. Maii hujus anni, ut Marianus ſcripſit. In Monaſterio
Soror Felix de Onuph. & Matia de Lando. „ ſanctæ Annæ Fulginei Veneranda Soror Felix de Onuphriis, cum
Jacobill. de San Fulginat. ad an. 1470. „ ſingulari obſervantia & ſanctitatis fama Deo viveret, X. Kalend. Septem-
„ bris ad Deum evolavit. Maria de Lando, Soror Catarinæ Emanuelis de
Idem in vita B. Angelinæ Corbaviæ. „ Lando, fundatricis Monaſterii Clariſſarum Salutationis beatæ Mariæ
„ Virginis oppidi Rexenſis, religioſiſſime vivens, glorioſe vitam cum
„ morte, in æternum cum Chriſto victura commutavit, ut ait Quintana.
„ Digne commemoratis Sororibus Clariſſis præfatis, licet admodum brevi
„ ſtylo, non prætermittemus Reverendiſſimum P. fratrem Joannem *de la*
Joannes de la Biche occumbit. *Monum. MSS. Prov. Turoniæ majoris.* „ *Biche*, ſive *Bichot*, cujus alibi mentionem fecimus: hic enim doctrina &
„ Religione pollens, ad Dioſpolenſis Eccleſiæ inſulas a Nicolao V. ſubli-
„ matus, Minoritici ſtatus eo in honore numquam oblitus, hoc anno ad
„ Paſtorum Principem Jeſum immarceſcibili corona gloriæ donandus,
„ properavit.

AR-

Anno Christi 1471.	Pauli II. anno 7.	Friderici III. Imp. anno 32.	Religionis Minorum anno 264.

ARGUMENTUM.

Moritur Paulus II. succedit Sixtus IV., cujus Pontificatus primordia referuntur. Multa Observantibus largitur. Florent Fortunatus a Perusio: aliique viri docti. Magno prædicat fructu Bernardinus Feltrensis. Moritur Antonius Stronconius. Creantur Episcopi. Construuntur Cœnobia.

I. PAULUS Pontifex postquam annis sex, mensibus decem, diebus viginti sex, Ecclesiam vario hominum judicio rexisset, v. Kalend. Augusti, secunda noctis hora, apoplexia correptus, nemine vidente, in cubiculo solitarius decessit. Successit Franciscus Savonensis, de Ruvere communiter (ab Aurea passim a Mariano) cognominatus, Cardinalis sancti Petri ad Vincula, olim Generalis Minister Ordinis Minorum, Sixti IV. assumpto nomine, eo quod sancti Sixti die festo ingressi sunt Patres Conclave, ex quo Pontifex maximus prodivit. Incidit electio in v. Idus Augusti, & coronatio in VIII. Kalend. Septembris ante fores Basilicæ Principis Apostolorum, per manus Roderici Borgiæ S. R. E. Archidiaconi & Vicecancellarii. Moritur Paulus II. Succedit Sixtus IV.

II. Ut sunt varia hominum judicia, ita circa hujus Cardinalis ad Pontificatum assumptionem diversæ erant circa merita sententiæ: affectus, quo vult, hominem rapit. Qui ultorem scelerum, aut parum sibi propitium senserunt, uti erat Joannes Michael Brutus Florentinus, & si quis alius, prorsus dignitate indignum deprædicant; alii dignissimum proclamant. Summopere hominem laudat Onuphrius Panvinus, gravis sane scriptor, & vir ingenuus. Philippus Bergomensis virum certe ingenio tantum quantum hæc tempora, quæ præcipue doctrinis viguere, parere potuerant; & tam in Pontificatu, quam ante, mitissimæ consuetudinis, & vitæ continentissimæ fuisse narravit. Jacobus Meyerus virum doctum & probum appellavit, de quo hi extant versiculi Varia hominum de Sixto judicia.

Non aurum, non Nobilitas, sed vivida virtus,
Xiste, tibi Imperium Pontificale dedit.
Discite ab exemplo, quantum valet ardua virtus:
Hac meruit Xistus Pontificale decus.

III. Eugenii porro, Nicolai, Calixti, Pii & Pauli creditoribus una concurrentibus, cum initio Pontificatus pecuniæ deessent, gemmis, quas Paulus II. in Thesauris reliquerat, divenditis, satisfieri voluit. Ærario enim inani, nonnisi quinque millia aureorum, præter hominum opinionem, invenit. Auditis deinde publice & perbenigne Oratoribus Christianorum Principum, qui Sedi Apostolicæ & ipsi obtemperaturos se, quemadmodum mos est, pollicebantur, manum misit ad fortia, omnesque Christianos Principes adversus Turcas statuit convocare. Rhodianos milites, auctore Joanne Baptista Ursino, magno Militiæ Magistro, ut in hoc opus cum Ferdinando Siciliæ Rege, & Venetis irirent societatem; Galeatium Sfortiam, Mediolanensem Ducem, ut ad Orientis partes, præsertim vero Chium insulam, variis injuriis & barbarorum latrociniis obnoxiam, firmandam atque propugnandam, instrueret. Genuenses multis privilegiis, beneficiis & ornamentis in idipsum excitavit. Ferdinandum supradictum ut septemdecem triremes sub Paulo II. in bellum hoc instructas, simul cum Pontificis navibus, quas Nicolaus Modrusiensis Episcopus ductabat, & cum Veneta classe, cui Petrus Mocenicus præerat, in Orientem mitteret, con- Sixti Pontificatus initia. Magna molitur adversus Turcas. *Bosius in histor. Rhodior. lib. 9.* *Bizar. in histor. Genuen. lib. 14.*

conceſſis eondonatiſque variis cenſibus, quos Sedi Apoſtolicæ pendebat. Scripſit pariter Friderico Imperatori, Ludovico Regi Franciæ, Renato Siciliæ, Caſimiro Poloniæ, Matthiæ Hungariæ, Jacobo Scotiæ, Henrico Caſtellæ, Joanni Aragonum, Alphonſo Luſitaniæ, Franciſco Duci Aquitaniæ, & aliis Principibus Europæis, ne tam ſanctum opus impedirent, quinimo potius modis omnibus adjuvarent; quandoquidem res Chriſtiana ubique a Turcis in ſummum diſcrimen videretur adducta, amiſſis jam, ut Bernardus Juſtinianus Orator Venetus apud Sedem Apoſtolicam numerabat, duobus Imperiis, quatuor Regnis, viginti duobus Provinciis, & ducentis urbibus inter continentes Principum Chriſtianorum inſaniſſimas ſeditiones.

Ex variis epiſtolis Sixti.

Papien. epiſtol. 407. & 408. Diaria Sixti.

IV. Reverſa interim ab Oriente poſt felices aliquos ſucceſſus claſſe Pontificia, Sixtus Cardinalem Oliverium Caraffam Neapolitanum claſſi, copiis primo Vere ad ſacrum bellum ſubmittendis, Legatum in Patrum conſeſſu deſignavit. In ſupplementum claſſis aliquot triremes ad Tyberina littora, infra ſancti Pauli Baſilicam ædificari inſtruique præcepit. Ad evocandos Chriſti cruce inſigniendos milites, tota Italia Prædicatores deſtinavit. Conquirendis pecuniis, comeatibus neceſſariis, Collectores & alios Miniſtros deputavit.

Succurrit regno Boemiæ nutanti *Cromer. de reb. Polon. lib. 27. Bonfin. dec. 4. lib. 2.*

V. Ad hæc, Boemiæ Regnum in varia ſtudia poſt Georgii Podiebratii mortem vehementer diſtractum, quibuſdam proceribus Matthiam Hungariæ Regem a Paulo Pontifice datum, aliis Fridericum Imperatorem, aliis unum ex filiis Podiebratii, majori vero parte Waldislaum Polonum, Caſimiri Regis filium, expoſtulantibus, unire & pacificare curavit, electumque poſtremum, quibus potuit, modis adjuvit, ut gentem erroribus Joannis Rochizanæ, & Podiebratii iniqua poteſtate infectam repurgaret, & Catholicam fidem multis annis fluctuantem per univerſum regnum ſtabiliret. Grave etiam bellum contra Matthiam Hungariæ Regem, a multis Regni proceribus ejus dominatus pertæſis, & Caſimirum prædicti Caſimiri Poloniæ Regis filium, Regem cupientibus, certo certius movendum antevertit, miſſo ad Caſimirum Patrem Nuncio, qui penes eum pacis & controverſiarum repoſuit arbitrium. At ille prudenter perſpiciens filii res non reſpondere ſpei ſuæ, & pollicitationibus Hungarorum, procerum diſſidentes animus compoſuit, & a Matthia ingruentem procellam divertit.

Et Hungariæ.

Fr. Petrus Riarius creatur Cardinalis.

VI. Duos autem Cardinales XVIII. Kalend. Januarii creavit, quorum primus erat frater Petrus Riarius, Savonenſis, mediocri, ſive ut aliis placet, nobili natus familia, ex ſorore nepos, ab ipſo a teneris annis in Ordine ſancti Franciſci educatus, quod maledicis & odio habentibus anſam dedit aſſerendi, ab eo etiam fuiſſe prognatum. Hunc habuit in Conclavi cubiculo præfectum, & induſtrium ad Pontificatum promotorem; ſumma enim dexteritate mirifque artibus animos conciliavit Beſſarionis Cardinalis Niceni, Latini Urſini, Roderici Borgiæ Vicecancellarii, & Franciſci Gonzagæ, quibus magnopere ſuffragantibus, Sixtus ad Pontificatum evectus eſt. Tanti beneficii memor, illis magna conceſſit; hunc Epiſcopatu Tarviſino decoravit, & mox Cardinalem tituli ſancti Sixti creavit, quem etiam aliis dignitatibus magniſque proventibus affecit. Ille impinguatus, incraſſatus, dilatatus recalcitravit. Oblitus enim qualis fuerit, & quam auſterum profeſſus Inſtitutum, in omnem ſe profudit luxum & voluptatem, eum ſummis Principibus rerum majeſtate & prodigalitate decertans. Quæ vero per biennium & amplius, quo in Cardinalatu vixit, feciſſe perhibetur, ſub mortem collecta opportunius referemus.

VII. Se-

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 264.
1471.	anno 7.	anno 32.	

VII. Secundum ex fratre nepotem Julianum de Ruvere de Albizzola, Epiſcopum Carpentoratenſem, creavit Sixtus Cardinalem ſancti Petri ad Vincula, qui poſtea Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, Major Pœnitentiarius, & ſummus Pontifex Julius II. renunciatus eſt, & præter hos plures alios conſanguineos, vel ſacro Collegio adſcripſit, vel præcipuis reipublicæ muneribus condecoravit, aut matrimonii fœdere magnis Principibus copulavit. Erat enim ſuorum amantiſſimus & indulgentiſſimus, eorumque cauſa, multa præter fas egiſſe & conceſſiſſe, vitio illi datum eſt. Heu quantum morbus iſte invaluit, & quam pauci ſunt, qui ſe hac animi paſſione liberos eſſe vere glorientur! Miſera ſane multorum conditio, qui licet alias immaculatam ducant vitam, turpe tamen gloriæ ſuæ crimen inferunt nimio parentum affectu. Atqui turpius illud apparet in viris ſacris, & ſacrorum Principibus, qui illius ſe diſcipulos eſſe profitentur, qui propter noſtram inſtructionem ita placuit interrogare ſacratiſſimam Genitricem: *Quid mihi & tibi eſt mulier*? Non utique velut indignans aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam coram diſcumbentibus, ita locutus eſt, ſed propter eos, qui animarum curam erant ſuſcepturi, ut in dignitatum culmine conſtitutos jam non amplius ſollicitet carnalium cura parentum, & neceſſitudines illæ non impediant, nec commaculent ſacræ functionis debitum exercitium. Nonne & in alio loco cum ſuggereret ei quidam, quoniam Genitrix foris ſtaret cum Fratribus quærentes ei loqui, optimus Magiſter reſpondit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt Fratres mei?* ad confuſionem ſcilicet illorum, *Qui tam carnaliter & inaniter ſuper carnis ſuæ propinquis ſilent eſſe ſolliciti*. Porro aliud erat Sixti vitium, nimia in largiendo, quæ petebantur, facilitas; cum enim admodum liberalis eſſet, neque ulli prorſus negare quidquam ſciret, plurimis eaſdem gratias importune rogantibus ſæpe conceſſit. Qua de cauſa, ut litium & diſcordiarum initia tolleret, ſubſignandis libellis Joannem de Monte, mirabilem virum, in aula exercitatum & induſtrium, ſeverioriſque ingenii præfecit, quod non rite conceſſa inducere poſſet. Reliqua quæ in Pontificatu geſſit, per ſingulos annos deſtribuemus.

Sixtus conſanguineis indulgentiſſimus.

Vitium hoc multorum.

Joan. 2. 4.

Marci 3. 33.

Bern. ſerm. 2. *de nupt. Cana Gal.* Sixti facilitas in concedendo.

VIII. Paulo poſt ejus aſſumptionem ad Pontificatum, die ſcilicet XVII. Auguſti, veneraturus & congratulaturus Marcus Bononienſis Vicarius Generalis acceſſit, multaſque ab eo gratias impetravit, videlicet ut in univerſis domibus tam Fratrum quam Sororum ſanctæ Claræ & Tertii Ordinis, omnibus & ſingulis ſibi ſubditis, Pontificis nomine Apoſtolicam impertiri poſſet benedictionem. Ut Fratres omnes & Sorores ſemel in vita plenarie poſſent abſolui. Ne cogerentur Fratres admittere curam Monaſteriorum Clariſſarum, aut Tertii Ordinis Conventualibus ſubjectorum. Die x. Septembris, ſupplicante eodem Vicario, ad ſerenandas Fratrum conſcientias ratificavit ſeu validavit omnes confeſſiones & abſolutiones, votorumque diſpenſationes per Fratres factas, in quibus potuit eſſe aliquis defectus procedens ex ignorantia, inadvertentia vel rerum imperitia, non tamen ſpectans ad eſſentialia ſacramenti. Secundo, quod ubique libere prædicari & commendari poſſit Indulgentia Portiunculæ, non obſtante reſtrictione Indulgentiarum, & proceſſu annuali. Tertio, revalidavit bullam concordiæ inter Conventuales & Obſervantes, a Paulo II. editam ex conſenſu ipſius Sixti, dum eſſet Miniſter Generalis, & Marci, dum ſecundum eſſet Vicarius Generalis. Quarto, liberam reliquit diſpoſitionem Prædicatorum Vicario Generali, etſi ſtatuerit, optimos quoſque deputare cruciatæ prædicandæ. Quinto, declaravit gratias omnes, vel quæcumque privilegia Fra-

Multa largitur Obſervantibus. *Ex reg. Ordinis.*

tribus concedenda, ſuperiorum arbitrio eſſe regulanda. Sexto, conceſſit auctoritatem abſolvendi ab Eccleſiaſtica cenſura omnes ſibi ſubditos, aliquando ingreſſos Monaſteria Clariſſarum, aut ſancti Dominici. Septimo, multa indulſit Domui Sororum Tertii Ordinis Placentinæ in Italia, Obſervantum regimini ſubjectæ, poteſtatemque conceſſit cum Bizochis ſeu Sororibus Tertiariis, quæ Religionem ingredi voverunt, & tria vota eſſentialia emiſerunt, diſpenſandi, ut in domibus ſuis permaneant, & prædicta vota obſervent, dummodo benevole non admittuntur in Monaſteriis.

IX. Die XXVII. Octobris eidem Vicario Generali tribuit facultatem, ut vel ipſe, vel ab eo delegati, omnes Fratres, Sorores & Dominas Tertii Ordinis in congregatione viventes, ejus curæ commiſſas, ſemel abſolverent ab omnibus cenſuris & caſibus, nullo excepto, Sedi Apoſtolicæ reſervatis, & indulgentiam plenariam in articulo mortis conferrent. Secundo, conceſſit omnibus confeſſariis poteſtatem abſolvendi excommunicatos per proceſſum annualem, qui hoſtiliter invaſerant terras Eccleſiæ, dummodo non fuerint principales auctores aut ſuaſores. Fratrem etiam Petrum Capriolum (quem Vicarius Generalis Modoetiæ in Comitiis Provincialibus Mediolanenſibus die IV. Maii celebratis, benigne excepit, condonatis pœnis omnibus injunctis) apud ſe contra Superiores Ordinis & Fratres Provinciæ Mediolanenſis tumultuantem, per Cardinalem Beſſarionem Ordinis Protectorem juſſit abſque mora in dictam Provinciam remitti, & ſuperiorum correctioni committi.

Fortunatus a Perufio componit Senenſes & Florentinos.

X. Magno in pretio habuit Sixtus Fortunatum a Perufio, Regularis Obſervantiæ celeberrimum Concionatorem, a præcipuis Italiæ Civitatibus multis precibus a Pontifice expetitum, ut ab ejus ore Dei verbum exciperent. Hoc anno per ipſum decidi voluit gravem & periculoſam controverſiam inter Florentinos & Senenſes exortam. Singulis annis invenio varia Pontificia diplomata ad illum miſſa. Commiſſionis iſtius anni hoc eſt inſtrumentum.

Dilecto filio Fortunato de Perufio, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia.

Ex autographo.

Dilecte filii, ſalutem &c. Ut controverſia, quæ inter Communitatem Montis-politiani, & Ranciani, occaſione confinium vertitur, & ſuper qua nuper ad te ſcripſimus, terminetur ac ſopiatur, volumus & tibi mandamus, ut ſtatim, poſipoſitis omnibus, ad loca ipſa te perſonaliter conferas, ac differentiæ hujuſmodi cauſam audias & intelligas, necnon compromiſſum deſuper per Commiſſarios tam Florentinorum, quam Senenſium nomine earumdem Communitatum, ſive ipſarum ſindicos & procuratores in te factum acceptes, & omnino acceptare debeas, & juxta tenorem compromiſſi prædicti laudum feras, differentias decidas, & ſilentium perpetuum deſuper imponas, ne ſcandala, quæ veriſimiliter, ſtante hujuſmodi controverſia evenire poſſent, ſubſequantur: habilitantes te per præſentes ad Compromiſſum ipſum acceptandum, & laudum ferendum, non obſtante quodam indulto felicis recordationis Clementis Papæ IV. prædeceſſoris noſtri in contrarium diſponente, quod in aliquo prædictorum intendimus non obſtare, necnon quibuſcumque brevibus tibi directis ut ad alia loca te conferas, quibus interim poſipoſitis, volumus ut prius differentias hujuſmodi audias & decidas, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud ſanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die III. Decembris MCCCCLXXI. Pontificatus noſtri anno I.

XI. Fuit

Anno Christi 1471.	Pauli II. anno 7.	Friderici III. Imp. anno 32.	Religionis Minorum anno 264.

XI. Fuit hoc anno Inquiſitor in partibus Senarum & Piſarum Magiſter Laurentius, qui poſtea anno MCCCCLXXIII. electus eſt Miniſter Etruriæ : Fratri Ferdinando . . . . . ſeptuagenario, qui per annos triginta & amplius Cathedram Theologiæ in Univerſitate Valliſoletana rexerat, concedit hoc anno Paulus Pontifex pridie Non. Maii, ut cathedram retineat, & ſtipendium percipiat, non obſtante ſenectute. Fratri Bernardo de la Sega Veronenſi, Regularis Obſervantiæ, viro docto & religioſo, Confeſſario & Magiſtro nobilis viri Friderici de Gonzaga, primogeniti Ludovici Marchionis Mantuani, ab eodem Pontifice indultum eſt, ut Mantuæ in obſequium prædicti Principis poſſet commorari. Hujus Friderici ſorori Cæciliæ de Gonzaga, hoc anno Sixtus Pontifex licentiam impertit ingrediendi quoties voluerit, cum quatuor honeſtis mulieribus Monaſterium Corporis Chriſti Mantuanum, Ordinis ſanctæ Claræ, eamque vocat Sororem Tertii Ordinis ſancti Franciſci, nobilis viri Ludovici de Gonzaga, Marchionis Mantuani filiam, & Franciſci ſanctæ Mariæ Novæ Diaconi Cardinalis ſororem. In Hiſpania, Beatrix de Luna, nobiliſſimo orta genere, Monaſterii de Tordeſillas, Palentinæ diœceſis, Ordinis ſanctæ Claræ, inſolita translatione præficitur ab eodem Sixto in Abbatiſſam Monaſterii ſanctæ Mariæ de Traſtamares, Tiraſonen. diœceſis, Ordinis Ciſtercienſis.

Fr. Laurentius Inquiſitor Senè. & Piſanus.
Fr. Ferdinan. Cathedraticus Valliſolet.
Fr Bernardus de la Sega.
Cæcilia Gonzaga Tertii Ordinis.
Beatrix de Luna Clariſſa.

XII. Hoc anno cumulatiſſimo fructu, ingentique animarum lucro Bernardinus Feltrenſis, jubente Marco Vicario Generali, quadrageſimales habuit conciones Piſchariæ ad Lacum Gardæ * in Lombardia Tranſpadana, oppidi populoſi & elegantis. Arcis Præfectus e domo Vitturina vir nobilis, magno in pretio habuit adoleſcentem, ſed facundum Concionatorem, atque ut in fortalitio militibus præſidiariis concionaretur, frequenter invitabat. Paulo poſt electus Feltri Guardianus, conſanguineorum amorem ita temperavit, ut neminem inviſerit, neque in Cœnobio adeo familiares habuerit, ut tempus ſuo muneri & Monaſticis functionibus neceſſariuni inutiliter in illorum converſatione permiſerit elabi. Fratrum ſibi commiſſorum curam adeo exacte ſuſcepit, ut propriis humeris panem, vinum, obſonium oſtiatim collecta perferret. Mortali fiſtulæ ulcere per annos octo vehementer divexatus, patris cura, & inſignis chyrurgi Salomonis de Vidore perito medicamine tamdem liberatus, majores vires animumque ſuſcepit Dei verbum diſſeminandi, populoſque ad pœnitentiam convocandi, quod per univerſam Italiam incredibili præſtitit incremento.

Legenda MSS. Bernardin. Feltren. prædicat Piſchariæ.
* *Melius* Benacum.
Factus Guardianus uti ſubditos regebat.

XIII. Deceſſit hoc anno frater Antonius Laicus a Stronconio, oppido prope Interamnem in Umbria. Patre Vico, Matre Sabella, piis & Deum timentibus, Tertii Ordinis ſancti Franciſci ſectatoribus creatus, in tenera ætate religioſam parentum diſciplinam fructuoſe excepit. Etenim antequam ſciret peccare, novit pœnitere, corpuſculum aſſiduis variiſque excrucians moleſtiis. Pietate & virtute mirum in modum exceſcens, anno ætatis duodecimo decrevit ad ſeverum Religionis aſylum confugere. Stronconii adiens Guardianum, ut in ſuum admitteret conſortium, & repulſam propter teneram paſſus ætatem, iterum atque iterum rediit, ſummiſque precibus & lacrymis inſtitit, ut reciperetur. Ea interpellavit efficacia, ut tamdem fuerit admiſſus, & paulo poſt miſſus in Etruriam ad patruum ſuum Joannem de Stronconio Feſularum Guardianum, & beati Paulutii de Trincis in illis partibus Commiſſarium. Ad nepotis conſpectum Joannes gaviſus, doluit ante tempus ſuiſſe receptum, vireſque corporis ſtatui, quem aſſumpſit, laicali non adeo proportionari. Regularibus imbuendum diſciplinis tradidit fratri Thomæ Florentino, ſeu de Scarlino, cujus virtutem &

Marian. l. 5. c. 37.
Marc. 3. p. l. 5. c. 19.
Gonz. in Prov. S. Franc. Conv. 2.
Fr. Anton. Stronconius.
Fit Minorita.

Tom. II. ann. 1447. n. 20. & ſeqq. Virtutum primordia.

ſanctitatem alias enarravimus, eumque æmulatus diſcipulus, duodecim annorum inſtructione mirifice profecit, Magiſtri & patrui virtutum ardentiſſimus ſectator, ab eorum conſortio non potuit divelli, neque in patriam remitti, ut ab infirmitatibus ex labore viros ſuperante contractis, curaretur, malens apud eos ægrotare, quam alibi valere. Morbos itaque occultabat, & ultra quam poterat, humilia quæque obibat officia, donec tandem Dei gratia perfecte convaluit.

XIV. Miſſus Magiſter ad Tuſciæ maritima & inſulam Plumbini, ut Fratricellos, peſſimum hæreticorum genus, inde effugaret, ſocium adſcivit Antonium, rogatuſque a Corſicæ Rectoribus, ut Fratres aliquos Obſervantiam Regularem docturos, & domicilia ſtructuros eo deſtinaret, cum Fratribus Mariano Cluſino, & Leone de Petra Bugni Curſi eumdem tranſmiſit. Ea in inſula per aliquot annos commoratus, gentem efferam plurima virtute probiſque moribus in ſui venerationem attraxit. Ædificatis cœnobiolis, multiplicatiſque Sodalibus, revocatus eſt in Etruriam, inde in patriam amandatus, atque a Provincia Umbriæ non amplius receſſit. Indevotis & ſolitariis ut plurimum vivens Eremitoriis, humilitati adeo ſtuduit, ut vilia quæque lubenter obierit officia, & omnibus ſe reputaret inferiorem; obedientiæ, ut nullum in longum protraheret præceptum, ſed ſtatim adimpleret; paupertati, ut ſolum habitum, cingulum & femoralia geſtaret; abſtinentiæ ut toto ferme vitæ tempore panem dumtaxat, aquam & abſynthium in cibum admitteret, & a feria quinta majoris hebdomadæ, uſque ad diem Reſurrectionis Dominicæ nihil penitus manducaret. Annis quatuordecim cum guſtu colluctatus, & abſynthium abhorrens, tamdem ſuperavit, amaramque herbam deinceps dulcem probavit. Plurimis annis in Conventu Carcerum ad montem Subaſii ſupra urbem Aſſiſii commoratus, etſi valde ſitiret, iens vel rediens a Civitate, numquam voluit bibere ex fonte Maggio in itinere omnibus obvio, ea quandoque ſibi illudens arte, ut palmo exceptos, lingua latices lingeret, & prorſus expueret.

XV. Etſi vero erga ſe hujuſmodi exercebat rigores, erga alios erat humaniſſimus, & quibus poterat modis omnium Fratrum indigentiis occurrebat. Hortabatur ſocios, ut de appoſitis & a ſe mendicatis cibis manducarent; cumque verecundarentur coram abſtemio vinum bibere, coram rigidiſſime jejunante comedere, dicebat, panem arctum & aquam brevem eum abſynthio ſibi ſufficere, aliorum vero complexiones plura requirere. Nudis pedibus abſque ſandaliis media hyeme per nives, lutum, loca aſpera & petroſa incedens, adeo pedibus obcalluit, ut calli fiſſuras ſubula conſuerit. Paucis dormiebat horis, maximam noctis partem in Eccleſia tranſigebat, nihil corpori indulgens, ſed in omnibus adverſans, laboribus & ærumnis oppreſſum, continuo fatigabat; ſi quod ſupererat tempus humilioribus officiis & Fratrum obſequiis, conficiendis impendebat crucibus ligneis, quas per vias publicas diſponebat.

Ejus patientia in adverſis.

XVI. Puritati corporis & ſenſuum ſummo invigilabat ſtudio, integram uſque ad mortem cuſtodiens virginitatem. Ab ipſa pueritia ita abhorruit verba minus honeſta, ut proferentes acriter incuſaret, aureſque, ne audiret, occluderet, conſortium e longe fugiens eorum, quos minus honeſtos reputabat; tamquam virgo in thalamo recluſa, ne degeneri depravaretur affatu, in cubiculo ſolus orabat vel laborabat, Fratrum etiam conſodalium devitans alloquium, ne furtivum aliquod obreperet inquinamentum. Suo itidem timens ſermoni, neque verba impertinentia aut ſuperflua, ſed neque vix neceſſaria proferebat, veritus, ne quidquam minus decorum,

rum, minuſve honeſtum excideret. Licet quæſtuarii addictus officio oſtiatim mendicaret, ſub mortem religioſo viro palam affirmavit, per annos quadraginta ſe nullius fœminæ vultum conſpexiſſe, neque ullam ſe ex facie cognoſcere, ſed omnes quas oportebat, ſe demiſſis vel clauſis oculis allocutum. Caritate erga proximum ardenter incenſus, nullum refugiebat periculum, modo periclitanti aut indigenti poſſet ſubvenire; infirmis & ſenibus exinde compaſſus, ea providebat cura, qua filiis pater, nec quieſcebat, donec eorum neceſſitatibus provideret.

XVII. Adverſa quæque & tribulationes incredibili tolerabat patientia, neque de moleſtiis pro Monachorum more illatis, audivit quiſque aliquando conquerentem. Similiter hortabatur alios, ut dura quæque pro Chriſto ferrent æquanimiter; & ſi quem audiebat dicentem injurioſe, & præter æquum aut rectum ſecum a prælato actum, ad patienter ferendum his verbis excitabat: *Bibe fili: bibe animoſe poculum iſtud amarum, in dulciſſimum poſtea convertendum.* Alteri impatientius conquerenti dicebat: *Ne tantumdem turberis fili, quieſce, ſedato perfer animo, quas Deus immittit afflictiones: per hanc ſemitam tribulationum ſtatuit Deus ut incedas, ad aliam non licet declinare.* Zelo ſtrictiſſimæ paupertatis, quo hujus familiæ conditores ardebant, incidit aliquis in horto vites triginta, quod cum ægre ferret Superior, & advenientem Provinciæ Vicarium interpellaret, ut Antonium, de quo major propter ardentiorem paupertatis amorem, erat ſuſpicio, graviter corriperet, ille tacuit, nec quidquam in ſui protulit tutelam, ſed patienter tulit ſe aſperrime reprehendi, & gravem injunctam pœnitentiam alacriter ſubivit.

XVIII. In oratione & contemplatione aſſiduus, omnia removebat obſtacula, ut liberius cum Deo poſſet negotiari. Ad chorum cum clericis, dum licebat, ad ſingulas conveniebat horas, ſuaſque ferventer effundebat preces, recto ſemper corpore, neque in parietem inclinans, neque in ſedilia recurvans, neque ulli prorſus innixus fulcimento. In tirocinio edoctus, millies interdiu & noctu flexo poplite Deum venerari, per omnem vitam hanc obſervavit conſuetudinem. Ex pſalmodia, & ſolemnibus Divini cultus cæremoniis, magnam reportabat conſolationem, in feſtiſque præcipuis tam abunde interno ſovebatur gaudio, ut per triduum corporalem cibum negligeret. Cantores & Chori Miniſtros ſæpe excitabat ad Dei laudes concinna & digna majeſtate celebrandas, nec quidquam ei gratius Eccleſiaſtico decore & ſolemni Divini officii concentu. Miſſas, quas poterat, quotidie audiebat, neque ab aurora uſque ad meridiem inceſſanter auditis ſatiabatur; ſi plures per integrum diem eſſent dicendæ, omnibus vel inſervire vel intereſſe cupiebat; neque de cibo aut potu cogitabat, aſſerens, conſolationem omnium hanc maximam eſſe, adeoque cœleſti pane, vel a lunge deguſtato animam refocillari, ut alio cibo non indigeret. Quotieſcumque corpori Dominico communicabat, toties diligentiſſime ſe præparabat, omniumque Sodalium preces expoſcebat, ut digne huic aſſideret convivio, rogans inſuper genibus flexis, ut ſi quid in ipſos peccarat, ignoſcerent. Continua oratio & Dei cultus.

XIX. Omnibus denum factus virtutis exemplar, multa ſpiritu prophetico prædixit. Rogavit quædam mulier Aſſiſias, ut pro mariti Aquilam ituri ſoſpitate oraret. Cui ille: *Perſuade viro tuo ne hoc iter ſuſcipiat, aliter in regreſſu morietur.* Contempſit ille ſalutare conſilium, pauloque poſt reditum, ex hac vita deceſſit. Parentibus cujuſdam adoleſcentis imminentem filii mortem ex vulnerato capite, & aperto cranio deplorantibus prædixit, non moriturum, citoque convaluit. Fœminæ clauſi jam uteri, ætate prove- Variæ prædictiones.

ctæ,

ctæ, filios quinque ſe perdidiſſe ploranti, dixit Dominum adhuc ſextum conceſſurum, ſed acceptæ gratiæ breve fore ſolamen. Concepit, peperit, poſt paucos annos etiam hoc ſenectutis ſolatium amiſit. Aſſiſiates, dum in monte Subaſii moraretur, frequenter monebat ut ſe cruci pararent. Dum illi quærerent, quid per hanc crucem intelligeret? reſpondebat, mortis crucem & tribulationem præſoribus eſſe; moxque ſecuta eſt horribilis peſtis, quæ magnam populi partem conſumpſit. Magnam tribulationem & ſciſſuram in Ordine futuram prænuntiavit, eamque brevi ſuo tempore timens immittendam, dixit, ſe ſibi præparaſſe neceſſaria, ut a facie terribiliter graſſantis fugeret in deſertum, ibique lateret, donec malum ceſſaret. In ſpiritu tamen ſibi revelatum eſt poſtea, propter orationes Dei ſervorum, ſupplicium hoc dilatum fuiſſe in tempora poſteriora. Die etiam ſuæ mortis prænunciato, ad deceſſum devote ſe præparavit, omnibuſque ſacramentis rite receptis, obdormivit in Domino Aſſiſii in Cœnobiolo ſancti Damiani, die VIII. Februarii, anno vitæ ſuæ octogeſimo, ab ingreſſu Religionis ſexageſimo octavo.

Moritur ad ſanctum Damianū.

Miracula poſt mortem.

XX. Anno integro poſtquam in communi Fratrum ſepulcro appoſitus eſt, puerulus ſeptennis, Liberator nuncupatus, Jacobi de Hiſpello, eivis Aſſiſiatis, & Peregrinæ filius, die Dominico dum ſub horam veſperarum ad Eccleſiam ſancti Damiani deſcenderet, vidit prodeuntem ex Antonii ſepultura, quaſi faculam ardentem. Aderat trimula puella, quæ pede flammulam, abundantius poſtea prodeuntem, non ſemel repreſſit. Ubi hæc puerulus genitrici, & illa Fratribus enarrat, habito cum beato Jacobo de Marchia, illic tunc commorante, de hac re conſilio, judicatum eſt per flammam ex terra prodeuntem, denotari Antonii ſanctitatem, convenerunt que, ut corpus exhumaretur. Inventum eſt integrum, illæſum, optimum ſpirans odorem, obverſa dextera pulcherrimam vividæ carnis roſam obtendens. Decenti loco collocatum, cœpit magna in veneratione haberi, & miraculis clarere. Nobilem Tertii Ordinis ſectatricem utroque genu magnis doloribus affectam; Juvenculam pede uno, utraque manu contractam, ad ſepulcrum orantes perfecte ſanavit. Mulieres duas, emiſſo voto viſitandi ſepulcri, ab infirmitatibus liberavit. Hujus generis plurima exſcripſit Jacobus Oddo Pernſinus in ſuo Speculo, quæ votivis tabellis & donariis ad tumulum appenſa confirmabantur; vetuſta incendio conſumpta ſunt; multa poſtmodum allata hic conſpiciuntur. Nunc jacet reverenter ſuper Altare collaterale ad dextram Templum ingredientis. Illæſum & incorruptum ego ſub annum MDCXIX. conſpexi.

Mirabilis Dei providentia erga Minoritas. *Marian. citat. Specul. Miner.*

XXI. Sub hoc tempus Benedictus Comes de Monte-bello Ordinem ingreſſus, dum per Lombardiam cum ſocio proficiſceretur, & multa hyeme confuſo itinere, nocte adveniente, quo pergerent, neſcirent, genuflexi Deum precati ſunt, ut viam aperiret, aut errantibus remedium adhiberet. Nocte obſcura campanulam audierunt, ad cujus tinnitum propius accedentes, Monaſterium viderunt, duoſque juvenes ad oſtium prodeuntes, qui benigne receperunt. Summo mane illinc abeuntes, & ad vicinum ſui Ordinis Cœnobium, per Juvenes viam edocti, pervenientes, intellexerunt in toto illius Conventus circuitu per multa milliaria nullum fuiſſe Monaſterium, in quo potuerint pernoctare. Alius Minorita ſenex Franciſcus Bononienſis Neapolim miſſus, ut conciones haberet quadrageſimales, ad ſimiles redactus anguſtias, ad radices cujuſdam montis, fame & labore preſſus, humi ſtatuit illa nocte cum ſocio requieſcere. Sed ecce apparuit eis juvenis, equo inſidens, qui duos porrexit panes & caſeum, ſacculiſque libro-

brorum in ephippiis poſitis, juſſit ut ſequerentur ad caſtrum in ſummitate montis vicinum. Refecti dum ſequuntur, diſparuit ab oculis eorum, & prope Caſtri januam ſuper nives ſuos Sacculos invenerunt. Multa quotidie leguntur & probantur hujuſmodi argumenta ſingularis providentiæ Divinæ erga hujus Inſtituti profeſſores; qui recte interrogari poſſunt: *Quando miſſi ſunt ſine ſacculo & pera & calceamentis in pedibus, an aliquid eis defuit?* Etenim ille propter quem omnia reliquerunt, nihil ſibi reſervantes, peculiarem illorum curam agit: *nihil eos pati finit vel parum vel magnum, ſed ubique adeſt muniens & circumvallans eos, facienſque ut omnia eis affluant ubertim.* *Luca 22. Chryſoſt. pecul. homil. in c. 16. ad Roman.*

XXII. Creatus eſt hoc anno a Paulo Pontifice Epiſcopus Rachluren. in Hibernia, ſub Archiepiſcop. Armachano, Thomas Ingilby ſacræ Theologiæ Profeſſor, per obitum Joannis, III. Nonas Aprilis. Sixtus vero creavit Epiſcopum Tarviſinum ſub Patriarcha Aquilejen. fratrem Petrum Riarium nepotem, paulo poſt Senogallien. in Piceno, ſub Pontifice Romano, deinde Minaten. in Gallia, ſub Archiep. Bituricen. poſtea Archiepiſcopum Florentinum, demum Patriarcham Conſtantinopolitanum. Omnia hæc, multaſque legationes, dignitates & divitias infra biennium, quo in Cardinalatu vixit, aſſecutus Petrus, in eam prorupit vitæ libertatem, quæ ultroneum & nimium avunculi erga eumdem redarguit affectum. Vita functus eſt hoc anno Kalendis Octobris in Conventu Montis-Lucii, provinciæ Burgundiæ, Franciſcus Blonde Vicarius Generalis familiæ Ultramontanæ. Succeſſit in regimine juxta proviſionem bullæ Eugenianæ, Simon Maſſei Vicarius Burgundiæ, qui convocatis Vicariis Aquitaniæ & Turoniæ, ſtatuit pro electione futuri Vicarii Comitia celebranda Baſileæ, provinciæ Argentinæ. Obiit etiam hoc anno in Conventu Senenſi frater Laurentius Juſti, ſacræ Theologiæ Magiſter, celeberrimus Prædicator, pietate & litteris inſignis.

Fr. Thom. Epiſcop. Rachluren.

Fr. Petrus Tarviſin.
Idem Senogallien.
Minaten. Arch. Florentin.
Patriarc. Conſtantinopol.

Franciſcus Blonde moritur.

Et Lauren. Juſti.

XXIII. Multa hoc anno conſtituta ſunt Minoribus domicilia. Extra muros Caſtri Podii Donadei, vulgo *Poggionativo*, diœceſis Sabinenſis, conſtitit olim Monaſterium ſancti Pauli Monialium, Ordinis ſancti Benedicti, quod ruinæ proximum & incolis deſtitutum, unitum eſt Capitulo Baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe. Caſtri Univerſitas, & Capitulum prædictum, cujus temporali dominio prædictum Caſtrum tunc erat ſubjectum, rogarunt Paulum Pontificem, ut liceret illud in Conventum Minorum converti. Annuit Paulus paucis ante obitum diebus, IX. ſcilicet Kalendas Auguſti; ſed cum ſuperveniente morte, de hac re litteræ non fuiſſent confectæ, ſuas dedit Sixtus hoc anno, VIII. Kalend. Septembris, quibus ratam voluit Pauli conceſſionem. Commodus eſt Conventus, paretque Fratribus ſtrictioris Obſervantiæ Provinciæ Romanæ.

Conv. Donadei. *Lib. 11. bullar. Sixti fol. 116. Gonz. in Provin. Roman. Conv. 18.*

XXIV. In eumdem modum, cum idem Paulus XV. Kalend. Junii facultatem conceſſiſſet Nicolao Bartholomæi de Monte-Lupone Laico, Firmanæ diœceſis, in quodam ſuo prædio infra territorium prædicti oppidi Montis-Luponis domum Obſervantibus conſtruendi, nec litteræ conceſſionis propter obitum emanaſſent, Sixtus defectum ſupplevit die ſupradicto VIII. Kalend. Septembris. Sed ego Conventum hunc inter eos, qui Obſervantibus parent, non reperio. Fortaſſis Nicolaus etſi voluerit, non potuit opus perficere neque inchoare.

Conv. Montis-Lupoui. *Lib. 12. bullar. fol. 311.*

XXV. Vicario & Fratribus Provinciæ ſancti Bernadini facultatem tribuit Sixtus hoc anno, VIII. Idus Septembris, admittendi locum extra & prope oppidum Francavillæ, diœceſis Theatinæ, ſibi pia Chriſtifidelium lar-

Conv. Francavillæ. *Lib. 5. fol. 10.*

largitione oblatum, ibique domum & Eccleſiam ſub invocatione ſancti Jacobi conſtruendi. Gonzaga domum hanc viginti annis poſteriorem conſtituit ſub titulo ſanctæ Mariæ de Jeſu. Forte ante illud tempus Fratres ſtructuram non poterant complere, & titulum placuit immutare.

Gonz. in Provin. S. Bernard. Conv. 19.

Teſtr. 12. anno 1451. n. 43. Conv. Bargæ.

XXVI. Diximus alias, beatum Herculanum de Piagale prope oppidum Bargæ in Tuſcia, juriſdictionis Lucenſis, Conventum ſtruxiſſe. Domum hanc inchoatam circa annum Domini MCCCCXXXIV. quo conſtruendi facultatem Eugenius IV. conceſſit, ſcribit Gonzaga. Ob aeris intemperiem ad alium locum commodiorem & ſalubriorem hoc anno translata eſt. Bargenſium erga Fratres devotio maxime enituit, non ſolum in eleemoſynis publicis & particularibus pro conſtructione loci erogatis, verum etiam in transferendis trabibus & materia prioris Conventus derelicti ad hujus novi conſtructionem. Eorum opera brevi hæc domus ſub titulo Nativitatis beatæ Mariæ, vel ut modo appellatur, *beatæ Mariæ de Gratiis*, perfecte completa eſt. Jacent hic beati viri, Ludovicus & Franciſcus Bargenſes, de quibus ſeorſim ſuis locis agemus.

Gonz. in Provin. Tuſcia Conv. 19.

Anno 1475. & 1489.

XXVII. Nobilis vir Bartholomæus Collionis de Andegavia, imperator Exercitus Veneti, obtinuit hoc anno VIII. Idus Februarii a Paulo Pontifice facultatem ædificandi in ſuo oppido Martinengi, diœceſis Bergomenſis, domum pro Fratribus Obſervantiæ ſub appellatione ſanctæ Mariæ Coronatæ. Brevi opus abſolvit, & Eccleſiam ſacrariumque pretioſiſſimis ornamentis, aureis argenteiſque calicibus, multis jocalibus, reliquaſque Conventus officinas rebus neceſſariis inſtruxit. Ibidem Monaſterium Clariſſarum coædificavit, quod anno dicemus ſequenti.

Conv. Martinengi. *Lib. 1. de præben. vacan. & diverſ. an. 7. fol. 217.* *Gonz. in Provin. Brixiæ Conv. 3.*

XXVIII. Cives urbis Caſtellanetæ in Apulia, locum quemdam extra & prope Civitatem cum Eccleſia ſub invocatione ſancti Franciſci ibi noviter ædificata, obtulerunt hoc anno Vicario & Fratribus Obſervantiæ provinciæ Apuliæ. Ut reciperent, Sixtus hoc anno VIII. Idus Septembris conceſſit facultatem. Vir nobilis Petrus de Campo, Dominus oppidi de Muſumellis, Agrigentinæ diœceſis, hoc anno pridie Nonas Decembris obtinuit licentiam, ut Eccleſiam ſanctæ Mariæ, ſitam extra muros prædicti oppidi cum ruderibus vetuſti & derelicti Monaſterii ſancti Benedicti, in Cœnobium Fratrum Minorum Obſervantum mutaret. Non tamen mutaſſe inde perſuadeor, quod Gonzaga in recenſu Cœnobiorum Siculorum non meminerit, primumque Minorum Conventum ibidem conſtructum ſub annum MDLXXXII. Roccus Pyrrus reponat.

Conv. Caſtellanetæ. *Lib. 5. bullar. Sixti fol. 32.* *Gonz. in Provin. S. Nicolai Conv. 23.*

Conv. Muſumelli. *Lib. 12. bullar. Sixti fol. 81.*

Pyrr. in not. Agrigent. fol. 371.

XXIX. Lacunæ Gebennenſes jam ſub hoc tempus malos & putridos hæreſum exhalabant vapores; inde enim utriuſque ſexus dietim prodibant ſectarii, libereque ob defectum & inertiam Religioſorum per illam graſſabantur regionem. Huic malo remedium adhibiturus Janus Comes Gebennenſis, & Baro Focigniaci, ſuaſore fratre Joanne Burgenſi, viro docto, & concionatore Apoſtolico, rogavit hoc anno Paulum Pontificem, ut ſibi liceret prope oppidum Cluſarum, Gebennenſis diœceſis, Conventum Minorum Obſervantum ædificare. Aſſenſit Paulus XV. Kalend. Junii, opuſque ſtatim inchoavit Janus in fundo per Nicolaum Puctium conceſſo. Suppellectilem Eccleſiaſticam copioſam a variis Mæcenatibus accepit idem Burgenſis, ejuſque diligentia opus tamdem completum fuit & excultum. Eccleſiam pulcbram & concameratam, ſub nomine ſancti Franciſci conſecravit anno MCCCCLXXXV. die XVI. Junii Joannes de Compeſio Archiep. Tarantaſienſis. Utiliter hic laborant Fratres, & magno illius populi omniſque circum vicinæ regionis bono diligenter invigilant, ne per eam ſerpat venenum

Conv. Cluſarū. *Gonz. in Provin. S. Bonav. Conv. 47.* *Picquet. & Fodere de eod Conv. Lib. 3. de diverſ. an. 7. fol. 234.*

Anno Christi 1471.	Pauli II. anno 7.	Friderici III. Imp. anno 33.	Religionis Minorum anno 264.

num hæreſeos, quam fraudulentiſſime propinqui Gebennenſes circumquaque propinant. Claruit hic locus aliquibus piis & doctis viris, ſratre Annibale Antiocho, Nobilis viri Georgii Antiochiæ nati, qui Annam Regis Cypri filiam Amadeo Sabaudiæ Duci nuptam, in Italiam ſequutus eſt, digniſſimo filio, virtutibus & quinque conſtructis Conventibus illuſtri; Joanne de Parcu, Joanne Gacheo, & Stephano Tuchono. Prior prophetico ſpiritu fuit notiſſimus; ſecundus bis Provincialatn ſunctus; Tertius ſacræ Theologiæ Doctor, cum Guardiani defungeretur officio, variis ægritudinibus probatus, & tamdem cæcitate percuſſus, meritis plenus obdormivit in Domino.

Fr. Annibal Antiochus.

Fr. Stephanus Tuchonus.

XXX. Prope urbem Tarantaſienſem, Centronum Metropolim, in eminenti monte erat Prioratus Ordinis ſancti Auguſtini ab incolis derelictus, & propterea menſæ Archiepiſcopali adjudicatus & unitus. Erat hoc tempore Archiepiſcopus frater Thomas a Suſa Minorita, qui hoc ipſo anno expoſuit Paulo Pontifici nullum in ſua diœceſi fuiſſe Cœnobium Mendicantium, rogavitque ut Prioratum prædictum liceret in Conventum Minoritarum Obſervantum convertere. Annuit Pontifex x. Kalend. Junii, relictis reditibus menſæ Archiepiſcopali, deſignatiſque Executoribus Abbate Monaſterii ſancti Amadei, Tarantaſien. diœceſis & Officiali Tarantaſienſi. Hi ſolemni ritu in poſſeſſionem Cœnobioli ſex tantum cellulas habentis, introduxerunt ſratrem Andream de Salino, & quatuor Conſodales, quorum ioduſtria pulchrum Cœnobium paulatim conſtructum eſt. Locus eſt amœnus & altus, eoque aſcenditur non tramite recto, ſed quaſi in orbem & ſerpentino more gyrum circumducendo, unde veluti ex altiſſima ſpecula, ſingulæ fere Civitatis domus poſſent dinumerari. Proſpectus tamen non adeo late diſtenditur ob præexcelſos montes quibus undique circumvallatur. Hujus Cœnobii alumnus fuit Petrus Pondruelly, Doctor Theologus, vir ſumme eruditus, & in concertationibus ſive Philoſophicis ſive Theologicis admodum argutus. Florente hic obiit ætate, dum Guardiani fungeretur officio, non ſine ſuorum luctu & eruditorum mœrore. Auxerunt ornaruntque plurimum domum hanc Gabriel Julianus, Mauritius Ferrerius, & Pater Ruſus, ejuſdem ædis Rectores. Eccleſia conſecrata eſt anno MCCCCLXXIX. die XXV. Octobris ab Epiſcopo Murtinenſi.

Conv. Tarantaſien. *Gonz. citat. Con. 48. Picq. & Foder. citat. Lib. 1. de Regul. an. 7. fol. 186.*

XXXI. Conventus Inſulæ ſub Monte-Regali, in Mandubiis agris, & Lingonenſi diœceſi ſitus, primo extrui cœpit ſumptibus clariſſimi viri Joannis a Gubillone, habita hoc anno, XVI. Decembris, a Sixto IV. facultate. Eo immatura morte defuncto, opus imperfectum proſecutus eſt Theobaldus Germanus frater, aliique plurimi, quorum aliquot hoc Inſtitutum poſtea ſubierunt. Operam promovit frater Joannes Lionnet egregius concionator, univerſæ illius regionis ferventiſſimus inſtructor. Nondum autem a Cœnobii exordio tranſactum erat ſeculum unum, quando rabiem & inſaniam perſenſit Calviniſtarum, in cineres ſub annum MDLXIX. die XV. Februarii penitus redactum. Poſtremo hoc tempore ejus reparationi Fratres ſolerter intendunt. Hujus loci erant alumni Petrus Boniſer ſacræ Theologiæ Magiſter, qui apud Indias Orientales glorioſum ſubiit martyrium, & Franciſcus Parrodi, ac Claudius Mocardet a ſectariis crudeliter occiſi, prout ſuo tempore referemus.

Conv. Inſulæ Montis-Regalis. *Gonz. cit. Con. 15. Picq. & Foder. cit.*

Anno 1562.

XXXII. Philippus de Sabaudia, Comes Bangiaci hoc anno expoſuit Paulo Pontifici, quod in Beyſſit, Reverſimontis, Dombar, & Vallis bonæ aliiſque locis, diœceſis Lugdunen. ipſius dominio temporali ſubjectis, nullus eſſet Conventus Minorum Obſervantum, præterquam in uno oppido

Conv. Pontis Vallium. *Lib. 3. de diverſ. an. 7. fol. 87. Gonz. cit. Conv. 5. Foder. & Picq. citati.*

do Burgi, ejuſdem diœceſis, rogavitque propterea, ut liceret eis domum conſtruere in oppido Pontis Vallium, gallice *Pont de Vaux*. Annuit Paulus XIII. Kalend. Julii, quod tamen Claudius Picquetus tribuit Sixto IV. qui adhuc ſub illum menſem non aſcenderat ad Pontificatum. Opus procuravit frater Joannes Burgenſis, cui magnum illa provincia ſancti Bonaventuræ, additis hoc ipſo anno quinque Conventibus, debet incrementum. Hujus conſtructionem differt Gonzaga in annum MCCCCLXXIV. Fortaſſis tunc inchoatum vel completum. Cœnobium exignum eſt, ſed concinnum. Templum anno MCCCCLXXXIV. prima Martii ſanctiſſimæ Trinitati, & ſub invocationibus beatæ Mariæ Virginis & ſancti Franciſci conſecratum eſt per fratrem Joannem Hieronymi Epiſcopum Dumtunenſem Minoritam. Muros alluit fluviolus altus, ſed anguſtus, ex quo Fratres per cubiculorum feneſtras, aliaſque officinas, piſces frequenter educunt. Magna ſeruntur oppidani pietate erga Fratres, neque ullo unquam tempore eis quidquam deeſſe permittunt.

Tom. 3. an. 1400. n. 26. Conv. S. Andeoli.

XXXIII. Alias diximus Conventum Burgi ſancti Andeoli, Vivarien. diœceſis, ejuſdemque provinciæ Burgundiæ ſive ſancti Bonaventuræ, extructum a Domino de Bayard. Sed hoc anno III. Kalend. Decembris, Sixtus Pontifex concedit facultatem nobili viro Eymero de Porteis, Domino loci ſancti Valerii ejuſdem diœceſis, ut illum ædificet. Fortaſſis hic inchoavit, ille complevit. Quæ de hoc Cœnobio dicenda erant, data tunc occaſione narravimus.

Conv. Calpenſis. *Gonz. in Provin. Betic. Conv. 12.*

XXXIV. In Hiſpania & Betica regione, in ſuburbiis antiquiſſimæ Civitatis Calpenſis, Hiſpanis *Gibraltar*, ad fretum Herculeum, Gaditanæ diœceſis, conſtructum eſt hoc anno Cœnobium Patribus Conventualibus, quod demum anno MDXXIX. omnium illius Provinciæ poſtremum translatum eſt ad Obſervantes. Obiit hic beatus Didacus Guzmanius, de quo alias diffuſius.

An. 1568.

Conv. Terraconen. *Lib. 1. de Regul. & dignit. an. 7. fol. 192.* *Lib. 1. de Regul. an. 7. fol. 269.*

XXXV. Joanne Rege Aragoniæ, & Joanne Segura Minoritarum in eodem Regno Miniſtro, deprecantibus, conceſſit hoc anno IV. Idus Januarii Paulus Pontifex Fratribus domus ſancti Franciſci, extra muros urbis Terraconen. ut hoc ſuum domicilium, magna ex parte, bellorum injuria deſtructum, urbi inferrent. Et Fratribus Obſervantibus provinciæ Caſtellæ indulſit, ut ſequentes domos libere, & abſque ullo conſcientiæ reatu poſſiderent, quas ante annos decem vel circiter aut ipſi conſtruxerunt, aut conſtructas ab aliis acceperunt, ſcilicet ſancti Stephani prope Valendecoçar, ſancti Bernardini de Poza, ſancti Bernardini de Freſneda, ſancti Bartholomæi prope ſanctam Gadeam, beatæ Mariæ del Vico, & beatæ Mariæ Angelorum. Omnes ferme hi Conventus nunc ſpectant ad provinciam Burgenſem; ille vero, qui ſancti Bartholomæi de ſancta Gadea dicitur, aliquando Minorum deſiit eſſe; quapropter inter reliquos illius Provinciæ a Gonzaga non recenſetur, ſed poſtea eiſdem reſtitutus, a quatuordecim aut pluribus commode inhabitatur. Ædificatus eſt anno MCCCCLVIII. opera fratris Lupi Salinenſis, multorum Cœnobiorum conſtructoris, ceſſitque poſt annos ſeptuaginta Sororibus Immaculatæ Conceptionis, ita procurante anno MDXXVI. Caſtellæ Antelato; ſed his translatis ad Cœnobium ſancti Ludovici intra urbem Burgenſem, ad ſuum priſtinum domicilium anno MDLXXXIX. redierunt Minoritæ.

Conv. S. Gadeæ.

Conv. Horduniæ. *Lib. 5. bullar. fol. 117.*

XXXVI. Nobilis vir Garcias de Ayala, Dominus loci de Salvaterra, Cœnobium inchoaverat, & pene abſolverat pro Fratribus de Obſervantia, in oppido ſeu villa Horduniæ, diœceſis Burgenſis, obtinuitque hoc anno

V. Idus

v. Idus Septembris a Sixto IV. facultatem, ut Vicario provinciæ Caſtellæ ejuſque Conſodalibus libere traderetur. Gonzaga a Petro Lopetio ab Ayala conſtructum ſcribit; ſed vel de complemento, vel de incremento aut reſtauratione intelligendus eſt. Spectat nunc hic locus ad provinciam Cantabriæ, & a ſancta Maria nuncupatur. *Gonz. in Provin. Cantabr. Con. 13.*

XXXVII. Gerardus de Eych Abbas Monaſterii Floreſienſis, Ordinis Præmonſtratenſis, & Thomas Hubuletus, pius Presbyter IX. M. P. a Bruxellis prope flumen Sabim ſeu Sambræ, hoc anno, favente ſibi auctoritate Sixti Pontificis, domum Obſervantibus conſtruxerunt. Vigebat hic olim ſtudium ſacræ Theologiæ & Græcarum atque Hebraicarum litterarum. *Conv. Sambræ. Gonz. in Provin. Bland. Conv. 14.*

XXXVIII. Amersfordia, ditionis & diœceſis Ultrajecten. oppidulum eſt elegans, ab Ultrajecto tertio diſtans milliari, peramœno florentique ſolo conſtructum; ab Amiſi fluvio, qui illud interfluit, vel ut alii volunt, ab amore forti & concordia incolarum ita cognominatum. Illic hoc anno conſtruendi Obſervantibus Cœnobium licentiam conceſſit Sixtus Pontifex: *Piis ſupplicum*. v. Idus Septembris. Monumenta Colonienſia anno præcedenti aſſerunt inchoatum, Geuzii anno MDLXXVIII. deſtruxerunt: ædificiorum nihil eſt reliquum, hortus dumtaxat ſupereſt, ubi ſagittarii ad ſcopum jaculantur. *Conv. Amersfordiæ. Monum. MSS. Colon. & German. infer. Idem in Provin. German. inferior. Conv. 22.*

XXXIX. Hoc anno incœptus eſt in Hibernia Conventus Galbailii Eaterlacenſis, oppidi ruralis. diœceſis Imilacenſis. Periit hæc domus cum reliquis ejuſdem Regni, deperditiſque monumentis, nihil occurrit memorandum. Anno MDLXX. frater Dionyſius O Mulruony Sacerdos, cum duobus ſociis, quorum nomina incomperta, crudeliter ab hæreticis militibus trucidati ſunt. Mirum illud, quod, cum Dionyſio poſt crebros ictus & vulnera caput amputarent, nulla ſanguinis gutta effluxerit. Stupefacti milites, membratim corpus diſſecarunt, neque tamen, quem ſitiebant, ſacrum cruorem meruerunt intueri. *Conv. Galbailii. Monum. MSS. Provin. Hiberu.*

XL. Hoc anno, jubente Paulo Pontifice, translatum eſt regimen Monaſterii ſancti Apollinaris Mediolanenſis ad Fratres de Obſervantia; Præter ea, quæ alias de Parthenone iſto dicta ſunt, addo multa fuiſſe a Ducibus Mediolanenſibus, Regibuſque Gallis & Hiſpanis, qui varia fortunæ viciſſitudine Mediolanenſi Statui dominati ſunt, conceſſa Sororibus privilegia. Jus habent aquarum, quod in illa regione magni fit, & molendinum intra Monaſterii ſepta, numeroſæ familiæ Sororum centum æque neceſſarium & opportunum. Floruerunt hic multæ piæ Sorores, inter quas hæ celebriores, Iſabella Crivella, quæ aliquando horis quadraginta immobilis genuflexa in oratione & mentis exceſſu perſeverabat coram ſanctiſſimo Altaris ſacramento, quamvis omnes tentaret artes humani generis hoſtis, ut inde repelleret. Perpetuo contecta cilicio, bis in hebdomada pane veſcebatur & aqua, multoſque macerandi corporis modos excogitabat. Maria Magdalena Mediolanenſis, quæ aliquando inſtar Stephani Proto-Martyris, orationi diligenter intenta, videre meruit cœlos apertos. Beatrix Mediolanen. in cujus tranſitu Angeli cecinerunt *Gloria in excelſis Deo*. Maria Ludovica Caſtella miræ pœnitentiæ & orationis aſſiduæ mentalis. *Monaſt. S. Apollinaris Mediolanen. Tom. 10. ann. 1425. n. 32. & Tom. 11. anno 1438. n. 35. Monum. MSS. Prov. Mediolan. Iſabella Crivella.*

XLI. Aruncæ, vulgo *Seſſa* in regno Neapolitano, ab urbis Duce ante hunc annum pro quibuſdam Tertii Ordinis Sororibus, humilis quædam capella ædificata eſt. Multiplicato numero & creſcente facultate, hoc anno ex conceſſione Sixti Pontificis in commodum Monaſterium excrevit. *Domus Sororum Aruncæ. Gonz. in Provin. Terræ Labor. Monaſt. 7.*

Anno Christi	Pauli II.	Friderici III. Imp.	Religionis Minorum anno 264.
1468.	anno 7.	anno 32.	

Domus Beffelich.

XLII. Sororibus ejuſdem Ordinis de Cluſa in Beſſelich, diœceſis Trevereñ, hoc anno Joannes de Helffeñſthein ſenior, & alius ejuſdem nominis & cognominis Junior, Mareſchalci hæreditarii, ejuſdem diœceſis, quoſdam reditus hoc anno applicarunt; quos Joannes Archiepiſcopus voluit confirmatos. Sororibus domus ſanctæ Claræ Sarzanen. ejuſdem Tertii Ordinis, hoc anno pridie Kalend. Decembris Sixtus Pontifex concedit poteſtatem alias ad Ordinem recipiendi; & vota ſolemnia emittendi in manibus Miniſtræ per eas eligendæ, in eademque domo recluſas manendi, uſque ad annum quadrageſimum ſuæ ætatis, & poſtea ad libitum egrediendi.

Domus S. Claræ Sarzanen.

Varia privilegia.

XLIII. Ad ſupplicationem Joannis Pauli Veronenſis provinciæ Bononienſis, Tertii Ordinis Vicarii, univit etiam Sixtus hoc anno, III. Kalend. Decembris Eccleſiæ Parochiali ſanctæ Mariæ de Caritate, Fratribus dicti Ordinis Apoſtolica auctoritate conceſſæ, parochialem alteram ſanctæ Chriſtinæ Bononien. Ad petitionem fratris Alberti de Peruſio Commiſſarii in Curia pro Fratribus Obſervantibus, die X. Septembris conceſſit incolis ſanctæ Mariæ de Angelis Aſſiſiatis, ut cum peregrinis & accedentibus ad dictum Templum diſpenſare poſſent in votis, eaque commutare. Indulſit etiam ut pro commoditate peregrinorum, & domum illam per orbem celeberrimam viſitantium commoditate; Fratres poſſent Miſſas duas celebrare ante auroram, totidemque per unam horam poſt meridiem.

XLIV. Sub anni finem revocavit conſtitutionem Calixti III. qua ille infirmatis Mendicantium privilegiis, confirmavit decretalem Bonifacii VIII. incipientem: *Super Cathedram*, circa confeſſiones, conciones & ſepulturas, & reduxit omnia ad ſtatum, in quo erant ante emiſſam Calixti declarationem: *Quia in futurorum*. VII. Idus Decembris. Fratribus Regularis Obſervantiæ auctoritatem omnimodam conceſſit in Fratres & Sorores Tertii Ordinis, ſive intra, ſive extra Italiam conſiſtentes: *Romani Pontificis*. VIII. Kalend. Januarii. Rigoroſe præcepit ne Fratres Obſervantiæ tranſirent ad Conventuales: *Feciſti nobis*. Idibus Octobris.

SUPPLEMENTUM P. ANTONII MELISSANI DE MACRO.

„ I. TRecentarum navium claſſe, relicta Conſtantinopoli, Mahometus Turcarum Imperator, Eubæam Inſulam in Mari Ægæo, tribus promontoriis inſignem, Geraſto ſcilicet ad Atticam vergente, ad Helleſpontum Caphareo, & ad Septentrionem Cæno, aggreſſus; Chalcidem urbem, vulgo *Negroponte*, totius Inſulæ præcipuam, tamdem (licet multo ſanguine & plurima cæde ſuorum) expugnavit, protrivit, & occiſis gladio omnibus Chriſtianis, Mahumeticæ impietati dicatam, ſuo barbaro ſubjugavit Imperio. Hunc miſerabilem caſum omnis Europa, & ſpecialiter Roma deflevit, ubi Paulus II. Summus Pontifex V. Kalendas Auguſti hujus anni MCCCCLXXI. hora noctis ſecunda, ſolus in cubiculo cum eſſet, apoplexia tactus, ut putatum eſt, obiit, eique in Pontificatu, V. Idus ejuſdem menſis & anni, ſucceſſit frater Franciſcus Ruverets Savonenſis, Cardinalis ſancti Petri ad Vincula, nuper Ordinis Minorum Generalis Miniſter, qui Sixti IV. nomen accepit: qui ut Petri Cathedram occupavit, fratri Petro de Padua Tertii ſancti Patris Franciſci Inſtituti conceſſa quadam licentia: *Rationi congruit &c.* VIII. Kalendas Septembris, Fratribus in Vicaria Regni Scotiæ, conſimili Apoſtolico diplomate, ut reciperent Conventum de *Ruskabria*, cujus apud noſtros hiſtoricos nulla memoria extat, auctoritatem fecit, & duobus aliis eodem mo-

Mahomet. occidit Chriſtianos.

Paulus II. moritur.

Ex Vatic.

„ modo incipientibus cuidam fratri Bertrando tranſitum ad Auguſtinianos,
„ interque eos quæcumque beneficia obtinere poſſe indulſit: ſed III. Kal.
„ præfati menſis expedito brevi: *Exigit tuæ &c.* etiam quemdam fratrem
„ Joannem ad Præmonſtratenſes dimiſit, ac pariter Abbatiſſæ Monaſterii
„ de *Safra* ſeu *Zafra*, oppidi in diœceſi Pacenſi in Hiſpania, paterna be-
„ nignitate reſcripſit: *Humilibus &c.* * Pro Monaſterio ſanctæ Claræ No-
„ vellæ, Florentinæ diœceſis: *Sedis Apoſtolicæ &c.* & pro Monialibus ſancti
„ Laurentii in Pantiſperna circa gabellas: *Exigit devotionis &c.* & quadam
„ particulari licentia pro Joanna Moniali Dertuſenſi: *Digna reddimur &c.*
„ v. Idus Septembris; necnon pro Monaſterio ſanctorum Coſmæ & Da-
„ miani de Urbe circa reparationem: *Ex injuncto &c.* Pridie Idus Septem-
„ bris, & pro Conventu Tyburtino, ejuſque reformatione: *Apoſtolicæ au-*
„ *ctoritatis &c.* die XVI. Septembris. Erectionem domus de Orduna,
„ Calaguritanæ diœceſis conceſſit: *Inter cetera &c.* III. Kal. Octobris.
„ Duci Burgundiæ Monaſterium Clariſſarum apud Heidelbergam erigendi
„ facultatem fecit: *Sinceræ devotionis &c.* XIV. Kal. Novembris; Fratrum
„ & Sororum Tertii Ordinis S.P. Franciſci privilegia, III. Kal. Novembris
„ confirmavit in hunc ſenſum, qui ſequitur.

* *Celebrem Conſtitutionem* Auream *ſive* Mare Magnum vocatam: Regimini univerſalis &c. *a P. Waddingo hujus tanti monumenti non immemore ad annum* 1474. *relatam nos hic merito expungimus.*

Ex Copia.
Ex Vatic.

SIXTUS PAPA IV. &c.

„ II. *Sedet Apoſtolica æqua in omnibus ſemper diſtributrix, ea, quæ pro*
„ *Divini cultus augmento, & piorum locorum, & perſonarum præ-*
„ *fertim ſub Religioſo habitu in eis degentium utilitate provide facta ſunt,*
„ *libenter, cum ab ea petitur, Apoſtolici roborit firmitate communiri, nec-*
„ *non quidquid a perſonis Religioſis, & Divino adſcriptis cultui, contra-*
„ *rium eorum Ordini & honeſtati præſumitur, ad Dei gloriam, & Reli-*
„ *gionis augmentum, ſalubriter corrigi opportune mandat, & benigno*
„ *favore ea, quæ ſunt pro animarum ſalute, libenter concedit.*

Bordon. in Bullar. fol. 275. bulla 158. Præmium:

„ *Dudum ſiquidem fel. record. Paulus Papa II. prædeceſſor noſter, om-*
„ *nia & ſingula privilegia, facultates, indulta & gratias, quæ & quas piæ*
„ *memoriæ Eugenius IV. & Nicolaus V. Summi Pontifices etiam prædeceſ-*
„ *ſores noſtri dilectis filiis Fratribus Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœ-*
„ *nitentia nuncupatis, in Regnis Caſtellæ & Legionis, ac diœceſi Leodienſi*
„ *commorantibus conceſſerant, ad dilectos Fratres Congregationis Lombar-*
„ *diæ, ejuſdem Ordinis in diverſis locis ipſius Lombardiæ, ſub Obſervantia &*
„ *in communi, ac ſub habitu Eremitico viventes, maxime in ſancta Maria de*
„ *Pichitono, & de Vairano, ac de Piazano, necnon ſancti Salvatoris de Ca-*
„ *ſalbutano, Laudenſis, & Cremonenſis diœceſ. ac ſancti Donati extra Murot*
„ *Comanoi commorantes, & quos inibi in futurum commorari contigerit,*
„ *necnon ad alios Fratres aliorum locorum dicti Ordinis, eamdem Congrega-*
„ *tionem ipſorum Lombardiæ in poſterum ingredientes, per ſuas litteras ex-*
„ *tendit, & illa etiam eis conceſſit, ſine tamen præjudicio Fratrum Regno-*
„ *rum & Diœceſis Leodienſis prædictorum. Et inſuper, quod ipſi Fratres*
„ *dictæ Congregationis omnibus gratiis, indulgentiis, libertatibus, exemp-*
„ *tionibus & privilegiis, Fratribus dicti Ordinis quomodocumque conceſſis,*
„ *in omnibus & per omnia uti & gaudere poſſent, ac uterentur & gaude-*
„ *rent, induſſe, prout in litteris dicti Pauli prædeceſſoris, quas cum aliis*
„ *Eugenii & Nicolai prædeceſſorum præfatorum litteris ſuper his in Camera*
„ *Apoſtolica exhiberi, & diligenter inſpici fecimus, plenius continetur.*
„ *... Et deinde exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Viſitatoris &*

Mi-

„ *Miniſtri Generalis, ac Fratrum dictæ Congregationis Lombardiæ petitio*
„ *continebat, quod multi gerentes habitum Eremiticum ſimilem vel quaſi*
„ *ſimilem habitui ipſorum Fratrum dictæ Congregationis, male viventes, &*
„ *per mundum vagantes in propria libertate, plurima ſcandala faciunt in*
„ *præjudicium maximum, & magnam infamiam ipſarum Fratrum dictæ*
„ *Congregationis, eum illius eſſe credantur, & ſcandalum plurimorum.*
„ *Quodque ad ipſos Fratres dictæ Congregationis in locis eorum hujuſmodi*
„ *undique Chriſtifideles ex devotione confluunt pro confeſſione & pœnitentia*
„ *ſalutari.*

„ *Quare pro parte ipſorum Viſitatoris & Miniſtri Generalis, ac Fra-*
„ *trum dictæ Congregationis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut privilegia,*
„ *faeultates, indulta & gratias prædictas, necnon omnes & ſingulas præ-*
„ *dictorum & aliorum locorum, quæ hactenus pacifice poſſederunt, prout poſſi-*
„ *dent de præſenti, receptiones hactenus per eos factas, approbare & confir-*
„ *mare &c.*

„ *Nos piis &c. Ac ipſi Viſitatori ſeu Miniſtro Generali omnia loca Fra-*
„ *trum dicti Ordinis habitum Eremiticum gerentium, etiam non dictæ Con-*
„ *gregationis, ubicumque ſint in Italia, viſitandi ac reformandi, ac etiam*
„ *omnes perſonas earum tam in capite, quam in membris, in ſpiritualibus*
„ *& temporalibus corrigendi, ac delinquentes puniendi, & ſi expedierit,*
„ *exinde amovendi, necnon omnes portantes dictum habitum Eremiticum va-*
„ *gantes caſtigandi, & habitu prædicto ſpoliandi, ac alias etiam (ut præ-*
„ *fertur) corrigendi & puniendi licentiam, necnon ipſis Fratribus dictæ*
„ *Congregationis in Sacerdotia conſtitutis, quod omnes & ſingulas utriuſque*
„ *ſexus perſonas ad eos pro confeſſione & pœnitentia accedentes audire &*
„ *abſolvere (exceptis caſibus Epiſcopalibus) & pœnitentiam ſalutarem in-*
„ *jungere poſſint, facultatem dicta auctoritate elargimur; jure tamen Pa-*
„ *rochialis Eccleſiæ cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo: non obſtantibus &c.*
„ *Nulli ergo &c. Datum Romæ &c.* MCCCCLXXI. III. *Kal. Decembris,*
„ *Pontificatus noſtri anno* 1.

Ex Vatic. Speculum fol. 106.

„ III. Paulo poſt conceſſa facultate conſtruendi Conventum apud
„ Burgum ſancti Andeoli in diœceſi Vivarienſi: *Promptum &c.* die III.
„ Decembris, & extincta Eccleſia Benedictinorum Agrigentinenſium,
„ necnon applicata Fratribus Minoribus: *Sacræ Religionis &c.* Nonis De-
„ cembris, contra revocationem Calixti III. privilegia Fratrum Minorum
„ confirmavit, ut ſequitur.

SIXTUS EPISCOPUS &c.

„ *Quia in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut*
„ *quod conjectura probabili, & interdum ottenta conſideratione,*
„ *utile, & ad pacem & quietem tendere videbatur, reperiri damno-*
„ *ſum, jurgiis & diſſentionibus plenum quandoque contingat; non debet re-*
„ *prehenſibile judicari, ſi Romanus Pontifex, quæ a prædeceſſoribus ſuis ex*
„ *cauſis veriſimiliter probabilibus ſunt ſtatuta, cognito quod ex eis diſſenſio-*
„ *nes & jurgia inter perſonas quaslibet, præſertim Eccleſiaſticas oriantur,*
„ *ne noxæ graviores exituſque pejores inde prodeant, revocat & annullat,*
„ *& in ſtatum priſtinum reducit, prout in Domino proſpicit ſalubriter ex-*
„ *pedire.*

„ *Dudum ſiquidem, poſtquam fel. rec. Bonifacius Papa VIII. prædeceſ-*
„ *ſor noſter, nonnullis diſcordiis, quæ inter Prælatos, & Parochialium Ecclé-*

„ *cleſiarum Rectores, & Ordinum Mendicantium Fratres per diverſas Mundi partes conſtitutos exorta erant, ſua, quæ incipit:* Super Cathedram &c. *anno* MCCXCV. *conſtitutione finem imponere curaverat, fueratque Conſtitutio prædicta per piæ memoriæ Clementem Papam V. etiam prædeceſſorem noſtrum in Concilio Viennenſi innovata, ac per piæ memoriæ Joannem Papam XXII. ſimiliter prædeceſſorem noſtrum ad Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, Ordinum profeſſores extenſa: nonnulli alii Romani Pontifices etiam prædeceſſores noſtri, ut omnem inter Fratres & Prælatos, ac Rectores præfatos contentionum occaſionem de media ſubmoverent; dictorum Mendicantium Ordinum profeſſoribus tam in genere, quam in ſpecie, ex diverſis rationabilibus cauſis, varia privilegia adverſus Conſtitutionis prædictæ tenorem, & illius declarationem & interpretationem conceſſerant: & deinde piæ memoriæ Calixta Papæ III. etiam prædeceſſori noſtro per nonnullos Epiſcopos, alioſque Superiores Prælatos, necnon Parochialium Eccleſiarum Rectores expoſito, quod aliqui dictorum Fratrum ſe ſpecialiter, quæ ab ipſa Sede in eorum favorem adverſus Conſtitutionem eamdem emanaſſe aſſerebant, privilegiorum conceſſione, & indultorum prætextu, ne ad dictæ Conſtitutionis obſervationem compelli poſſent, tuebantur, in eorumdem conquerentium, & Parochialium Eccleſiarum præjudicium & gravamen; variaque propterea inter eoſdem Prælatos, Rectores & Sacerdotes ac Fratres jurgia & contentiones ac ſcandala exorta erant & oriebantur in dies, quibus obviaretur, ſi Conſtitutio prædicta obſervaretur: & per eumdem Calixtum prædeceſſorem accepto, quod a nonnullis ex ipſis Prælatis, Rectoribus, Curatis & Sacerdotibus, contra tenorem præfatæ Conſtitutionis dictis Fratribus graves injuriæ ac moleſtiæ inferebantur, idem Calixtus prædeceſſor cupiens hujuſmodi jurgiis, contentionibus & ſcandalis obviare, Conſtitutionem, & illius innovationem & extenſionem prædictas, juxta illarum ſeriem & continentiam, in omnibus & per omnia ſervari debere ſtatuit, & ordinavit quod quæcumque privilegia, conceſſiones, indulta, ſi quæ a quibuſvis Romanis Pontificibus prædeceſſoribus ſuis adverſus Conſtitutionem & innovationem, ac declarationem prædictas, ſub quacumque verborum forma, & cum quibuſvis irritantibus decretis, & talibus, quod eis per quaſvis alias litteras Apoſtolicas, etiam facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de illorum totali tenore mentionem, & ſimilis effectus, vel majoris cautelæ derogatoriis clauſulis qualitercumque derogari nequiret, ſive motu proprio, ſive quovis reſpectu, pro quibuslibet Ordinibus, ſeu eorum domibus & locis, in genere vel in ſpecie emanaſſent, illorum uſus, quamtumcumque continuata poſſeſſione nullatenus obſiſtente, caſſavit, revocavit & annullavit, ac decrevit nullius eſſe roboris vel momenti, prout in eiſdem privilegiis, & quibuſdam litteris ipſius Calixti prædeceſſoris ſuper Statuto & revocatione hujuſmodi confectis, & libris Cancellariæ Apoſtolicæ de illius mandato deſcriptis plenius continetur.*

Inter Clementinas tit. de Sepult. c. 2.

„ *Cum autem, ſicut experientia efficax rerum magiſtra poſtmodum monſtravit, & Nos ipſi tunc temporis in minoribus conſtitati, dum Generalatus Ordinis Fratrum Minorum fungebamur officio, vidimus, ex ipſius Calixti prædeceſſoris noſtri litteris, & privilegiorum revocatione, præter ipſius Calixti prædeceſſoris intentum, quamplurima jurgia, lites, diſſenſiones & ſcandala exorta, variæque appellationes per eorumdem Fratrum partem ad Sedem Apoſtolicam interpoſitæ, & querelæ dilatæ fuerint, ac propterea idem Prædeceſſor ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Vice-Cancellario, & in litterarum*

„ *rum Apoſtolicarum expeditione ſibi aſſiſtentibus abbreviatoribus, ne dictarum litterarum copiam cuiquam traderent, inhibuerit, dubitaturque veriſimiliter, quod niſi litteræ prædictæ Calixti prædeceſſoris præfati revocentur, exinde in dies ſint majora ſcandala proventura.*

„ *Nos quarumcumque cauſarum, præmiſſorum occaſione dependentium ab iiſdem, tam in Romana Curia, quam extra eam pendentium coram quibuſcumque Judicibus tam ordinarlis, quam a Sede Apoſtolica vel aliis delegatis, in quacumque inſtantia, etium appellationis, ſtatus, Judicum & Collitigantium nomina & cognomina, dignitates præſentibus pro expreſſis habentes, illaſque ad nos harum ſerie advocantes, & litem penitus extinguentes; ac volentes hujuſmodi contentionibus, diſcordiis & ſcandalis, quantum poſſumus obviare, motu proprio, non ad ipſorum Fratrum, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed noſtra mera liberalitate, ejuſdem Calixti prædeceſſoris prædictas litteras, & in eis contentam privilegiorum, conceſſionum & indultorum hujuſmodi revocationem, & ſi quæ deſuper ab aliis prædeceſſoribus Romanis Pontificibus approbationes emanarunt, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, & ex certa noſtra ſcientia revocamus, caſſamus, irritamus & annullamus, & de libris ac regiſtris quibuslibet deleri mandamus: & privilegia, conceſſiones & indulta prædicta illa omnia, qualiacumque ſint, ac ſi de verbo ad verbum inſererentur præſentibus, pro expreſſis habentes, in ſuum plenum & priſtinum robur, necnon præfatos Mendicantes Fratres, quibus conceſſa ſunt, in genere & in ſpecie, quoad illorum totalem in præteritis, præſentibus & futuris negotiis conſequendam effectum, in priſtinum, & eum ſtatum, in quo videlicet erant, antequam litteræ Calixti, & revocatio hujuſmodi quomodolibet emanarent, plenarie reſtituimus, reponimus & reintegramus: decernentes ea omnia in ſuis prioribus viribus & efficacia fore, & effectum etiam quoad præterita pro appellatione pendentia negotia ſortiri debere in omnibus & per omnia, ac ſi præfati Calixti prædeceſſoris, & in illis contenta revocatio prædicta nullatenus emanaſſent, necnon irritum & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contra illa attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari.*

„ *Et nihilominus venerabilibus fratribus noſtris Beſſarion. Sabinen. Minorum, & Guillelmo Oſſien. Eremitarum ſancti Auguſtini, & beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ de Monte Carmelo, ac Alano Preneſtinen. Prædicatorum Epiſcopis, Ordinum prædictorum, nunc & pro tempore exiſtentibus Protectoribus in Romana Curia, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quilibet eorum per ſe vel alium ſeu alios præmiſſa omnia, ubi & quando opus fuerit, ipſique deſuper fuerint requiſiti, ſolemniter publicari; & Ordini ſuæ protectioni commiſſo, ac illius profeſſoribus, in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſſiſtentes, faciant eos pacifica poſſeſſione, vel quaſi, exemptionum & privilegiorum prædictorum gaudere: non permittentes eos contra illorum, vel cujuslibet eorum tenorem per locorum Ordinarios, & Parochialium Eccleſiarum Rectores, ac quoſcumque alios indebite moleſtari: contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: ac legitimis ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties opus fuerit, iteratis vicibus aggravare procurent, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis.*

„ *Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. etiam prædeceſſoris*

„ *ſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, quibus cavetur ne quis* „ *extra ſuam Civitatem & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in* „ *illis ultra unam dietam ad judicium evocetur, ſeu ne Judices ab Apoſtolica* „ *Sede deputati, extra Civitatem & Diœceſin, in quibus deputati fuerint,* „ *contra quoſcumque procedere, aut alii vel aliis vices ſuas committere præ-* „ *ſumant; & de duabus dietis in Concilio Generali, ac aliis Apoſtolicis Con-* „ *ſtitutionibus contrariis quibuſcumque, ſeu ſi locorum Ordinariis, & Paro-* „ *chialium Eccleſiarum Rectoribus, vel quibuſvis aliis, conjunctim vel divi-* „ *ſim, a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excom-* „ *municari, aut ultra vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint,* „ *per litteras Apoſtolicas non facientes plenam ac expreſſam, ac de verbo ad* „ *verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis in-* „ *dulgentia generali vel ſpeciali, cujaſcumque tenoris exiſteret, per quam* „ *præſentibus non expreſſam, vel totoliter non inſertam, hujuſmodi dictis* „ *Protectoribus factæ commiſſionis explicatio impediri poſſit quomodolibet vel* „ *differri, & de qua cujaſque toto tenore habenda ſit in noſtris litteris men-* „ *tio ſpecialis.*

„ *Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ advocationis,* „ *volantatis, extinctionis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis,* „ *mandati, reſtitutionis, reintegrationis & decreti infringere, vel ei auſu* „ *temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indigna-* „ *tionem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus* „ *ſe noverit incurſuram. Datum Romæ apud ſanctam Petrum, anno Incar-* „ *nationis Dominicæ* MCCCCLXXI. VII. *Idus Decembris, Pontificatus noſtri* „ *anno* I. *

„ IV. Præterea, cum Sixtus IV. adhuc in Ordine Generalatus mini- „ ſterii fungeretur officio, Conventum Vindocinenſem ad Lirim fluvium „ libenter colebat, & ſpeciali quodam amore proſequebatur: quamobrem „ creatus Summus Pontifex, memor frequentiſſimi populorum confluxus „ ad certum Sacellum, quod noſtræ Dominæ Conſolationis de Clauſtro vo- „ cabant, proprio motu expedito brevi, quod incipit: *Proſalute Populi* „ *Chriſtiani &c.* quod in Archivo ejuſdem Conventus aſſervatur, erectio- „ nem Confraternitatis ſub invocatione beatiſſimæ Virginis Dei Genitricis „ Mariæ, cum plenariis Indulgentiis in ejuſdem Feſtivitatibus lucrandis, „ conceſſit; Guardianoque loci pro tempore ſingulare privilegium, facul- „ tatem ſcilicet pluries in anno deſignandi ibidem Confeſſores, qui ab om- „ nibus caſibus Apoſtolicæ Sedi non reſervatis, & ubi opus eſſet, vota „ ſimplicia, quatuor dumtaxat exceptis reſervari ſolitis, abſolverent & „ commutarent, de ſpeciali gratia indulſit. In Diœceſi Gebennenſi apud „ Sabaudos apud Italos, etiam Venerabilis Chriſti Servus Pater frater „ Petrus, cognomento Latinus, vitæ ſanctimonia corruſcus, obvium pau- „ perem leproſum, ſuæ tunicæ, qua ipſum caritative operuerat, ab incura- „ bili & fœtido eo morbo, ſolo contactu repente liberavit. Obiit vero in „ Conventu ſancti Bernardini Capriolæ, quarto Provinciæ Tuſciæ, ut Sal- „ vator Vitalis ait.

* *Conſtitutionem* Romani Pontificis *Waddingus in ſuo Regeſto refert.*

Monum. MSS. Provin. Turonenſ.

Fr. Petrus cognomento Latinus. *Lib. 7. Chron. Montis Alvernia.*

REGESTUM
PONTIFICIUM.

RUGBEIANUM

PONTIFICIUM

REGESTUM PONTIFICIUM.

CALIXTI III.

ANNO CHRISTI 1457. PONTIFICATUS ANNO 3.

BULLA I.

Ut det facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum Atrebati. Ex Ferreolo Locrio hiſtor. Belg. fol. 525.

Venerabili Fratri Epiſcopo Atrebatenſi &c.

§. I. PIis fidelium votis, quæ Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, & his, per quæ animarum ſalus procuratur, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Philippi de Saveuſes, Domini locorum de Saveuſes, de Baillœullemont, & de Howin, Ambianenſis, Atrebatenſis, & Morinenſis diœceſum, ac dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Mariæ de Lully, ejus uxoris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi noviter cupientes terrrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna ſelici commercio commutare, de bonis a Deo ſibi creditis, ob ſingularem devotionem, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ gerunt, quamdam domum cum Eccleſia, Altaribus, necnon campanili, campana, clauſtro, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Monialium dicti Ordinis, ibi perpetuo ſub Regulari Obſervantia Altiſſimo famulaturarum, ſumptuoſo opere fundare & ædificare incœperunt, & opus incœptum hujuſmodi ad ſtatum debitum perducere corde gerunt & proponunt, ſi eis deſuper Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte Philippi aſſerentis, quod cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris, ac dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Conſiliarius, & Cambellanus exiſtit, necnon Mariæ prædictorum, nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper iis opportune providere, de auctoritate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divinum cultum noſtris præcipue temporibus adaugeri, & Ordinem ipſum intenſis deſideriis affectamus, piumque propoſitum conjugum prædictorum in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Philippo, & Mariæ domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana, Altaribus, clauſtro, refectorio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, dummodo tuus & dilectorum filiorum Capituli Eccleſiæ tuæ Atrebatenſis ad id expreſſus accedat aſſenſus, perficiendi, conſtruendi, & ædificandi, ſive perfici, conſtrui & ædificari faciendi, necnon Monialibus prædictis illam pro earum uſu & habitatione hujuſmodi, recipiendi, retinendi & inhabitandi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii VIII.

cii VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & alterius cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim ſi licentiam ipſam per te concedi contigerit, univerſis & ſingulis Monialibus in ipſa conſtituenda domo pro tempore degentibus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, gratiis, & immunitatibus quibuslibet, prætato Ordini, & ipſius domibus, necnon perſonis eorumdem per Sedem Apoſtolicam, & alias quomodolibet generaliter conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate, tenore præſentium indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVSI. III. Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno III.

II.

Dat viſitatorem & reformatorem Monaſterii Clariſſarum Valentiniæ Reginæ fundati. Ex reg. Cal. lib. 25. bullar. fol. 151.

Dilectæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ, Reginæ Aragonum illuſtri &c.

§. I. TUæ devotionis exigentibus meritis, votis tuis libenter annuimus, & petitiones tuas in his, quæ poſtulas, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exandimus. Cum itaque, ſicut oblatæ nobis nuper pro parte tua petitionis ſeries continebat, tu olim zelo piæ devotionis accenſa, Monaſterium Monialium ſanctiſſimæ Trinitatis, Ordinis ſanctæ Claræ, extra muros Valentin. de bonis tibi a Deo collatis fundari & ædificari, ac etiam dotari feciſti, cupiaſque ut inibi perpetuo Regularis Obſervantia Monialium, cum Viſitatore ideneo, obſervetur, Monialeſque inibi pro tempore degentes, quandoque ab obnoxiis releventur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Monaſterio prædicto, de Viſitatore utili & idoneo, ac Monialibus inibi degentibus, juxta fœminei ſexus debilitatem, de pio & paterno opportunitatis remedio, ex benignitate Apoſtolica providere dignaremur. Nos tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus & Apoſtolica auctoritate decernimus pariter & declaramus, quod de cetero in antea perpetuis futuris temporibus, Vicarius Provincialis regni Aragoniæ, Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia pro tempore exiſtens, ſeu per eum dicti Ordinis frater loco ſui deputandus, Monaſterium hujuſmodi, ut moris eſt, annis ſingulis, vel alias ſi opportunum fuerit, perſonaliter viſitare, & in ſingulis reformare poſſit & valeat, ac etiam teneatur.

§. II. Et deinde, cum ſicut pro parte tua accepimus, quamplures Moniales dicti Monaſterii, propter jejunia & alia dictorum Ordinis & Monaſterii ſtatuta, quæ inibi obſervantur, debilitari, & infirmari contingat: Nos attendentes, quod neceſſitas non eſt ſub lege, tenore præſentium concedimus, & pariter indulgemus, quod dilecta in Chriſto filia Yolans moderna & quæ pro tempore fuerit Abbatiſſa dicti Monaſterii, cum ſingulis Monialibus ejuſdem Monaſterii præſentibus & futuris, debilibus & infirmis, de jejuniorum & ſilentii obſervatione, & aliorum quorumcumque dicti Monaſterii ſtatutis, quoties fuerit opportunum, & earum ſaluti videbitur expedire, diſpenſare, necnon, dummodo ad id Conventus hujuſmodi accedat aſſenſus, mulieres ſolutas in converſas, ſeu donatas dicti Monaſterii, juxta facultatem ejuſdem, quoties ei videbitur expedire, recipere, & habitum Converſarum, ab habitu Monialium diſtinctum dare & exhibere, & ab eis profeſſionem, ſi illam in ſuis manibus emittere voluerint, etiam recipere poſ-

poſſit & valeat; conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. XII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno III.

III.

Ut reditus qui adjudicati erant Cœnobio Muriveteris, Ordinis Minorum, tranſferrentur ad Monaſterium Clariſſarum S. Trinitatis Valentinum. Ibid. fol. 144.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. IN domo Domini, meritis licet inſufficientibus, diſpenſatores effecti, teſtantium & diſponentium voluntates quandoque commutamus, & Religioſarum perſonarum, quæ mundanis abjectis illecebris, ſub ſuavi contemplationis jugo devotum & ſedulum exibent Altiſſimo famulatum, quieti & opportunitatibus libenter conſulimus, & his quæ propterea proceſſiſſe comperimus, ut firma perpetuo, & illibata perſiſtant, Apoſtolici muniminis adjicimus firmitatem, prout cauſæ rationabiles perſuadent, & id in Domino conſpicimus ſalubriter expedire. Sane pro parte cariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Aragonum Reginæ illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat: quod dudum claræ memoriæ Maria, Martini Regis Aragonum uxor, infra terminos villæ Muriveteris, Valentinæ diœceſis, quamdam domum ſub vocabulo ſancti Spiritus, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum de novo conſtrui & ædificari fecit, & ut Fratres in eadem domo pro tempore degentes ſuſtentari poſſent, aſſignavit eis quinque mille ſolidos monetæ Valentinæ ex juribus & reditibus Vallis de Almonazir, dictæ diœceſis, quæ vallis tunc erat prædictæ quondam Reginæ, dandos annis ſingulis perpetuo Juratis Civitatis Segorbiæ, ad hoc ut ipſi Jurati dictos quinque mille ſolidos procuratori ſeu Oeconomo Fratrum domus antedictæ anno quolibet aſſignarent, in opportunitatibus domus & Fratrum hujuſmodi convertendos: volens inter cetera dicta quondam Regina, quod, ſi dictus Ordo in prædicta domo annihilaretur, aut illius Conventus diſſolveretur, prædicta quantitas quinque mille ſolidorum reverteretur ad ipſam Reginam, vel ejus hæredem univerſalem. Et deinde per obitum ejuſdem Reginæ, idem Martinus Rex, & certi alii teſtamenti dictæ Reginæ executores, juxta voluntatem & diſpoſitionem ipſius Reginæ in eodem teſtamento eiſdem Fratribus alios mille quingentos, etiam ſuper juribus & reditibus dictæ Vallis de Almonazir, ac ſimiliter alios quingentos ſolidos dictæ monetæ, ſuper juribus & reditibus loci de Paterna, qui locus prædictæ Reginæ defunctæ ſimiliter extiterat, pro fabrica dictæ domus & illius Eccleſiæ, cum ſimili retentione, qua, ut præfertur, uſa fuerat quondam Regina prædicta, tradiderunt, & aſſignarunt.

Præfatio.

Aragoniæ Regina Minoritis Cœnobium cōſtruit illudque ditat reditibus.

§. II. Et ſubſequenter, poſtquam fratres ipſi dictos ſeptem mille ſolidos pluribus annis receperant, tamdem dilecti filii Vicarius Generalis & Patres Provinciæ Aragoniæ, prædicti Ordinis, in Capitulo Provinciali tunc celebrato Barchinonæ, in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu, determinarunt ipſos Fratres dictæ domus ſancti Spiritus non poſſe cum veritate, & puritate Regulæ ſuæ obtinere dictos reditus, nedum quoad uſum juris, ſed nec quoad uſum facti ſimpliciter. Unde prædicta Maria Regina, quæ Monaſterium Monialium ſanctæ Trinitatis, Ordinis ſanctæ Claræ extra muros Valentin.

FF. decernunt redituum eorundem eſſe incapaces.

Propterea Monaſterio Monialium aſſignantur.

tin. noviter erigi fecerat, cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Alphonſum Regem Aragonum illuſtrem ejus conthoralem deprecata eſt, ut totam prædictorum ſolidorum ſummam in dictum Monaſterium transferret: qui quidem Alphonſus Rex, conſiderans, quod Ordo ipſe in prædicta domo ſancti Spiritus quotidie magis vigebat, dictos ſeptem mille ſolidos in Monaſterium ſanctæ Trinitatis, Abbatiſſa & Conventu aſſerentibus id eis licere, omnino tranſtulit, conceſſit pariter & donavit, prout in quibuſdam inſtrumentis publicis ſuper his confectis, litteris authenticis, manu dictorum Patrum ſubſcriptis, ac quodam inſtrumento publico ſuper hujuſmodi translatione, conceſſione & donatione confecto, quorum tenores, ſignis & ſubſcriptionibus omiſſis, præſentibus annotari fecimus, plenius continetur.

Confirmatio à Pontifice poſtulatur.

Quare pro parte tam Alphonſi Regis, quam Mariæ Reginæ ejus conthoralis prædictorum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut aſſignationes ſeptem mille ſolidorum Fratribus hujuſmodi, ut præfertur, factas, in Monaſterium ſanctæ Trinitatis, ac illius Abbatiſſam & Moniales commutare, ac determinationem Vicarii & Patrum, necnon translationem hujuſmodi, ac omnia & ſingula in dictis determinationis litteris, ac translationis inſtrumentis hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quæcumque, confirmare & approbare, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Et obtinetur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis plenarie informati, ex certis rationabilibus cauſis, ad id animum noſtrum moventibus, aſſignationis ipſorum ſeptem mille ſolidorum per ipſos Martinum Regem, & Mariam Reginam defunctos, necnon executionis, ut præfertur, factæ, in Monaſterium ſanctæ Trinitatis, ac illius Abbatiſſam & Moniales cum omnibus & ſingulis Divinorum officiorum oneribus, juxta voluntatem & ordinationem dictæ quondam Reginæ, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia commutantes & tranſferentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, determinationem Vicarii & Fratrum, necnon translationem per Alphonſum Regem, ut præfertur, factas, ac omnia & ſingula in prædictis litteris determinationis, & inſtrumento translationis hujuſmodi contenta, & inde ſecuta quæcumque, rata & grata habentes, illaque, ac etiam inde ſecuta quæcumque auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ex certa ſcientia confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; ac decernentes, ſi forſan ullo unquam tempore Ordinem Fratrum Minorum hujuſmodi in prædicta domo ſancti Spiritus annihilari, aut illius Conventum diſſolvi contingat, quod propterea dicta ſeptem mille ſolidorum quantitas non ad hæredem univerſalem dictæ quondam Reginæ revertatur, ſed ad Monaſterium ipſum ſanctæ Trinitatis, illiuſque Abbatiſſam & Moniales, quibus, ut illos recipere & retinere, ac in earum & prædicti ſui Monaſterii uſus & utilitates convertere libere & licite valeant, eadem auctoritate, de ſpeciali gratia indulgemus, perpetuis futuris temporibus pertineat.

Regis literæ non obſtent.

§. IV. Non obſtantibus Martini Regis, & Reginæ defunctorum hujuſmodi voluntatibus, & aliis in teſtamento dictæ Reginæ defunctæ contentis, quæ pro expreſſis haberi volumus, ac conſuetudinibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, conſuetudinibus & privilegiis Ordinum prædictorum, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, quibus omnibus, etiamſi de illis eorumque totis tenoribus ſpecialis & expreſſa mentio præſentibus habenda foret, quoad præmiſſa ſpecialiter deroganus, illis alias in ſuo pleno robore permanſuris, contrariis quibuſ-

buſcumque. Tenores vero litterarum determinationis, & inſtrumenti translationis hujuſmodi ſequuntur in hæc verba.

Translationis inſtrumentum.

§. V. *Circa factum reddituum perpetuorum & cenſuum Conventus noſtri ſancti ſpiritus, ſub nomine Eccleſiæ per Procuratorem, vel quomodolibet pro Fratribus noſtri Ordinis expendendorum, ſic eſt per R. P. Joannem Onefiber Vicarium Generalem Ciſmontanum in Congregatione Provinciali, in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu Barchinouen. hoc anno* MCCCCLVI. IV. *die menſis Decembris capitulariter celebratu, per Patrum conſilium & conſenſum, nſtum & concluſum. Et primo, omnes Patres, videlicet Vicarius Provincialis, definitores, diſcreti & vocales de conſilio ſuper hoc requiſiti, concordaverunt enim eadem R. P. Vicario Generali, dicentes & aſſerentes reditus hujuſmodi non poſſe ſtare cum veritate & puritate noſtri ſtatus & regulæ, cum nedum reditus, ſed & eorum uſus, etiam intelligendo de uſu facti ſimplicis, & non ſolum de uſu juris, nobis ſint illiciti & prohibiti, videlicet* extra. de verb. ſignificat. lib. 7. in Clementin. 5. Exivi de Paradiſo. *Ad idem eſt auctoritas quatuor Magiſtrorum famoſiſſimorum Regulam exponentium, ſcilicet Domin. & Magiſtri Alexandri de Hales, Joannis de Rupella, Roberti de Vaſcia, & fratris Reginaldi, & in idem conveniunt multæ aliæ auctoritates Doctorum, tam Theologorum, quam Juriſtarum, & hæc omnia fortiſſime approbat & confirmat optima legum interpres, ſcilicet regularis noſtri Ordinis generalis practica, & antiquiſſima conſuetudo. Secundo, cum, ut moris eſt, & juris noſtrorum ſtatutorum in Congregationibus & Capitulis noſtris Provincialibus, quatuor Patres principales eligantur canonice per omnes Vocales & diſcretos ſingulorum locorum, ad negotia Capituli quietius pertractanda: Ideireo prædicti Vocales & Diſcreti præter generalem ſubmiſſionem, ſeu compromiſſionem factam in illos quatuor, quos elegerant, dixerunt R. P. Vicario Generali eos omnes ſuper hoc percunctanti, quod contenti erant etiam in ſpeciali circa hoc factum reddituum ſancti Spiritus de eo, quod quidquid illud eſſet, quod cum Venerabilibus Patribus Vicario Provinciali Aragoniæ, fratre Martino Buerio, & quatuor Definitoribus, ſcilicet R. Magiſtro Eximeno de Podio, ſacræ Theologiæ profeſſore, fratre Joanne Boyls Gunrdimo Conventus ſanctæ Mariæ de Jeſu prope Valentiam, fratre Vincentio Trexell. Guardiano Dertuſino, & fratre Bartholomæo Campnis, ipſe R. P. Vicarius Generalis, una cum prædictis Vicario Provinciali, & quatuor Definitoribus, ipſius cauſa vocato etiam ex ſupernbundanti Ven. P. fratre Jacobo Garciæ, qui alias fuit Vicarius Provincialis, & immediatus prædeceſſor Vicarii jam præſentis, concluſit concorditer, nemine ex ipſis Conſiliariis diſcrepante, quod reditus omnes prædicti ex integro omnino, & totaliter alienarentur a Conventu ſancti Spiritus, etiam quoad uſum facti ſimplicem, & habito ſuper hoc propter temporalitatem ipſam conſenſu, & auctoritate Sereniſſimi D. Regis Aragonum, & ſi opus videatur, etiam ſanctiſſimi D. noſtri Papæ, quantum in eis fuerit, ſcilicet conſulendo & rogando, transferrentur cum ſuis etiam oneribus ſpiritualibus, ſi quæ habent annexa in Miſſis, vel aliis, in jus, ac proprietatem, & uſum perpetuum Monaſterii ſanctæ Trinitatis prope Valentiam, Ordinis ſanctæ Claræ, cujus Moniales pauperes ſunt, & ſecundam regulam D. videlicet Papæ Urbani, ſub qua vivunt, licite poſſidere talia poſſunt, & in hoc ſervabitur melius, imo & ratificabitur intentio teſtatricis, ſcilicet D. Mariæ quondam Reginæ Aragonum, quæ dictum Monaſterium ſancti Spiritus fundavit, & de noſtro ſtatu non ſatis informatu, præfatis reditibus dotavit, licet in talibus relictis & Legatis noſtro Ordini illicitis & prohibitis, non ſit ſervanda voluntas Teſtatoris, & expreſſe habetur* extra. de verb. ſignif. lib. 6. c. Exiit qui ſeminat,

ubi dicitur, quod ſi quis teſtamento diceret, lego domum Fratribus ad locandum, vel vineam ad colendum, aut ſimilia verba in ſimilibus proferret, a tali legato Fratres abſtineant omnino: per quod clare patet, quod ſi quæ ſunt contra ſui ſtatus veritatem & puritatem in ultimis voluntatibus legata, non debet in talibus voluntas Teſtatoris ſervari. Quarto, ordinatum eſt, quod Vicarius Generalis, Vicarius Provincialis, & Definitores, nominibus ſuis & Provinciæ, ſeu Capituli ſcribant ſuper hac materia ſanctiſſimo D. noſtro Papæ, & ſereniſſimo D. Regi, ac Illuſtriſſimæ D. Reginæ, ſupplicando & conſulendo, ut illo modo Conventus ille ſancti Spiritus citius exproprietur, & prædicti reditus transferantur ad Moniales ſanctæ Trinitatis, ut eſt dictum. Quinto, quod Fratres de cetero in ſancto Spiritu, facta expropriatione & & translatione hujuſmodi, ſtabant & morabuntur numero pauci, ſcilicet ſex, vel octo, aut decem, & de Divina potiſſimum providentia confiſi vivent, ut pauperes, de mendicatis, vel oblatis tam de civitate Valentiæ, vel Muriveteris, quam alias quantum, & quamdiu poterunt, vel ſi certa experientia indicante, notum fuerit, & compererint, quod aliter vivere non poſſint, facere poterunt congregationem grani, vini, & ſimilium in Conventu ſuo, juxta conceſſionem in caſu neceſſitatis D. Clementis Papæ V. in decretali. Exivi de Paradiſo, *ſuperius allegata. Sexto, injunxit prædictus Generalis Vicarius prædictis Vicario Provinciali & Definitoribus, & fratri Jacobo Garciæ, ut uſque ad tempus opportunum res iſta, quantum erit poſſibile, ſub ſecreto & ſilentio habeatur, ne forte, ſi immature veniat in publicum, aliquod impedimentum, quod abſit, poſſet per aliquem in hoc negotio præſtari. Ac inſuper injunxit eiſdem ipſe Vicarius Generalis, ut in hujuſmodi concluſionis per eos ſuper effectu & executione, omnem diligentiam præſtent & adhibeant, quo res ipſa optatum finem celeriter ſortiatur, ad Dei videlicet laudem, & conſcientiarum Fratrum exonerationem, quia ſemper & ab antiquo uſque ad præſens conſcientiæ Fratrum contra hujuſmodi reditus annuos ac perpetuos motæ ſunt, & quampluries ſtimulatæ, nec unquam quietabuntur, niſi ſi, & poſtquam illa domus fuerit totaliter expropriata. In quorum teſtimonium, ſupradicti Generalis, & Provincialis Vicarii, Definitores, & frater Jacobus Garciæ manus proprias præſenti ſcripto duxerunt apponendas, tempore Capituli ſuperius memorati, die & loco, & anno quibus ſupra celebrati. Quiefieber Vicarius Generalis, frater Martinus Bueno Vicarius Provincialis, frater Eximenus de Podio Definitor, frater Bartholomæus Campnis Definitor, frater Joannes Boyli Definitor, frater Vincentius Trexell Definitor, frater Jacobus Garciæ. In nomine Domini pateat univerſis; quod nos Alphonſus Dei gratia Rex Aragonum, Siciliæ, citra & ultra Farum, Valentiæ, Hieruſalem, Hungariæ, Majoricarum, Sardiniæ, & Corſicæ, Comes Barchinonæ, Dux Athenarum, ac Neopatriæ, ac etiam Comes Roſſilionis, & Centaniæ, ex litteris Ven. & Religioſorum virorum, Fratrum Quiefieber Vicarii Generalis ultra montes, Ordinis Minorum de Obſervantia, Martini Bueno Vicarii Provincialis, & Definitorum Ordinis ejuſdem provinciæ Aragoniæ intelleximus, quod convenientibus ipſis & aliis vocalibus, & diſcretis dicti Ordinis in Provinciali Capitulo celebrato per eos in Conventu ſanctæ Mariæ de Jeſu prope civitatem Barchinonæ, & tractantibus de negotio infraſcripto die* IV. *menſis Decembris proxime lapſi, anni a Nativitate Domini* MCCCCLVI. *ſervatis moribus, & juribus Statutorum ſuorum, circa electiones, commiſſiones, & compromiſſa, quæ ut quietius eorum negotia in hujuſmodi Provincialibus Capitulis tractentur, ſervanda fuerunt, ipſi prædicti Generalis, & Provincialis Vicarii, Definitoreſque, vocato etiam ex ſuperabundanti religioſo viro fratre Jacobo Garciæ, qui noviſſime*

ſime functus fuerat ipſo provinciali officio, omnes unanimiter conſenſerunt, dictuſque Generalis Vicarius, nemine ex prædictis diſcrepante, concluſit Monaſterium Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, ſub vocabulo ſancti Spiritus, prope Villam Muriveteris in regno Valentiæ, non poſſe eam veritate, & puritate regulæ ipſius haberi, nedum quoad uſum juris, ſed etiam quoad uſum ſimplicem facti, & quod propterea reditus ipſi ex integro omnino, & totaliter alienarentur, & eradicarentur ab ipſo Conventu, etiam quoad uſum facti ſimplicis. Et nihilominus ipſi Venerabiles Vicarii, & Definitores conſtituerunt, quod habito ſuper hoc aſſenſu, & auctoritate ſanctiſſimi D. noſtri Papæ, & noſtra propter ipſorum reditnum temporalitatem, reditus illi omnes transferrentur ad Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ, ſub vocabulo ſanctæ Trinitatis, quod per illuſtriſſimam Reginam Mariam conſortem noſtram cariſſimam extra muros Civitatis Valentinæ prope jam perfectum, conſtructum, cum ſuis Monialibus, juxta regulam eis traditam ab Urbano Papa liceat tales reditus obtinere, dummodo hujuſmodi tranſlatio fiat, cum oneribus ſpiritualibus, ſi quæ in Miſſis vel aliis fuerunt annexa reditibus ipſis, per bonæ memo. Mariam Reginam illuſtriſſimam, D. Martini Aragonum Regis avunculi, & prædeceſſoris noſtri conjugem, quæ dictum Monaſterium ſancti Spiritus ædificavit, & dotavit, ſicut hæc omnia & alia diffuſius vidimus contineri in quadam carta papyrea, manu dictorum Vicariorum & Definitorum, ac etiam ipſius fratris Jacobi Garciæ ſubſcripta, & ſigillis Vicariorum ipſorum ſigillata, facta loco, die & annis præfixis, quæ nobis una cum litteris ipſis fuit originaliter præſentata. Præterea fuit noſtræ Majeſtati exhibita copia cujuſdam inſtrumenti, ſeu privilegii ejuſdem prædictæ Reginæ Mariæ, prædicti illuſtriſſimi Regis Martini conjugis, continens in effectu, quod Regina ipſa, plurimis piis reſpectibus ibi expreſſis mota, ædificavit dictum Monaſterium ſancti Spiritus ſub dicta Regula ſancti Franciſci, & conſiderans locum illum ſolitarium, & ſeparatum ſatis eſſe ab incolatu Chriſtianorum, quorum eleemoſynis poſſent facile ſuſtentari, cupiens in eo loco eſſe quindecim religioſos viros, & eis de neceſſariis provideri, ſtatuit ex reditibus Vailiæ de Almonazir, quæ tunc erat dictæ Reginæ, dari ſingulis annis perpetuo juratis Civitatis Segorbiæ, quæ tunc Civitas etiam pertinebat ad dictam Reginam, quinque millia ſolidos regalium Valentiæ, quos etiam jurati ipſi conferre tenerentur eleemoſynaliter Procuratori dicti Monaſterii eligendo per Conventum, qui Procurator, modo illi tradito, ex illis providere teneretur neceſſitatibus dicti Conventus: Adjiciens Regina ipſa, ac ſibi retinens, quod ſi aliquo caſu emergenti contingeret, Ordinem illum annihilari & Conventum prædictum diſſolvi, quod prædicta omnia & ſingula per eam conceſſa & data, quæ etiam amortizata per eamdem copiam conſpiciuntur, ad ipſam, vel ad ſuos hæredes reverterentur, ipſaque vel hæredes ſui prædicti eadem omnia & ſingula, vel partem eorum poſſent alii Ordini ipſi, vel ipſius hæredibus ſuis placibili, qui ibidem valeret per eam, vel per ſuos hæredes immitti, conſtrui, atque poni, ad libitum aſſignari, ſicut prædicta, & alia in dicta copia dicti inſtrumenti dati in Monaſterio ſancti Bernardi noſtræ Civitatis Valentiæ XXI. *Octobris, anno a Nativitate Domini* MCCCCXLIV. *clauſi, & ſignati, per Guillelmum Ponti, ejuſdem Regis Martini ſecretarium, & publicum Notarium, vidimus latius contineri. Fuit inſuper exhibita nobis alia copia cujuſdam inſtrumenti continens in effectu, quod prædictus D. Rex Martinus, Avunculus noſter, tamquam Princeps & Dominus, ac ut pater, & conjuncta perſona illuſtris quondam Martini Regis Siciliæ filii ſui primogeniti, hæres prædictæ Mariæ Reginæ illius ſuperioris Martini conjugis, ac hujus noviſſimæ matris, & tamquam uſufructua-*

Eluarius bonorum omnium prædictæ Reginæ ejus uxoris, ac etiam tamquam alter ex manumiſſoribus teſtamenti dictæ Reginæ, omnibus dictis nominibus, & quolibet eorumdem, necnon frater Bartholomæus Bonracii, frater Joannes Eximeno, in ſacra Theologia Magiſtri, Ordinis Minorum, & Raymundus de Bonifico miles, omnes una eum aliis quibuſdam, & in ſolidum manumiſſores teſtamenti dictæ Reginæ, inhærentes, ut dixerunt, voluntati & diſpoſitioni Reginæ ejuſdem, de quibus eis conſtabat per illius teſtamentum, aſſignarunt & tradiderunt mille quingentos ſolidos annuales in nuda perceptione ſuper omnibus & ſingulis reditibus, proventibus, fructibus, emolumentis & juribus dictæ Vallis de Almonazir, pro victu & veſtitu ac omnibus aliis neceſſitatibus Fratrum dicti Monaſterii ſancti Spiritus, & præter hos etiam aſſignarunt alios quingentos ſolidos ſuper reditibus, fructibus, proventibus & juribus loci de Paterna, qui etiam fuerat dictæ Reginæ, convertendos quolibet anno in fubrica, ſeu reparatione Eccleſiæ & Monaſterii prædicti, modis & formis, ac etiam ſub retentionibus & conditionibus expreſſis per dictam Reginam in inſtrumento deſuper mentionato, de aſſignatione priorum quinque mille ſolidorum facta per ipſam ſuper juribus dictæ Vallis de Almonazir, ſicut hæc etiam continentur diffuſius in prædicta copia inſtrumenti prædicti Regis Martini, necnon & aliorum manumiſſorum prædictorum, quod datum & actum fuit in regali Civitate Valentiæ VII. *Junii, anno a Nativitate Domini* MCCCCVI. *Ad hæc autem accceſſit prædictæ Illuſtriſſimæ Reginæ uxoris noſtræ ſupplicatio continens, quod eum ipſa conjugali devicta amore, inexplicabilibus & diuturnis anxietatibus teneretur propter ardua & difficilia bella, quæ pro acquiſitione hujuſmodi citra Farum Siciliæ Regni, & aliis diverſis cauſis geſſimus, timens varios bellorum eventus, & volens ipſum conjugale debitum nobis ſolvere, præter orationum, & ſacrificiorum ſuffragia, quibus continuo erat intenta, inter alia pietatis opera voviſſet, ob has cauſas dictum Monaſterium Monialium Trinitatis ædificare, ad quod pro ſancta, & caſta converſatione Religioſarum ipſius, plures conveniunt, quæ diu, noctuque pro noſtro ſolici ſtatu Deum precantur; & quia facultates, quas ipſe Conventus obtinet, tenues ſunt & inſufficientes ad ſupportandum neceſſaria dictæ domus, & ſicut præfertur, ex determinatione dicti Provincialis Capituli ſancitum eſt, dictum Conventum S. Spiritus habere non poſſe dictos reditus, & quantum in eis eſt, illos tranſtulerunt in dictum Monaſterium Monialium Trinitatis, licet caſus retentionis factæ per dictam Reginam fundatricem dicti Monaſterii S. Spiritus non occurrat, eum nunc Ordo ille non annihilatus, imo roboratus, nec Conventus diſſolutus, imo reformatus dici poſſit, cum ab errore revocati ad ſaniorem Obſervantiam Regulæ ſuæ reducti ſint. Quia tamen tranſlatio redituum hujuſmodi facta eautius videbatur, ſi noſtra, ad quem, uti hæredem, aut ſucceſſorem dictæ Reginæ, & tamquam Dominum, & Regem ſpectare diverſis juribus videtur, auctoritate, licentia, & confirmatione roboratis, ac denique per nos fiat, ut ipſam hoc munere, quod ſibi cariſſimum futurum eſſe oſtendit, donare dignaremur, nobis magno animo ſupplicavit. Nos autem pereepto negotio hujuſmodi, & proſpecta retentione dictæ Reginæ Mariæ, quæ non videtur in hoc caſu locum vendicare, cum dictum Monaſterium ſancti Spiritus ſub eodem Ordine beati Franciſci, quo fundatum extitit, maneat, attentaque prædictæ illuſtriſſimæ Reginæ conſortis noſtræ ſupplicatione, quæ ſub zelo, & noſtri reſpectus intuitu, nos magnopere movet, & decreto dicti Provincialis Capituli inhærentes, necnon ad opus dicti Monaſterii Trinitatis, cujus laudabile teſtimonium ad nos pervenit, proſpicientes, lit omnibus & aliis, quæ nos digne movent, conſideratis, tenore præſentis privilegii, noſtri ſacri Conſilii prævia deliberatione matura, renunciationem*

di-

dictorum redituum factam, ſicut præfertur, per dictam Provinciale Capitulum, ſeu per Vicarium Generalem dicti Ordinis Minorum, cum conſilio, aſſenſu & voluntate Vicarii & Diffinitorum Provincialis Capituli, & translationem de eiſdem reditibus factam per eoſdem in dictum Monaſterium Trinitatis, Conventum, & Moniales ejuſdem, tamquam Rex & Dominus dicti Regni Valentiæ, & etiam ut hæres & ſucceſſor bonorum omnium, & jurium prædictæ bonæ memoriæ Reginæ Mariæ, fundatricis dicti Monaſterii ſancti Spiritus, ſicut melius & utilius ad eorum, & infraſcriptorum validationem dici, & intelligi poteſt, habentes & volentes haberi hic pro repetitis, & ſufficienter expreſſis omnibus, quæ dicta ſunt, & quæ dicenda & exprimenda fuerunt de diſpoſitione dictæ Reginæ Mariæ, in conceſſione quinque mille ſolidorum per eam aſſignatorum ſuper juribus & reditibus Vallis de Almonazir, & de aſſignatione per prædictum Regem Martinum in omnibus pie expreſſis, & per alios manumiſſores dictæ Reginæ ſuperius nominntos facta de aliis mille quingentis ſolidis annualibus ſuper eiſdem reditibus, & juribus Vallis de Almonazir, & de quingentis ſolidis pro fabrica dicti Monaſterii & ejus Eccleſiæ, aſſignatis ſuper reditibus & juribus dicti loci de Paterna, ut ſuperius dictum eſt, & de retentione & conditione adjectis, per dictam Reginam, & poſt per dictum Regem Martinum, & manumiſſores prædictos in caſu annihilationis dicti Ordinis, & diſſolutionis dicti Conventus, ſeu habitis pro inſertis ipſis aſſignationum inſtrumentis, ac etiam diffinitione dicti Vicarii Generalis, & Provincialis Capituli, de quibus omnibus ſumus pleniſſime informati; de certa ſcientia noſtra, motu proprio, & ex plenitudine noſtræ poteſtatis acceptamus, laudamus, approbamus, & noſtræ confirmationis præſidio roboramus, ipſoſque ſeptem mille ſolidos annuales & perpetuales, ſicut ſuperius conſignati ſunt, & jus illos petendi, & habendi, vobis venerabilibus & religioſis modernis & futuris Abbatiſſæ & Monialibus, ac Conventui dicti Monaſterii Trinitatis, Civitatis Valentiæ, pleno jure, intuitu etiam ejus Beatæ Genitricis Mariæ Virginis glorioſæ, damus, concedimus & aſſignamus. Et inſuper attendentes, quod ſicut præfertur, per prædictum Vicarium Generalem, cum conſilio & aſſenſu Vicarii, & Capituli Provincialis definitum & determinatum eſt, dictum Monaſterium ſancti Spiritus non poſſe cum veritate & puritate Regulæ ſuæ habere dictos reditus, etiam quoad ſimplicem uſum facti, & quatenus cum obſervatione Regulæ ſuæ fieri potuit, per eos proviſum eſt, ut Fratres dicti Conventus ſancti Spiritus, neceſſitatis caſu, eo quia ſegregati ſunt a populis Chriſtianis, facere poſſint congregationem frumenti & olei, & ſimilium in Conventu ſuo, juxta conceſſionem Domini Clementis Papæ V. in decretali: Exivi de Paradiſo, *& non occurrit ipſis Vicario & Capitulo alius modus, quo abſque peccato, & violatione Regulæ beati Franciſci, ſub cujus Obſervantia dicta Regina voluit Fratres dicti Monaſterii vivere, poſſint ipſi Fratres eſſe in dicto loco, quamquam confidimus de illius miſericordia, qui avibus cæli, quæ neque metunt, neque nent, providet, quod non deficiet ſervis ſuis, quos juſſit ſollicitos non eſſe, quid ederent vel biberent, aut quo operirentur, promittens illis, quod cæleſtis Pater, qui ſcit quibus opus habent, providet eis; verumtamen ſi quo caſu accideret, quod ipſi Fratres ſic mendicantes, aut ſibi, ut præfertur, providentes, aliquando in eo loco vivere nolient, aut non poſſent, quia ſatius eſſet dictum Monaſterium deficere, quam cum peccato manere, & proprius voluntati dictæ quondam Reginæ Mariæ fore exiſtimamus, mutare locum, quam Ordinem, cui Ordini benefacere voluit, & ſicut ipſa in dicta inſtitutione teſtatur, devota admodum fuit, iis omnibus attentis, ex nunc pro tunc, in dicto caſu, ſi accideret, de ſcientia, motu, poteſtate, & cum deliberatione prædictis, alterantes etiam & mutantes, ſi & qua-*

quatenus opus eſt, voluntatem dictæ Reginæ, dictos omnes reditus, videlicet tam quinque mille ſolidos annuales, per dictam olim Reginam, quam mille quingentos ſolidos ab una parte, quam alios quingentos ſolidos ab alia annuales, ut prædicitur, per dictum Regem Martinum, & alios manumiſſores prædictos aſſignatos dicto Monaſterio ſancti Spiritus, & jus illos petendi, & habendi, ejuſdem præſentis privilegii tenore, abſque derogatione acceptationis, laudationis, approbationis de iis per nos ſupra factarum, damus, concedimus & aſſignamus perpetuo vobis eiſdem venerabilibus ac religioſis Abbatiſſæ & Monialibus præſentibus & futuris, ac Conventui dicti Monaſterii Trinitatis extra muros Civitatis Valentiæ, per vos, aut veſtrum procuratorem idoneum aut quem volueritis loco veſtrum quovis titulo prædictorum ex nunc, & in dicto caſu, abſque interventu aliquo Juratorum Civitatis Segorbiæ, ſeu alterius cujuſcumque perſonæ, quo vobis, ſicut dictum eſt, licet talia habere & poſſidere, habendos & percipiendos ſingulis annis, terminis ſtatutis & ſolitis, videlicet ſex mille quingentos ſolidos, ex juribus & reditibus Vallis de Almanazir, & quingentos ſolidos, ex juribus & reditibus dicti loci de Paterna, cedentes & mandantes vobis eiſdem Abbatiſſæ, Monialibus præſentibus & futuris, & Conventui Trinitatis Valentiæ, omnia jura omneſque actiones reales & perſonales, mixtas, utiles, & directas, ac alias quaſcumque nobis, ut Regi, & Domino prædicto, ac etiam tamquam hæredi, vel ſucceſſori bonorum, & jurium dictæ quondam Reginæ Mariæ, ſeu alio quocumque jure, modo & cauſa pertinentes & pertinentia, in prædictis ſeptem mille ſolidis, ac adverſus quaſcumque univerſitates, corpora, collegia, aut ſingulares perſonas ratione ipſorum, quibus in judicio & extra poſſitis uti, & experiri, quemadmodum nos poteramus ante præſentem approbationem, acceptionem, laudationem, & confirmationem ac novam donationem, aſſignationem & conceſſionem, & poſſemus nunc, vel poſtea quomodocumque: mandantes firmiter & expreſſe, tenore hujuſmodi privilegii, vicem epiſtolæ in hac parte gerentis, Juratis, Conſilio & Univerſitati, Alaminis quoque veteribus, & Alianis Agarenorum dictæ Vallis de Almonazir præſentibus & futuris, necnon Vitali Caſtellano Duriz alias de Blanes militi, cujus eſſe dicitur dicta Vallis, Juratis quoque, & Conſilio, & Univerſitati, & Alaminis veteribus, Alianiæ Agarenorum dicti loci de Paterna, ac Juratis, Conſilio & Univerſitati Civitatis Valentiæ, cujus nunc dicitur eſſe dictus locus de Paterna, & aliis quibuſcumque, ad quos pro tempore hæc ſpectabunt, quatenus ſtatutis & ſolitis terminis reſpondeant ab inde perpetuo vobis dictæ Abbatiſſæ, Monialibus, & Conventui Trinitatis Valentiæ, videlicet dicti Officiales, Univerſitas, & Alania Vallis de Almonazir, de dictis ſex mille quingentis ſolidis, & dicti Officiales, Univerſitas, & Alania dicti loci de Paterna, & eorum Domini, de dictis quingentis ſolidis, necnon de reſiduis quibuſcumque, ſi quæ pro tempore præterito, & uſque in præſentem diem per eos debebuntur, ratione prædictarum aſſignationum, quæ quidem reſidua pariter vobis eiſdem Abbatiſſæ, Monialibus, & Conventui Trinitatis damus, & vos ſuper eiſdem in locum, & jus dictorum Fratrum ſancti Spiritus, ſeu Juratorum Civitatis Segorbiæ, quibus pro illis reſpondere tenebantur, ponimus & ſubrogamus, recuperaturis a vobis, ſive a veſtro Syndico & Procuratore, tam de reſiduis ipſis, quam de annuis ſolutionibus, prout ad quoſque eorum ſpectat, ſingulis vicibus apochas opportunas, eis valituras, & acceptandas, abſque nota cujuslibet quæſtionis, in quarum prima tenor hujus privilegii totaliter ſit inſertus, in aliis autem fiat de ipſo mentio ſpecialis; ipſis quoque Juratis Civitatis Segorbiæ præſentibus & futuris mandamus firmiter expreſſius inhibentes, ne amodo de perceptione dictorum ſeptem mille ſolidorum ſe modo aliquo intromittant: Quinimo ſi quæ reſidua præſentis,

tis, aut præteritorum annorum apud eos habunt, ea ad ſolam præſentis noſtri privilegii exhibitionem reſtituant & tradant vobis Abbatiſſæ, Monialibus & Conventui prædictis, ſeu veſtro procuratori, recuperando a vobis, vel ab ipſo Procuratore apocham opportunam, quam ad eorum cautelam, & plenam liberationem pro quantitate ſoluta ſufficere volumus. Mandamus etiam præſentibus & futuris quibuſvis receptoribus patrimonii, quod fuit prædictæ quondam Reginæ Mariæ, quod exitum dictorum ſeptem millium ſolidorum, ac reſiduorum quorumcumque ex ipſit admittant, & recipiant ſingulis annis, ipſis Officialibus, Univerſitatibus, & Aliamis dictæ Vallis de Almonazir, & loci de Paterna cuilibet pro ſua rata ipſis ſolvendis vobis, prout per vos deſuper traditum eſt, & Magiſtro Rationali Curiæ noſtræ in dicto regno Valentiæ, ſeu alii cuicumque, a dicto receptore computum audituro mandamus, quod ipſo receptore ponente in exitu reditus dictarum terrarum, dictos ſeptem mille ſolidos annuales, ac etiam reſidua, ſi quæ fuerint vobis ſoluta, & reſtituentibus apoebas opportunas, admittant illas in eorum computum, omni difficultate ceſſante. Ceterum ut dicta renunciatio, & translatio per dictos Vicarium, & Capitulum facta, noſtraque præſens acceptatio, laudatio & confirmatio, atque conceſſio, donatio & aſſignatio, remota omni ſcrupulo, firma & valida maneant, quamquam prædicti quinque mille ſolidi aſſignati, ut præfertur, per dictam Reginam cum eodem aſſignationis inſtrumento amortizati fuerint, nihilominus etiam cum hoc eodem privilegio, pro abundantioris cautelæ ſuffragio omnes dictos ſeptem mille ſolidos, de ſcientia certa, & poteſtate, ac motu prædictis amortizamus, & pro amortizatis haberi volumus & cenſemus: ita quod quibuſvis foris & privilegiis Regni Valentiæ hoc fieri probibentibus, cum quibus, ex poteſtate, ſcientia, & modo eiſdem diſpenſamus, non obſtantibus, ullo modo prædicta renunciatio, relaxatio & translatio, noſtraque laudatio, approbatio & confirmatio, donatio, conceſſio & aſſignatio firma maneant, & perpetua ſtabilitate ſubſiſtant. Per hoc autem nolumus, nec intendimus dictorum ſeptem mille ſolidorum rata in quibuſvis occurrentiis, ad quas pro illis teneamini, tamquam pro bonis de talento, aut forum noſtrum, vel officialium noſtrorum declinaveritis pro illis quomodolibet ad Judicem Eccleſiaſticum recurrendo, vel aliquis Eccleſiaſticus Judex de his ſe intromiſerit, eo ipſo quo prædicta, ſeu eorum aliqua attentata fuerit, ſeu faerint attentata, prædicti ſeptem mille ſolidi, & eorum proprietas ſint noſtro fiſco acquiſiti, & acquiſita retinenda, etiam nobis, & ſub hoc pacto prædicta omnia vobis concedimus, quod non poſſitis, nec valeatis dictos ſeptem mille ſolidos, nec aliquam partem eorum in uſufructu, perceptione, aut proprietate vendere, alienare, permutare, redimi pati, ſeu alias quomodolibet alterare, abſque expreſſa licentia & permiſſu noſtro, ſeu noſtrorum in dicto regno ſucceſſorum, ſub pœna commiſſi, quatenus vos dictæ Abbatiſſa & Moniales dicti Conventus præſentes & futuræ teneamini omnia onera ſi quæ pro Miſſis, vel aliis per dictam quondam Reginam Mariam vel ſui teſtamenti executores annexa fuerunt aſſignationi dictorum ſeptem mille ſolidorum, vel cuilibet parti eorum, ſubire, & eis ſatisfacere, necnon in Miſſis, & aliis Officiis & Sacrificiis ibi faciendis pro ſalute & felici ſtatu noſtro, & præfatæ Illuſtriſſimæ Reginæ conjugis noſtræ, dum vixerimus, ac pro ipſius quondam Reginæ Mariæ, & poſt obitum pro noſtra, Illuſtriſſimæque Reginæ conſortis noſtræ, noſtrorumque, & eorum prædeceſſorum omnibus orare, & orari facere teneamini: Illuſtriſſimæ igitur Reginæ Mariæ conſorti noſtræ prædictæ, & Joanni Regi Navarræ fratri cariſſimi, & Occidui Regni Locumtenentibus Generalibus noſtris, intentum noſtrum aperimus & dicimus; gerenti autem vices Gubernatoris, & Bajulo generali, Bajulis juſtitiæ, & aliis officialibus noſtris in dicto Regno Valentiæ,

& ſi-

& ſignanter dictis Magiſtro Rationali, ac Juratis Civitatis Valentiæ, & Vitali Caſtellano Duriæ, alias de Blancs, Juratis quoque, Conſilio, & Univerſitatibus, atque Alaminis veteribus, & Alianis dictæ Civitatis Segorbiæ, ac dicti loci de Paterna, & Vallis de Almonazir, & aliis ad quos ſpectabit, præſentibus & futuris, mandantes firmiter & expreſſe, quatenus noſtrum hujuſmodi privilegium, & contenta in eo juxta ſui ſeriem pleniorem, firmiter teneant & obſervent, tenerique faciant, & in nullo contraveniant, aut permittant quemlibet contraire, quanto ipſi Illuſtriſſimi Regina, & Rex vobis complacere, ceteri autem prædicti noſtram gratiam caram habent, iramque & indignationem noſtram, ſub pœna decem mille florenorum per quemlibet contrafacientem ſolvendorum erario noſtro cupiunt evitare, quibuſvis foris, privilegiis, pragmaticis, & aliis diſpoſitionibus, earumque & eorum præſictis, uſibus & obſervantiis, aliiſque in oppoſitum facientibus quibuſcumque non obſtantibus ullo modo, ſupplentes ex ſcientia & poteſtate prædictis omnes defectus & tollentes omne vitium, ſi qui, aut quod ratione ſolemnitatis omiſſæ, ſeu alia quavis cauſa in præſentibus quomodolibet cauſati aut commiſſi reperirentur: in cujus rei teſtimonium præſens privilegium fieri, & noſtra majori ſigillo pendenti juſſimus communiri. Quod eſt datum & actum in Caſtello novo noſtræ Civitatis Neapolis XXIV. *die menſis Martii, anno a Nativitate Domini* MCCCCLVII. *Regnorum noſtrorum anno* XLII. *hujus vero citerioris Siciliæ Regni* XXIII.

Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. XII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno III.

IV.

Conceduntur Indulgentiæ pro prædicto Monaſterio Valentino. Ibid. fol. 150.

Univerſis Chriſtifidelibus præſentes litteras inſpecturis.

Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuæ pietatis, quæ merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos quaſi quibuſdam allectativis muneribus, indulgentiis videlicet & remiſſionibus invitamus, ut exinde reddantur Divinæ gratiæ aptiores. Cupientes ergo, ut Monaſterium Monialium ſanctæ Trinitatis, Ordinis ſanctæ Claræ extra muros Valentin. quod, ut accepimus, cariſſima in Chriſto filia Maria Regina Aragonum, ſub honore & vocabulo prædictæ Trinitatis, de novo fundaſſe & conſtruxiſſe dicitur, pariter & dotaſſe, in quo Abbatiſſa & Moniales ſub regulari Obſervantia dicti Ordinis viventes exiſtunt, & in Divinis Officiis Altiſſimo famulantes &c. & ut futuris temporibus &c. congruis honoribus frequentetur &c. De Omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum miſericordia confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in eiſdem Trinitatis, & in dedicationis Eccleſiæ dicti Monaſterii feſtivitatibus, dictum Monaſterium devote viſitaverint annuatim, quinque annorum, & ad reparationem manus porrexerint adjutrices &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. XII. Kalendas Julii, Pontificatus noſtri anno III.

V. *Ut*

V.

Ut det facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum. Ibid. lib. 26. bullar. fol. 71.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Tarſen. & dilecto filio Abbati Monaſterii Filiaci, Gebennen. diœc. &c.

§. I. Piis Chriſtifidelium deſideriis gratum nos decet præſtare conſenſum, & ea quæ Religionis propagationem, cultus Divini augmentum, ac caritatis & pietatis opera concernunt, ut votivum conſequantur effectum, favore proſequi gratioſo. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici Ducis Sabandiæ nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilecta in Chriſto filia nobilis mulier Anna de Cipro, ipſius Ducis conthoralis, non modica devotione accenſa, cupiens terrena in cœleſtia, ac tranſitoria in æterna ſelici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis, ad Omnipotentis Dei, totiuſque cœleſtis Curiæ laudem & gloriam, & animæ ſuæ ſalutem, in loco de Inſula, in Civitate Gebennen. conſtituto, qui ab antiquo, ob certas differentias, interdictus dicitur, unum, ac aliud Monaſteria, ſive Conventus pro nonnullis Monialibus, ſive Sororibus Ordinis ſanctæ Claræ, aut hoſpitale pro pauperibus, & peregrinantibus inibi recipiendis & pie tractandis, prout ejus devotio dictaverit, in alio loco congruo & honeſto, in dominio ipſius Ducis, ſeu ejus liberorum ſito, ad hoc per ipſam Duciſſam eligendo, ſi ei loca ipſa per illum ſeu illos, ad quem vel ad quos ſpectat, dari & aſſignari contigerit, eligenda, cum Eccleſiis, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis fundari, erigi & conſtrui facere ferventer exoptat, dummodo ſibi ad id Apoſtolicæ Sedis ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte ejuſdem Ducis nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ipſius Duciſſæ propoſito favorabiliter annuentes, eidem Duciſſæ Monaſteria ſive Conventus, aut hoſpitale hujuſmodi cum Eccleſiis, campanili, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis & officinis hujuſmodi in locis ipſis erigendi & fundandi, ac conſtruendi, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos loca ipſa pertinuerint, donandi, aliaque circa hæc neceſſaria & opportuna faciendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum noſtris potiſſime temporibus ubique adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, ſi, & poſtquam, & loca ipſa ad hoc donata, & interdictum ipſum relaxatum fuerit, eidem Duciſſæ Monaſteria, ſive hoſpitale hujuſmodi cum Eccleſiis, campanili, campanis, cœmeteriis, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigendi & fundandi ac conſtrui faciendi, ac alia pro uſu & habitatione dictarum Monialium ſive Sororum, Vicario Provinciali ſubjiciendarum, aut hoſpitale pro receptione & pia contractatione pauperum & peregrinorum hujuſmodi, prout ipſius Duciſſæ devotio dictaverit, atque declaraverit, perpetuo deputandi, plenam & liberam, auctoritate noſtra licentiam elargiamini. Et inſuper omnibus & ſingulis Monialibus in ipſis Monaſteriis, ſive hoſpitali fundandis pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis prærogativis, indultis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, aliiſque gratiis & conceſſionibus, quibus ceteræ ipſius Ordinis perſonæ, & Monaſteria, ſive loca ubilibet potiuntur & gaudent, etiam uti & gaudere poſſint & debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus.

§. III. Ceterum vobis & cuilibet veſtrum, ſi Monaſterium in loco de Inſula hujuſmodi fundari contigerit, ad effectum fundationis hujuſmodi, dandi & aſſignandi, necnon ceteros Conventus Ordinis Fratrum Minorum in dominiis dicti Ducis conſtitutos, quos ipſe Dux ad hoc nominaverit, & eorum perſonas viſitandi, & ea quæ reformationis & correctionis adminiculo indigere videritis, debite corrigendi & reformandi, alia circa hæc neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, contradictores &c. dicta auctoritate Apoſtolica facultatem concedimus per præſentes. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. XV. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno III.

VI.

Ut det licentiam fundandi Monaſterium Clariſſarum, & ad illud tranſferendi aliquas Sorores Monaſterii de Baſico. Ibid. ex lib. 13. fol. 190.

Venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Meſſanen. &c.

§. I. Piis fidelium votis gratum nos decet præſtare aſſenſum, & ut ea, quæ Religionis propagationem, Divinique cultus augmentum, ac ſalutem animarum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes, etiam ſtatui perſonarum cum humilitate ad Nos recurrentium ſalubriter providendo. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Macaudæ de Calafatis, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, & Mitæ ejus natæ, mulierum Meſſanen. petitio continebat, quod ipſæ olim zelo devotionis accenſæ, ut mundanis abjectis illecebris Altiſſimo devotius famulari poſſent, ac cupientes terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, pro ſe, & progenitorum ſuorum animarum ſalute, ac ad laudem Divini nominis, ad Ordinem ſanctæ Claræ ſingularem gerentes devotionis affectum, ſe Religionem ingredi, & Ordinem prædictum profiteri, necnon pro uſu & habitatione Mnialium ejuſdem Ordinis, in qua Moniales Obſervantiæ dumtaxat, & nihil proprii habentes, quæ Altiſſimo dedicatæ eidem præſtent continuum famulatum, de bonis ſibi a Deo collatis, in Civitate Meſſanen. in loco ad hoc congruo & honeſto, quamdam domum dicti Ordinis erigere, fundare, ædificare & de novo conſtruere voverunt. Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, mulieres ipſæ votum hujuſmodi per eas ex devotionis fervore emiſſum, obſtantibus prohibitionibus, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, adimplere nequeunt. Quare pro parte Macaudæ & Mitæ mulierum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis domum prædictam, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigendi, fundandi, ædificandi & conſtruendi, ſeu erigi, fundari, ædificari ac conſtrui faciendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum, & regularem Obſervantiam noſtris præſertim temporibus intenſis deſideriis ubilibet vigere affectamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe

eſſe repereris, Macaudæ, & Mitæ prædictis domum prædictam pro uſu, & habitatione Sororum hujuſmodi, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prædictis, erigendi, fundandi, ædificandi, & de novo conſtruendi, ſeu erigi, fundari, ædificari, & de novo conſtrui faciendi, ac dilectæ in Chriſto filiæ Sorſtorgiæ, Sorori domus beatæ Mariæ de Baſico Meſſanen. ejuſdem Ordinis, prædictæ Macaudæ filiæ, de eodem Monaſterio ad domum prædictam cum tribus, aut quatuor ejuſdem domus beatæ Mariæ ſororibus, quas ipſa duxerit eligendas, tranſeundi, ac Sorſtorgiæ, & Sororibus prædictis, ac aliis ejuſdem Ordinis domum erigendam prædictam ſub obedientia ſuperiorum ſuorum inhabitandi, illamque perpetuo libere & licite retinendi, plenam & liberam, cujuſque ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate noſtra licentiam largiaris.

§. III. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, necnon dictorum Ordinum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen Ordinarii loci, ac parochialis Eccleſiæ ſemper ſalvo. Nos enim, ſi per te dictam licentiam largiri contigerit, ut præfertur, Sorſtorgiæ, & aliis Sororibus prædictis in prædicta erigenda domo commorantibus, præſentibus & futuris, dictæque erigendæ domui, ut omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis, & gratiis, dicti Ordinis domibus, & Sororibus per Sedem Apoſtolicam prædictam, vel alias generaliter conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere: ac Sorſtorgiæ, & aliis Sororibus prædictis, in eadem domo pro tempore commorantibus, ut annis ſingulis Abbatiſſam, ſeu Vicariam, quæ illis præſit, eligere & creare; quodque domus erigenda hujuſmodi, ac aliæ Sorores, per alium, quam per Vicarium domus beatæ Mariæ de Jeſu ejuſdem Ordinis Meſſanen. pro tempore exiſtentem viſitari nequaquam poſſint, nec debeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus pariter & indulgemus &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. XIII. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno III.

VII.

Ut permittat ædificari in oppido Viglevani Monaſterium Clariſſarum. Ex Reg. Cal. lib. 27. bullar. fol. 163.

Venerabili Fratri Epiſcopo Novarien. &c.

§. I. INjunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium digne peragere non ambigimus, ſi ad ea per quæ regularis caſtimoniæ, & Divini cultus ſubſequi ſperatur augmentum, Apoſtolicos favores jugiter extendamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Catarinæ Magiſtri Antonii de Burballis, de Terra Viglevani, Novarien. diœceſis, ac Franciſchinæ de Bellaciis, ac nonnullarum Sororum aliarum Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatarum, petitio continebat; quod cum ipſæ, quæ quamdam domum, quam in eadem terra communiter inhabitant, quamque de ipſarum propriis bonis ſibi a Deo collatis pro earum uſu & habitatione emerunt, & inibi continuo juxta hujuſmodi Ordinem Altiſſimo famulatum reddentes, reſident & commorantur, cupiant (cum ad hoc ſatis ampla & apta ſit) vehementer in Monaſterium Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, cum Abbatiſſali digni-

tate erigere & ordinare, ac erigi & conſtrui facere, cum Eccleſia, campanili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, tam pro earum, quam etiam pro aliarum ipſarum Sororum, & devotarum mulierum uſu & habitatione perpetuis, & Monaſterium hujuſmodi, poſtquam ſic conſtructum fuerit, ingredi & intrare, ac inibi ſub habitu regulari pro ipſarum animarum ſalute, devotis & ſinceris mentibus vivere affectent, ſi ad id Apoſtolicæ Sedis interveniat auctoritas. Quare pro parte dilecti filii nobilis viri Franciſci Sfortiæ Ducis Mediolani, & Catarinæ Franciſcæ, ac Sororum prædictarum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis, earum animarum ſaluti & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui continuum Divini cultus, & Religionis augmentum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & prædictam domum, in qua prædictum Monaſterium conſtrui, & ædificari deſiderant, accommodam, & idoneam eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eiſdem Catarinæ & Franciſchinæ, & aliis Sororibus prædictis, domum hujuſmodi in Monaſterium ſanctæ Claræ, ſub Ordine & Obſervantia hujuſmodi, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili humili, campana, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis prædictis, pro uſu & habitatione prædictis, cum Abbatiſſali dignitate erigendi & conſtruendi, ac erigi & conſtrui faciendi, & profeſſionem ejuſdem Ordinis emittendi, necnon omnia alia & ſingula, ad hoc neceſſaria pariter & opportuna exequendi, & eiſdem & earum ſucceſſoribus in dicto Monaſterio, poſtquam conſtructum fuerit, pro tempore degentibus, & ſub Ordine & Obſervantia hujuſmodi viventibus, alias in Sorores recipiendi, ibidem perpetuo remanendi & Altiſſimo famulandi, ut præfertur, ac ex illis in illo, prout in ceteris ejuſdem Ordinis Monaſteriis, Abbatiſſam eligendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Et inſuper ipſis Monialibus & Sororibus in eodem Monaſterio pro tempore degentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, Ordini prædicto, & aliis illius domibus per Sedem prædictam, & alias quomodolibet conceſſis, uti, gaudere libere & licite valeant, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, infra cujus limites dictum Monaſterium exiſtet, & alterius cujuslibet in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVII. IV. Non. Martii, Pontificatus noſtri anno III.

Anno Christi 1458. Calixti III. anno 3.

VIII.

Ut det licentiam fundandi Monaſterium Clariſſarum in urbe Meſſanæ. Ibid. ex lib. 36. fol. 223.

Venerabili Fratri Archiepiſcopo Meſſanen. &c.

§. I. Piis votis fidelium gratum nos decet præbere aſſenſum, & ea, quæ ad Religionis & laudabilium operum exercitium, cum animarum ſalutis propagatione tendere dignoſcuntur, ut debito effectui mancipentur, congruentibus gratiis & favore proſequimur. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Macaudæ de Calaſatis Tertii Ordinis ſancti

cti Franciſci, ac Mitæ ejus natæ, mulierum Meſſanen. nobis expoſito, quod ipſæ zelo &c. *ut ſupra in bulla 6. uſque ad*, illamque perpetuo libere & licite retinendi plenam & liberam, cujuſquam ſuper hoc licentia minime requiſita, auctoritate noſtra licentiam largireris, prout in ipſis litteris plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Macaudæ & Mitæ prædictarum petitio continebat, tu ad ipſarum litterarum executionem rite, & earum forma ſervata procedens, quia hujuſmodi præmiſſa, omnia & ſingula reperiſti vera eſſe, Macaudæ & Mitæ prædictis domum præfatam pro ſe, & aliis Sororibus prædictis, erigendi in domo ejuſdem hoſpitalis, eamque inhabitandi, & perpetuo retinendi, licentiam Apoſtolica auctoritate conceſſiſti.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dilecti filii veri patroni laici ejuſdem hoſpitalis, Aſcenſionis nuncupati, quod quondam Julianus de Jordano civis Meſſanen. in eadem Civitate de novo fundavit, ac in illo hoſpitalitatem ſervari, & nonnulla alia tunc expreſſa fieri voluit & mandavit, certis ipſius hoſpitalitatis Rectoribus & Gubernatoribus deputatis, pro eo quod quidam ipſius fundatoris hæredum hæredes in præmiſſis & circa ea ſe plurimum reddiderunt negligentes, & in eodem hoſpitali nulla prorſus ſervatur hoſpitalitas, ac bona in uſus pios per hæredes diſtribuenda, per dictos & nonnullos alios detinentur indebite occupata; ne ipſum hoſpitale ad miſerabilem illi imminentem ruinam totaliter deveniat, pro parte Macaudæ & Mitæ prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro religionis propagatione, animarum ſalute, & ipſius hoſpitalis reparatione, eis dictum hoſpitale recipiendi, & in illo Monaſterium ipſum cum Eccleſia, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis prædictis conſtruendi & ædificandi, illudque juxta aliarum litterarum earumdem continentiam & tenorem, perpetuo inhabitandi & retinendi licentiam concedere, ac alias earum ſtatui ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, poſtquam hæredes & patroni prædicti & alii, quorum intereſt, omnes jus ſibi in dicto hoſpitali, vel ad illud competens, Macaudæ & Mitæ prædictis donaverunt & conceſſerunt, ut præfertur, hoſpitale prædictum, ſi vacat, ex nunc, alioquin cum primum vacare contigerit, Macaudæ & Mitæ præfatis, ad effectum, ut illud in Monaſterium Monialium dicti Ordinis, cum Eccleſia, & officinis prædictis erigatur, eadem auctoritate noſtra tradas pariter & aſſignes: & nihilominus dilecto filio Vicario Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Provinciæ Siciliæ, & præſertim in Civitate Meſſanen. commoranti, quod Monialibus quæ in eodem Monaſterio, poſtquam erectum fuerit, pro tempore commorabuntur, in Miſſis & Divinis officiis, ac aliis, quæ ad animarum ſuarum profectum cedere dignoſcuntur, per idoneos, & probatæ vitæ religioſos dicti Ordinis deſervire facere teneatur & debeat, in virtute ſanctæ obedientiæ, omni prorſus privilegio eis per Sedem Apoſtolicam conceſſo, aut contradictione ceſſante, ſi tibi videatur expediens, eadem auctoritate injungas; non obſtante voluntate & ordinatione dicti teſtatoris, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. XVII. Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno III.

IX. *Ut*

IX.

Ut tradi faciant Eccleſiam beatæ Mariæ de Mianis ad conſtruendum Conventum Ordinis Minorum de Obſervantia, Ibidem ex lib. 39. fol. 123.

Dilectis filiis ſancti Laurentii Gratianopolitan. & de Burgeto ſancti Petri de Lemento, Gratianopolitan. diœceſis Prioratuum Prioribus &c.

§. I. EX debito paſtoralis officii, circa ea, per quæ cultus Divinus augmentatur, & perſonarum etiam Eccleſiaſticarum ſub Regulari Obſervantia Altiſſimo deditarum neceſſitatibus ſubvenitur, libenter intendimus, etiam in his adhibendo miniſterii noſtri partes. Dudum ſiquidem nobis pro parte dilecti filii nobilis viri Jacobi Comitis Montiſminoris nobis expoſito, quod, poſtquam dilectus filius nobilis vir Ludovicus Dux Sabaudiæ, vigore quarumdam litterarum ſel. record. Nicolai PP. V. prædeceſſoris noſtri, prout ex earum forma poterat, Eccleſiam beatæ Martæ de Miano, Gratianopolitanæ diœceſis, in dominio ipſius Ducis ſituatam, pro erectione & fundatione unius domus pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, campanili, campana humili, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, elegerat, ac ipſe Comes de bonis ſibi a Deo collatis domum hujuſmodi fundare & ædificare promiſerat, onuſque de recompenſando Rectore matricis & parochialis Eccleſiæ de Mianis, dictæ diœceſis, cui olim dicta Eccleſia beatæ Mariæ ex certis cauſis ordinaria auctoritate fuerat unita, in ſe aſſumpſerat; & cum de ipſius domus ædificatione & recompenſa hujuſmodi per Venerabilem fratrem noſtrum modernum Epiſcopum Gratianopolitan. & ejus in ſpiritualibus Vicarium Generalem tractaretur, Rector ipſe, qui, ſi domus dictorum Fratrum in eadem Eccleſia erigeretur, ab onere duarum Miſſarum in ſeptimana exoneratus remaneret ipſius unitate Eccleſiæ, in domo, platea, & alias tanto territorii ſpatio quod ad conſtructionem ipſam ſufficeret, de recompenſa quinquaginta florenorum partium illarum annuatim, quamvis aliæ decimæ & jura parochiæ dictæ unitæ Eccleſiæ ſibi remanerent, noluerat contentari, quinimo Communitas appellationes interpoſuerat, propter quod Dux, & Comes præfati eorum deſiderium in hac parte, & laudabile propoſitum adimplere, & domum ipſam conſtrui facere non potuerant; ac ſubjuncto, quod utilitas & emolumenta, quam eidem Rectori ex oblationibus, & recompenſa hujuſmodi eoſdem quinquaginta florenos ſuper ſecuris & perpetuis reditibus annuis eidem Rectori aſſignare paratus exiſtebat, eidem Epiſcopo per alias noſtras litteras, ejus proprio nomine non expreſſo, dedimus in mandatis, quatenus appellationibus hujuſmodi, ſi reperirentur, non obſtantibus, quas nullius eſſe roboris vel momenti declaravimus, per ſeipſum vocatis Rectore præfato & aliis, qui forent evocandi, de emolumentis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra ſe diligenter informaret, & ſi per informationem hujuſmodi, ad recompenſam dictum Comitem paratum cum effectu ipſius matricis Eccleſiæ, ac pro erectione & conſtructione præfatis, ſi fierent ſine Divini cultus diminutione, reperiret, Rectorem præfatum ad acceptandam recompenſam hujuſmodi induceret, & ſi opus foret, per cenſuram Eccleſiaſticam compelleret: ipſamque Eccleſiam beatæ Mariæ de Miano, cum domo, platea, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro domo dictorum Fratrum competen-

tentibus, a Matrice Eccleſia, & ſub recompenſa præfata ſegregaret & eximeret, prædictamque unionem, quantum ad præmiſſa dumtaxat, diſſolveret, minueret, & revocaret, illiuſque patronos, & eorum domos, quæ, ut idem Comes aſſerebat, forſitan quinque fore noſcebantur, ad eamdem matricem Eccleſiam per mediam leucam diſtantem vel circa, remitteret, ac alias omnia & ſingula jura parochialium ipſi Rectori remanere debere, decerneret & declararet, ac præfato Comiti domum prædictam pro uſu, & habitatione Fratrum hujuſmodi, cum dormitorio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis, alias juxta earumdem dicti prædeceſſoris litterarum tenorem ædificandi, ac ipſis Fratribus illam inhabitandi, & privilegiis etiam aliis domibus, & Fratribus dicti Ordinis conceſſis utendi licentiam & auctoritatem concederet, prout in eiſdem noſtris litteris plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Ducis, & Comitis prædictorum petitio continebat, licet judicio proborum virorum, dicta Matrix Eccleſia, decimis de Miano apud eam remanentibus, de ſumma centum florenorum ſimilium annuorum perpetuorum reddituum diceretur recompenſata, & Comes ipſe illam nihilominus per concordiam inter eum, & Rectorem prædictum, juramentis & cautelis adhibitis, & ipſius Epiſcopi auctoritate per eumdem Rectorem ſpecialiter reſervata, initam, centum & decem florenos ſimiles de hujuſmodi perpetuis & annuis reditibus eiſdem matrici Eccleſiæ & Rectori eſſet aſſignare paratus; tamen præfatus Epiſcopus ad præfatarum noſtrarum litterarum executionem debite & reverenter requiſitus, procedere, quo ſpiritu ductus neſcitur, omnino renuit. Quare pro parte dictorum Ducis & Comitis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in præmiſſis de opportuno remedio providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum noſtris præſertim temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, vocatis dicto Rectore & aliis, qui fuerint evocandi, ſi vobis & cuilibet veſtrum de dicta concordia inter Comitem, & Rectorem prædictos inita, ut præfertur, legitime conſtiterit, dictuſque Comes reditus & proventus annuos, & perpetuos centum & decem florenorum hujuſmodi matrici Eccleſiæ, & Rectori prædictis realiter & cum effectu, ceſſantibus omnibus deceptionibus, fraude & cavillatione, alias juxta inſtrumenti ſuper concordia hujuſmodi, ut aſſeritur, confecti tenorem, exhibuerit & aſſignaverit, ad totalem noſtrarum litterarum prædictarum, alias juxta illarum tenorem, executionem procedere; necnon præfatam Eccleſiam de Miano ab ipſa matrice Eccleſia per nos penitus ſegregatam & diſſolutam, cum domo, campo, prato, horto, hortalitiis, eorumque juribus & pertinentiis, pro conſtructione & ædificatione dictæ domus, pro uſu & habitatione dictorum Fratrum, ut præfertur, Comiti & Fratribus præfatis, concedere, tradere, & realiter aſſignare, necnon Comiti, & Fratribus prædictis prædictam domum cum Eccleſia, clauſtro, dormitorio, campanili, campana, aliiſque neceſſariis officinis ædificandi, eiſdemque Fratribus inibi perpetuo manendi, & Altiſſimo famulandi, ipſius Epiſcopi, vel cujuſvis alterius licentia minime requiſita, licentiam tribuere, auctoritate noſtra valeatis. Nos enim, ſi ad prædictarum litterarum executionem per vos procedi, & conceſſionem per vos hujuſmodi fieri contigerit, ut præfertur, Fratribus pro tempore in eadem domo exiſtentibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, ceteris domibus & locis Ordinis præfati, per Apoſtolicam Sedem gene-

neraliter conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere, auctoritate Apoſtolica concedimus per præſentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. IV. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno IV.

X.

Ut perficere poſſit domum Minorum de Obſervantia a ſe inchoatam. Ibidem lib. 27. fol. 485.

Dilecto filio nobili viro Marco Vicecomiti de Raban. Veneten. diœceſis &c.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria tua, ex quibus ſacræ Religionis propagatio, & animarum ſalus cum Divini cultus augmento procurantur, libenter ad exauditionis gratiam admittimus, & ut illa optatum conſequantur effectum, favorem Apoſtolicum libenter impertimur. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu de propria ſalute recogitans, terrenaque in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare deſiderans, unam domum ſive Conventum pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum ſub Vicario Generalis Miniſtri ipſius Ordinis Ultramontano, infra metas Villæ de Pontivi, Veneten. diœceſ. Dominio tuo ſubjectæ, in loco ad hoc congruo & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de bonis tibi a Deo collatis, zelo devotionis quem ad prædictum Ordinem geris, ductus, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia, erigi, conſtrui, & ædificari facere inchoaſti, quam nullatenus perficere intendis, niſi tibi ſuper hoc prædictæ Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi domum ipſam cum clauſtro, Eccleſia, campanili, campanis, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, clauſuris & ædificiis prædictis conſtruendi & ædificandi, & incœpta opera perficiendi, necnon Fratribus dicti Ordinis domum hujuſmodi pro illorum uſu & habitatione recipiendi, licentiam concedere, tibique de illis, & abſolutionis beneficio ab excommunicationis ſententia, ſi quam tu in erigendo domum ipſam, ac dicti Fratres illam recipiendo abſque dictæ Sedis licentia incurriſtis, providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur qui Religionis & cultus Divini hujuſmodi augmentum noſtris in temporibus, ſtudiis quærimus indefeſſis, præmiſſa, conſtructa & ædificata hujuſmodi rata & grata habentes, illaque ex certa ſcientia approbantes, & tam te, quam Fratres prædictos ab hujuſmodi excommunicationis, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis, ſi quas, præmiſſorum occaſione, incurriſti & incurrerunt, abſolventes, necnon cum ipſis Fratribus ſuper irregularitate, ſi quam, ſententiis hujuſmodi ligati, Miſſas & alia Divina officia non tamen in contemptum clavium celebrando, vel ſe illis immiſcendo contraxerunt, diſpenſantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi domum ipſam, una cum Eccleſia, campanili, campanis, clauſtro, refectorio, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis prædictis ædificandi, conſtruendi, & incœpta opera perficiendi, & Fratribus prædictis ibidem inſtituendi, illam pro eorum uſu & habitatione, juxta ipſius Ordinis Obſervantiam, qui eidem Vicario Generalis Miniſtri pro tempore exiſtenti ſubſint, & ſubeſſe cenſeantur, recipiendi & illam inhabitandi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam imper-

pertinuit. Et insuper Fratribus dicti Ordinis, de Observantia nuncupatis, in eadem domo pro tempore commoraturis, quod omnibus & singulis privilegiis, indultis, Fratribus ejusdem Ordinis per Sedem Apostolicam concessis, & quibus ipsi & eorum domus gaudent, uti & gaudere valeant, eadem auctoritate indulgemus: Jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo, & absque ejusdem parochialis Ecclesiæ præjudicio. Non obstantibus præmissis, ac felicis record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri &c. & aliis Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo &c. si quis &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. IV. Nonas Maii, Pontificatus nostri anno IV.

XI.

Ut det licentiam fundandi Monasterium Clarissarum in oppido Harlemen. Ibid. lib. 38. fol. 158.

Venerabili fratri Episcopo Trajectin. &c.

§. I. Piis fidelium desideriis gratum Nos decet præstare consensum, & ea, quæ Religionis propagationem, cultusque Divini augmentum respiciunt, ut optatum consequantur effectum, favore prosequi gratioso. Sane pro parte dilectorum filiorum Burgimagistrorum, ac Scabinorum, & aliorum oppidi Harlemen. tuæ diœcesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in præfata diœcesi sunt nonnullæ mulieres, summum erga Ordinem sanctæ Claræ devotionis affectum gerentes, quæ terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici commercio, ob frugem vitæ melioris, ad Omnipotentis Dei, & ipsius sanctæ Claræ laudem & honorem, in eodem oppido, vel ejus districtu, pro earum usu & habitatione, in loco ad hoc congruo & honesto, per ipsas mulieres eligendo, unum Monasterium dicti Ordinis, cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campanis, refectorio, hortis, hortalitiis, aliisque officinis necessariis de novo fundare, erigere & construere, seu erigi, construi & ædificari facere, ac in eo professionem juxta Regulam ejusdem sanctæ Claræ per fel. record. Innocentium Pontificem III. prædecessorem nostrum confirmatam, emittere regularem ferventer exoptant, dummodo eis ad id Apostolicæ Sedis suffragetur auctoritas. Quare pro parte eorumdem Rectorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut ipsarum mulierum pio proposito favorabiliter annuentes, eis Monasterium, sive Conventum hujusmodi cum Ecclesia, cœmeterio, campanili, campanis, refectorio, hortis, hortalitiis, & officinis hujusmodi, in dicto prædio, vel in parochia dicti oppidi, fundandi, erigendi & construendi, seu fundari, erigi & construi faciendi, ipsisque mulieribus, illud postquam constructum fuerit, recipiendi, & pro hujusmodi usu & habitatione perpetuo, sub regimine & cura Fratrum Ordinis Minorum, de Observantia nuncupatorum, quemadmodum sunt Conventus in Gonda, in Leydis, in Harlem, & alii Conventus de stricta Observantia, Provinciarum Coloniæ, & Franciæ, & nullius alterius obedientia, cura & regimine, retinendi, licentiam concedere, ac Monialibus in dicto erigendo Monasterio pro tempore commoraturis, quod omnibus & singulis privilegiis, immunitatibus, & indultis, aliis Monasteriis dicti Ordinis sanctæ Claræ Monialibus in illis commorantibus, per Sedem Apostolicam, & alias in genere concessis, uti valeant pariter & gaudere, indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus apud te ipſum viſis, & examinatis diligenter, quæ in præmiſſis, & circa ea fuerint attendenda, ſuper his provideas opportune: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. VII. Idus Maii, Pontificatus noſtri anno IV.

XII.

Ut quoddam judicium arbitrarium latum in præjudicium Minorum Obſervantium curet revocari. Ibid. lib. 39. fol. 14.

Venerabili fratri Guillelmo Epiſcopo Sareptanen. in diœceſi Tornacen. &c.

§. I. HUmilibus ſupplicationibus libenter annuimus, illaſque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem fel. record. Nicolao Papæ V. prædeceſſori noſtro, pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis hominum, ſive oppidanorum oppidi Cortracen. Tornacen. diœc. expoſito, quod ipſi pro Divini cultus augmento, & Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ad quem ſingularem gerebant affectum, propagatione, in Burgo, ſive ſuburbio dicti oppidi, quod admodum populoſum exiſtebat, & in quo tunc hactenus nullus Conventus Fratrum Mendicantium fuerat fundatus, loco utique ad hoc congruo & honeſto, in honorem ſanctæ Barbaræ, & ſub illius vocabulo domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum eorumdem, inibi ſub regulari Obſervantia Altiſſimo perpetuo famulaturorum, qui Provincialibus & Miniſtris pro tempore exiſtentibus ſubeſſe deberent, fundare & erigere, ſeu fundari & erigi facere ferventer deſiderabant: Idem Nicolaus prædeceſſor dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Petri juxta Gandavum, prædictæ diœc. dedit in mandatis, ut ſi ita eſſet, eiſdem hominibus domum cum Eccleſia, campanili, campana, horto, hortalitiis, & aliis officinis præmiſſis, in ſuburbio, ſeu Burgo hujuſmodi, in honorem & ſub vocabulo dictæ Sanctæ, pro perpetuis uſu & habitatione Fratrum eorumdem, dummodo dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ, in cujus temporali dominio dictum oppidum conſiſtebat, ad id expreſſe accederet aſſenſus, ſundandi & erigendi, aliaque deſuper neceſſaria & opportuna peragendi, necnon Fratribus eiſdem domum ipſam pro dictis habitatione & uſu recipiendi & perpetuo retinendi, diœceſani loci & cujuslibet alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, licentiam largiretur.

§. II. Et inſuper dictus Nicolaus prædeceſſor, poſtquam domus ipſa fundata & erecta foret, ut præfertur, omnibus & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis, quos in eadem domo pro tempore reſidere contingeret, ut omnibus privilegiis, indultis, libertatibus, exemptionibus, Ordini præfato, necnon ipſius domibus & perſonis, per Sedem Apoſtolicam, vel alias quomodolibet conceſſis, uti & gaudere libere & licite valerent, generoſe indulſit, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut pro parte dilectorum filiorum Generalis & Provinciæ Franciæ, Fratrum more, ipſius Ordinis Provincialis, & Miniſtrorum, ac Fratrum Ordinis & Provinciæ eorumdem, ſub regulari Obſervantia, & ſuis Miniſtris dicti Ordinis viventium, necnon nobilis viri Gualteri de Hallewin de Artis, dictæ diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat: Licet præfatus Dux, ad hoc

quod

quod dicta domus erigeretur & conſtrueretur, ſuum expreſſe adhibuiſſet aſſenſum, tamen cum erectio & conſtructio domus ejuſdem ex conceſſa ſuper hoc per præfatum Abbatem licentia, juxta formas dictarum litterarum, cœptæ fuiſſent, inter dilectos filios Decanum & Capitulum beatæ Cettarræ, ac Rectores parochialis Eccleſiæ ſancti Martini, dicti oppidi Eccleſiarum ex una, & Fratres ipſius Ordinis, qui domum hujuſmodi recepturi erant, ex alia partibus, occaſione erectionis hujuſmodi, & ſuper juribus parochialibus, dictis Rectoribus, ut aſſerebant, debitis, & alias, quod Decanus, & Capitulum aſſerentes juspatronatus dictæ parochialis Eccleſiæ ad ſe ſpectare, & Rectores prædicti in eorumdem Rectorum, & parochialis Eccleſiæ præjudicium ex ipſa erectione vergere prætendebant, orta exſtitit materia quæſtionis; & tamdem annuente dicto Provinciali & Miniſtro, quod hujuſmodi quæſtio, ſalvis dicti Ordinis privilegiis, amicabili compoſitione ſopiretur, præſentes ipſi ſuper his in certos arbitros arbitratores, & amicabiles compoſitores ſub certa forma concorditer compromiſerunt; ipſique arbitri, arbitratores, & amicabiles compoſitores hujuſmodi, compromiſſo in ſe ſponte ſuſcepto, arbitrium tulerunt inter partes, quod in gravem læſionem redundat privilegiorum prædictorum. Quare pro parte Miniſtrorum, necnon Fratrum ſub Obſervantia viventium dictæ Provinciæ, aſſerentium, quod promiſſum hujuſmodi per Fratres, qui illud annuerunt, contra tenorem litterarum dicti Provincialis, & Miniſtri temere factum extitit, & ipſum arbitrium etiam vergit fere in enervationem virium, & ſtatutorum & privilegiorum Ordinis antedicti, ac de Artis, qui pro complemento dictæ domus, cujus ipſe primum lapidem poſuit, largum ſubſidium contribuere velle dicitur, prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ut erectionis prædictæ cum ejuſdem domus complemento votivus ſuccedat effectus, dictique Ordinis indemnitati in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, ſi tibi legitime conſtiterit, compromiſſum hujuſmodi ex parte Fratrum prædictorum qui illud annuerunt, inutiliter fuiſſe factum, ſuper hoc, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, & hujuſmodi nullitate ceſſante, dictum arbitrium in præjudicium Ordinis, ac virium & ſtatutorum, & privilegiorum prædictorum enervationem, ut præfertur, redundare, ipſum arbitrium, etiamſi per aliquos dictorum Fratrum ſponte ſuſceptum fuerit, ad æquitatem, juxta juris communis diſpoſitionem, ſalvis ejuſdem Ordinis privilegiis, in quorum uſu canonico iidem Fratres exiſtunt, reducere procures, faciens, quæ in præmiſſis, & circa complementum dictæ domus, prævia reductione hujuſmodi, ſuper quo præſentium ſerie tibi poteſtatem concedimus, exequenda decreveris, ſub cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, firmiter obſervari. Non obſtantibus præmiſſis, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, per litteras Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno IV.

PIUS II.

Electus eſt XIV. *kalendas Septembris, coronatus* III. *Nonas Septembris.*

Anno Christi 1458. Pii II. anno 1.

I.

Ut det facultatem ædificandi Conventum Minorum in oppido Spetiæ. Ibid. lib. 1. bullar. Pii. fol. 209.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Venerii de Tiro, Lunen. diœceſis &c.

§. I. VOtis fidelium quorumlibet, illis præſertim, per quæ ſacræ Religionis ſubſequi ſperatur augmentum, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Univerſitatis, & hominum Terræ Spetiæ, Lunen. diœceſis, petitio continebat, quod cum in eadem terra nulla domus Ordinis Fratrum Minorum exiſtat, ipſi univerſitas, & homines conſiderantes quod magni fructus ex monitionibus, prædicationibus, & exemplari vita Fratrum prædictorum in ſingulis fere locis, in quibus illi commorantur, ſubſequi ſoleant, ſperantes pariter ad pacem & unionem inter habitatores & incolas dictæ terræ, qui ſatis copioſo numero ſunt, procreandam & conſervandam plurimum conducere, ſi unus locus, ſeu una domus dicti Ordinis pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum in dicta terra de novo erigeretur, libenter unam domum hujuſmodi, de Apoſtolicæ Sedis licentia de novo fundarent & conſtruerent in eadem, aut aliquam ad id aptam, & conſtrui & ædificari cœptam ampliarent & perficerent. Quare pro parte Univerſitatis & hominum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis unam domum hujuſmodi in dicta terra, vel ſecus muros ejuſdem de novo conſtruendi & ædificandi, aut aliquam conſtrui & ædificari cœptam ampliandi & perficiendi, dictiſque Fratribus illam, poſtquam conſtructa & ædificata, aut ampliata & perfecta fuerit, pro eorum uſu & habitatione, recipiendi & perpetuo retinendi licentiam concedere, aliaſque ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & ad id venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Lunen. conſenſus acceſſerit, Univerſitati & hominibus præfatis unam domum hujuſmodi cum capella, ſive oratorio, humili campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum in dicta Terra, vel prope muros ejuſdem, in loco tamen ad hoc congruenti & honeſto conſtruendi & ædificandi, aut aliquam domum ſive capellam jam conſtrui ſive ædificari cœptam, ampliandi & perficiendi, necnon dilecto filio Cuſtodi Tuſciæ, aliiſque Fratribus dicti Ordinis, ipſam, poſtquam conſtructa & ædificata, aut ampliata & perfecta fuerit, ut præfertur, pro eorum uſu & habitatione perpetuo retinendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. præ-

prædeceſſoris noſtri &c. aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi per te, vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, eiſdem Fratribus, qui in dicta domo pro tempore reſidebunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, eidem Ordini & Fratribus ejuſdem ab Apoſtolica Sede in genere conceſſis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Laterani, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. Nonis Septembris, Pontificatus noſtri anno I.

II.

Ut concedat facultatem Conventum Minorum Obſervantum conſtruendi in oppido Huſtenſi. Ibid. libro 1. bullarum de Curia, fol. 244.

Venerabili Fratri Epiſcopo Trajectien. &c.

§. I. Piis ſupplicum votis, illis præſertim, per quæ Divini cultus augmentum, & ſacræ Religionis propagatio cum ſalute animarum procuratur, libenter annuimus, & ut illa optato mancipentur effectui, cum a Nobis petitur, favorem Apoſtolicum libenter impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Judoci de Crucuraghen. militis, dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Cubicularii & Conſiliarii, ac dilectæ in Chriſto filiæ Eliſabeth Swilden conjugum, tuæ diœceſis, petitio continebat, quod ipſi provide conſiderantes, quod in capella extra mœnia oppidi de Huſt, dictæ diœceſis olim pro quibuſdam Beginis deputata, ſeu conſtructa cum cœmeterio, nullus ordo ſervatur, ac Miſſæ & alia Divina officia inibi raro celebrantur, necnon propenſius attendentes, quod circumquaque ad quinque leucas, vel circiter nulla eſt domus mendicantium, & præcipue Fratrum Ordinis Minorum, ad quos, maxime de Obſervantia nuncupatos, & ipſorum Religionem ſingularem gerunt devotionis affectum, & propterea ex defectu verbi Divini plures ſimplices ibidem commorantes, cum ſit patria multum populoſa, deviare poſſent, pio & ferventi deſiderio moti, capellam prædictam, quæ ad ipſorum, una cum notabilioribus regimen prædicti oppidi habentibus, & hoc plurimum deſiderantibus, diſpoſitionem pertinet, cum omnibus ſuis juribus, reditibus & pertinentiis, pro erectione unius domus, ſeu Conventus dictorum Fratrum Minorum, de Obſervantia Regulari, dare & donare, ac illam in domum, ſeu Conventum pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis de novo erigere, conſtruere & fundare, ſeu erigi, conſtrui, ac fundari facere cupiunt, ſi ipſis illud faciendi, ac prædictis Fratribus domum erigendam hujuſmodi, pro eorum uſu & habitatione recipiendi & inhabitandi, per Nos, vel Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Judoci & Eliſabeth prædictorum aſſerentium, quod in dicta capella quinque, vel ſex mulieres aut circiter, nullius diſciplinæ regularis commorantur, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis capellam prædictam in domum, ſeu Conventum eorumdem Fratrum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de novo erigendi, conſtruendi & fundandi, ſeu erigi, conſtrui & ædificari faciendi, necnon

Fra-

Fratribus ipſis illam pro eorum uſu & habitatione recipiendi, & inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui inter ceteros Ordines in agro Domini plantatos dictum Ordinem Fratrum Minorum de Obſervantia, claris ſuis exigentibus meritis, in viſceribus caritatis gerimus, ac ipſius propagationem, & Divini cultus augmentum noſtris potiſſime temporibus ſupremis affectibus deſideramus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, prædictis Judoco & Eliſabeth, ac aliis dicti oppidi regimen habentibus, dictam capellam cum cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum de novo erigendi, conſtruendi, & ædificandi, ſeu erigi, conſtrui & ædificari faciendi, necnon prædictis Fratribus ipſam erigendam domum, pro eiſdem uſu, & habitatione, ut præmittitur, recipiendi & retinendi, ac inibi perpetuo commorandi licentiam eadem auctoritate concedas. Nos enim, ſi eamdem licentiam eis per te, vigore præſentium concedi contingat, ut præfertur, omnibus & ſingulis Fratribus, quos in eadem erigenda domo pro tempore commorari contigerit, ut omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertartibus, exemptionibus, immunitatibus, & indultis, quibus alii ejuſdem Ordinis Fratres in genere utuntur & gaudent, uti & gaudere valeant, dicta auctoritate indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Boniſacii Papæ VIII. &c. ac aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. Nonis Octobris, Pontificatus noſtri anno 1.

III.

Concedit Superioribus Generalibus Religionum auctoritatem, & juriſdictionem ſuper omnes ſuos ſubditos ſtudentes in Univerſitatibus, non obſtantibus eorum privilegiis. Ex Roder. bulla 3.

Dilectis filiis Prædicatorum, Eremitarum ſancti Auguſtini, Carmelitarum atque Minorum, & aliorum Ordinum Mendicantium Generalibus.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ REligioſorum exceſſus, quos antiquus hoſtis eo ſollicitius ſuſcitat; „ quo eorum vitæ meritoriæ ardentius æmulatur, tanto amplius de- „ teſtantes, quanto ex illis majora ſcandala in mentibus fidelium oriuntur, „ ad illos puniendum, & caſtigatione debita coercendum, congruum nos „ decet remedium adhibere. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii „ Provinciales veſtrorum Ordinum laudabilem conſuetudinem diutius ob- „ ſervatam imitantes, nonnullos ex Fratribus Ordinum prædictorum ad „ hoc idoneos, ad litterarum ſtudia in locis, ubi illa vigere noſcuntur, cau- „ ſa adipiſcendi ſcientiæ Margaritam deſtinare conſueverint; quorum „ nonnulli, juvenili & humana fragilitate cauſantibus, interdum a ſemita „ rationis deviantes, diſcoli & vagabundi effici ſolent, & propriæ ſalutis „ immemores; quo fit ut ſuave jugum Domini contemnentes, Prælatis ſuis „ obtemperare, illorumque ſalutares correctiones, & diſciplinam effuge-

re,

„ re, quinimo deſpicere, & in ultimo deludere contendant, & ut impune
„ efficiant, Rectorum, gubernatorum & Conſervatorum ſtudiorum, ſive
„ privilegiorum eorumdem præſidia & patrocinia, quibus ſe protegi, &
„ tueri valeant, ſatagunt, exquiſitis modis implorant, ſe etiam ab ipſo-
„ rum Ordinum Superiorum juriſdictione, poteſtate & correctione exem-
„ ptos eſſe prætendentes, & ſimiliter Baccalaurei, Lectores, Bibliſtæ, ſive
„ alii Officiales pro tempore in domibus & Conventibus Civitatum & lo-
„ corum, in quibus ſtudia hujuſmodi vigere noſcuntur, deputati, cum ex-
„ ceſſus aliquos commiſerint, ſive aliter deliquerint, vel eorum inſcien-
„ tia, vel imperitia exigente, ab hujuſmodi eorum officiis depoſiti fuerint,
„ idipſum præſumere moliantur, in grave Ordinum prædictorum præjudi-
„ cium, animarum ſuarum periculum, regularis diſciplinæ vilipendium &
„ contemptum, ac ſcandalum plurimorum. Nos itaque attendentes, quod
„ ſi ad reprimendos exceſſus hujuſmodi, & talium præſumptiones temera-
„ rias cohibendum, nervus publicæ diſciplinæ lenteſcat, eorum voluntas
„ ſit proclivior ad peccandum, & impunitatis exemplum periculoſius in alios
„ derivetur: ac volentes ſuper iis de opportuno remedio providere, di-
„ ſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes & ſin-
„ gulos veſtrorum Ordinum profeſſores, qui, ſpiritu rebellionis aſſumpto,
„ talia perpetrare præſumpſerint, cujuſcumque gradus vel conditionis
„ exiſtant, niſi canonica monitione præmiſſa a cœptis reſipuerint, & debi-
„ tam a vobis pro commiſſis pœnitentiam humiliter ſuſceperint, ac manda-
„ tis veſtris efficaciter obtemperare ſtuduerint eum effectu, tamdiu excom-
„ municatos, ac omnibus magiſterii, baccalaureatus, lectoratus, bibliſta-
„ tus officiis, aliiſque dignitatibus & honoribus dictorum Ordinum exutos,
„ privatoſque auctoritate Apoſtolica nuntietis, & ab aliis ubi, quando &
„ quoties expedierit, nuntiari, & ſi eorum contumacia, protervitas, vel
„ rebellio id exegerit, carceribus ad pœnitentiam peragendam retrudi, &
„ mancipari faciatis, donec ſpiritu conſilii ſanioris reſumpto, veſtris mo-
„ nitionibus & mandatis ſtuduerint cum emendatione prioris vitæ humili-
„ ter obedire, & ab hujuſmodi excommunicationis ſententia meruerint a Se-
„ de Apoſtolica, vel a vobis abſolutionis beneficium obtinere. Non obſtanti-
„ bus quibuſcumque privilegiis, exemptionibus, libertatibus, indultis & gra-
„ tiis, ſtudiis generalibus quarumcumque Civitatum & locorum, Apoſtolica
„ vel quavis alia auctoritate conceſſis, etiamſi de illis eorumque totis teno-
„ ribus in præſentibus de verbo ad verbum habenda eſſet mentio ſpecialis,
„ eiſque ſpecialiter alias ſub forma certa & ſpecifica derogandum, quæ
„ eiſdem Fratribus, & profeſſoribus quo ad hoc nolumus in aliquo ſuffra-
„ gari, etiamſi de hoc in eiſdem caveretur expreſſe, ceteriſque contrariis
„ quibuſcumque: Aut ſi profeſſoribus Ordinum prædictorum, vel quibuſ-
„ vis aliis comuniter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod in-
„ terdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtoli-
„ cas non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto
„ hujuſmodi mentionem.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Domi-
„ nicæ MCCCCLVIII. XV. Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anno I.

IV. Ut

IV.

Ut det facultatem perficiendi domum Obſervantum in Terra Novarum. Ibid. *fol.* 191.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Stephani Terdonen. &c.

§. I. Ordinis Fratrum Minorum ſacra Religio, necnon perſonarum ipſius conſpicua merita promerentur, ut eis in his, quæ Divini cultus, dictæque Religionis augmentum concernunt, favorem benevolum impendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Joannis Calabriæ & Lotharingiæ Ducis, ac Univerſitatis & incolarum Terræ Novarum, Terdonen. diœceſis diſtrictus, & dominii Januen. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Univerſitas, incolæ & homines dictæ terræ, zelo devotionis accenſi, pro animarum ſalute & Divini cultus augmento, de bonis a Deo ſibi collatis, quamdam domum cum Eccleſia, ſub vocabulo ſancti Franciſci, extra muros dictæ terræ, pro uſu & habitatione perpetuis aliquorum ex Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, ſub Obſervantia Regulari ipſius Ordinis viventium, fundare & ædificare cœperunt, ac etiam pro maxima parte ad conſummationem perduxerunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Univerſitas, incolæ & homines prædicti cupiant domum eamdem cum Eccleſia, campanili, campanis, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis ad complementum uſque perducere, & illam eiſdem Fratribus dicti Ordinis, ſub hujuſmodi Obſervantia Regulari viventibus per eos regendam & gubernandam, concedere & donare; pro parte Ducis, Univerſitatis & hominum prædictorum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut eorum huic pio laudabilique propoſito grato concurrentes aſſenſu, eis domum prædictam, cum Eccleſia, & officinis hujuſmodi perficiendi, necnon eam dictis Fratribus concedendi & donandi, ac ipſius Ordinis profeſſoribus illam, abſque alicujus ſententiæ vel cenſuræ incurſu, recipiendi & perpetuo retinendi, & in ea conventualiter ſub Obſervantia regulari prædicta, juxta eorum, & dicti Ordinis ritus, mores & inſtituta perpetuo famulandi, licentiam concedere, ac alias opportune ſuper iis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Divini cultus augmentum, ac Religionis propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, Univerſitati, incolis & hominibus prædictis domum ipſam cum Eccleſia, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & officinis prædictis perficiendi, illamque eiſdem Fratribus donandi, concedendi & aſſignandi, eiſdem quoque Fratribus domum ipſam recipiendi, & perpetuo retinendi, ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. & quibuslibet aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris; jure tamen parochialium Eccleſiarum & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te eiſdem Fratribus concedi contigerit, Guardiano & Fratribus, qui in dicta domo pro tempore morabuntur, quod omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indulgentiis & gratiis, quibus ceteri Fratres dicti Ordinis in aliis illius domibus commorantes potiuntur & gaudent, potiri, & gaudere licite & libere valeant, de ſpeciali gratia concedimus per præſentes.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. XI. Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri anno I.

V. *Ut*

V.

Ut det licentiam ædificandi domum Obſervantum in oppido Burgenſi. Ibid. lib. 3. de diverſis formis. fol. 57.

Dilecto filio Præpoſito Monaſterii de Everſam per Præpoſitum ſoliti gubernari, Morinen. diœceſis &c.

§. I. Piis Chriſti fidelium deſideriis gratum nos decet præſtare conſenſum, & ea, quæ Religionis propagationem, cultuſque Divini augmentum reſpiciunt, ut votivum conſequantur effectum, favore proſequi gratioſo. Sane pro parte dilecti filii Joannis de Baruſt habitatoris oppidi Burgen. Tornacen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum præfatus Joannes, qui, ut aſſerit, dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ Conſiliarius, ac in præfato oppido ſupremus Ballivus exiſtit, ferventi devotione ad beatum Franciſcum, ac ipſius Ordinis Fratres, maxime de Obſervantia nuncupatos, accenſus, & conſiderans quod præfatum oppidum inter cetera illarum partium oppida, inſigne, famoſiſſimum & populoſum eſt, in quo nulla viget exemplaritas Regularis Obſervantiæ, maxime alicujus Ordinis Mendicantium, cupiens quoque terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad Omnipotentis Dei laudem & honorem, ac Divini cultus augmentum, domum ſuam propriam, in dicto oppido conſiſtentem, & ad ipſum legitime pertinentem, ad effectum quod illa in domum, ſeu Conventum pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum hujuſmodi erigeretur, etiam conſenſu, voluntate, & deſiderio ſuorum liberorum ad hoc intervenientibus, dilecto filio Segero de Huntslaere fratri, & Guardiano loci de Dixmuda, ejuſdem Ordinis, Morinen. diœceſis, in puram eleemoſynam perpetuo, expreſſe donavit & conceſſit, prout in litteris deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte ejuſdem Joannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi ſuo pio propoſito favorabiliter annuentes, donationi & conceſſioni hujuſmodi, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, ac ipſi Segero per ſe, vel ſuum Vicarium Provincialem Franciæ, aut alium ejuſdem Ordinis de Obſervantia Fratrem idoneum, donationem & conceſſionem eaſdem recipiendi, necnon dictam domum in Conventum cum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis erigendi, ſeu erigi faciendi, ac ipſis Fratribus illam, poſt erectionem hujuſmodi recipiendi, ac pro eorum uſu & habitatione, ſub regimine & obedientia dicti Vicarii Provincialis Franciæ perpetuo retinendi licentiam concedere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur pium ipſius Joannis propoſitum in Domino plurimum commendantes, ac Religionem ipſam propagari, cultumque Divinum noſtris potiſſime temporibus adaugeri cupientes; quique de præmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, donationem & conceſſionem prædictas, & quæcumque inde ſecuta, auctoritate noſtra confirmes & approbes; ac eidem Segero modo prædicto, eaſdem donationem & conceſſionem ſibi, ut præmittitur, factas recipiendi, dictamque domum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis,

tiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, ut præmittitur, erigendi, ac ipſis Fratribus illam poſt erectionem hujuſmodi recipiendi, pro eorum uſu & habitatione perpetuo, ut præmittitur, retinendi, eadem auctoritate, licentiam concedas. Nos enim ſi domum religioſam ipſam, ut præmittitur, erigi contingat, eidem Segero, ſeu Vicario Franciæ, aut alicui per eum deputato, ut Eccleſiam ipſam, per quemcumque maluerint Catholicum Antiſtitem, gratiam & communionem Apoſtolicæ Sedis habentem, dummodo ad hoc diœceſani loci intervenerit conſenſus, conſecrari facere, ac eidem Antiſtiti, ut illam conſecrare poſſit, facultatem, necnon univerſis & ſingulis Fratribus, in ipſa erigenda domo pro tempore commorantibus, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis & indultis, quibus ceteræ ipſius Ordinis perſonæ & etiam loca in gegenere ubilibet potiuntur & gaudent, etiam uti debeant pariter & gaudere, Apoſtolica auctoritate concedimus per præſentes: Non obſtantibus piæ mem. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri &c. ac quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque; jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. IV. Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri anno 1.

VI.

Ut poſſint retinere domum ſibi datam prope Villam Caſtri novi. Ibid. fol. 204.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus ſancti Petri de Chareriis, juxta Villam Caſtri novi, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatis, Viennenſis diœceſis &c.

§. I. Sacræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum ſub ſuavi contemplationis jugo, exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut veſtris piis votis, illis præſertim, per quæ Divini cultus augmentum cum ſalute animarum procuratur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod dudum dilectus filius nobilis vir Fulco de Monte canuto, miles, ac Dominus oppidi Caſtri novi, ſive de Gallabriis, Viennenſis diœceſis, de voluntate ac deſiderio dilecti filii nobilis viri Ludovici Delfini Viennen. & primogeniti cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Francorum Regis illuſtris, Eccleſiam ſancti Petri de Chareriis, juxta Villam Caſtri novi, ejuſdem diœceſis, in dominio dicti Delfini, tunc dirutam & ruinoſam, de conſenſu venerabilis fratris noſtri Antonii Archiepiſcopi Viennen. illius loci Ordinarii, & dilecti filii Prioris Prioratus ſancti Petri de Mantol, de ſui Superioris licentia, in domum ſeu locum pro uſu & habitatione veſtra fundavit & ædificavit, diſpoſuit & donavit; ac deinde pro firmiori ac certiori ſui deſiderii roboratione, fundationem, ædificationem, diſpoſitionem, donationem, & alia per ipſum circa hoc diſpoſita & ordinata, per dilectum filium noſtrum Alanum, tituli ſanctæ Praxedis presbyterum Cardinalem, tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatum, habentem ad hoc, ut dicebat, ſpecialem ab eadem Sede, per ejus litteras facultatem, confirmari & approbari obtinuit, prout in litteris dicti Legati, ejus ſigillo munitis, ac diverſis inſtrumentis publicis, & proceſſibus deſuper ab eodem habitis & confectis, dicitur plenius contineri.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de fundationis & erec-

erectionis, necnon ipsius Legati approbationis & confirmationis hujusmodi viribus plurimum hæsitetur, & præsertim constitutione sel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri obstante, & prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium, in aliqua Civitate, castro, vel villa, quæcumque loca, domos recipere, aut recepta mutare præsumant, absque Apostolicæ Sedis licentia, faciente de hujusmodi prohibitione plenam & expressam mentionem. Pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro vestrarum conscientiarum serenitate, fundationi, erectioni & donationi prædictis, pro illarum subsistentia firmiori, robur Apostolicæ confirmationis adjicere, aliasque in præmissis opportune providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, ac Divinum cultum ubique vigere & augeri, supremis affectibus desideramus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fundationem, erectionem & donationem prædictas, ratas & gratas habentes, illas, ac omnia & singula eas concernentia in dictis litteris dicti Legati contenta, & inde secuta quæcumque, auctoritate Apostolica, & ex certa scientia approbamus & confirmamus, supplentes omnes defectus, si qui forsan interveniissent in eisdem, ac decernentes vos propter acceptationem domus hujusmodi, & illius habitationem, excommunicationis sententiam, aut inhabilitatem, vel irregularitatem minime incurrisse. Et nihilominus vobis nunc, & pro tempore in ipsa erecta domo sub obedientia Vicarii Generalis Ultramontani degentibus Fratribus & personis, ut omnibus & singulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, aliis domibus, ac personis prædicti Ordinis Minorum per Sedem Apostolicam, aut alias in genere, vel in specie concessis, uti & gaudere libere & licite valeatis, eadem auctoritate concedimus & indulgemus. Non obstantibus prædicta, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque: jure tamen parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Nulli ergo &c. si quis &c.

Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. v. Idus Januarii, Pontificatus nostri anno 1.

VII.

Inſtituuntur Conſervatores Fratrum provinciarum Franciæ, Burgundiæ, Coloniæ. Ex Monum. MSS. prov. Coloniæ, & ex lib. 31. Bul. fol. 51.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Biſuntin. & dilectis filiis Middelburgen. ac ſancti Nicolai extra muros Furnen. Trajectin. & Morinen. diœc. Monaſteriorum Abbatibus &c.

§. I. SUb Religionis habitu piæ vitæ studio vacantibus, & præsertim in domo Domini fructus afferentibus salutares, ita debemus esse propitii, sicque illorum privilegia & jura tueri, & volumus propensius a dispendiis præservare, ut in prædicationibus, & aliis Divinis beneplacitis obsequiis exequendis, nequeant malignorum obstaculis impediri. Cum itaque, sicut pro parte dilectæ in Christo filiæ, nobilis mulieris, Isabellæ Ducissæ Burgundiæ, fuit nobis nuper expositum, tam de Dixmuda, quam diversorum aliorum locorum in dominio dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ consistentium, & ad humilem supplicationis instantiam tam Ducis, quam Ducissæ prædictorum, cum licentia Sedis Apostolicæ fundatorum Conventuum, Ordinis Fratrum Minorum, de Observantia nuncupatorum Fratres ad seminandum Verbum Dei, per Rectores parochialium Ec-

Eccleſiarum, vel alios canonice requiſiti, ab aliis Fratribus diverſorum Ordinum, in magnum ſcandalum & magnam perturbationem populi, ſæpe impediantur. Pro parte tam Duciſſæ, quam Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum hujuſmodi, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere, paterna diligentia curaremus.

§. II. Nos igitur, ad quos pertinet adhibere ſuper his vigilantiæ noſtræ curas, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, per vos vel alium ſeu alios, de Dixmuda & aliorum Conventuum, provinciarum Franciæ, Coloniæ, ſeu Burgundiæ, fratribus Vicariis ſubjectis, quorum nomina, loca & diœceſes haberi volumus pro expreſſis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtendo, non permittatis eos vel aliquem ipſorum, contra tenores privilegiorum eis, ac præfato Ordini a Sede Apoſtolica, vel aliis conceſſorum vel concedendorum, per Fratres ejuſdem Ordinis, ac quoſcumque alios, quomodolibet in eorum prædicationibus moleſtari, vel in eorum terminis, ſecundum dicti Ordinis laudabilem, quoad illas Provincias, conſuetudinem, aut alias in Divinis officiis perturbari, ſeu eis injurias vel offenſas irrogari, ne hi, qui in Regulari Obſervantia, animarum ſaluti intendunt, in ſuis privilegiis, ac Apoſtolicis indultis ab aliis quibuſcumque injuſte lædantur. Cum hos non minoris gratiæ dignos aliis ejuſdem Ordinis Fratribus judicemus, nec minus privilegiis a ſummis Pontificibus prædeceſſoribus, ſeu a nobis dicto Ordini conceſſis, uti debere & gaudere, ſed ipſos omnes in privilegiis Apoſtolicis dicto Ordini conceſſis, pacem ſervare volumus, & ſecundum tenorem noſtræ proviſionis, ad laudem Dei, & populi ædificationem requirimus & mandamus, moleſtatores, perturbatores, injuriatores & contradictores quoslibet & rebelles, necnon Fratres de prædictorum Vicariorum obedientia, contra noſtram proviſionem ſugientes, ut ad obedientiam ſuorum Prælatorum redire, & eis ſecundum tenorem dictæ noſtræ proviſionis obedire teneantur, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia opportuna juris remedia, compeſcendo & compellendo, invocato ad hoc auxilio, ſi opus fuerit, brachii ſecularis. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, illa præſertim, quæ incipit: *Statutum*, quod circa Judices, ac de duabus dietis in Concilio Generali, necnon de perſonis, ultra certum numerum ad judicium evocandis, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus & ordinationibus contrariis quibuſcumque: Aut ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi & excommunicari, aut extra, vel citra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per litteras Apoſtolicas &c.

§. III. Ceterum volumus, & auctoritate Apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis ille inchoans nullo fuerit impedimento legitimo præpeditus, quodque a data præſentium ſit vobis & cuilibet veſtrum in præmiſſis omnibus & ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris perpetuata poteſtas & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in præmiſſis omnibus & ſingulis cœptis & non cœptis, præſentibus & futuris, & pro præmiſſis procedere, ac ſi præmiſſa omnia & ſingula, coram vobis cœpta &c. necnon juriſdictio veſtra, & cuilibet veſtrum, per citationem, vel alium modum perpetua legitimum extitiſſet: conſtitutione ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtantibus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLVIII. XIV. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno I.

VIII. *Dat*

VIII.

Dat eis amplam facultatem confeſſiones audiendi, & abſolutiones conferendi. Ibidem.

Dilectis filiis univerſis Guardianis domorum Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in dominiis dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ conſiſten. &c.

INjunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium nos excitat & inducit, ut piis & humilibus votis, illis præſertim, per quæ ſalus animarum procuratur, quantum cum Deo poſſumus, favurabiliter annuamus. Hinc eſt quod dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris, Iſabellæ Duciſſæ Burgundiæ, in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & viceſgerentibus veſtris pro tempore exiſtentibus, in veſtra abſentia dumorum hujuſmodi, & poſtquam per diœceſanos locorum ad audiendas confeſſiones admiſſi fueritis, ſeu ipſi viceſgerentes fuerint, & ab iiſdem Ordinariis, per ipſorum patentes litteras licentiam expreſſam confeſſiones audiendi habueritis, ſeu habuerint, confeſſiones Chriſtifidelium ad veſtras domos & Eccleſias pro tempore confluentium, in Eccleſiis ipſis dumtaxat audire, & pro commiſſis, dummodo talia non fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica merito fuerit conſulenda, debitam eis abſolutionem impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere libere & licite valeatis & valeant, conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus: jure tamen parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ, MCCCCLIX. pridie Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno 1.

IX.

Ut det facultatem Marchioni Arboreæ domum Obſervantum ædificandi in Inſula Sardiniæ. Ex reg. Pii II. lib. 1. de diverſis formis. fol. 136.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Arboren. &c.

§. I. PIis fidelium votis, illis præſertim quæ Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem reſpiciunt, libenter annuimus, & his, per quæ animarum ſalus procuratur, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilecti filii, nobilis viri Antonii, Marchionis Arboreæ, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſe dudum pie conſiderans in Inſula Sardiniæ nullam fore domum Ordinis Fratrum Minorum ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum; quodque raro in eadem Inſula inveniuntur viri religioſi, & præſertim dicti Ordinis, qui ſeculares perſonas ibidem reſidentes poſſint in verbo Dei inſtruere, aliaque pro ſalute animarum ſuarum neceſſaria exercere, ſingulari devotione, quam ad Ordinem ipſum gerit, unam domum pro uſu & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, de Obſervantia nuncupatorum, qui ibidem Altiſſimo deſervirent, de bonis ſibi a Deo collatis, de novo fundare, & pro hujuſmodi fundatione facienda, certum locum eiſdem Fratribus elargiri ſummopere deſiderat. Quare pro parte dicti Marchionis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi intra ſua dominia unam domum Fratrum, ſub invocatione beati Franciſci, pro-

pro uſu & habitatione unius Guardiani & Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum, ſub eadem Obſervantia Regulari degentium, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in loco ad hoc apto & congruo, faciendi, erigendi, conſtruendi & ædificandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum & Religionis augmentum intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, præfato Marchioni & Comiti unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Guardiani & Fratrum, de Obſervantia nuncupatorum eorumdem, aliquo loco ad hoc convenienti & congruo, intra ſua dominia, de bonis a Deo ſibi collatis, de novo erigendi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, conſtrui & ædificari faciendi, dictiſque Fratribus, de Obſervantia nuncupatis, domum prædictam pro eorum uſu & habitatione recipiendi, & inibi ſub Regulari Obſervantia dicti Ordinis Altiſſimo famulandi, plenam & liberam licentiam, auctoritate noſtra concedas: Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. ac aliis ordinationibus & conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialium Eccleſiarum & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. XVIII. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno 1.

Anno Christi 1459. Pii II. anno 2.

X.

Ut det facultatem duas domos ædificandi Obſervantibus in Inſulis Minoricæ & Iviçæ. Ibid. fol. 72.

Dilecto filio Decano Eccleſiæ Majoricen. &c.

§. I. SUper gregem Dominicum noſtræ vigilantiæ creditum intenti ſpeculatoris officium, prout nobis ex alto conceditur, extendentes, ad ea libenter intendimus, per quæ ſacra dilatatur Religio, & fidelium quies, & ſalus provenit animarum. Sane pro parte dilectorum filiorum incolarum, & habitatorum Minoricæ & Iviçæ Inſularum, Majoricen. & Terraconen. diœc. nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſi conſiderantes, quam magni & uberes fructus ex prædicationibus, monitis & exemplari vita dilectorum filiorum Fratrum domus ſanctæ Mariæ de Angelis extra muros Majoricen. Ordinis Fratrum Minorum, ſub Regulari Obſervantia degentium, poſt conſtructionem dictæ domus Inſulæ Majoricen. ſubſecuti ſunt, ſperanteſque, quod ſi in eiſdem duabus Inſulis, quæ Inſulæ Majoricen. ſat propinquæ, & in quibus nullæ domus eorumdem Fratrum exiſtunt, aliquæ domus hujuſmodi pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum conſtruerentur, ſimiles in eis fructus, tam quoad inimicitiarum & diſcordiarum inibi vigentium ſedationem, quam alias dietim ſubſequerentur, ſingulas domos pro uſu & habitatione Fratrum hujuſmodi in ſingulis ipſarum Minoricæ & Iviçæ Inſularum, libenter conſtrui & ædificari facerent, ſi ipſis ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam licentia concederetur. Quare pro parte incolarum & habitatorum prædictorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum voto ſuper his opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & ad id venerabilium fratrum noſtrorum Archiepiſcopi Terraconen. & Epiſcopi Majoricen. conſenſus acceſſerit, incolis & habitatoribus antedictis, ut ſingulas domos hujuſmodi, in ſingulis Majoricen. & Iviçæ Inſulis præfatis, & locis ad id congruentibus & honeſtis cum Eccleſia, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruere, aut conſtrui & ædificare facere, necnon eiſdem Fratribus ſub hujuſmodi Obſervantia degentibus, ut ſingulas domos prædictas, poſtquam conſtructæ & ædificatæ fuerint, pro eorum uſu & habitatione recipere, & perpetuo retinere libere & licite valeant, eadem auctoritate licentiam largiaris. Nos enim illis ex Fratribus Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, qui in domibus hujuſmodi pro tempore commorabuntur, ut omnibus & ſingulis immunitatibus, privilegiis, exemptionibus, & indultis, aliis Fratribus, & domibus ejuſdem Ordinis conceſſis, uti, potiri & gaudere poſſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. &c. aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Mantuæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. X. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno II.

XI.

Domus Inſularum Balearium eriguntur in Cuſtodiam. Ex lib. 34. bullarum Pii II. fol. 247.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. IN eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino conſtituti, pro ſingulorum Religioſorum in quibuſvis mundi partibus conſiſtentium, ſtatu ſollici eſſe compellimur, & ea tenemur ſincera mente complecti, quæ ad Regularis Obſervantiæ incrementum pertinent, & per quæ ſtatus Religioſorum hujuſmodi valeat ubilibet efflorere. Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, in Inſula Majoricæ commorantium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum tam eadem Majoricæ, in qua una domus Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ, ſub invocatione beatæ Mariæ de Angelis, extra muros Majoricen. conſtructa eſt, & alia de præſenti conſtruitur in Villa Sulleris, ejuſdem Inſulæ, quam Minoricæ, & Ivicæ Inſulæ, Majoricen. & Terraconen. dioec. in quibus, ut duas alias domos dicti Ordinis de novo conſtruere & ædificare poſſent, dilectis filiis illarum incolis, ſub certo modo & forma licentiam concedi mandavimus, adeo a Regno Aragonum diſtent, ut ad illas, quæ quaſi in medio inter littora Europæ & Africæ ſitæ ſunt, de dicto Regno ſine maxima difficultate, & propter pravitatem Sarracenorum in eiſdem fretis converſantium, etiam captivitatis & ſervitutis periculo navigari non poſſint, contigerit, ut Vicarius Provinciæ Aragoniæ, infra cujus limites prædicta conſtructa domus fore cenſetur, ad illam pro exercendo viſitationis officio perraro, vel numquam accedat; ſiquidem ipſa domus, ex quo conſtructa fuit, ſemel dumtaxat, &

tunc

nunc quidem non ex propoſito, ſed prædicto Vicario per mare, ad Romanam Curiam proficiſcente, & forte ad eamdem Inſulam appellente, viſitata fuit. Quare pro parte tam Fratrum prædictorum, quam dilectorum filiorum Juratorum Inſularum prædictarum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad hoc, quod domus ipſæ tam conſtructæ, quam in eiſdem Inſulis conſtruendæ, per aliquem eorum ſuperiorem frequentius viſitari, necnon, cum opus fuerit, reformari, & in eadem Obſervantia manuteneri valeant, domos ipſas ſub una cuſtodia, quæ Majoricen. nuncupetur, erigere, & alias dictarum domorum ſtatui opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui religioſarum perſonarum, & locorum profectum, quoad poſſumus, procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, in eadem Inſula Majoricen. unam Cuſtodiam, quæ Majoricen. nuncupetur, & cui omnes & ſingulæ tam conſtructæ, quam conſtruendæ in eis domus dicti Ordinis & Obſervantiæ ſubſint, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium de novo creamus, facimus & erigimus, illamque per unum Cuſtodem triennalem perpetuo regi volumus; necnon ſtatuimus & ordinamus, quod cuſtos ipſius Provinciæ per univerſos Fratres vocales earumdem domorum, alias juxta morem Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, de triennio in triennium eligatur, qui ſic electus per Vicarium dictæ Provinciæ Aragoniæ ſine contradictione vel difficultate qualibet, ſi tamen alias ſit idoneus, confirmari debeat, quod triennium volumus inchoari ad beneplacitum Fratrum dictæ domus S. Mariæ de Angelis nunc de præſenti ibidem commorantium: poſtquam vero electionem ſive confirmationem acceperit, Fratres earumdem domorum juxta regularia inſtituta ſive conſtitutiones Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi, ſalubriter regat & dirigat, necnon ſuper illis, tam in foro conſcientiæ, quam judiciali illam & eamdem poteſtatem habeat, quam prædictus Vicarius ſuper Fratres dictæ Provinciæ ſibi ſubjectos habet, ac alia omnia & ſingula facere & exercere valeat, quæ idem Vicarius in Provincia ſua facere & exercere poteſt: Vicarius vero prædictus nullum ex Fratribus dictæ Cuſtodiæ habere, vocare, aut de loco ad locum transferre valeat, niſi de expreſſo ipſius Cuſtodis aſſenſu; ſi qui vero ex Fratribus Cuſtodiæ memoratæ ab ea pro tempore, ſine ipſius Cuſtodis licentia receſſerint, fas ſit eidem Cuſtodi illos undecumque ad dictas Inſulas ſub cenſura Eccleſiaſtica revocare. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. Kalendis Novembris, Pontificatus noſtri anno II.

Anno Christi 1460. Pii II. anno 2.

XII.

Concedit eis facultatem proviſiones neceſſarias congregandi. Ibid. lib. 8. fol. 189.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatis, in Vicaria Boſnæ conſtitutis &c.

§. I. DUm fidem ſinceram, & magnum devotionis affectum, quem ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, diligenter attendimus, & fructus uberes, quos in militanti Eccleſia hactenus produxiſtis, & in dies producere non deſinitis, paterna conſideratione penſamus, dignum eſſe arbitramur, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quæ veſtris neceſſitatibus fore

fore conſpicimus oppurtuna. Cum itaque, ſicut accepimus, inter infideles & neophytos commorantes abſque certis benefactorum veſtrorum proviſionibus, ibidem permanere nequiretis, quia partes illæ ita ſituatæ ſunt, quod oportet vos per loca ſpatioſa diſcurrere, cum ibidem nullæ Civitates, ſed tantum Villæ & parva oppida habeantur; & quia ad Omnipotentis Dei laudem, & Divini cultus augmentum, nonnulli locorum illorum domicelli ſervitores ſeu ruſticos ſuos, quandoque duos, quandoque tres, quandoque ſex deputare conſueverunt; qui quidem ſervitores ſeu ruſtici, de ipſorum domicellorum mandato, vobis ad loca hujuſmodi a partibus remotis, bladum, vinum, ligna, & alia neceſſaria portando miniſtrant, necnon vos, in quibuſdam locis, equos, boves & aſinos pro neceſſitate veſtra ſervare conſueviſtis; ſed cum puritati Regulæ veſtræ tales proviſiones convenire non videantur, pro parte veſtra nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatui & hujuſmodi neceſſitatibus veſtris, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur præmiſſa diligenter attendentes, ac vos in religione & ſinceritate veſtra confovere volentes, vobis, ut per depututos hujuſmodi, de vino, blado, lignis & animalibus, ac aliis neceſſariis prædictis provideri, voſque abſque ſcrupulo conſcientiæ veſtræ, omnia præmiſſa libere & licite, pro neceſſaria tantum ſuſtentatione vitæ veſtræ recipere poſſitis & valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. ptidie Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno II.

XIII.

Ut poſſint tranſire ad Inſtitutum ſanctæ Claræ. Ex lib. 39. bullar. fol. 84.

Dilectis in Chriſto filiabus Miniſtris & Sororibus ſanctæ Mariæ de Bretonera prope oppidum de Belforado, & ſanctæ Eliſabeth de Birvieſca domorum Tertii Ordinis, de Pœnitentia nuncupatis, Burgen. diœceſis &c.

§. I. Devotionis veſtræ ſinceritas, quam ad Nos & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut veſtris piis votis, illis præſertim, quæ Divini cultus augmentum, & Religionis propagationem, ac animarum veſtrarum quietem & pacem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, licet jam dudum poſtquam ſanctæ Mariæ de Bretonera prope oppidum de Belforado, quæ quondam ſub vocabulo ſanctæ Claræ fundata, & ſanctæ Eliſabethæ de Birvieſca domus, Burgen. diœceſis, de licentia bo. me. Alphonſi Epiſcopi Burgen. vobis conceſſæ, & de Birvieſca domus per dilectum filium nobilem virum Petrum de Velaſco, Comitem de Haro, ſumptibus propriis, cum certis neceſſariis officinis conſtructæ & ædificatæ ſuerint, in eiſdem domibus ſub perpetua clauſura, ac viſitatione & correctione dilecti filii Lupi de Salinis Cuſtodis Cuſtodiæ ſanctæ Mariæ de Minoribus Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, Viſitatoris dictarum domorum veſtrarum auctoritate ordinaria de præſenti vivendo, veſtrum Deo gratum in humilitatis ſpiritu ſamulatum exhibere ſtudueritis; tamen ob melioris & arctioris vitæ frugem, deſideratis ad Ordinem ſanctæ Claræ transferri, in eoque ſub illius habitu & regularibus inſtitutis perpetuo degere. Quare pro parte veſtra, quæ, ut aſſeritis, juxta quoddam pri-

vilegium, dudum per ſel. record. Nicolaum Papam IV. prædeceſſorem noſtrum Tertio Ordini prædicto conceſſum, ad arctiorem Regulam tranſire valetis, nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc ſpecialiter concedere, ac alias io præmiſſis vobis, ac ſtatui veſtro opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, quod ea, quæ circa pium propoſitum augmentum ſuſcipiunt, Apoſtolico debent præſidio conſoveri, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, quod ad Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi tranſire, & in eo ſub illius habitu & regularibus inſtitutis perpetuo degere & remanere, dummodo ad id Epiſcopi Burgeo. pro tempore exiſtentis conſenſus accedat, libere & licite poſſitis, alterius licentia deſuper nullatenus requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium licentiam elargimur.

§. III. Et inſuper, ſi vos ad ipſum Ordinem transferri contigerit, ut præfertur, vobis, quod vos & domus veſtræ, ſeu Monaſterium per vos pro tempore obtentum & obtinendum, omnibus & ſingulis immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, privilegiis, quibus aliæ Moniales & Monaſteria dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & præſertim Monaſterium de Oterdeſillas, Palentinæ dioeceſis potiuntur & gaudent, uti & gaudere pariformiter, & abſque ulla differentia: quodque vos dilectæ in Chriſto filiæ Miniſtra & Sorores domus de Birvieſca, ſi aliquæ ex Sororibus dictæ domus de Birvieſca ad Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi tranſire voluerint, illis in dicta domo, ac ſub habitu & Inſtitutis Tertii Ordinis hujuſmodi remaoentibus, vel illis etiam ad Ordinem ſanctæ Claræ hujuſmodi tranſeuotibus, cum in dicto Monaſterio ſanctæ Eliſabethæ, propter loci ſitum, & fluminis inundationem, commode, ut aſſeritis, manere non poſſitis, vos aliud Monaſterium, extra muros oppidi de Birvieſca in loco commodo & honeſto, cum Eccleſia, humili campana & campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ſub vocabulo ſanctæ Claræ, accedente prædicti Epiſcopi ſimili aſſenſu, de novo fundare & ædificare, ſeu fundari & ædificari facere poſſitis, concedimus per præſentes.

§. IV. Volumus inſuper, & eadem auctoritate decernimus, quod vos omnes & ſingulæ præſentes & futuræ, etiam poſtquam ad Ordioem ſanctæ Claræ hujuſmodi tranſieritis, & Monaſterium veſtrum etiam de novo erigendum, viſitationi & correctioni tam dicti Lupi Cuſtodis, quam Cuſtodum Cuſtodiæ dictæ domus ſanctæ Mariæ de Minoribus, qui fuerint pro tempore, ſubeſſe, prout hactenus fuiſtis, & tam Lupus, quam Cuſtos pro tempore hujuſmodi vos dumtaxat viſitare & corrigere, ac in occurreotibus ſalubriter conſulere poſſit & debeat, prout hactenus fecit. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordioationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. XVI. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri anno 11.

XIV.

Confirmatur donatio cujuſdam Eccleſiæ in Contrata Caſtelli Veliterni facta Jacobo Reatino, ut domum ædificaret Obſervantum. Ex lib. 10. bullarum folio 42.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Pia conſideratione Romanum decet Pontificem vota perſoaruin humilium, Divinis laudibus, ſacræque Religionis obſervantiæ deditar um, Apoſtolicis præſidiis conſovere, ac ipſarum indemnitatibus ſuccur-

currere proviſionis gratia congruentis. Dudum ſiquidem ſel. record. Nicolao Papæ V. prædeceſſori noſtro, pro parte dilecti filii Jacobi de Reate Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia profeſſoris, atque Vicarii, ſecundum morem dicti Ordinis, in Provincia Romana, expoſito, quod dilecti filii Rector, & perpetui beneficiati, clerici nuncupati parochialis Eccleſiæ ſancti Laurentii in contrata Caſtelli Velletren. ob ſingularem, quam ad ipſum Ordinem gerebant devotionem, prædictam Eccleſiam, cum modico territorio illi propinquo, ac quadam domo, reſervatis tamen eis, quamdiu Eccleſiam, & illius beneficia obtinerent, aliis poſſeſſionibus & terris eorumdem, prædicto Jacobo pro ipſius, & nonnullorum dicti Ordinis Fratrum uſu & habitatione perpetuis, pia largitione conceſſerant & aſſignaverant, ipſique Jacobus & Fratres hujuſmodi conceſſionis & aſſignationis prætextu, dictam Eccleſiam, cum eiſdem domo & territorio aſſecuti fuerant, ac etiam nonnulli laici, qui certa bona ſacriſtiæ dictæ Eccleſiæ gubernabant, quod illa ex tunc dictæ Eccleſiæ, pro ejus reparatione, & aliis ædificiis ibidem conſtruendis, applicarentur, & in ipſam fabricam converterentur, ac ipſi & dicti Rector & beneficiati, quod exercitium curæ animarum parochianorum dictæ Eccleſiæ, in parochialem Eccleſiam ſancti Angeli, etiam Velletren. transferre voluerant & conſenſerant; idem prædeceſſor dilecto filio Antonio de Andreociis Canonico Velletren. ſuis dedit litteris in mandatis, quod de præmiſſis omnibus & ſingulis ſe diligenter informaret, & ſi vocatis Rectore & beneficiatis, ac laicis prædictis, ac aliis qui forent evocandi, ita eſſe reperiret, Jacobo & Fratribus prædictis, ut eamdem Eccleſiam cum eiſdem territorio, & domo perpetuo retinere, ac ibidem domum Conventualem, pro hujuſmodi uſu & habitatione, cum hortis, hortalitiis, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, cœmeterio, & aliis officinis neceſſariis erigere valerent, auctoritate ſua licentiam largiretur.

§. II. Et nihilominus, ſi licentiam prædictam per ipſum concedi contingeret, bona Sacriſtiæ ex tunc, poſſeſſiones vero & terras, cedentibus vel decedentibus ipſius Rectore vel beneficiatis, aut alias Eccleſiam & beneficia prædicta dimittentibus, in hujuſmodi reparationem & ædificia convertenda, aut eiſdem bonis, poſſeſſionibus & terris alienatis, eorum valorem dictæ fabricæ applicaret, concederet & aſſignaret, animarum quoque curam eamdem in Eccleſiam ſancti Angeli præfatam transferret, prout in dictis litteris plenius continetur. Cum itaque poſtmodum, ſicut exhibita nobis nuper pro parte Vicarii moderni, & Fratrum dictæ domus petitio continebat, ipſi Eccleſiam, territorium & domum illi adjacentes aſſecuti, in eis domum Conventualem dicti Ordinis cum officinis congruis, erexerint, & adhuc pro imperfecto opere, magna impenſa opus exiſtat. Quare pro parte Vicarii & Fratrum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ipſorum quiete & tranquillitate, litteras prædeceſſoris ejuſdem, ac omnia & ſingula in eis contenta, necnon aſſecutionem, fundationem & erectionem prædictas ratificare, approbare & confirmare, omneſque & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplere, & ut ipſi quietius Altiſſimo famulari valeant, Rectoriam, & beneficia ſive clericatus dictæ Eccleſiæ, reſervatis tamen ſuperviventibus clericis ſive beneficiatis prædictis ſuis portionibus quoad vixerint, ac litteris ejuſdem prædeceſſoris in omnibus aliis ſuis clauſulis in ſua integritate remanentibus, ex nunc ſupprimere & extinguere, ac pro omnino ſuppreſſis & penitus extinctis haberi decernere, & eorum ſtatui ſuper iis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui etſi ex debito paſtoralis officii, pro cunctorum

fidelium incrementis partes noſtræ ſollicitudinis libenter impendimus, affectuoſioribus tamen ſtudiis illos non indigne proſequimur, qui mundanis relegatis illecebris, Jeſu Chriſto filio Virginis ſub paupertate voluntaria militare decreverunt, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, litteras prædeceſſoris ejuſdem, & contenta in eis, necnon aſſecutionem, fundationem, ac erectionem prædictas, & inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, harum ſerie ratificantes, approbantes & confirmantes, omneſque defectus tam juris, quam facti, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ſupplentes, Rectoriam quoque & clericatus, ſive beneficia prædicta ex nunc ſupprimentes & extinguentes, ac pro ſuppreſſis & extinctis penitus haberi decernentes, quod cedentibus, vel decedentibus Rectore & ceteris clericis ſive beneficiatis prædictis, poſſeſſiones & terræ in reparationem & ædificationem domus hujuſmodi, ſeu pro ipſius Eccleſiæ ornamentis, & libris converti debeant, auctoritate prædicta mandamus pariter & decernimus per præſentes.

§. IV. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, atque noſtris, illis præſertim, quibus inter alia, omnes uniones, annexiones & incorporationes, de quibuſvis beneficiis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis & locis, Apoſtolica vel alia quavis auctoritate factas, propter quas illi, quorum intererat, ſic unitorum poſſeſſionem pacificam tunc non tenebant, & quæcumque conceſſiones & mandata ſuper unionibus, annexionibus & incorporationibus taliter faciendis, revocavimus, caſſavimus & irritavimus, nulliuſque decrevimus exiſtere firmitatis, quibus pro hac vice dumtaxat derogari volumus & derogamus expreſſe, illis alias in ſuo robore permanſuris, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Et inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. VII. Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri anno II.

XV.

Concedit ut ſecundum ritum & morem aliorum Fratrum Obſervantum vivere poſſint ſub regimine Vicariorum. Ex lib. 36. bullar. fol. 289.

Dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Minorum, de Obſervantia vulgariter nuncupatorum, Provinciæ Hyberniæ, præſentibus & futuris &c.

§. I. AD uberiores, quos Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ſacra Religio, virtutum fœcunditate referta, per multiplicium virtutum inſignia profert in univerſali Eccleſia fructus, & ad eximiam devotionem quam fidelis populus Chriſtianus ad Ordinem & Fratres prædictos gerere dignoſcitur, paternæ conſiderationis dirigentes intuitum, inducimur non indigne, ut ipſos eo præcipue gratioſo proſequamur favore, quo latius per Orbem propagati, ſemoto cujuſvis diviſionis obſtaculo, fœcundiores, Deo propitio, piæ vitæ afferre fructus valeant & ſalutis. Sane dudum in Provincia veſtra Hyberniæ, ad uſum veſtrum & habitationem, edificatus eſt unicus, dictus de Magyn, Aladen. diœceſis locus, auctoritate litterarum ſel. record. Nicolai Papæ V. prædeceſſoris noſtri, in quibus litteris inter cetera hæc clauſula continetur.

§. II. Nos enim omnibus & ſingulis Fratribus Ordinis, qui in dicto loco pro tempore morabuntur, ut omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus,

tibus, exemptionibus, immunitatibus & indultis, domibus, ſeu locis & Fratribus Provinciæ, & Ordinis de Obſervantia prædictorum, prædicta, vel alia quavis auctoritate generaliter conceſſis, uti valeant pariter & gaudere, concedimus per præſentes: erant autem ante dictam conceſſionem per bon. mem. Eugenium IV. & poſt eam per Calixtum III. ſummos Pontifices prædeceſſores noſtros, etiam nonnulla libertates, exemptiones & indulta, ſeu proviſiones Fratribus de Obſervantia conceſſa, quæ tamen vos propter magnam patriæ veſtræ diſtantiam & ſeparationem a converſatione prædictorum Fratrum, quæ propter veſtri numeri parvitatem, & per conſequens propter transfretandi difficultatem, ignorabatis, & ex conſequenti etiam ignorabatis modos regiminis, & vitæ familiæ Fratrum de Obſervantia; unde & ſtabatis ſub regimine & cura immediate & pure ac nude Miniſtri Provincialis Hyberniæ, contra communem morem, ac ritum & privilegia, ſeu indulta Fratrum de familia Obſervantiæ: nam ſecundum proviſiones & indulta dictorum Eugenii & Calixti prædeceſſorum, Fratres de Obſervantia in Ultramontanis partibus commorantes, ſub uno Vicario Generali, & etiam cujuslibet Provinciæ Ultramontanæ de Obſervantia Fratres ſub Vicario Provinciali illius Provinciæ ſtare poſſunt & debent; & Vicarius Generalis Ultramontanus a Fratribus de Obſervantia Provinciarum Ultramontanarum, Provincialis autem a Fratribus de Obſervantia, ſive Provinciæ eligi poteſt & debet, & a Miniſtro Provinciali confirmari, quo renuente, ipſo facto auctoritate Apoſtolica eſt confirmatus; ſub illis quoque Vicariis prædicti Fratres ſecundum certas formas & libertates in litteris Apoſtolicis contentas vivere habent. Quamcito autem ad prædictarum Apoſtolicarum proviſionum vitæque, & regiminis Fratrum veſtrorum de Obſervantia notitiam perveniſtis, ſecundum illa vos regere protinus incœpiſtis, unum ex vobis, videlicet fratrem Malachiam Ocluban in veſtrum Vicarium Provincialem, ſecundum formam litterarum prædicti Calixti prædeceſſoris eligendo, eidemque obediendo, ac vos ex tunc pro ſubditis Vicarii Generalis Ultramontani gerendo. Verum ante tempus electionis prædictæ a nobis alia quædam proviſio per noſtras litteras, pro Conventualium, & de Obſervantia Fratrum pace & concordia recenter emanarat, in qua ſubſequens hæc clauſula continetur.

§. III. Ad pacem vero & quietem inter vos interea conſervandam, volumus & mandamus ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ, quam contravenientes ipſo facto incurrant, ne pars una alterius loca, Conventus, vel Monialium Monaſteria, quovis quæſito colore invadere & capere audeat, vel aliter perturbare, cujus tamen proviſionis emanationem penitus ignorabatis; nunc tamen ad illius deducti notitiam, prædictam veſtram electionem, & cetera alia acta, cum inde ſecutis, non eſſe uſquequaque valida aliquantulum extimeſcentes, nobis propterea humiliter ſupplicaſtis, quatenus pro majori veſtrarum ſerenitate conſcientiarum & pace, prædictam veſtram electionem, & cetera illa acta cum omnibus inde ſecutis, ſi & in quantum opus erat, validare & confirmare, declarando, quod ſic ſub Vicario Generali Ultramontano, ſecundum communem Fratrum de Obſervantia ritum dicti veſtri Conventus, & Provinciæ de Obſervantia, Fratres præſentes pariter & futuri, deberetis permanere, de benignitate Apoſtolica concedere dignaremur.

§. IV. Nos igitur, qui omnibus, & præſertim longe poſitis, ac per conſequens ordinationes Apoſtolicas ſine dolo, imo & ſine culpa nonnumquam ignorantibus, pie cupimus ſubvenire, veſtris ſupplicationibus inclinati, prædictam veſtram electionem, cum ceteris illis actis, ac omnibus inde

inde ſecutis, auctoritate Apoſtolica validamus & confirmamus: declarantes nihilominus, quod ſic ſub Vicario Generali Ultramontano permanere, & ſecundum proviſiones Apoſtolicas, ac communem Fratrum de Obſervantia ritum, vos, dicti Conventus & Provinciæ Fratres præſentes pariter & futuri vivere debeatis. Non obſtantibus noſtris, ac quorumcumque prædeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum litteris, ejuſdemve Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac aliis in contrarium facientibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. VII. Idus Auguſti, Pontificatus noſtri anno II.

XVI.

Jubet ut domus ſancti Franciſci de Deſerto remaneat apud Obſervantes. Ibid. fol. 219.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. EXigit ſinceræ devotionis affectus, quem dilecti filii nobiles viri Ludovicus Lando, & Franciſcus Lipomamio, ac Thomas Mozenigo cives Venetiarum ad nos & Romanam Eccleſiam gerere comprobantur, ut petitionibus eorum, illis præſertim, quæ ad Divini cultus augmentum, Religionis propagationem, & perſonarum nobis & Apoſtolicæ Sedi devntarum, conſolationem cedere valeant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte dilecti filii, nobilis viri Ludovici Lando, & Franciſci Lipomamio, ac Thomæ Mnzenigo civium Venetiarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum, poſtquam fel. record. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter, ad ejus notitiam tunc per bo. mem. Dominicum, tituli ſanctæ Crucis in Hieruſalem presbyterum, Cardinalem Firman. nuncupatum, tunc etiam Fratrum Ordinis Minorum protectorem deducto, quod locus, ſeu domus in Eccleſia ſancti Franciſci *del Deſerto* nuncupata, quæ in certis lacunis & locis maritimis & aquoſis, Torcellan. diœceſis conſiſtit, & ut fama conſtans habet, a beato Franciſco, cum adhuc vitam cœlibem ageret in humanis, fundata extitit, a longo tempore citra, incuria & negligentia ſuorum Superiorum, ad tantam deſolationem & calamitatem devenerat, quod domus & Eccleſia prædictæ ruinis undique miſerabiliter ſubjectæ, & omnibus ornamentis & paramentis, quæ ad Divinum cultum faciunt, ſpoliatæ & deſtitutæ erant, nullaque in eadem Eccleſia Divina officia omnino celebrabantur, ſed locus quaſi profanus effectus, multis patebat illicitis, domum deſolatam hujuſmodi, intercedente prædicto Cardinali, dilecto filio Nicolao Erizo dicti Ordinis de Obſervantia profeſſori regendam & gubernandam, oraculo vivæ vocis commiſerat: dictus Nicolaus Erizo, commiſſionis ſibi factæ hujuſmodi vigore, domum deſolatam adiens, illamque a novem annis citra laudabiliter regens, ex piis Chriſtifidelium eleemoſynis, cum Eccleſia, campana, campanili multifariam reparavit, paramentis, calicibus, crucibus, & aliis ornamentis Eccleſiaſticis exornavit, nonnullos quoque Fratres de Obſervantia, qui Divinis officinis diurnis pariter, & nocturnis vacant, in illam introduxit, ex quo devotio fidelium circumvicinarum regionum ad Eccleſiam & locum prædictum, illiuſque Fratres de Obſervantia hujuſmodi, ex eorum laudabilibus & virtuoſis operibus multipliciter excrevit, & creſcit in dies, cum magna populi & circumvicinorum hujuſmodi ſpirituali lætitia & conſolatione. Et licet, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti cives

ves pro eo, quod dictus Nicolaus Erizo, rei veritate, & ſui conſcientia fretus, alias litteras a prædicto Nicolao prædeceſſore, ſub commiſſione ſibi facta hujuſmodi habere non procuravit, & a nonnullis aſſeratur, dictam domum per Fratres dicti Ordinis Conventuales aliquando teneri & poſſideri ſolitam, licet tempore eidem Nicolao factæ conceſſionis hujuſmodi, nullus inibi habitaret, dubitent, ne ſpiritu tentationis procurante, inter Fratres dictæ domus, & Conventuales hujuſmodi aliquo tempore contentionem aliquam exoriri, ipſoſque Fratres de Obſervantia ſuper hoc moleſtari, aut quomodolibet perturbari contingat. Quare pro parte dictorum civium aſſerentium, quod ſi domus ipſa ad Conventuales forſan deduceretur, devotio fidelium ceſſaret, & gravia ſcandala inter Fratres Conventuales, & homines dictarum partium veriſimiliter poſſent exoriri, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad obviandum ſcandalis hujuſmodi, ne fiant, & ut dicti Fratres de Obſervantia in pace & quiete ſuum Altiſſimo valeant reddere famulatum, quod domus ſancti Franciſci *del Deſerto* hujuſmodi Fratrum de Obſervantia perpetuo eſſe, quodque Fratres dictæ domus de Obſervantia ſub Vicario Generali Fratrum dicti Ordinis de Obſervantia, ac illius Regularibus inſtitutis vivere debeant, decernere & declarare, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, quod religioſam vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ut ſuum Altiſſimo in pacis quiete, & tranquillitatis dulcedine reddere valeant famulatum, dilectorum filiorum nobilium virorum dominii Venetorum nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, & eorumdem civium in hac parte ſupplicationibus inclinati, quod domus ſancti Franciſci *del Deſerto* huiuſmodi Fratrum de Obſervantia, qui ad præſens ſunt, & erunt in futurum, perpetuo eſſe, quodque Fratres dictæ domus de Obſervantia Vicario Generali dictæ Obſervantiæ pro tempore exiſtenti, & illius Regularibus inſtitutis perpetuo ſubeſſe, & per illum, & non alium Superiorem viſitari juxta dictæ Obſervantiæ inſtituta & ordinationes, ſint & eſſe cenſeantur & debeant, nec ſuper hoc a quoquam valeant moleſtari, ſeu quomodolibet perturbari, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus, decernimus & declaramus: mandantes nihilominus dilecto filio Vicario Fratrum de Obſervantia, ut locum & Fratres domus *del Deſerto* hujuſmodi, ſub ejus cura, protectione & viſitatione ſuſcipiat, & illis provideat, prout de domibus & locis ſanctorum Franciſci a Vinea, & ſancti Job Venetiarum facere conſuevit. Non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, & litteris Apoſtolicis, tam per nos, quam prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſuper domibus Conventualium per Obſervantes, & e converſo non capiendis editis, quibus illorum tenores &c. hac vice dumtaxat, illis alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac quibuſcumque Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis contrariis &c. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. IV. Nonas Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

XVII.

Ut det facultatem ædificandi Cœnobium Obſervantum in oppido Maſſan. Ex lib. 3. de diverſis formis. fol. 215.

Venerabili fratri Epiſcopo Brugnaten. &c.

§. I. INjunctum nobis deſuper Apoſtolicæ ſervitutis officium digne peragere non ambigimus, ſi ad ea, per quæ Religionis, & Obſervantiæ Regularis, ac Divini cultus ſubſequi ſperatur augmentum, Apoſtolicos favores jugiter impendamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectæ in Chriſto filiæ nobilis mulieris Thaddeæ de Malaſpinis, Marchioniſſæ de Fuſdenovo, Lunen. diœceſis, petitio continebat, quod cum in loco Maſſæ, dictæ diœceſis, cujus ipſa Thaddæa Domina exiſtit, nulla domus Ordinis Fratrum Minorum exiſtat, tam ipſa Thaddæa, quam univerſus populus dicti loci propter fructus uberes, exemplaremque vitam, quam Fratres dicti Ordinis, ſub Regulari Obſervantia degentes, de ſe populis præſtare conſueverunt, in ipſo loco, unam domum Ordinis prædicti, pro uſu & habitatione Fratrum ipſius Ordinis ſub eadem Obſervantia degentium, de novo erigi ſumme deſiderant.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Eccleſia ſancti Remigii extra muros dicti loci, prope quam dudum fuit certum Monaſterium Monialium Ordinis ſancti Benedicti, & quæ poſtmodum, translatis abinde propter guerras, ad alia Monaſteria Monialibus in eo tunc commorantibus, ad beneficium ſeculare redacta exiſtit, pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum valde apta noſcatur exiſtere; ipſa Thaddæa de bonis ſibi a Deo collatis, eamdem Eccleſiam, & ejus domos pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, libenter repararet, & quæ opus forent, de novo conſtrueret, ſi ſibi id faciendi, eiſdemque Fratribus domum ipſam recipiendi & perpetuo inhabitandi, per Sedem Apoſtolicam licentia impenderetur, necnon dilectus filius Jacobus Stephani Minote, Rector ejuſdem Eccleſiæ ad eumdem effectum extra Romanam Curiam ſponte & libere reſignaret. Quare pro parte dictæ Thaddeæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, & ad id venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Lunen. conſenſus acceſſerit, ab eodem Jacobo, vel procuratore ſuo reſignationem hujuſmodi, ſi eam in tuis manibus ſponte & libere facere voluerit, ut præfertur, auctoritate noſtra, hac vice dumtaxat recipias, eaque per te recepta, eidem Thaddeæ Eccleſiam, ejuſque domos prædictas pro uſu & habitatione Fratrum prædictorum, ſub eadem Obſervantia degentium, reparandi, & cum humili campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, horto, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ampliandi, & de novo, ſi opus fuerit, conſtruendi, necnon Fratribus hujuſmodi Eccleſiam & domos prædictas, pro eorum uſu & habitatione recipiendi & perpetuo retinendi, eadem auctoritate noſtra licentiam largiaris.

§. IV. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Attente quoque provideas, ne in reſignatione hujuſmodi, ſi fiat, ex parte Jacobi, aut alicujus alterius prædictorum, aliqua pravitas interveniat,

ſeu

ſeu etiam corruptela. Nos enim eiſdem Fratribus, qui in dicta domo pro tempore moram trahent, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemptionibus & gratiis, præfato Ordini ab Apoſtolica Sede, aut alias in genere conceſſis, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. II. Kal. Martii, Pontificatus noſtri anno III.

XVIII.

Prohibet ne conſtruantur habitacula prope domum Portiunculæ Aſſiſiaten. Ex libro 37. bullarum. fol. 190.

Dilectis filiis Guardiano & ceteris Fratribus Conventus ſeu loci ſanctæ Mariæ de Angelis, ſive de Portiuncula, extra & prope muros Aſſiſinaten. Ordinis ſancti Franciſci, de Obſervantia Regulari &c.

§. I. SAcræ Religionis, ſub quæ mundanis abdicatis illecebris, cum additione voluntariæ paupertatis, virtutum Domino in humilitatis ſpiritu devotum impenditis Altiſſimo famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes vos & veſtrum Ordinem Fratrum Minorum benignis favoribus conſoveat, ac ſpecialibus gratiis proſequatur. Exhibita ſiquidem nobis nuper narrationis veſtræ ſeries continebat, ad ſupradictum locum veſtrum ſanctæ Mariæ de Angelis, tum propter miracula, quæ inibi beata Virgo Dei genitrix aſſidue operatur, tum propter reverentiam beati Franciſci, qui in ipſo loco Ordinem ſuum inchoavit, & inibi ex hac vita migravit, ingentem totius orbis Chriſtiani populorum vigere concurſum: & licet juxta ipſum locum hactenus nec ullum boſpitium, nec ulla habitatio conſtructa fuerit, præter duo parva habitacula & exigua, ut potius tuguria, quam habitationes cenſeri poſſint, & præter duas fornaces ad coquendos lateres ſeu calcem, quæ habitacula & fornaces ab Eccleſia tantum ultra XL. cannas remota ſunt; tamen eſſe aliquos, qui propriæ utilitatis, & quæſtus ratione ducti, varia ibidem ædificia conſtruere intendunt, in quibus mulieres, ſicut in hoſpitiis & tabernis, & aliæ perſonæ habitarent & converſarentur, quæ Fratribus, & venientibus ad devotionem perſonis, inquietudini, periculo & ſcandalo fore non dubitantur: unde ne talia veſtro Ordini, veſtræ Religioni & loco habitationis veſtræ antedicto, tam pernicioſa & periculoſa fiant, pro remedio condecenti, ad Sedem Apoſtolicam humiliter recurriſtis.

§. II. Quare pro noſtra & ad beatum Franciſcum devotione, & ad ejus Ordinem caritate, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ne de cetero aliquis prope muros Eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Angelis ſive de Portiuncula, prope muros Aſſiſinaten. & hortorum ejus loci, quem vos inhabitatis, intra ſpatium LX. cannarum, palmorum octo pro qualibet canna, ædificium aliquod, aut fornacem, aut aliquam habitationem, ultra tres dies tempore indulgentiæ Kal. Auguſti dumtaxat manſuram, erigere, conſtruere & facere, neque duo illa parva habitacula, & fornaces duas, quæ hactenus fuerunt, ampliare poſſit & valeat, præſentium tenore, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, decernimus, volumus & jubemus: mandantes dilectis filiis Rectoribus, & ceteris officialibus Civitatis noſtræ Aſſiſinaten. & aliis Provinciæ Gubernatoribus & officialibus, ad quos quomodolibet requiſitos, aut ex officio ſpectare poſſit, quatenus præſentis conſtitutionis, decreti, voluntatis & mandati noſtrorum tenorem, in vim cenſurarum Eccleſiæ, & ſi opus fuerit

per adhibitionem & invocationem brachii ſecularis, faciant inviolabiliter obſervari. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLX. III. Nonas Martii, Pontificatus noſtri anno III.

XIX.

Ut Obſervantibus detur una domus in oppido Brugenſi, aliamque illi dimittant. Ibidem. fol. 223.

Dilectis filiis Abbati Monaſterii ſancti Bartholomæi de Echout, & Decano Eccleſiæ ſancti Donatiani, Brugen. Tornacen. diœceſis, ac Officiali Tornacenſi &c.

§. I. DUdum ſiquidem pro parte dilecti filii Joannis Baenſt habitatoris oppidi Brugen. Tornacen. diœc. nobis expoſito, quod ipſe, pro eo quod in prædicto oppido nulla Fratrum Ordinis Mendicantium exemplaritas vigebat Obſervantiæ Regularis, ad Omnipotentis Dei laudem & honorem, & Divini cultus augmentum, domum ſuam propriam in dicto oppido conſiſtentem, ad effectum quod illa in domum ſive Conventum, pro uſu & habitatione Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum erigeretur, dilecto filio Zigerio de Huntslaere, Guardiano loci de Dixmuda ejuſdem Ordinis profeſſori, Morinen. diœc. in puram eleemoſynam perpetuo expreſſe donavetat & conceſſerat: Nos per quaſdam litteras dilecto filio Præpoſito Monaſterii de Converſan. per Præpoſitum ſoliti gubernari, Ordinis ſancti Auguſtini, dictæ Morinen. diœc. ejus proprio nomine non expreſſo, inter alia dedimus in mandatis, quatenus, ſi eſſet ita, donationem & conceſſionem prædictas, & quæcumque inde ſecuta, auctoritate noſtra confirmaret pariter & approbaret, dictoque Zigerio modo prædicto, eaſdem donationem & conceſſionem, ut præfertur, ſibi factas recipiendi, dictamque domum in Conventum Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis erigendi, & ipſis Fratribus illam poſt erectionem hujuſmodi recipiendi, & pro eorum uſu & habitatione perpetuo retinendi licentiam concederet. Deinde vero ad Nos pro parte dicti Joannis deducto, quod ipſe domum prædictam, ut in Conventum Fratrum de Obſervantia hujuſmodi erigeretur, minime conceſſiſſet vel donaſſet, quamvis domum ipſam prædicto Zigerio donandam obtuliſſet: Nos per alias noſtras litteras inter alia voluimus, & Apoſtolica auctoritate decrevimus, quod priores litteræ hujuſmodi, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis, valerent, plenamque roboris firmitatem obtinerent, & in omnibus & per omnia, ac ſi eis prædictus Joannes obtuliſſet domum ſuam prædictam prædicto Zigerio donandam, & non quod illam donaſſet & conceſſiſſet, expreſſum extitiſſet, quorum tenores præſentibus haberi volumus pro expreſſis, & ad quarum executionem proceſſum fuiſſe dicitur, plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Burgimagiſtrorum, Scabinorum & Conſulum dicti oppidi petitio continebat, in Comitatu Flandriæ a XXX. annis citra, quinque vel ſex domus, ſive Conventus Fratrum de Obſervantia hujuſmodi, ad eorum Fratrum proſecutionem & inſtantiam de novo fundatæ & erectæ reperiantur, ſintque in prædicto oppido ultra quatuor domus ſive Conventus Fratrum Ordinis Mendicantium a ducentis annis inibi conſiſtentium, quam plura Monaſteria, & alia

& alia pia loca utriuſque ſexus perſonarum, ex fidelium eleemoſynis, pro majori parte vitæ ſubſidia agentium, ad quorum ſuſtentationem, & ad alia onera eis pro tempore incumbentia ſupportanda dicti oppidi incolæ admodum graventur in dies; & dilectus filius nobilis vir Joannes Dux Burgundiæ & Comes Flandriæ, qui pro novitatibus & ſcandalis vitandis, ac pro exoneratione incolarum dicti oppidi, Fratribus de Obſervantia pro uſu & habitatione eorum extra dictum oppidum quemdam locum accommodum, Ordinarii loci accedente conſenſu, offerri fecerit, affectans, quod dicti Fratres de Obſervantia domum, quam in dicto oppido, eiſdem Burgimagiſtris, Scabinis & Conſulibus inſciis clam ingreſſi ſibi uſurpant, & in qua in ipſorum incolarum non modicum detrimentum ſe collocarunt, relinquere debeant. Pro parte eorumdem Burgimagiſtrorum, Scabinorum & Conſulum aſſerentium, quod Fratres quatuor Conventuum hujuſmodi populum ſibi commiſſum ſuis prædicationibus & exhortationibus, hactenus laudabiliter inſtruxerunt, & dietim ad ſui cognitionem Creatoris, Miſſis & aliis Divinis obſequiis inducere non deſiſtunt, nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, præmiſſis attentis, litteras hujuſmodi, necnon proceſſus deſuper habitos, & inde ſecuta quæcumque revocare, caſſare, annullare, ipſoſque Fratres de Obſervantia ad locum eis oblatum, ut præfertur, transferre, & alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos itaque cupientes, ut Fratres Ordinis Menditantium hujuſmodi in terminis ab olim ſibi conceſſis & deputatis, & facultate prædicandi, conſerventur illæſi, quævis novitates & ſcandala, quæ veriſimiliter præmiſſorum occaſione provenire poſſent, tollantur de medio, quique de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vos, vel duo aut unus veſtrum, vocatis qui fuerint evocandi, de præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis ſummarie, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ac etiam extrajudicialiter vos diligenter informetis, & ſi per informationem per vos deſuper faciendam hujuſmodi, ea fore vera repereritis, litteras & proceſſus prædictos, & inde ſecuta quæcumque, auctoritate noſtra revocare, caſſare & annullare curetis. Et nihilominus revocationem, caſſationem & annullationem prædictas, ſi per vos fieri contigerit, ut præfertur, eoſdem Fratres de Obſervantia, ut domum, quam in eodem oppido occupant & detinent prædictam, realiter, & cum effectu a ſe abdicent & relinquant, ab illiuſque ulteriori inhabitatione & proſecutione deſiſtant, ac ne ſuper illa per ſe, vel alium ſeu alios directe vel indirecte Fratres eorumdem Conventuum inquietent, moleſtent, vel quoquo modo perturbent, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, cujuſvis appellationis ſubmoto diffugio cogatis pariter & compellatis. Et inſuper locum per dictum Ducem dictis Fratribus de Obſervantia, eis, ut præfertur, oblatum recipere, & pro eorum uſu & habitatione perpetuo retinere libere & licite poſſint & valeant, eis auctoritate prædicta licentiam concedatis: jure tamen parochiali Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus litteris prædictis, ac per eas habitis proceſſibus, quibus in iis, in quibus præſentibus quomodolibet contrariantur, minime arctare, ſed pro caſſis & infectis haberi debere decernimus; ac fel. rec. Bonifacii Papæ VIII. &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXI. V. Kal. Maii, Pontificatus noſtri anno III.

XX.

Hortatur eum ut admittat domum Sarzanæ uſque ad illud tempus a Conventualibus poſſeſſam. Ex originali.

Dilecto filio fratri Ludovico de Vincentia, Vicario Generali Ordinis Minorum de Obſervantia &c.

§. I. CUm dilectus filius Generalis Ordinis veſtri, & tu ad preces dilecti filii noſtri Philippi, tituli ſancti Laurentii in Lucina presbyteri Cardinalis Bonon. majoris Pœnitentiarii, conſenſum præſtitiſſetis, quod Conventus ſancti Franciſci de Sarzana, qui a Fratribus Conventualibus prædicti Ordinis regebatur, a Fratribus veſtris, dictis de Obſervantia, gubernaretur. Nos tunc per litteras noſtras in forma Brevis, tibi & Fratribus tuis ſcripſimus, ut dictum Conventum ſub cura & gubernatione veſtra acceptaretis, quoniam ſperabamus, exemplo vitæ, & bonis monitis prædictorum Fratrum, populum illum Sarzanenſem, & circumvicina oppida ad frugem melioris vitæ ſe eſſe converſuros; & arbitrantes jam rem hujuſmodi effectum ſortitam fuiſſe, ut æquum decenſque videbatur, per aliud Breve noſtrum conceſſimus tibi & Fratribus prædictis, ut bona quæcumque immobilia dicti Conventus plus offerenti, aut ſicuti videretur vobis, vendere, & pretium in reparationem & ornatum Conventus convertere poſſetis: Nunc autem cum intellexerimus, vos nondum Conventum illum ſub cura veſtra acceptaſſe, ſane multum mirati ſumus, cum nulla ſatis honeſta cauſa ſubeſſe poſſe videatur, cur tam renitentes huic tanto bono & ſancto operi eſſe debeatis.

§. II. Nam dilectus filius nobilis vir Ludovicus de Campofregoſo, Dominus Sarzanæ, & tota Communitas multa pollicentur ſe facturos in ſubventionem & ſuſtentationem Fratrum, qui illuc morabuntur; &, quod magis advertendum eſt, Cardinalis præfatus jam ſcripſerat prænominato Ludovico, ſe a vobis obtinuiſſe, quæ cupiebat. Itaque cum manifeſta utilitas ex hujuſmodi acceptatione exoriri cognoſcatur, hortamur vos, & in Domino requirimus, ut omni dilatione poſtpoſita, quod ſemel Generali & tibi placuit, ad effectum perducatis; in qua re nobis complacebitis: licet, ut audivimus, nonnulli ex veſtris Fratribus nimium præſumentes, hujuſmodi literis & hortationibus noſtris non eſſe parendum dixerint, quoniam ſimiles litteras ad preces aliorum ſæpe concedere conſuevimus, ſed male locuti ſunt, & contra conſcientiam ſe egiſſe cognoſcant: cupimus certe, & magno deſiderio tenemur, quod res iſta effectum ſortiatur.

Datum Viterbii, ſub annulo Piſcatoris, XVIII. Julii MCCCCLXII. Pontificatus noſtri anno IV.

XXI.

Ut reducat Fratres & Sorores Tertii Ordinis ad obedientiam Minorum de Obſervantia. Ex lib. 40. fol. 155.

Venerabili fratri Archiepiſcopo Toletan. &c.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria, per quæ tranquillitati perſonarum ſub humilitatis ſpiritu Domino famulantium conſulitur, ac ſcandalis & periculis obviatur, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & ut illa optatum ſortiantur effectum, cum a Nobis petitur, partes noſtræ ſollici-

licitudinis favorabiliter interponimus. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Tereſiæ de Guevara, & aliarum perſonarum in Regno Caſtellæ, ſub Regula Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupatarum viventium, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod quamvis ab exordio dicti Ordinis ſanctus Franciſcus inſtituerit, ut religioſæ perſonæ utriuſque ſexus ſub eadem Regula Tertii Ordinis pro tempore degentes, eſſent ſub cura Ordinis Fratrum Minorum, fuerintque poſtmodum nonnulli Reges & Reginæ, aliæque nobiliſſimæ utriuſque ſexus perſonæ ſub Regula dicti Tertii Ordinis viventes, qui in Dei Eccleſia honoris & honeſtatis fructus uberrimos attulerunt; verumtamen, quia nonnulli Fratres dicti Tertii Ordinis quaſdam a Sede Apoſtolica litteras, per quas perſonæ ſub Regula Tertii Ordinis hujuſmodi degentes, ab obedientia Prælatorum dicti Ordinis Fratrum Minorum, ſub qua erant, eximuntur, ac eis totalis juriſdictio ſuperioritatis, & prælatura ſuper religioſas perſonas utriuſque ſexus dicti Tertii Ordinis conceditur, obtinuiſſe dicuntur, magna exinde incommoda, diſſolutiones, homicidia, & quaſi totalis ejuſdem Tertii Ordinis deſolatio, maxime in Regno antedicto (proh dolor!) ſubſecuta ſunt. Quare pro parte tam Tereſiæ, quæ, ut aſſerit, dilecti filii nobilis viri Eneci de Guevara magni Seneſcalli Regni Siciliæ citra Farum ſoror exiſtit, quam aliarum perſonarum prædictarum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eas Cuſtodibus, Guardianis dicti Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, infra quarum loca perſonæ Tertii Ordinis hujuſmodi ad præſens commorantur, & pro tempore commorabuntur, ſubjicere, & ad priſtinum ac illum ſtatum, in quo erant, antequam litteræ hujuſmodi emanarent, reducere, aliaſque ſtatui earum in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui pacem & quietem ſingularum religioſarum perſonarum, ut devotius Altiſſimo vota ſua exſolvere poſſint, procuranius, ac diſſenſionibus & ſcandalis, ne illa eveniant, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis, quorum intereſt, de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, eadem auctoritate noſtra decernas, quod ſingulæ perſonæ dicti Tertii Ordinis, utriuſque ſexus in prædicto Regno nunc, & pro tempore commorantes, ſalva auctoritate diœceſanorum, ſub receptione, cura, viſitatione, correctione, prælatura omnimoda Cuſtodum, Guardianorum locorum de Obſervantia hujuſmodi, in quibus dictæ religioſæ perſonæ Tertii Ordinis morantur, & pro tempore morabuntur, in omnibus & per omnia, ac ſi dictæ litteræ ab eadem Sede nullatenus emanaſſent, permaneant. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteris contrariis quibuſcumque.

Datum in Abbatia ſancti Salvatoris, Cluſin. diœceſis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXII. III. Idus Julii, Pontificatus noſtri anno IV.

XXII.

Ut ſub ſua cura admittat Cœnobium Obſervantum, & Monaſterium Clariſſarum urbis Sarzanæ. Ex ipſo originali.

Dilecto filio fratri Marco de Bononia, Ordinis S. Franciſci de Obſervantia &c.

SCripſimus ſuperioribus diebus dilecto filio Vicatio Generali Fratrum de Obſervantia ſancti Franciſci, ut Conventum Sarzanæ dicti Ordinis, qui

qui a Fratribus Conventualibus regitur, & Monaſterium ſanctæ Claræ dictæ Terræ, ſub Cuſtodia, & Obſervantia Fratrum ſuorum reciperet, poſtquam Generalis dicti Ordinis, ad preces dilecti filii noſtri Philippi, tituli ſancti Laurentii in Lucina Cardinalis Bononien. ad id conſenſum ſuum libentiſſime præſtiterat; ſed quia præfatus Vicarius, aliis negotiis occupatus non valens huic rei perſonaliter providere, aliis Fratribus ſuis hoc idem exequendum mandavit, qui Fratres, vel quia non potuerunt, vel quia noluerunt, uſque in hodiernum præcepto noſtro, & eorum Vicarii minime paruerunt: Idcirco cupientes multis honeſtis & utilibus reſpectibus, dictum Conventum, & Monaſterium ſanctæ Claræ ſub Regulari Obſervantia gubernari, volumus, & ita tibi ſtricte mandamus, ut quandocumque placuerit præfato Cardinali Bononien. te ad dictum locum perſonaliter transferas, & Fratres Ordinis & Obſervantiæ tuæ, quicumque fuerint idonei ad gubernandum ipſum Conventum, & Monaſterium præſeras, & donec aliud ſuper hoc duxerimus ſtatuendum, tu ipſe dictorum Conventus & Fratrum, ac etiam Monaſterii curam habeas, facturus nobis rem gratam, & præfato Cardinali, ſi in hac re diligentiam tuam exhibueris: Quod tu facias, etiam atque etiam hortamur & mandamus.

Datum in Abbatia ſancti Salvatoris, Cluſinæ diœceſis, ſub annulo Piſcatoris, die xxvi. Julii mcccclxti. Pontificatus noſtri anno iv.

Anno Christi 1462. Pii II. anno 5.

XXIII.

Concedit Conventui Portiunculæ omnes gratias & privilegia conceſſa domui ſancti Franciſci Aſſiſiatis. Ex lib. 21. fol. 246.

Dilectis filiis Guardiano, & Fratribus domus ſanctæ Mariæ de Angelis, alias de Portiuncula extra muros Aſſiſinaten. &c.

§. I. Exigit ſacræ Religionis honeſtas, & devotionis, qua nos & Romanam reveremini Eccleſiam, promeretur integritas, ut votis veſtris, per quæ Divini cultus & Regularis Obſervantiæ provenit augmentum, ac ſtatui & tranquillitati veſtræ conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, domus ſanctæ Mariæ de Angelis, alias de Portiuncula, extra muros Aſſiſinaten. Ordinis Fratrum Minorum Obſervantiæ Regularis, in qua devotum & ſedulum impenditis Altiſſimo famulatum, ob devotionem fidelium, continuis eorum acceſſibus frequentetur, & ob hoc vos, & pro tempore degentes ipſius Ordinis profeſſores, moleſtias & gravamina confluentium ad eam, tam religioſarum quam ſecularium perſonarum ſubire oporteat, quæ facile evitare poſſetis, ſi Apoſtolica Sedes vos, & domum prædictam eiſdem, quibus domus Fratrum Minorum Aſſiſinaten. per eamdem Sedem dudum prædita eſt, privilegiis & exemptionibus communiret. Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut veſtro, & ejuſdem domus de Angelis ſtatui, commodis & quieti ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur attendentes, quod viris, qui mundanis relegatis illecebris, cum puritate mentium gratum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, Apoſtolicum debet adeſſe præſidium, ut eo devotius, quo quietius eorum pium propoſitum poſſint ad laudem & gloriam Divini nominis, adimplere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, atque aliis Guardia-

dianis & Fratribus, qui in eadem domo de Angelis pro tempore morabuntur, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, conceſſionibus, indultis & gratiis, eiſdem Guardiano, Fratribus & domui ſancti Franciſci Aſſiſinaten. per nos vel Sedem Apoſtolicam hactenus conceſſis, uti & gaudere valeatis, illaque omnia & ſingula, dummodo Regulari Obſervantiæ in aliquo non obvient vel repugnent, quoties opportunum fuerit, vobis pariter in omnibus & per omnia ſuffragentur, ac ſi illa a nobis vel Sede Apoſtolica immediate emanaſſent, ac vobis & domui veſtræ memoratæ ſpecialiter conceſſa fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, de ſpecialis dono gratiæ concedimus pariter & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Tuderti, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXII. pridie Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1463. Pii II. anno 5.

XXIV.

Quod nullus frater proficiſcatur Hieroſolymas abſque Superiorum conſenſu, neque apud aliquem Prælatum reſideat eiſdem nolentibus. Ex ipſo originali.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Admonet nos ſuſcepti cura regiminis, & auctoritas officii Pontificalis inducit, ut circa ea, per quæ Religionis ſtatus atque integritas conſovetur, etiam opitulante Domino augeantur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter intendamus. Ad conſervationem itaque Ordinis & locorum Fratrum Minorum ſancti Franciſci, de Obſervantia nuncupatorum, ejuſque Obſervantiæ Regularis, & ut vagantibus & fugitivis Fratribus, atque aliis ſpiritum libertatis exquiſitis mediis quærere ſatagentibus, omnis evagandi occaſio, & malitiis hominum obvietur, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium ſtatuimus & ordinamus atque decernimus, quod omnes & ſinguli ejuſdem Obſervantiæ profeſſores, qui a Sede Apoſtolica viſitandi Sepulchrum dictum, & loca ſancta Hieroſolymitana, ſeu alia loca ultramarina hactenus licentiam obtinuerint, vel in poſterum obtinebunt, niſi ad id Prælatorum ſuorum conſenſus accedat, & juxta ipſius Ordinis Regularia Inſtituta, & ad hoc reputentur idonei, licentia hujuſmodi minime uti poſſint, neque illius obtentu ad partes Hieroſolymitanas, aut loca prædicta transfretare, ſed eos ſubjici volumus Regularibus diſciplinis.

§. II. Præterea volumus, atque decernimus, quod prætextu cujuſvis licentiæ aut conceſſionis etiam per nos vel Sedem Apoſtolicam generaliter vel ſpecialiter cuicumque Conventui, aut regulari vel ſeculari loco, aut ſingulari perſonæ, ſub quacumque forma vel expreſſione verborum hactenus factæ & conceſſæ, ſeu in poſterum concedendæ & fiendæ, etiamſi talis fuerit, quod de ejus tenore, ac nomine & cognomine Conventus, aut loci, ſeu perſonæ, cui conceſſa ſit, ſpecialis, ſpecifica & expreſſa mentio habenda fuerit, cui etiam ſpecialiter & expreſſe derogamus, ac nullam & invalidam, nulliuſque roboris vel momenti perpetuo eſſe declaramus, nullus ſive Prælatus, aut Conventus, ſeu loci alicujus Præſidentes, aut alia ſingularis perſona tam Eccleſiaſtica, quam mundana, tam regularis, quam ſeculari

laris, quocumque nomine, aut quacumque dignitate fungens, recipiat, aut recipere faciat, audeat vel præſumat aliquem ex Fratribus dictæ Obſervantiæ, recedentem ex aliquo Conventu ſeu loco, niſi ipſe Frater de licentia ſui Superioris Prælati in ſcriptis conceſſa & facta receſſerit, in qua de loco unde receſſerit, & de perſona ſive loco, ad quem accedere voluerit ſpecialis & expreſſa mentio fiat, necnon ipſos Fratres ſic receptos ſine licentia ejuſmodi, ad ſuos Prælatos reduci & remitti debere, ac eos eorumdem Prælatorum correctioni & obedientiæ ſubjici, ac renitentes, ipſos retinentes, aut auxilium, conſilium vel favorem præſtantes, pœnas in litteris tam noſtris, quam ſcl. rec. Eugenii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri ſuper hæc editis contentas incurrere etiam volumus & decernimus eo ipſo, necnon irritum & inane quidquid ſecus factum per quoſcumque, aut quomodolibet attentatum fuerit: præmiſſis ac licentiis & conceſſionibus, necnon conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. XI. Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno V.

XXV.

Submittit ejus regimini Vicarium & Fratres Provinciæ Burgundiæ. Ex ſpeculo Minorum tract. 1. fol. 29.

Dilecto filio Vicario Generali Ordinis Minorum de Obſervantia Ultramontana.

SCribimus dilecto filio Vicario Provinciali & Fratribus Provinciæ Burgundiæ tui Ordinis de Obſervantia regulari, ut gratioſe ad tuam obedientiam ſe dare non poſtponant: Mandamus igitur tibi, ut in omnibus viis honeſtis te præbeas in hujuſmodi unione favorabilem. Et ut libentius ad tuam obedientiam veniant, volumus & Apoſtolica auctoritate concedimus, ut tam ipſi, quam quicumque alii Fratres Ordinis Minorum, qui rite ad tuam, aut tui pro tempore ſucceſſoris obedientiam, juxta tuam Obſervantiam, & Regularia Inſtituta voluntarie ſe ſubmiſerint, omnibus & ſingulis gratiis, privilegiis, indultis & indulgentiis, tam per nos, quam per bonæ memoriæ Calixtum Papam III. prædeceſſorum noſtrum, Fratribus ſub obedientia Vicariorum Generalium Citramontani & Ultramontani, tam pro ſe, quam pro ſuis conſanguineis & parentibus, in favorem ſacræ Obſervantiæ conceſſis, uti poſſint, plenarie pariter & gaudere; contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. V. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XXVI.

Vult ut oratoria aliaque loca Conventualium reformentur, & Obſervantibus tradantur. Ex lib. 43. bullarum fol. 80.

Venerabilibus Fratribus Elboren. & Lamacen. Epiſcopis.

§. I. INter cetera quæ nobis ex debito paſtoralis officii peragenda incumbunt, ad hoc ſolerter intendimus, ut quævis loca religioſa, præcipue Ordinis ſancti Franciſci, quem gerimus in viſceribus caritatis, prout etiam catholicorum Regum expoſcit devotio, debite viſitentur & reformentur,

tur, itaut illa, ac perſonæ ſub ſuavi contemplationis jugo in eis Altiſſimo famulantes, ad Dei gloriam, animarum ſalutem, optatæque felicitatis proficere valeant incrementis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri, Alphonſi Portugalliæ & Algarbiæ Regis illuſtris, petitio continebat, quod ipſe percipiens, ex doctrina, & vita laudabili Fratrum Minorum reformatorum magnum fructum ſibi ac totius Regni ſui populo provenire, ac majorem in dies augmentari & creſcere, quod a multis annis citra fundata & conſtructa fuerant multa Oratoria in eodem Regno, in quibus propter paucitatem Fratrum vix poſſunt cæremoniæ ejuſdem Ordinis ſervari, cum in aliquibus ex prædictis Oratoriis duo, in aliquibus vero quatuor, aut ſex, vel octo Fratres habitare poſſint, qui ſæpius in remotis partibus victum eis quærere habent, quo fit, ut pauci, maxime nobiles ad hujuſmodi Oratoria concurrant; unde Rex ipſe plurimum formidans, reformationem dictorum locorum paulatim & ſucceſſive minui, ſummopere deſiderat loca ipſa Apoſtolica auctoritate viſitari & reformari. Quare pro parte dicti Regis aſſerentis, quod ſolum in prædicto ſuo Regno ſunt tres Conventus ejuſdem Ordinis reformati, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut duos aut tres Conventus alios in ſuo Regno, quos elegerit, ad honorem Dei, Regni & populi hujuſmodi ac etiam fidei Catholicæ conſervationem, manutentionem, qui pro eadem tuenda fide ſe morti habent exponere, ad hoc ut Fratres dictorum locorum, pro hujuſmodi populo ad Dominum preces & orationes effundant, reformari mandare, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur pium, & laudabile propoſitum ipſius Regis in hac parte plurimum in Domino commendantes, de præmiſſis quoque certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtræ, de qua ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, adhibitis vobis duobus ejuſdem Ordinis profeſſoribus de locis reformatis, duos aut tres Conventus, ubi Rex ipſe in prædicto Regno elegerit, auctoritate noſtra perſonaliter viſitandi, illaque tam in capite, quam in membris, juxta Regularia inſtituta prædicti Ordinis, illiuſque ſeriem atque formam in omnibus & per omnia adinſtar aliorum Conventuum reformatorum Ordinis prædicti reformandi, & Regularem Obſervantiam ibidem inſtituendi, necnon dilectis filiis Generali prædictorum Fratrum, ac Provinciali, cujus Conventus hujuſmodi reformati fuerunt, quatenus Conventus & reformatos Fratres prædictos ſub eorum cura & protectione, ac illius Fratres ſub Obſervantia vivere volentes, recipiant, & alios Fratres, qui ſub reformatione hujuſmodi vivere recuſaverint, ad alia loca transferant, præcipiendi, mandandi & inhibendi, necnon de fructibus, reditibus, & proventibus dictorum reformatorum Conventuum, prout vobis videbitur, diſponendi, omniaque alia & ſingula in præmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam, tenore præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. necnon litteris Apoſtolicis a nobis emanatis, illis præſertim, quæ incipiunt: *Ad pacem*, quibus omnibus quoad præmiſſa, ex certa ſcientia derogare intendimus, contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. Idibus Junii, Pontificatus noſtri anno V.

XXVII.

Ut det facultatem conſtruendi Conventum in villa Caſtri-novi. Ex lib. 1. de Regular. fol. 21.

Venerabili Fratri Epiſcopo Claramontan. &c.

§. I. Apoſtolicæ ſervitutis officium, Nobis licet immeritis injunctæ deſuper, Nos curis perurget & inducit aſſiduis, ut circa ea, per quæ ad Dei laudem & gloriam Religioſis ubertas deſcendi ſecernitur, & cum ipſorum propagatione ſalutis, Divinus cultus augeri ſperatur, quantum ex alto permittitur, ſtudiis operoſis jugiter intendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Vicarii Provincialis & Fratrum ſub Regulari Obſervantia degentium, Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Burgundiæ, juxta morem dicti Ordinis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dilectus filius nobilis vir Joannes de Vienna Domicellus, & dilectæ in Chriſto filiæ nobiles mulieres, Joanna de Chauderon. relicta quondam Philippi de Vienna, vidua, ac Agnes, dicti Joannis uxor, Domicella tuæ diœceſis, zelo devotionis accenſi, eupienteſque terrena in cœleſtia & tranſitoria in aterna, felici commercio commutare; & attendentes, quod in villa Caſtrinovi dictæ diœceſis, ad eos in temporalibus legitime pertinente, vel prope illam ad quinque leucas, nulla domus alicujus Ordinis Fratrum Mendicantium exiſtit; deſiderantes in dicta villa, pro ſuorum & aliorum illius incolarum animarum ſalute, aliquam religioſam domum exiſtere, quamdam capellam per prædictam Joannam & Philippum ejus virum, dum in humanis agerent, in eadem villa & loco ad hoc condecenti & honeſto conſtructam & ædificatam, quæ in beneficium Eccleſiaſticum erecta non extitit, cum domibus illis adjacentibus, ſeu loco ad illas conſtruendas apto & accommodato, Vicario & Fratribus prædictis pro eorum uſu & habitatione concedere & donare deſiderant, ſperantes per exemplarem vitam ipſorum, & aliorum Fratrum Ordinis & Obſervantiæ prædictorum, qui in eadem capella & domo inibi fundanda pro tempore moram trahent, ſalutares fructus in eadem villa & locis adjacentibus eſſe proculdubio ſecuturos. Quare pro parte tam Vicarii Provincialis & Fratrum, quam Joannis & Joannæ, ac Agnetis prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Vicario & Fratribus prædictis capellam prædictam cum domo inibi conſtructa vel conſtruenda, per eos inhabitandam, ac per unum Guardianum, ſub obedientia Generalis Ultramontani & Provincialis dictæ Provinciæ Vicariorum, ac alias juxta eorum privilegia, ritus & conſuetudines gubernandam, recipiendi, eamque cum humili campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, ac aliis neceſſariis officinis, ampliandi & conſtruendi, licentiam concedere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur qui Religionem ubique propagari, cultumque Divinum adaugeri, noſtris potiſſime temporibus, ſinceris & intenſis optamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Vicario & Fratribus prædictis eamdem capellam, cum domo inibi conſtructa vel conſtruenda, per eos perpetuo inhabitandam, ac per unum Guardianum, ut prædicitur, gubernandam, recipiendi, eam-

eamque cum humili campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, & aliis officinis prædictis, ampliandi, fundandi & conſtruendi, ſive ampliari, fundari & conſtrui faciendi, auctoritate noſtra, licentiam largiaris. Nos enim, ſi conceſſionem huiuſmodi per te vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, Fratribus dicti Ordinis in eadem domo pro tempore moraturis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, gratiis & indultis, dicto Ordini & illius Fratribus ab Apoſtolica Sede vel alias conceſſis uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus & ordinationibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Tibure, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1463. Pii II. anno 6.

XXVIII.

Jubet ne Obſervantes capiant loca Conventualium aut Monaſteria Clariſſarum. Ex ſpeculo Minorum tract. 1. fol. 30.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. SUper gregem Dominicum noſtræ Divinitus vigilantiæ creditum, ſpeculatoris intenti, prout Nobis deſuper conceditur, exercentes officium, Chriſtifideles quoslibet, præſertim Regulari Obſervantiæ deditos, eo providentiæ ſtudio gubernari cupimus, ut curioſus Eccleſiæ ſcrutator in eis nihil inveniat nota dignum, ſed eorum Religio, ſtatu ſuſcepto proſpero, necnon ſublatis quæ ſcandali ſunt, & diſpendii fomenta, votivis congratuletur eventibus, & continuum, dante Domina, ſuſcipiat incrementum. Sane licet tam felicis recordationis Nicolaus V. & Calixtus III. Romani Pontifices, prædeceſſores noſtri, quam etiam nos per varias litteras, & præſertim illas, quæ incipiunt: *Pro noſtra ad beatum Franciſcum devotione*, ſub datis Romæ apud ſanctum Petrum, V. Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno I. univerſis Fratribus tam Conventualibus, quam de Obſervantia nuncupatis, ſub excommunicationis pœna, quam contrafacientes eo ipſo incurrerent, diſtrictius inhibuerimus, ne ipſi ſibi invicem, Conventuales videlicet illis de Obſervantia nuncupatis, & illi de Obſervantia Conventualibus Fratribus domos, aut loca quæcumque dicti Ordinis, ſeu Monaſteria ſanctæ Claræ capere, vel de alterutrius obedientia ſubtrahere per ſe, vel alium, ſeu alios, quovis quæſito colore, aut ſe de illis intromittere; nec Fratres, qui hucuſque ex Obſervantibus ad Conventuales, vel e converſo diſceſſerunt, aliquo modo moleſtare, vel inquietare quoquo modo præſumerent, quas propter ipſarum magnitudinem hic inſeri noluimus, quarum tenores præſentibus, ac ſi de verbo ad verbum inſerti forent, haberi volumus pro expreſſis, ut ibi plenius continetur: tamen ſicut noviſſime, non abſque mentis perturbatione percepimus, nonnullæ diſſenſiones, controverſiæ, ſeditiones & diſcordiæ in Provinciis Caſtellæ & ſancti Jacobi, tam inter eoſdem Conventuales & Obſer-

Non obſtante prævia Pontificia Conſtit. de Conv. non occupandis, Conventuales & Obſervantes contendunt.

Obſervantes nuncupatos, quam Barones & nobiles Caſtellæ & Legionis Regnorum, occaſione domorum, Conventuum & Eremitoriorum eorumdem, quæ iidem de Obſervantia nuncupati dictis Conventualibus ſurripuerunt, ac ſurripere, capere & ſubtrahere ſub colore nituntur, exortæ ſunt; Quæ omnia ſcandala cariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Caſtellæ & Legionis Rex illuſtris ſummopere ſubmoveri, & penitus extirpari cupiens, nobis fecit ſupplicari, ut ne dicti Fratres de Obſervantia nuncupati, ſimilia de cetero attentare præſumant, terminis ſuis contenti maneant, & ipſi præmiſſos errores corrigant, ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Rex Henricus ſcandala exorta Pontifici innuit.

§. II. Nos igitur, quorum intereſt providere, ne Apoſtolicæ Sedis mandata & ordinationes inutiles & contemptibiles reputentur, ac prædicta ſcandala deſuper penitus extinguere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, præfatos Fratres, de Obſervantia nuncupatos, & fautores, coadjutores & conſultores eorum, directe vel indirecte, publice vel occulte, cujuſcumque fuerint præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, gradus, conditionis, vel qualitatis, etiamſi Ducali, Marchionali, Comitali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, aut alia quavis Eccleſiaſtica vel mundana dignitate, aut officio præfulgeant, tenore præſentium, ſub excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti, aliiſque cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, quas eos, niſi monitioni & mandato noſtro hujuſmodi de cetero humiliter & efficaciter parnerint, incurrere volumus ipſo facto, tenore præſentium monemus, & ſtricte præcipimus & mandamus, ne deinceps Obſervantes nuncupati prædicti quæcumque domus, Conventus, Monaſteria, etiam ſanctæ Claræ, ac Eremitoria & loca, quæ actu ſub obedientia prædictorum Miniſtrorum ſunt, quoquo modo capiant neque recipiant, etiam ſine Miniſtri aut ejus Vicarii vel Cuſtodis conſenſu, utpote de Villa Regali & Metimnæ de Pomerio, Toletanæ & Burgen. diœceſium, quæ vere reformata fuerunt, nec ſub aliquo colore capere ſeu recipere nitantur; neque Fratres de Obſervantia nuncupatos, qui hucuſque ex Obſervantibus ad Conventuales, vel e converſo cauſa ſtudii, vel alia juſta de cauſa diſceſſerunt, aliquo modo moleſtare ſeu turbare audeant.

Quæ Pontifex cupit extinguere.

Excommunicatio contra inobedientes inflicta.

§. III. Et ſi (quod abſit) iidem Obſervantes vulgariter nuncupati aliquid attentare præſumpſerint contra præſentium litterarum noſtrarum tenores, ab occupatione & captione ſeu receptione Conventuum, domorum, Monaſteriorum etiam ſanctæ Claræ, & Eremitoriorum prædictorum, quæ actualiter ſub prædictorum Miniſtrorum obedientia ſunt, abſtinere, ipſique & alii prædicti fautores, auxiliatores & conſultores mandatis noſtris hujuſmodi plene obtemperare noluerint, nos in eoſdem Obſervantes nuncupatos, necnon fautores, conſultores & adjutores prædictos, qui in præmiſſis culpabiles fuerint, publice vel occulte, directe vel indirecte, ex nunc, prout ex tunc excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti ſententias, cenſuras & pœnas ferimus in his ſcriptis, ac loca, ad quæ ipſi Obſervantes nuncupati, fautores & conſultores prædicti pro tempore declinaverint, Eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, nullo in præmiſſis, vel circa ea alicui Obſervantium nuncupatorum, ac aliorum fautorum, conſultorum & coadjutorum prædictorum appellationis & exceptionis, reclamationis, aut alio diffugio quomodolibet profuturo.

Commiſſio Mindonienſi & Giennenſi Epiſcopis facta pro executione ſententiæ.

§. IV. Et nihilominus venerabilibus Fratribus noſtris Mindonienſi & Giennenſi Epiſcopis, ac dilectis filiis ſancti Iſidori Legionenſis, ac Montis-Salutis, Conchenſis diœceſium Monaſteriorum Abbatibus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium

alium ſeu alios, præmiſſa omnia & ſingula, ubi, quando & quoties expedire viderint, ſeu requiſiti fuerint, ſolemniter publicantes, Obſervantes nuncupatos, ſi de cetero, videlicet a datis præſentium litterarum, aliquam domum, Conventum, ſeu Monaſterium etiam ſanctæ Claræ, aut Eremitoria & loca, quæ ſub obedientia dictorum Miniſtrorum ſunt, ceperint vel occupaveriot, niſi infra duodecim dierum ſpatium, quorum quatuor pro primo, & totidem pro ſecundo, & reliquos pro tertio & ultimo peremptorio termioo eis aſſignatos, realiter dimiſerint, ac fautores, conſultores & adjutores prædictos, tam nominatim, quam in genere, niſi monitioni & mandato hujuſmodi paruerint, ut præfertur, excommunicatos, ſuſpenſos & interdictos, necnon loca, ad quæ Obſervantes nuncupatos, ac fautores & conſultores & adjutores prædictos, forſan declinare contigerit, ut præfertur, ſi per duos dies cenſuras ipſas ſuſtinuerint, interdicta eſſe, auctoritate noſtra declarent, ac per alios in Eccleſiis & locis Eccleſiaſticis, dum major ibi populi multitudo convenerit ad Divina audienda, declarari & publicari, ac ab omnibus arctius evitari faciant, ſingulis Dominicis & feſtivis diebus, quouſque conſtiterit eis, quod Obſervantes nuncupati, & alii ſupradicti parituri monitioni & mandatis noſtris hujuſmodi, meruerint ſuper his abſolutionis & reconciliationis a nobis obtinere beneficium: Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus præmiſſis, ac quibuſcumque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ac privilegiis, ſtatutis & conſuetudinibus domorum, Monaſteriorum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac litteris Apoſtolicis per nos, vel prædeceſſores noſtros, & præſertim illis, quæ incipiunt: *Ad hæc ex ſuperna providentiæ Majeſtatis*, ſub datis Senis, Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno 11. conceſſis, & etiam concedendis, quibus quoad hoc expreſſe derogamus, niſi in illis de præſentibus litteris de verbo ad verbum ſpecialis & expreſſa mentio fiat, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. Nonis Novembris, Pontificatus noſtri anno VI.

XXIX.

Datur facultas condendi Monaſterium Clariſſarum in oppido Arandæ. Ex lib. 83. bullar. fol. 127.

Cariſſimæ in Chriſto filiæ Joannæ, Caſtellæ & Legionis Reginæ illuſtri &c.

§. I. PIa Deo & Eccleſiæ deſideria tua, ex quibus ſacræ Religionis propagatio cum Divini cultus augmento, & animarum ſalute procuratur, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & ut illa optatum conſequantur effectum, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte tua nobis nuper exhibita petitio continebat, quod tu ad Ordinem ſanctæ Claræ ſpecialem devotionis geris affectum, & cupiens terrena in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio commutare, ad laudem omnipotentis Dei, & cultus & Religionis hujuſmodi augmentum, quoddam Monaſterium Monialium Ordinis ſanctæ Claræ de Obſervantia, ſub perpetua clauſura, ſub invocatione dictæ ſanctæ, cum Eccleſia, cœmeterio, clauſtro, campanili, campana, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in oppido tuo de Aranda, Oxomen. diœceſis, quod Petitionis tenor.

in-

inſigne & famoſum eſſe perhibetur, pro Abbatiſſa, & tribus provectæ ætatis Monialibus Ordinem ipſum expreſſe profeſſis, nonnullis conditionibus & modis honeſtis adjectis, fundare & ædificare, ſeu fundari & ædificari facere, illudque de bonis propriis ſufficienter dotare proponis. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi fundandi Monaſterium ipſum ſub modis & conditionibus eiſdem, licentiam concedere, aliaſque ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum, & Religionis propagationem hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus, ubique vigere & augeri, ſupremis affectibus deſideramus, & tuum laudabile propoſitum hujuſmodi plurimum in Domino commendantes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Monaſterium ipſum pro uſu & habitatione Abbatiſſæ & Monialium dicti Ordinis, ſub Obſervantia & clauſura perpetua Domino famulaturarum, cum Eccleſia, cœmeterio, campanili, campana, refectorio, dormitorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, in prædicto oppido fundandi, conſtruendi & erigendi, ſeu fundari, conſtrui & erigi faciendi, illudque ſufficienter dotandi, & poſtquam erectum, conſtructum ac fundatum fuerit, illius Eccleſiam ſic erectam, ac cœmeterium, necnon Altaria in illa pro tempore fundata conſecrari faciendi, plenam & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, licentiam elargimur.

Facultas eŏdendi Monaſterium conceditur.

§. III. Et inſuper tibi, ſi dictum Monaſterium per te fundari contigerit, ut præfertur, ut quilibet ex venerabilibus Fratribus Cartaginen. Oxomen. & Palentino Epiſcopis, quatuor Moniales, ex quibuſvis Monaſteriis, ſeu locis Regularibus dictis, vel aliorum Ordinum, per te ſibi nominatas recipere, aut recipi facere, & illas in Monaſterio conſtruendo hujuſmodi collocare, ac unam ex ipſis Ordinem ipſum expreſſe profeſſam, & ad regimen ejuſdem Monaſterii utilem & idoneam, ipſi Monaſterio in Abbatiſſam præfici, curam, regimen, & adminiſtrationem ſibi in ſpiritualibus & temporalibus committi, ſibique a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitas exhiberi facere poſſit, concedimus per præſentes: ac etiam volumus, quod quælibet ex aliis tribus Monialibus provectæ ætatis ſecum habere debeat intuitu Dei, & pietatis amore, quinque puellas tempore ſuarum receptionum ad dictum Monaſterium, bienniuni, non tamen ſeptennium habentes, per te, dum in humanis egeris, & poſt tuum ab hac luce deceſſum, juxta modum per te deputandum eligendas, & illas procurare, ac in bonis moribus inſtruere, donec, & quouſque ad vigeſimum ſuæ ætatis annum, abſque eo quod interim inibi profeſſionem emittere teneantur regularem tacite vel expreſſe, pervenerint: quo adveniente, ab illis ex hujuſmodi puellis inibi manere volentibus, tria ſubſtantialia vota per Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ promitti ſolita recipiant, & illas ex eiſdem puellis, ad ſeculum redire volentes, ad domos parentum aut propinquorum, ſeu notorum, vel ad aliquem alium honeſtum locum remittant, quas tu juxta arbitrium Abbatiſſæ dicti Monaſterii dotare proponis; necnon Abbatiſſa hujuſmodi ad ordinationem viſitatoris dicti Monaſterii de Orte deſillas, eiſdem Monialibus puellis, & quibuſvis aliis inibi pro tempore degentibus præeſſe debeat; quodque Monaſterium erigendum hujuſmodi, adinſtar dicti Monaſterii de Oterdeſillas ſingulis annis, vel alias per prædictum Viſitatorem viſitetur, & ad illud viſitandum Viſitator ipſe ſit aſtrictus, & quod Abbatiſſa & Moniales prædictæ deſuper geſtare debeant cucullas de panno cœleſti, *Azul* vulgariter nuncupato, aut de Sargia, ſeu Stamegna, ad ſimilitudinem Religioſarum ſancti Bernardi, ſeu dictæ ſanctæ Claræ, & chlamides, ſive mantellos nigros deferre juxta morem ejuſdem Ordinis ſan-

Et eligendi Abbatiſſam.

Puellæ a Monialibus inſtruendæ.

Debent viſitari ſingulis annis.

ſanctæ Claræ, figura calicis parvi ſolii lati, aut de metallo confecti, inſignitos, ob reverentiam & devotionem Dominicæ cœnæ cum diſcipulis factæ in die Jovis ſancti.

§. IV. Rurſus, quod ea, quæ Abbatiſſa & Religioſæ, necnon puellæ prædictæ ex laboribus manuum ſuarum intra Monaſterium ipſum acquiliverunt, communitati pro tempore erigendi Monaſterii hujuſmodi, abſque diminutione quacumque, ſub excommunicationis pœna, lucro cedant: quodque ipſæ, quævis res, & bona etiam immobilia, eiſdem Monialibus, ac puellis donata, cum conſenſu Abbatiſſæ ad opus Monaſterii conſtruendi hujuſmodi, & pro in eo exiſtentium ſuſtentatione, apprehendere & recipere valeant, dummodo bona oblata hujuſmodi, non fuerint puellarum illarum, quæ completo xx. anno ætatis ſuæ ſeculum repetierint; & quod Moniales in ipſo Monaſterio erigendo pro tempore receptæ, poſt profeſſionem emiſſam, ad alia Monaſteria, ſeu loca religioſa nullatenus ſe transferre valeant; & quod infra ſepta Monaſterii hujuſmodi nullus præter viſitatorem aut medicum, quando opus fuerit, pro ægrotantibus curandis, ſeu operarios neceſſarios pro neceſſitate aut utilitate, ſeu decore dicti erigendi Monaſterii admittatur, niſi Rex Caſtellæ pro tempore exiſtens pro devotione ſua, aut recreationis cauſa aliquoties cum filiis aut filiabus ſuis, prout ſibi viſum fuerit, & uno familiari ſuo duntaxat, ad illud duxerit accedendum: Quodque tu, quoties tibi placuerit, ex eiſdem cauſis cum filiis & filiabus, aut germanis, ſeu fratribus carnalibus & Sororibus tuis, necnon aliquibus honeſtis matronis, & mulieribus ſepta ipſa ingredi poſſis, dummodo ultra ſemel inibi anno quolibet cum una matrona, quam ad hoc duxeris eligendam, aut filia non pernoctes.

Vita communis ſub pœna excommunicationis præfcribitur.

Ingreſſus in Monaſterium quibus permiſſus.

§. V. Præterea, quod Moniales in hujuſmodi erigendo Monaſterio dicere & cantare debeant officium Divinum, ſicut moris eſt in aliis Monaſteriis illarum partium, dicti Ordinis ſanctæ Claræ, & quod ſingulis diebus ultra Ordinariorum horas, minores Sacramenti, & die Jovis majores horas ejuſdem Sacramenti recitare ſint aſtrictæ; & quod Abbatiſſa pro tempore dicti erigendi Monaſterii, ſingulis diebus Jovis refectionem capientibus in refectorio Monaſterii hujuſmodi, in memoriam prædictæ Dominicæ cœnæ, ſetvire teneatur; quodque ſeculares mulieres inibi pro tempore moram trahentes, & ad hoc ætatem ſufficientem habentes, in choro dicti erigendi Monaſterii cum ipſius Monialibus, ad dictamen dictæ Abbatiſſæ, Divinum officium dicere & pſallere teneantur, dummodo non ſint ſervitrices, aut deputatæ ad obſequia præſtanda in eodem Monaſterio; & quod decedentibus pro tempore aliquibus ex puellis prædictis, erigi debeat unum vexillum, ad tuam ordinationem, & affigi ſupra tectum Eccleſiæ dicti Monaſterii, & inibi per triduum remanere, ut extra exiſtentes intelligere poſſint, aliquam ex puellis ipſis deceſſiſſe, & præſentent aliquas alias, ex quibus una eligatur, & in locum defunctæ ſubſtituatur & ſubrogetur, juxta modum ſuperius annotatum.

Officium Divinum, ſicuti in aliis Monaſteriis cantari debeat.

§. VI. Et ſi Monaſterium ipſum fundaveris, ſeu fundare feceris, ut præfertur, modos & conditiones ſupradictos ratos & gratos habentes, illos & illas, prædicta auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium confirmamus & approbamus, ac præſentis ſcripti patrocinio communimus. Quodque tibi addendi conditiones & modos alios tempore fundationis Monaſterii hujuſmodi, aut alias, & quando tibi expedire videbitur, dummodo honeſti ſint & rationabiles, poteſtatem eadem auctoritate concedimus. Et inſuper tibi, quod Abbatiſſa erigendi Monaſterii hujuſmodi, ac Moniales & puellæ in Monaſterio ipſo, poſtquam erectum fuerit, & pro tempore exiſtentes, quoad

Pontificia confirmatio.

quoad perſonas ſuas, earumque ſervitores & ſervitrices pro tempore etiam extra dictum Monaſterium exiſtentes, & quævis ipſarum, & Monaſterii hujuſmodi mobilia & immobilia bona, atque jura, quæ pro tempore obtinuerint, omnibus & ſingulis immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, gratiis, conceſſionibus, & indulgentiis atque indultis, quibus alia Monaſteria & loca Ordinis ſanctæ Claræ, & præſertim Monaſterium de Oterdeſillas prædictum, illorumque perſonæ, ac mobilia & immobilia bona & jura, in genere vel in ſpecie, conjunctim vel diviſim a Sede Apoſtolica, vel alias quomodolibet conceſſis, utuntur & gaudent, uti & gaudere poſſint, pariformiter, ac abſque ulla differentia, ac ſi ſibi perſonaliter, ut præfertur, conceſſæ & conceſſa fuiſſent, uti & gaudere; necnon in Monaſterio ipſo Miſſas audire, necnon quæcumque Eccleſiaſtica Sacramenta recipere, & earum corpora, poſtquam ab hac luce deceſſerint, Eccleſiaſticæ ſepulturæ condi, & inhumari poſſint, etiam tempore interdicti generalis vel ſpecialis, dum tamen cauſam non dederint interdicto, & cum clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce Divina officia celebrent, concedimus per præſentes: mandantes eiſdem Epiſcopis, tenore præſentium, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum, per ſe vel alium ſeu alios ad præmiſſorum executionem procedant; Monaſteriumque prædictum, poſtquam erectum fuerit, ac ipſas Abbatiſſam, Moniales & puellas, ipſarumque ſervitores & ſervitrices, mobilia & immobilia bona, atque jura univerſa, quæ pro tempore obtinuerint, necnon immunitates, libertates, exemptiones, privilegia, gratias, conceſſiones, indulgentias & indulta prædicta, ipſis patrocinio Apoſtolico aſſiſtentes, eadem auctoritate tueantur & defendant. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, compeſcendo. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus; necnon Ordinis prædicti, & ipſius Monaſteriorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis &c. ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Privilegia conceſſit.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIII. Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno VI.

XXX.

Dat eis facultatem gratias & indulgentias magnas a Calixto III. conceſſas militaturis, aut auxiliaturis contra Turcas, pauperibus & infirmis, aliiſque perſonis communicandi. Ex lib. 26. bullar. fol. 119.

Dilecto filio Zigerio Generali Vicario Fratrum beati Franciſci de Obſervantia Ultramontes &c.

Exordium.

§. I. EJus vices in terris gerentes, qui ut nos Dei filios faceret, filius ipſe hominis eſſe voluit, & ut jacentem adhuc populum erigeret, ſeſe ipſe humiliavit, curandiſque & ſanandis noſtris vulneribus, vulnerari, & ad nos liberandos ipſe ſervire, & mori, ut nobis immortalitatem exhiberet, ſuſtinuit, quotieſque magna a Deo in nos collata munera mente revoluimus, intelligimus ſedulo a nobis eſſe providendum, ne quantum in nobis eſt, ex adeo magno pretio redemptis, ullus ſalutaris munificentiæ expers remaneat, & eos quidem, quibus ſexus fortis, vigor integer, valetudo robuſta eſt, & facultatum copia, Domino concedente, ſuppe-

petit, ducturi ipſi in Chriſtiani nominis hoſtem, truculentum Mahometem, Turcarum Dominum, & Domini ſacraria, Chriſtianorum Provincias, de ejus ſervitute liberaturi, nuper per noſtras litteras ad Domini nuptias, & ad peccatorum ſuorum redemptionem, expoſitis eis pretioſiſſimis Romanæ Eccleſiæ theſauris, culparum indulgentiis & remiſſionibus invitavimus; reliquos vero ſic ſexu fragiles, ſeu languoribus debiles, aut inopia laborantes, quorum ſpiritus ad operandum promptus, & voluntas bene agendi cupida eſt, neque ipſi de Dei miſericordia immuneratos tranſire intendebamus, & tuæ devotionis pia pro eis ſupplicatione nuper admoniti, quod cum alias ad tuam etiam inſtantiam ejuſmodi hominibus, in dominiis dilecti filii nobilis viri Ducis Burgundiæ conſtitutis, inſraſcripti tenoris litteras conceſſimus, videlicet.

Aliæ ejuſdem Pontificis litteræ.

§. II. *Pius Epiſcopus ſervus Servorum Dei, dilecto filio Zegerio Guardiano domus de Dixmuda, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, Morinen. diœceſis ſalutem. Merentur exactæ vitæ tuæ ſtudia, & magni labores, quos in obſequiis Romanæ Eccleſiæ pertuliſti, ut perſonam tuam ſineeris affectibus proſequentes, illa tibi favorabiliter concedamus, per quæ Chriſtifidelium animarum ſaluti valeat provideri. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua humilis, ac devota petitio continebat, in Civitatibus, terris, villis atque locis dominio dilecti filii nobilis viri Philippi Ducis Burgundiæ nunc ſubjectis, ſint quamplures pauperes, leproſi, & infirmi ac aliæ miſerabiles perſonæ, quibus gratiæ & indulgentiæ per felicis record. Calixtum Papam III. prædeceſſorem noſtrum Chriſtifidelibus in oppido Mechlinenſi, Cameracen. diœceſis ſub certis modo & forma conceſſæ, non ſolum perutiles forent, ſed etiam neceſſariæ, earum tamen participes fieri nequeunt, obſervata forma in litteris Apoſtolicis deſuper confectis contenta, cum eiſdem miſerabilibus perſonis non ſubeſt facultas propter inopiam & paupertatem, nec poteſtas propter debilitatem & impotentiam. Unde pie motus, eis ſubvenire cupiens, diverſis vicibus ab Apoſtolicis Nuntiis, certiſque Prælatis, & Doctoribus, nedum tempore prælibati Calixti, verum etiam a fel. record. Nicolao Papa V. etiam prædeceſſore noſtro pro hujuſmodi indulgentiis in dicto oppido deputatis, commiſſiones caritative poſtulatas, pro ipſis miſerabilibus perſonis obtinuiſti, eiſque benigne in diverſis prædictæ diœceſis terris & locis ſerviviſti; unde experientia doctus, ipſarum miſerabilium perſonarum neceſſitatem ſciens, & ſalutem affectans, nobis humiliter ſupplicaſti, ut earumdem animarum, ac quarumdam aliarum publicarum peccatricium, ad Deum converſarum ſaluti providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui omnium animarum ſalutem ſupremis deſideriis affectamus, ipſis miſeris miſericordiam facere cupientes, tuis devotis ac humilibus precibus in hac parte inclinati, tibi, poſtquam hujuſmodi noſtræ litteræ Ordinario loci, cum omni reverentia fuerint præſentatæ, per eumdem examinatæ, quod per te, aut alium Confeſſorem Regularem aut ſecularem ipſi Ordinario prius præſentatum, ac per eumdem ad audiendum confeſſiones admiſſum, hinc ad triennium proxime futurum, omnes & ſingulos pauperes, debiles, claudos, leproſos, paralyticos, cæcos, captivos, ſenes & impotentes, necnon devotas perſonas, quæ publice de infelici commercio corporis prius victum quærentes, mundi blandimenta fugerunt, & ad Deum, ſeu regularem vitam converſæ ſunt, aut quas in hoc tempore converti continget, cum illis perſonis, quæ earum curam gerunt, aut in communi vita cum ipſis Domino famulantur, in dicto tamen dominio conſtitutis, eorum ac omnium debilium pauperum oſtiatim mendicantium confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis, etiamſi talia forent, propter quæ merito Sedes Apoſtolica foret conſu-*

lenda, ſemel dumtaxat in vita, debitum abſolutionis beneficium impendere, & pœnitentiam ſalutarem injungere, necnon ipſis omnibus & ſingulis in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac obedientia & devotione noſtra, & Romanorum Pontificum canonice intrantium, quod Confeſſor idoneus ſecularis, vel Regularis in mortis articulo plenariam peccatorum remiſſionem, mediantibus certis orationibus pro ſtatu univerſalis Eccleſiæ, ipſis omnibus & ſingulis imponendis, ſuper quo tuam & aliorum conſcientiam oneramus, concedere valeas vel valeant, tenore præſentium de Apoſtolicæ largitate indulgemus. Nulli ergo &c. ſi quis &c. Datum Mantuæ, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLIX. *Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri anno* II.

Quæ ſuo effectu vacuatæ noſcuntur.

§. III. Nunc que cum triennium elapſum, litteræque ipſæ effectu vacuatæ eſſe noſcantur, & ſicut tua devotio aſſerit, per hujuſmodi noſtram conceſſionem, conſcientiis, pacique, & animarum ſaluti quamplurimum ex dictis pauperibus, & miſerabilibus perſonis ſalubriter fuerit hactenus conſultum, tuque pro tuo bene in domo Dei operandi zelo, & pro caritate, quam habes ad eos, ſeminis & fidei tuæ domeſticos, cupias eamdem noſtram conceſſionem, de ſpeciali gratia ad alium triennium, a die datæ præſentium computando, prorogari & confirmari, ac præterea extendi ad omnes Provincias, in quibus tu, ratione tui officii in familias aliquas Fratrum ſuperintendentiam habes, aut habere in hoc tempore te contigerit, aſſerens te ſperare, quod inde, Domino concedente, fructus uberes non ſolum in ipſorum pauperum & miſerabilium perſonarum conſcientiis, ſed in univerſo populo, quem movebit noſtra in hujuſmodi perſonas pietas & deſiderium de univerſorum ſalute, ut ipſi in opera Dei promptiores fiant, perveniant, litteras noſtras prædictas, cum omnibus & ſingulis clauſulis in eis contentis uſque ad triennium a die datæ præſentium computando, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium revalidamus eaſdem, earumque effectum ad omnes & ſingulas Provincias, in quibus tu, ratione officii Vicariatus, quod nunc exerces, aliquem locum Fratrum tuæ familiæ gubernas, aut dicto triennio durante, ſorte gubernabis, in quibus has aut illas noſtras litteras, ſeu harum tranſumpta per legalem Notarium ſubſcripta, & alicujus Epiſcopalis Curiæ, aut officii tui Vicariatus Generalis ſigillo munita, per te aut a te, ſicut in litteris prædictis ponitur, deputatos, publicari contigerit, & extendentes, & eaſdem earumque tranſumpta in Provinciis omnibus prædictis, ſicut hactenus in triennio jam elapſo per dominia prædicti Ducis Burgundiæ litteræ prædictæ valuerunt, in omnibus & per omnia valere, & effectum ſortiri volumus, tibique ac deputandis per te juxta ipſarum litterarum formam Religioſis, aliiſque quibuſvis perſonis auctoritatem & poteſtatem in illis litteris traditam denuo concedentes: præſentibus poſt triennium a die datæ præſentium minime valituris.

Commiſſarius Generalis cupit conceſſionem ad Provincias ſuo Miniſterio ſubjectas extendi.

Pontifex annuit.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. pridie Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXI.

Concedit facultatem Coſmæ de Medicis Monaſterium Clariſſarum in Civitate Florentina conſtruendi. Ex lib. 45. fol. 11.

Ad futuram rei memoriam.

§. I. Piis fidelium votis gratum nos decet præſtare aſſenſum, & ut ea, quæ Religionis, præſertim fœminei ſexus perſonarum propaga-

tio-

tionem, Divinique cultus augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter interponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Coſmæ de Medicis, civis Florentini, petitio continebat, quod ipſe pro ſingulari devotione, quam ad Ordinem ſanctæ Claræ, & illius ſub Regulari Obſervantia viventes Religioſas & Moniales gerit, unum Monaſterium notabile & pulchrum, cum condignis ædificiorum ſtructuris, aliarumque neceſſariarum rerum apparatu, pro unius Abbatiſſæ, & quarumdam dicti Ordinis Monialium uſu & habitatione, in Civitate Florentina, ac in loco ad hoc congruenti & honeſto, ſuis ſumptibus conſtruere & ædificare, ſeu conſtrui & ædificari mandare per hæredes ſuos ſumme deſiderat. Coſmas de Medicis vult pro Clariſſis Monaſter. conſtruere.

§. II. Et quia hoſpitale pauperum ſancti Pauli in Pinti Florentin. quod de jurepatronatus laicorum exiſtit, & quod dudum ſel. record. Eugenius Papa IV. prædeceſſor noſter Monaſterio Monialium ſanctæ Apolloniæ, etiam Florentin. Ordinis ſancti Benedicti ex certis tunc expreſſis cauſis, de patroni dicti hoſpitalis aſſenſu, per ſuas litteras uniri, annecti & incorporari mandavit, volens, quod Abbatiſſa & Conventus ipſius Monaſterii pro hoſpitandis pauperibus aliquos lectos in eodem hoſpitali continuo retinere, & quolibet anno pro fabrica & reparatione dicti hoſpitalis, quantum expediens foret, exponere, necnon cenſum & alias reſponſiones, ſi qui vel ſi quæ ratione dicti hoſpitalis, Abbati & Conventui Monaſterii de Rezuolo, Ordinis Vallisumbroſæ, Feſulan. diœceſis, ad cujus inſtitutionem dictum hoſpitale pertinebat, ab antiquo fortaſſis debiti vel debitæ, etiam tradere & præſtare deberent & tenerentur, in tali dictæ Civitatis loco ſitum eſt, in quo hujuſmodi Monaſterium poſſet quam aptiſſime conſtrui & ædificari. Ipſe Coſmas, de conſenſu & expreſſa voluntate tam Abbatiſſæ & Conventus ejuſdem Monaſterii ſanctæ Apolloniæ, cui poſtmodum hoſpitale dictum, earumdem litterarum vigore unitum, & per eoſdem Abbatiſſam & Conventum ab eo tempore citra, pacifice poſſeſſum fuit, quam patronorum prædictorum Monaſteriorum, ipſum in eo loco, in quo dictum hoſpitale ſitum eſt, complectendo etiam propter hoc certas domos & hortos illi finitimos, conſtrui & ædificari facere proponit, ſi ſibi & ſucceſſoribus ac hæredibus ſuis deſuper Apoſtolica ſuffragetur auctoritas. Quare pro parte dicti Coſmæ nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, cum ad hoc Abbatiſſæ & Conventus, ac patronorum prædictorum expreſſus, ut præfertur, accedat aſſenſus, prædictum hoſpitale cum omnibus & ſingulis domibus, atque hortis illi adjacentibus, uſque ad numerum 16. vel circa ab eodem Monaſterio ſanctæ Apolloniæ diſmembrare, dividere & ſeparare, ac in ipſo hoſpitali hoſpitalitatem, & nomen hoſpitalis ſupprimere penitus & extinguere, ipſique Coſmæ ac hæredibus & ſucceſſoribus ſuis prædictis, ut unum Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia, cœmeterio, & neceſſariis officinis conſtrui & ædificari, ac hoſpitale prædictum ad eumdem effectum in toto vel in parte, prout expediens fuerit, demoliri & deſtrui facere libere & licite valeant, licentiam concedere: & cum idem Coſmas intendat pro indemnitate dicti Monaſterii ſanctæ Apolloniæ, annuos reditus certos & bonos in Civitate Florentina ad ſummam 50. Florenorum aſcendentes ipſi Monaſterio ſanctæ Apolloniæ in compenſam aſſignare, ac ſuis ſumptibus domos adjacentes hoſpitali prædicto attinentes, eaſdem in emphyteuſim vel feudum, ſeu alias, reſtituto eis pretio, quod pro illis dicto Monaſterio perſolverunt, redimere, reditus annuos & bona, ex quibus proveniunt, necnon quæcumque alia bona, exceptis domibus & hortis prædictis, ad dictum hoſpitale ſpectantia, ipſi Monaſterio ſanctæ Apolloniæ unita, eidem Petitur hoſpitale ſuppreſſio.

Monaſterio applicare & appropriare, necnon juſpatronatus dicti hoſpitalis, ad quod etiam conſenſus & voluntas ipſorum patronorum accedit, ſupprimere & extinguere, hoſpitaleque ipſum ab omni ſubjectione Abbatis & Conventus dicti Monaſterii de Rezuolo, necnon a ſolutione vel præſtatione cujuſcumque cenſus, aut alterius reſponſionis penitus liberare, & jus inſtituendi hujuſmodi tollere; ita quod hoſpitale & Monaſterium inibi inſtituendum hujuſmodi, ex tunc ab eiſdem ſubjectionibus & oneribus penitus liberum & exemptum exiſtat, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur pium & laudabile propoſitum dicti Coſmæ plurimis in Domino attollentes laudibus, ac de prædictis ſatisfactionibus confidentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſi & poſtquam prædicti aſſenſus acceſſerint, prædictum hoſpitale, cum omnibus & ſingulis domibus, & hortis illi adjacentibus ſupradictis, uſque ad prædictum numerum ſexdecim ab ipſo Monaſterio ſanctæ Apolloniæ, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, tenore præſentium ſegregamus, dividimus & ſeparamus, in ipſo hoſpitali hoſpitalitatem & hoſpitalitatis nomen, ac juſpatronatus hujuſmodi penitus ſupprimentes; & nihilominus Coſmæ, ejuſque hæredibus & ſucceſſoribus antedictis, ut demolitis per eos, vel ex eorum ordinatione ædificiis tam hoſpitalis, quam domorum prædictarum, prout ipſis expedire viſum fuerit, unum Monaſterium hujuſmodi cum Eccleſia ſeu capella, & humili campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari facere, illudque, poſtquam conſtructum & ædificatum fuerit, aliquibus Monialibus dicti Ordinis ſanctæ Claræ per eas perpetuo tenendum, regendum & inhabitandum, concedere, ipſiſque Monialibus, ut illud pro earum uſu & habitatione perpetuo retinere, ac in illo commorantes omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus & gratiis, dicto Ordini ſanctæ Claræ & illius perſonis in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, auctoritate prædicta, tenore præſentium licentiam elargimur atque indulgemus.

Et conceditur.

§. IV. Præterea omnia & ſingula bona dicti hoſpitalis, exceptis domibus & hortis prædictis, atque etiam reditus, per dictum Coſmam pro dicto Monaſterio ſanctæ Apolloniæ, in recompenſam, ut præfertur, emendos & acquirendos, dicto Monaſterio ſanctæ Apolloniæ, auctoritate prædicta applicamus, concedimus & approbamus; hoſpitaleque, & Monaſterium erigendum hujuſmodi ab omni ſubjectione dicti Monaſterii de Rezuolo, ejuſque Abbatis & Conventus, ac cujuſvis cenſus, vel alterius reſponſionis ſolutione prorſus eripimus & liberamus auctoritate prædicta, ac jus inſtituendi hujuſmodi ſupprimimus; itaquod hoſpitale, ac ejus loco de novo conſtruendum Monaſterium antedicta, ex tunc ab eiſdem ſubjectione, & cenſus ſolutione penitus libera & immunia ſint, neque ad illius ſolutionem Abbatiſſa & Conventus, quæ in dicto conſtruendo Monaſterio pro tempore morabuntur, Abbati & Conventui de Rezuolo prædictis, aut cuivis alteri nullatenus teneantur. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Eidem hoſpitalis bona Monaſterio aſſignantur.

Datum Senis, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. III. Nonas Maii, Pontificatus noſtri anno VI.

XXXII.

XXXII.

Inſtituit provincias Auſtriæ, Poloniæ & Boemiæ, aliaque concedit privilegia. Ibid. fol. 3.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. I. PRæclaram longe lateque flagrantem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, vitam contemplantes, qua non ſolum ſibimetipſis proficiunt ad ſalutem, verum etiam pias fidelium mentes ad Divinæ Majeſtatis obſequia trahunt per exempla, tanto diligentius iis, per quæ illorum Deo, hominibuſque gratiſſimus ſtatus feliciter dilatari conſpicitur, noſtri miniſterii partes apponimus, quanto ex ipſorum vitæ exemplaritate, celebri converſatione, ac locorum propagatione, fructus dietim ſuccedant ampliores. Dilecti igitur filii Gabrielis de Verona, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum profeſſoris, ac more illorum in Provincia, ſeu Vicaria Auſtriæ & Boemiæ Vicarii Generalis Commiſſarii ſupplicationibus inclinati, hoc perpetuo conſtitutionis edicto, auctoritate Apoſtolica, ex certa noſtra ſcientia ſancimus, ut provinciæ Auſtriæ & Boemiæ prædictæ, quas fel. record. Nicolaus PP. V. prædeceſſor noſter ſuis litteris in unam Provinciam ſeu Vicariam redegiſſe, & ſub cura & regimine Vicarii Generalis Citramontani, Ordinis & Obſervantiæ prædictorum ordinaſſe comperitur, ſub eiſdem modo, cura & regimine perſeverent, in qua etiam Provincia ſeu Vicaria, partes Regni Poloniæ & Ruſſiæ, quæ ab olim juxta conſuetudinem ejuſdem Ordinis, cum Boemia prædicta, in una Provincia comprehenſæ fuerunt & exiſtunt, eſſe & fore debere intelligantur, omniaque & ſingula in Provincia ſeu Vicaria hujuſmodi, ac etiam olim ad provinciam Saxoniæ, more prædicto pertinentem, ſancti Bernardini locum, in ſuburbiis Wratislavien. per Ordinem & Obſervantiam prælibatos, ac eorum nomine per quondam Joannem de Capiſtrano, ejuſdem Ordinis profeſſorem, & dictum Gabrielem, vel alios ex eorum diſpoſitione hactenus auctoritate Apoſtolica recepta loca, ſupplentes auctoritate & ſcientia ſimilibus, omnes & ſingulos defectus, ſi qui forſan in eorumdem locorum largitione, acquiſitione & receptione intervenerint, Ordini & Obſervantiæ prædictis perpetuo confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, prædictumque ſancti Bernardini locum ab eadem provincia Saxoniæ ſeparamus, & eidem Provinciæ, ſeu Vicario Auſtriæ & Boemiæ, in qua ſuſceptus & hactenus habitus, ſeu tentus eſſe dignoſcitur, teneturque de præſenti, appropriamus, ac obedientiæ pro tempore exiſtentis Vicarii hujuſmodi Provinciæ ſubjicimus, necnon dicto Gabrieli, ac Vicario Provinciali prædictæ Provinciæ, ſeu Vicariæ pro tempore exiſtenti, & cuilibet eorum, decem loca, ad hoc tamen congrua & honeſta, quæ illis infra Provinciam ſeu Vicariam hujuſmodi, largitione fidelium concedi, vel alias per eos acquiri canonice contigerit, de Ordinariorum locorum conſenſu, per ſe vel alium ſeu alios recipiendi, & in eorum quolibet, ſine tamen parochialium Eccleſiarum, aut aliorum juris præjudicio, unam domum, cum Eccleſia, campanili, campanis, cœmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Obſervantiæ hujuſmodi conſtruendi & erigendi, ſeu conſtrui & erigi faciendi, ac jam conſtructa etiam recipiendi, illaque inhabitandi, & inhabitari faciendi, atque ea & quæcumque alia pro tempore recepta loca, neceſſitate urgente vel utilitate, honeſtate aut com-

commodo & quiete dictorum Fratrum ſuadeutibus, mutandi, ſeu penitus relinquendi, cujuſvis licentia ſuper hoc minime requiſita, quoties eis opportunum videbitur, plenam & liberam, eadem auctoritate, tenore præſentium, licentiam elargimur & etiam facultatem.

§. II. Præterea cum ipſi Fratres vitam propriam animarum ſaluti, cui ſolertius invigilant, poſtponentes, cum hæreticis, atque ſchiſmaticis habeant pro dicta ſalute converſari, quod ipſi omnes & ſinguli, quos ab eiſdem hæreticis aut ſchiſmaticis trucidari ſive occidi, aut alias quomodocumque morti tradi contigerit, in ejuſdem mortis articulo, etiamſi ablata confeſſoris copia ſeu confitendi facultate, non confiteantur, omnium ſuorum, de quibus corde contriti fuerint, plenariam remiſſionem peccatorum conſequantur; quodque etiam Fratres, qui in ipſis recipiendis locis & domibus pro tempore deguerint, omnibus & ſingulis privilegiis, gratiis & indultis aliis ceteris locis Ordinis prædicti quomodolibet conceſſis, uti, frui & gaudere poſſint, valeant & debeant, auctoritate & ſcientia ſimilibus indulgemus. Non obſtantibus piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIV. XVI. Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno VI.

PAULUS II.

Electus eſt pridie Kalendas Septembris, coronatus V. *Idus ejuſdem Menſis.*

Anno Christi 1465. Pauli II. anno 1.

I.

Ut det facultatem conſtruendi Monaſterium Clariſſarum in urbe Papienſi. Ex lib. 2. de Regular. fol. 3.

Dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Donati de Sexto, Papien. diœc. &c.

§. I. UT quælibet ſacra Religio dilatetur, ac florido decentique .... luminoſiſque ſanctimoniæ radiis ad exemplar imitationis, eo magis eniteſcat, quo tamdem cultores ejuſdem, annuente gratia Divina, in ſtadio præſentis vitæ, ſub ſanctorum Patrum Regulis & Inſtitutis Deo militantibus, triumphi bravium valeant adipiſci, & ut Mulieribus, quæ habitu ſacræ Religionis aſſumpto, uni viro Chriſto Domino ſe cœlebi voto deſponſarunt, valeat juxta votum quies mentis proficere, & inter eas Regularis obſervantia ſtabiliri, favorem Apoſtolicum libenter impertimur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum nonnullarum Sororum domus Tertii Ordinis S. Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, in parochia parochialis Eccleſiæ ſancti Juventii Papien. conſiſtentis, ſub perpetua clauſura & Regula ſanctæ Claræ degentium petitio continebat, quod nonnullæ ex eis, quæ numero viginti duarum vel circa exiſtunt, jam dudum Ordinem ſanctæ Claræ ſolemniter profiteri voverunt, nonnullæ vero juvenculæ in propriis domibus ad præſens commorantes, ob frugem melioris vitæ eumdem Ordinem ſanctæ Claræ ingredi, & profeſſionem per illius Moniales ſive Sorores emitti ſolitam, emittere propoſuerunt; ſed quia in Civitate Papienſi nullum ejuſdem Or-

Ordinis ſanctæ Claræ Monaſterium de Obſervantia fore perhibetur, juvenculæ ipſæ earum pium & laudabile propoſitum hactenus effectui mancipare nequiverunt, & propterea præfatæ Sorores, ut earum ac juvencularum prædictarum deſiderio ſatisfieri poſſit, de bonis ſibi a Deo collatis, ac pia fidelium largitione donatis, domum prædictam latam & amplam, cum hortis & ædificiis competentibus, ad finem, quod ex illa unum Monaſterium in honorem & ſub invocatione ejuſdem Sanctæ, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro ipſarum & aliarum dicti Ordinis Sororum ſive Monialium, ſub Regula & Ordine ſanctæ Claræ hujuſmodi viventium, uſu & habitatione perpetuis, erigatur, fundetur & conſtruatur, ita quod Sorores ſive Moniales ipſæ, poſtquam expreſſe profeſſæ fuerint, unam ex eis in Abbatiſſam ſeu Matrem, ad earum beneplacitum duraturam, eligere debeant & teneantur, acquiſiverunt & partim dono habuerunt. Quare pro parte Sororum prædictarum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis de prædicta domo Monaſterium hujuſmodi erigendi, fundandi & conſtruendi, ſeu erigi, fundari & conſtrui faciendi, necnon unam ex eis in Abbatiſſam, quoties opus fuerit, eligendi, licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum adaugeri & Religionem hujuſmodi propagari, noſtris potiſſime temporibus affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, eiſdem Sororibus Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, clauſtro, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ex domo prædicta, in honorem & ſub vocabulo ejuſdem Sanctæ, & Ordine prædictis, pro perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi, erigendi, fundandi, conſtruendi & ædificandi, ſeu erigi, fundari, conſtrui & ædificari faciendi, Diœceſani loci, & cujuſcumque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, plenam & liberam, auctoritate noſtra, licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus, ac dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus autem, quod præfatæ Sorores, quæ in dicta domo morantur, profeſſionem per Sorores ſive Moniales dicti Ordinis ſanctæ Claræ emitti ſolitam, in manibus dilecti filii Guardiani domus ſancti Jacobi, extra muros Papien. Ordinis Minorum pro hac vice dumtaxat emittere debeant; qui quidem Guardianus profeſſione hujuſmodi per eum recepta, illam ex eis, quam ad regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii conſtruendi, magis aptam & idoneam eſſe repererit, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, de voluntate tamen & conſenſu aliarum Sororum ſive Monialium hujuſmodi, vel aliam Sororem ſeu Monialem alterius Monaſterii, ejuſdem Ordinis ſanctæ Claræ in Abbatiſſam dicti erigendi & fundandi Monaſterii eligere, ipſamque ad beneplacitum aliarum profeſſarum Sororum ſive Monialium hujuſmodi duraturam, præfato Monaſterio erigendo ſeu fundando, præficere teneatur, eidem curam, regimen & adminiſtrationem dicti Monaſterii erigendi & fundandi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo.

§. III. Nos enim præfatis Sororibus ſive Monialibus, poſtquam profeſſionem hujuſmodi emiſerint, ut præfertur, quoties de cetero fundandum & erigendum Monaſterium hujuſmodi, per obitum ſeu amotionem illius

Ab-

Abbatiſſæ vacare contigerit, unam ex Sororibus ſeu Monialibus ejuſdem Monaſterii profeſſam, ad earum nutum duraturam, eligere, ipſaque ſic electa, curam, regimen & adminiſtrationem dicti erigendi & fundandi Monaſterii recipere, illudque in ſpiritualibus & temporalibus regere & gubernare, juxta mores, ſtatuta & ordinationes dicti Ordinis ſanctæ Claræ, valeant, licentiam concedimus & etiam facultatem: Quodque ſingulæ, quæ in conſtruendo & erigendo Monaſterio hujuſmodi pro tempore deguerint, Abbatiſſa & Moniales & illius perſonæ, omnibus & ſingulis immunitatibus, libertatibus, conceſſionibus, gratiis & indultis, per Sedem Apoſtolicam quibuſvis Monaſteriis ejuſdem Ordinis quomodolibet hactenus in genere conceſſis, & in poſterum concedendis, plene & libere uti valeant pariter & gaudere: Quodque ipſæ per Guardianum dictæ domus pro tempore exiſtentem, ſeu alium vel alios dicti Ordinis Fratres idoneos & honeſtos, ab eo deputandos, circa confeſſiones audiendas, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda, perpetuis futuris temporibus gubernari debeant & teneantur, eadem auctoritate concedimus pariter & indulgemus.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXV. v. Non. Martii, Pontificatus noſtri anno 1.

Anno Chriſti 1465. Pauli II. anno 2.

II.

Multa eis conceſſa privilegia confirmat, & ad alia hoſpitalia extendit. Ex lib. 1. de benef. diverſ. de reg. præben. proviſionib. exhibitis, & de plenaria. fol. 232.

Dilectis in Chriſto filiabus Sororibus Tertii Ordinis Hoſpitalis ſancti Audomari, Morinen. diœceſis.

Nicolaus V. Sororibus concedit in articulo mortis omnium delictorum paſſivam abſolutionem.

§. 1. Devotionis & ſinceritatis augmentum, Deo propitio, vobis peramplius ſucceſſurum confidimus, ſi ſuper his quæ prærequiſitis, Nos benignos & favorabiles habeatis. Dudum ſiquidem fel. record. Nicolaus Papa V. prædeceſſor noſter vobis Sororibus, & dilectis pauperibus & infirmis hoſpitalis ſancti Audomari, Morinen. diœceſis, & ſervientibus in eodem, tunc præſentibus & futuris, quod ſecularis vel religioſus Sacerdos quem pro tempore duceretis eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contriti & ore confeſſi eſſetis, plenam in mortis articulo remiſſionem vobis in ſinceritate fidei, unitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac devotione & obedientia ſua, & ſucceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeret, indulſit; & ut vos Sorores eo honeſtius, & abſque alicujus infamiæ nota vivere ſtuderetis, quo crimina & exceſſus noſceretis non remanere impunita, Viſitatori, & Magiſtræ dicti hoſpitalis pro tempore exiſtentibus, quoties opus foret, illas ex Sororibus dicti hoſpitalis, quæ pro tempore delinquerent, juxta exceſſuum terminum, ac delictorum per eas pro tempore commiſſorum qualitatem & quantitatem, ac veſtri Ordinis inſtituta, & canonicas ſanctiones, corrigendi, incarcerandi, & a præfato hoſpitali amovendi, ac alias puniendi, aliaque circa hæc neceſſaria faciendi & exequendi: Contradictores quoque & rebelles, per cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, necnon proceſſus deſuper habitos aggravandi & reaggravandi, ac auxilium brachii ſecularis invocandi, & illas, quæ de commiſſis per eas dolentes, ſe emendare vellent, ab

Viſitatori & Magiſtræ delinquentes corrigere.

huju-

hujuſmodi exceſſibus, criminibus & delictis abſolvendi, & a carceribus liberandi, ac in priſtinum ſtatum, quoad honorem & famam, & quæcumque alia, in quo, antequam crimina, exceſſus & delicta hujuſmodi perpetrarent, exiſtebant, in integrum reſtituendi & reponendi, necnon omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam abolendi, plenam & liberam conceſſit facultatem.

§. II. Et inſuper, ut Sorores ipſæ pro tempore exiſtentes ferventius eo in humilitatis ſpiritu Altiſſimo deſervirent, & pauperum ſervitiis inſiſterent, quo majoribus per Sedem Apoſtolicam favoribus & gratiis forent conjunctæ, Magiſtræ pro tempore exiſtenti, ut in veſtri Miniſtri, aliis vero Sororibus præſentibus & futuris hoſpitalis ejuſdem, ut in prædictæ Magiſtræ manibus tria vota ſubſtantialia Religionis, ad inſtar aliarum Tertii Ordinis Sororum ſeu Religioſarum, in manibus ſuorum Superiorum voventium, anno probationis elapſo, quoties opus foret, libere & licite vovere, ac hujuſmodi vota emittere, necnon fugientes a ſeculo ad habitum probationis recipere, ac ut in hujuſmodi hoſpitali in communi perpetuo vivere poſſetis, ipſaque Magiſtra dicta vota recipere, & ad veſtrum conſortium admittere poſſet, de licentia tamen Viſitatorum prædicta; & quod Viſitator præfatus, alioquin Sacerdos idoneus ſecularis vel regularis, de licentia tamen dicti Viſitatoris, quem vos Sorores tunc præſentes & futuræ duceretis eligendum, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, quoties opus foret, niſi talia eſſent, propter quæ Sedes Apoſtolica merito conſulenda exiſteret, abſolvere, ac pœnitentiam ſalutarem injungere poſſet; necnon ut vos Sacramenta Euchariſtiæ, quoties opus eſſet, etiam a Religioſis, & de Ordinibus Mendicantium recipere poſſetis: jure tamen parochialis Eccleſiæ in omnibus ſemper ſalvo, per quaſdam ſuas gratioſe conceſſit. Poſtmodum vero per bo. mem. Pium Papam II. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod propter obſequia, quæ infirmis tam de contagioſo morbo peſtis, quàm aliis ægrotantibus impendebatis, numerus Sororum in partibus illis augmentatus fuerat, & augmentabatur in dies, ipſe Pius prædeceſſor per alias quaſdam ſuas litteras, indultum & facultatem, ac litteras prædictas, cum omnibus & ſingulis in eis contentis clauſulis ad hoſpitalia infraſcripta de conſenſu Ordinariorum erecta, videlicet ſancti Nicolai de Unſebort, quæ in parochia de Brugelletes, & beatæ Mariæ de Sluſis, necnon de Dungnoria, de Surbuch, & de Bolonia ſancti Joannis in ſancti Audomari, & ſancti Joannis in Dixmuda, Cameracen. & Tornacen. & ejuſdem Morinen. diœc. extendit & ampliavit; vobiſque Sororibus, & pro tempore in locis, Hoſpitalibus, ſeu domibus veſtris prædictis commorantibus, Vicarium Provincialem Franciæ Ordinis Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, in Superiorem deputavit, voſque illi ſubjecit: qui quidem Vicarius ..... ſecundum formam dicti indulti, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, abſolvere, ac vobis, & toti familiæ veſtræ Viſitatorem aſſignare poſſet & debeat; ipſeque Viſitator in prædictis veſtris locis omnimodam haberet facultatem juxta formam litterarum Apoſtolicarum prædictarum, vobiſque ut capitularem congregationem facere, & in ea negotia ad utilitatem & profectum veſtræ ſocietatis ſpectantia tractare & ordinare poſſetis, licentiam concedere; ipſeque Vicarius omnia & ſingula, quæ in tali congregatione, per Viſitatorem & Miniſtrum, ſeu tempore, quo alias forte aliquis ipſorum legitime impeditus eſſet, per alterum eorum eum conſilio Magiſtrarum & Sororum aliarum capitulariter congregatarum, ſeu majoris partis earumdem, pro communi bono ordinata forent, dicta auctoritate confirmare poſſet.

In Magiſtræ manibus profeſſionem emittere.

A Viſitatoribus Sacramenta recipere.

Pius II. recenſitas facultates ad alia hoſpitalia extendit.

Vicarii Obſervantium ſuper Sorores poteſtas.

§. III. Et inſuper, pro amovendis veſtrarum conſcientiarum ſcrupulis, vo-

Habitus defendus.

vobis, & pro tempore exiſtentibus de veſtra ſocietate ſeu congregatione Sororibus, quod tunicam & ſcapularium, cordam de canape, & extra loca veſtra, mantellum griſeum de humili panno, prout Sorores Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati, de licentia Sedis Apoſtolicæ tunc deferebant, voſque eatenus detuleratis, deferre libere & licite poſſetis; & quod illæ, quæ ex vobis legere ſcirent, quotieſcumque pauperum ſervitiis occupatæ forent, ad lecturam aliorum pſalmorum, juxta formam Regulæ, aut veſtræ Obſervantiæ, nequaquam obligatæ eſſent, ſed per ordinationem & diſcretionem Viſitatoris, cum oratione Dominica, videlicet *Pater noſter*, in eadem Regula contenta, ſicut & Sorores aliæ pſalterii ignaræ, quoad hoc ſatisfacere poſſent; liceatque vobis, ſalva conſcientia, de conſenſu tamen Vicarii vel Viſitatoris ſeu Miniſtri, ultra numerum vobis præfixum, ad hujuſmodi congregationem tot Sorores, quot vobis videretur, recipere; necnon, quod quandocumque vobis aliquid offerretur, vel pie donaretur, ſeu in teſtamentis vel aliis ultimis voluntatibus a decedentibus legaretur, pro infirmorum, ac pauperum Chriſti, veſtrumque, ac domus veſtræ ſuſtentatione, & opportunitatibus recipere & retinere, ac in uſus veſtros, ac pauperum eorumdem convertere, libere & licite poſſetis, indulſit, prout in ſingulis litteris prædictis plenius continetur.

Poteſt Viſitator officii recitationem in alias preces commutare.

Poſſunt Sorores ultra numerum recipere.

§. IV. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, poſt prædictarum, & præſertim priorum litterarum emanationem, quatuor alia Hoſpitalia, videlicet de Hazebronch & de Majorivilla ſupra Liſam, ac de Vienna & de Baſſeja, earumdem Morinen. & Cameracen. ac Attrebaten. diœceſ. vobis & congregationi veſtræ aggregatæ fuerint, & propter pia, quæ in hujuſmodi Hoſpitalibus exercentur opera, laudabilemque Sororum earumdem vitam, ſperetis etiam alia in poſterum aggregari: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſiones & omnia & ſingula in prædictis litteris contenta, vobis conceſſa, ad quatuor Hoſpitalia prædicta eidem veſtræ ſocietati, ſeu congregationi aggregata & a vobis recepta, necnon & ad duo alia, in terminis Provinciæ Franciæ, diſtinguendo Provinciam ſecundum morem Fratrum Minorum, eidem congregationi in poſterum aggreganda, & per vos recipienda, eorumque Sorores & infirmos, ac eis inſervientes & perſonas extendere, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignarentur.

Privilegia hæc ad alia Monaſteria de novo conſtructa extendi petitur.

§. V. Nos igitur cupientes ut eo firmius in veſtro propoſito pio perſiſtatis, quo vos & aliæ prædictæ vobis aggregandæ in veſtris juſtis poſtulationibus a Sede Apoſtolica gratioſius fueritis exauditæ, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſiones, & omnia & ſingula in prædictis litteris contenta, vobis conceſſa, ad prædicta quatuor hactenus vobis & veſtræ congregationi aggregata & a vobis recepta, necnon ad duo alia in poſterum, de Ordinariorum locorum & eorum, quorum intereſt aſſenſu, in terminis dictæ Provinciæ conſiſtentia, eidem congregationi aggreganda & per vos recipienda Hoſpitalia, eorumque Sorores, infirmos, ſervientes & perſonas, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium extendimus: & ut illorum Sorores infirmis ſervientes, & perſonæ prædictæ, præſentes & futuræ præmiſſis conceſſionibus, libertatibus & indultis uti, potiri & gaudere, & ſecundum ea vivere poſſint & debeant in omnibus & per omnia, quemadmodum vos hactenus uti, potiri & gaudere conſueviſtis, ac potuiſtis & debuiſtis, abſque tamen parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius præjudicio, eorumque jure in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, te-

Pontifex indulget.

tenore præſentium, de ſpeciali gratia indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. ſi quis &c.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXV. Pridie Idus Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno II.

III.

Ut Monaſterium Gandiæ derelictum tradat Sororibus Coletaneis. Ex lib. 3. *de diverſis, fol.* 44.

Dilecto filio Vicario venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Valentini in ſpiritualibus &c.

§. I. REgimini univerſalis Eccleſiæ quamquam immeriti, diſponente Domino præſidentes, curis urgemur & aſſidua meditatione pulſamur, ut quorumcumque Religioſorum locorum ... illorumque perſonæ, dirigantur ſalubriter & feliciter gubernentur, ac ne in ſpiritualibus vel temporalibus detrimenta ſubeant, libenter ipſis, quantum poſſumus, opportunæ proviſionis remedium adhibemus. Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici de Vico Militis Valentini, Conſiliarii, ac Magiſtri rationum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Aragonum illuſtris, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod dudum Monaſterio Monialium villæ Gandiæ, Valentin. diœceſis Ordinis ſanctæ Claræ, a Monialibus ibidem tunc degentibus, quæ olim auctoritate Apoſtolica, inſtante claræ memoriæ Regina Aragonum ad Monaſterium ſanctæ Trinitatis Valentin. dicti Ordinis translatæ erant, penitus derelicto & deſolato, bonæ memoriæ Jacobus Epiſcopus Barchinonen. tunc in partibus illis Apoſtolicæ Sedis cum poteſtate Legati de latere Nuncius, habens ad hoc per ejuſdem Sedis litteras poteſtatem, illius vigore, dicto Ludovico zelo devotionis ducto, & Monaſterium de Gandia hujuſmodi, in ſuorum ædificiorum ſtructuris & ædificiis miſerabili ruinæ ſubjectum reparare, ac etiam reſtaurare proponenti, ut aliquas Moniales ejuſdem Ordinis Provinciæ Aragoniæ, ſecundum morem Ordinis ejuſdem, ad ipſum derelictum Monaſterium transferri, & ad illud inhabitandum reduci facere valeret, conceſſit, prout in ipſius ſuper hoc confectis litteris dicitur plenius contineri.

§. II. Et deinde, cum ipſe Ludovicus, qui nonnullas poſſeſſiones, ad præfatum derelictum Monaſterium pertinentes, a diverſorum creditorum ipſius derelicti Monaſterii manibus, qui illas pro debitis occupabant, redemerat, & eidem derelicto Monaſterio pro uſu & habitatione Monialium ad illud reducendarum, & in eo degentium, reſtituerat & donaverat, ex eadem Provincia Moniales ſe ad præfatum Monaſterium transferre volentes reperire nequiret, aliquas Moniales Monaſterii de Lyſeniano dicti Ordinis, Narbonen. diœceſis, in Provincia Provinciæ conſiſtentes, ſecundum morem reformationis quondam Sororis Coletæ olim ipſius Abbatiſſæ in partibus Gallicanis, ſub arctiſſima clauſura, aſperaque & perpetua pœnitentia, ac ex eleemoſynis dumtaxat, & in obedientia Miniſtri Generalis Fratrum Ordinis ſancti Franciſci viventes, quæ omni tempore anni, Dominicis tantummodo exceptis diebus, jejunant, ac diſcalciatæ ſemper incedunt, & Regulam, quam idem ſanctus Franciſcus dictæ ſanctæ tradidit, cum additionibus & declarationibus a Sede Apoſtolica poſtea emanatis, & per dictam ſororem Coletam impetratis, obſervant, de ejuſdem Miniſtri licentia & conſenſu, transferri obtinuit & procuravit: quibus ſic translatis, ipſe Lu-

dovicus Monaſterium de Gandia, & recuperatas poſſeſſiones hujuſmodi pro ipſarum habitatione & uſu donavit & aſſignavit. Quare pro parte Militis, & Monialium ſic translatarum, & ad præſens in dicto Monaſterio de Gandia, ſecundum morem & reformationem dictæ ſororis Coletæ degentium, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni per dictum Epiſcopum tunc eidem Militi, necnon Monialium prædictarum translationi, ac ipſi Monaſterio de Gandia poſſeſſionum conſignationi, ut præmittitur factis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur noſtræ confirmationis adjicere, Monaſteriumque de Gandia præfatum ipſis translatis Monialibus pro perpetuis illarum uſu & habitatione, & quod illud retinere ac inhabitare, & in eo inſtar Monialium reformatarum dictæ ſororis Coletæ vivere, orare, vigilare & ſe induere, & gubernare poſſint & valeant, concedere, & alias eis ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur, qui Obſervantiam Regularem noſtris potiſſime temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, tam piæ vitæ propoſitum paternis non immerito proſequentes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, conceſſionem, translationem, poſſeſſionum conſignationem prædictas, eadem auctoritate confirmes & approbes. Et nihilominus Monaſterium de Gandia prædictum eiſdem translatis, & eis ſuccedentibus Monialibus, pro ipſarum perpetuis uſu & habitatione hujuſmodi, quodque illud retinere & inhabitare valeant, concedere, necnon conſtitutiones, ſtatuta, ſtabilimenta, ac modum & formam vivendi, orandi, vigilandi & induendi, ac omnia alia & ſingula faciendi ſecundum formam dictæ reformationis ſororis Coletæ, ita quod ſub illis ibidem vivere habeant, tradere auctoritate noſtra procures. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis &c. contrariis quibuſcumque. Per hoc autem reformationem dictæ ſororis Coletæ, in quantum a Sede Apoſtolica approbata non ſit, non intendimus in aliquo approbare.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXV. XII. Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri anno II.

Anno Chriſti 1466. Pauli II. anno 2.

IV.

Ut det facultatem fundandi Monaſterium Clariſſarum in oppido de las Cumbres majores. Ex lib. 1. de Regular. fol. 258.

Venerabili Fratri Epiſcopo Pacen. & dilecto filio Theſaurario Eccleſiæ Pacen. &c.

§. I. Piis fidelium votis gratum nos decet præſtare aſſenſum, & ut ea quæ Religionis propagationem reſpiciunt, optatum ſortiantur effectum, libenter imponimus ſollicitudinis noſtræ partes. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Mariæ, natæ dilecti filii Joannis Martini Vexarani & Leonoræ ejus Sororis habitatricum villæ ſeu loci *de las Cumbres majores* mulierum Hiſpalen. diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ipſæ, pro ſua devotione & ſuarum animarum ſalute, cupiunt de bonis ſuis unum Monaſterium in honorem ſanctæ Claræ pro uſu & habitatione Monialium ejuſdem Ordinis fundare, conſtruere & erigere. Quare

pro

pro parte ipſarum Mariæ & Leonoræ nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis in prædicta villa, in loco ad hoc congruenti & honeſto, unum Monaſterium hujuſmodi, cum neceſſariis officinis fundari, conſtrui & ædificari faciendi, illudque poſtquam conſtructum, aut conſtrui & ædificari cœptum fuerit, Monialibus in eo ingredi, & Domino ſub Regula dicti Ordinis famulari volentibus, concedendi, licentiam impertiri, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis diligimus ubilibet incrementum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, vos vel alter veſtrum præfatis Mariæ & Leonoræ, ut in dicta villa, in loco tamen ad hoc congruenti & honeſto, unum Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, hortis, aliiſque neceſſariis officinis fundari, conſtrui & ædificari facere, illudque poſtquam conſtructum, aut conſtrui & ædificari cœptum fuerit, aliquibus Monialibus illud ingredi, & in eo ſub Regularibus dicti Ordinis inſtitutis Altiſſimo famulari volentibus, per unam Abbatiſſam, ac alias juxta Regularia inſtituta præfata, regendum & gubernandum, concedere & aſſignare, ipſiſque Monialibus, ut Monaſterium prædictum pro earum uſu & habitatione perpetuis recipere & retinere libere & licite valeant, auctoritate noſtra licentiam largiamini: jure parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Nos enim Abbatiſſæ & Conventui ac Monialibus, quæ in ipſo Monaſterio pro tempore moram trahent, ceteriſque Confeſſori & Capellanis, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, indulgentiis, favoribus & gratiis, quibus alia dicti Ordinis Monaſteria, ac Moniales in illis degentes in genere potiuntur & gaudent, etiam potiri & gaudere poſſint & valeant, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, aliiſque conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVI. VI. Idus Januarii, Pontificatus noſtri anno II.

V.

Ut compellant quoſdam Eremitas ad deponendum habitum ſimilem Minoritano.

Ex lib. 1. de Regular. & præbend. vacantib. fol. 85.

Venerabilibus Fratribus Sibenicen. & Arben. ac Parentin. Epiſcopis &c.

§. I. REgularem vitam profeſſis ſic expedit ſubtrahi inquietudinis & turbationis materiam, quod in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii, & Fratrum Provinciæ Dalmatiæ, Ordinis Fratrum Minorum, ſub Regulari Obſervantia degentium petitio continebat, quod in eadem Provincia ſint quamplures Eremitæ aſſerentes ſe Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati exiſtere, qui auctoritate, ut creditur, propria ſumpſerunt habitum conſimilem Fratrum prædictorum, & in nullo apparenter ab eo differentem.

§. II. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, idem habitus non ſit, quo dicti Eremitæ ſecundum eorum Regulam uti debeant, & plura ex hoc ſcandala eiſdem Fratribus, niſi illi ab eis in habitu diſcernantur, in conſpectu populorum veriſimiliter formidentur: Pro parte Vicarii & Fratrum

trum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his eis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, ſi eſt ita, per vos vel alium ſeu alios, omnes & ſingulos Eremitas prædictos in eadem Provincia nunc & pro tempore commorantes, ſive prædicti Tertii Ordinis, ſive cujuſvis alterius Congregationis exiſtant, ut habitum omnino diſtinctum & differentem ab habitu Fratrum Minorum prædictorum deferant ac geſtent, ſub excommunicationis pœna, auctoritate noſtra moneatis & mandetis eiſdem; alioquin ſi monitioni & mandato eiſdem contraire, ac habitum prædictum poſt certum, quem eis ad hoc præfixeritis peremptorium terminum, geſtare præſumpſerint, illos ex tunc in Eccleſiis, dum major inibi populi multitudo convenerit ad Divina, excommunicatos publice nuncietis, faciatiſque ab aliis nunciari, & ab omnibus arctius evitari, donec, mutato habitu ſupradicto, meruerint ab eadem ſententia abſolutionis beneficium obtinere. Et inſuper legitimis per vos ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare dicta auctoritate curetis: Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque: Aut ſi eiſdem Eremitis vel quibuſcumque aliis communiter vel diviſim, ab Apoſtolica ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per litteras noſtras non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem &c.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVI. III. Non. Junii, Pontificatus noſtri anno II.

Anno MCCCCLXVII. *nullum occurrit Monumentum.*

Anno Christi 1468. Pauli II. anno 4.

V I.

Ut ſubſidium erogent ad perficiendum & ſuſtentandum Conventum Lochleyn in Hibernia. Ex lib. 3. de diverſis, fol. 35.

Univerſis Chriſtifidelibus &c.

§. I. Paſtoris æterni, qui pro Dominici ſalvatione gregis in prætium ſe contulit, vices, licet immeriti, gerentes in terris, fidelium vota quorumlibet, præſertim quæ ad ſuarum ſalutem cedere valeant animarum, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & ut illorum ſuccedant effectus, noſtri partes Miniſterii præſidialiter impertimur. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Donaldus Machar, Princeps Deſimoniæ, ſingulari devotione ductus, de bonis ſibi a Deo collatis, unam domum, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis Minorum, ſub vocabulo ſanctæ Trinitatis in loco de Lochleyn in parte Occidentali totius orbis, Aertferten. dioeceſis, obtenta prius a Sede Apoſtolica licentia, de novo conſtrui & ædificari facere inchoaverit, & locum ipſum, qui ad præfatum Principem legitime pertinebat, qnique ſecularis exiſtit, & ibidem nulla Civitas fere per 40. milliaria propinqua eſt, dictis Fratribus gratioſe dederit & aſſignaverit; & ex tunc dilectus

ctus filius Richardus Chilvart, & alii Fratres dicti Ordinis in ipso loco, qui aptissimus ad serviendum Deo existit, per viginti annos sub arcta pœnitentia, & Regulari Observantia vixerint & vivant de præsenti, devotum & sedulum famulatum exhibentes, ipsæque domus & Ecclesia hujusmodi nondum perfectæ existant, & ad illa perficienda, præfati Principis, propter guerras & assidua bella, quibus a suis hostibus affligitur, facultates non suppetunt, sed Christifidelium suffragia sint quamplurimum opportuna.

§. II. Nos igitur cupientes ut structuræ & ædificia inchoata hujusmodi debite perficiantur, amplientur & conserventur, ac Fratres in dicta domo pro tempore commorantes sustentari, & Altissimo famulari possint, ipsaque Ecclesia congruis honoribus frequentetur, ac Christifideles eo libentius devotionis causa ad illam confluant, ac ad hujusmodi perfectionem, ampliationem, conservationem & sustentationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ uberius conspexerint se refectos; de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in sancti Francisci, & primæ Dominicæ septuagesimæ festivitatibus, eamdem Ecclesiam devote visitaverint annuatim, & ad perfectionem, ampliationem, conservationem & sustentationem manus porrexerint adjutrices, singulis videlicet festivitatum earumdem diebus, quinque annos & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus: præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam Ecclesiam, vel ad hujusmodi perfectionem, ampliationem, conservationem & sustentationem erogantibus, vel alias aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus forsan, vel nondum elapsum duratura, per nos concessa fuerit, præsentes litteræ nullius existant roboris vel momenti.

Datum Romæ apud sanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVIII. IX. Kalendas Maii, Pontificatus nostri anno IV.

VII.

Ut fiat potestas Archiepiscopo Bituricensi ædificandi Monasterium Clarissarum. Ex lib. 1. de diversi. præben. vacan. fol. 158.

Dilectis filiis Cantori, & Petro de Crocils, Canonico Ecclesiæ Bituricen. ac Officiali Bituricen. &c.

§. I. Inter universa opera Divinæ placita voluntati, ædificare Cœnobium, in quo prudentes Virgines cupientes accensis lampadibus obviam ire sponso, gratum & devotum Altissimo exhibeant famulatum, non minimum reputatur, cum in eo Divinis laudibus glorificetur Altissimus, & per innocentis vitæ merita, gloria æternæ beatitudinis acquiratur. Sane nobis nuper exhibita venerabilis fratris nostri Joannis Archiepiscopi Bituricen. petitio continebat, quod ipse ex suis, & aliorum Christifidelium eleemosynis, in Civitate Bituricen. Monasterium, pro inibi Religiosas, Abbatissam & Sorores sanctæ Claræ collocando, juxta reformationem, vulgariter dictam sororis Coletæ, sub tali & simili obedientia ac regimine, quibus sunt Conventus aliorum Monasteriorum dicti Ordinis, in regno Franciæ constitutorum, & ad illorum similitudinem construere & ædificare proponat, & impræsentiarum ædificet, cupiatque Sedis Apostolicæ auctoritatem intervenire. Quare pro parte dicti Joannis Archiepiscopi nobis

fuit

ſuit humiliter ſupplicatum, ut erectionem & fundationem hujuſmodi ratas & gratas habere, ſibique Monaſterium hujuſmodi, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione dictarum Abbatiſſæ & Sororum, ædificandi licentiam concedere, ac alias in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Obſervantiæ cultus hujuſmodi propagationem deſiderio appetimus, certam notitiam de præmiſſis non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, ipſi Archiepiſcopo conſtructionem & ædificationem perficiendi, ac Monaſterium & Eccleſiam, cum campanili, campanis humilibus, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, aliiſque neceſſariis officinis, ædificandi, necnon omnia alia & ſingula circa ea neceſſaria & opportuna faciendi & exequendi, plenam & liberam licentiam ac facultatem, auctoritate noſtra concedere curetis. Nos enim Abbatiſſæ & Sororibus hujuſmodi pro tempore exiſtentibus & degentibus, ſi approbationem & conceſſionem hujuſmodi feceritis, ut præfertur, quod omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, gratiis & indultis, quibus alia Monaſteria Ordinis & Obſervantiæ hujuſmodi in genere utuntur & gaudent, ſeu uti & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui & gaudere poſſint; necnon præfato & ſucceſſoribus ſuis Bituricen. Archiepiſcopis pro tempore exiſtentibus, aliquem probum & circumſpectum, omni ſuſpicione carentem, Ordinis Minorum profeſſorem, ſub quorum cura talia Monaſteria degere conſueverunt, qui nomen Patris Vicarii, ac Viſitatoris inibi obtineat, ad eorumdem Archiepiſcoporum nutum amovibilem, eligere, & illum in Patrem & Viſitatorem, ac Vicarium Abbatiſſæ, Conventui Monaſterii hujuſmodi conſtruendi, concedere & aſſignare, ipſique ſic electo pro confeſſore liceat in ea parte Monaſterii, quæ ſibi fuerit deputata, manere, licentia tamen a ſuo Superiore petita & obtenta; ac per ſe vel alium Euchariſtiam in Eccleſia collocare, ac omnia & ſingula Eccleſiaſtica Sacramenta ipſis Abbatiſſæ & Conventui tunc inſtitutis miniſtrare, omniaque alia & ſingula, quæ in talibus neceſſaria, & ſaluti animarum earumdem opportuna fuerint, facere & exequi poſſit & valeat, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia concedimus pariter & indulgemus. Nnn obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXVIII. Kalendis Septembris, Pontificatus noſtri anno IV.

Anno Christi 1469. Pauli II. anno 5.

VIII.

Ut concedat fratri Amadeo & ſociis facultatem admittendi domos aliquot in Lombardia. Ex lib. 4. de Regular & exhibitis fol. 1.

Ven. fratri Archiepiſcopo Mediolan. & dilecto filio Abbati Monaſterii ſancti Ceſſi extra muros Mediolanen.

§. I. Inter cetera deſiderabilia cordis noſtri illud intentis deſideramus affectibus, ut ubique Majeſtas Altiſſimi, etiam cum ſacræ Religionis augmento, in gratiarum benedictionibus collaudetur, ſuique cultus glorioſi nominis amplietur. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro par-

parte dilectorum filiorum fratris Amadei de Hiſpania & Fratrum ſociorum ejus, Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum petitio continebat, quod nonnulli populi provinciæ Lombardiæ aliquas domos & loca in ſuis territoriis eiſdem Amadeo, qui cuſtos domus ſanctæ Mariæ de Brixianoro, apud Caſtrumleonem oppidum Cremonen. diœceſis ad præſens exiſtit, & ſociis, pro eorum uſu & habitatione concedi deſiderent: quare pro parte Amadei & ſociorum præfatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis recipiendi domos & loca hujuſmodi, ac alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui animarum ſalutem procurari, & Religionis ſtatum propagari, & hujuſmodi cultum adaugeri noſtris præſertim temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum, Amadeo & ſociis prædictis, quibus nos etiam nuper Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Gratiis, in territorio terræ Quinzani, Brixien. diœceſis, & apud eam, cum dormitorio, refectorio & aliis officinis recipiendi licentiam per quaſdam litteras noſtras concedi mandavimus, ut tria alia domus, ſeu loca, ſub vocabulo ſanctæ Mariæ jam fundata ſeu fundanda, ſi eis aliquorum Chriſtifidelium largitione concedantur, aut illa ex eleemoſynis eis erogandis acquirere poſſint in dicta provincia Lombardiæ, recipere, & illa cum hujuſmodi campanilibus, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui & ædificari facere, & in eis perpetuo morari valeant, diœceſanorum locorum, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ac juribus parochialium Eccleſiarum, & cujuſvis alterius in omnibus ſemper ſalvis: ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & quibuſvis aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcumque nequaquam obſtantibus concedatis. Nos enim præfatis Amadeo & ſociis, ſi hujuſmodi licentiam per vos eis concedi contingat, ut ipſe Amadeus ab beneplacitum noſtrum, domorum ſeu locorum hujuſmodi Cuſtos exiſtat, & ipſo defuncto, ſocii prædicti in ipſis domibus ſeu locis pro tempore degentes, Cuſtodem ipſarum domorum ſeu locorum poſtea in Capitulo Provinciæ Mediolanen. præfati Ordinis confirmandum, qui poſſit omnia & ſingula facere, quæ dictus Amadeus Cuſtos pro regimine dictarum domorum ſeu locorum facere potuiſſet, eligere poſſint, quodque loca recepta & conſtructa hujuſmodi, & eorum Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, conceſſionibus, exemptionibus, & gratiis, Eccleſiæ ſeu domui ſanctæ Mariæ de Brixianoro prædictis, & ejus Fratribus in genere conceſſis, gaudere valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium concedimus.

Datum Romæ apud ſanctum Marcum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. X. Kalend. Maii. Pontificatus noſtri anno V.

IX.

Ut concedat licentiam Duci Mediolanenſi conſtruendi Conventum Obſervantum in terra Abbiatæ. Ex lib. 5. de diverſ. fol. 43.

Venerabili fratri Epiſcopo Novarien. &c.

§. I. EXimiæ devotionis affectus, & puræ fidei integritas, quibus dilectus filius nobilis vir Galeaz Maria Dux Mediolani in noſtro & Apoſtolicæ Sedis conſpectu clarere dignoſcitur, non indigne meretur, ut ejus petitiones, præſertim per quas cum animarum ſalute, ſacra Religio valeat propagari, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane

pro parte dilecti filii nobilis viri Galeaz Mariæ, Ducia Mediolani nobis nuper exhibita petitio continebat, quod, cum in terra ſua Abbiatæ, Mediolanen. dioceſis, & ejus territorio non ſit aliqua domus Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, ipſe Dux pro ſingulari devotione, quam ad eumdem Ordinem & illius Fratres, ob illorum vitæ ſanctimoniam, ſanam doctrinam, aliaque virtutis merita, gerit, & propter uberes fructus, quos Fratres prædicti tam prædicando, quam exemplarem de ſe vitam in populo exhibendo, in cunctis locis in quibus converſantur apud fideles Chriſti, facere conſueverunt, firma ſpe fiduciaque conceptis, quod ſi pro uſu & habitatione eorumdem Fratrum aliqua domus in territorio prædicto fundaretur, id ad ipſius Ducis, & univerſorum incolarum dictæ terræ conſolationem, animarumque ſalutem cederet; libenter unam domum hujuſmodi cum Eccleſia, ſub invocatione ſanctorum Mariæ, Sebaſtiani & Rocchi, in territorio prædicto, ſuper quibuſdam petiis terrarum quandraginta octo perticarum, vel circa, menſuræ Mediolanen. per eum propterea emptis, & in loco ad hoc congruenti & honeſto ſitis, conſtrui & ædificari facerent, & eorumdem Fratrum perpetuis uſibus applicarent, ſi eis hoc de præfatæ Sedis auctoritate liceret. Quare pro parte dicti Ducis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ei unam domum hujuſmodi pro habitatione dictorum Fratrum, ſub Vicario provinciæ Mediolanen. ſecundum morem dicti Ordinis, eum Eccleſia, campanili humili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, clauſtro, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in dictis petiis terrarum conſtrui & ædificari faciendi, illamque dictis Vicario & Fratribus, pro eorum perpetuis uſibus applicandi & appropriandi, ac eiſdem Vicario & Fratribus illam pro eorum uſibus & habitatione hujuſmodi recipiendi, & perpetuo inhabitandi licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui Religionis diligimus incrementum, ejuſdem Ducis, quem, ſuis exigentibus meritis, ſpeciali dilectione proſequimur, deſiderium plurimum in Domino commendantes, & de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de præmiſſis omnibus & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ipſi Duci, ut unam domum hujuſmodi cum Eccleſia, ſub invocationibus prædictis, campanili humili, campana, cœmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in petiis terrarum prædictis conſtrui & ædificari facere, illamque perpetuis uſibus Vicarii & Fratrum prædictorum applicare, necnon Vicario, & Fratribus prædictis, ut illam pro eorum uſu & habitatione recipere, & perpetuo inhabitare libere & licite valeant, auctoritate noſtra licentiam largiaris: alias tamen ſine cujuſcumque præjudicio, jureque parochialis Eccleſiæ & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis quibuſcumque. Nos enim, ſi licentiam hujuſmodi per te, vigore præſentium concedi contigerit, ut præfertur, dictæ domui ac Fratribus, qui pro tempore illam inhabitabunt, ut omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, libertatibus, favoribus, exemptionibus & indultis, per Sedem prædictam domibus & Fratribus in genere conceſſis & concedendis, & quibus illi potiuntur & gaudent, aut potiri & gaudere in futurum poterunt, potiri & gaudere libere & licite valeant, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium concedimus.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Domin. MCCCCLXIX. XVI. Non. Junii, Pontific. noſtri an. V.

X. Ut

X.

Ut tradatur fratri Amadeo Hiſpano domus de Burno, Tertii Ordinis. Ex lib. 1. de de diverſis formis, de beneſ. vacantib. & de Regularib. fol. 27.

Venerabili fratri Paganino Epiſcopo Dulcinen. &c.

§. I. SAcræ Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quæ cum animarum ſalute, Divinus cultus continuum ſuſcipit incrementum. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Petrus de Burno, Tertii Ordinis ſancti Franciſci, de Pœnitentia nuncupati profeſſor, cui & dilecto filio Joanni Bernardo, ejus tunc ſocio ejuſdem Tertii Ordinis etiam profeſſori, dudum unam domum in loco de Burno Valliſcamonicæ, Brixien. diœceſis, pro eorum uſu & habitatione fundandi, conſtruendi & edificandi licentiam per alias noſtras litteras conceſſimus, quamdam domum, quam ipſe Petrus vigore dictæ noſtræ licentiæ ſuper montem dicti loci fundavit & ædificavit, ſponte & libere dimittere, illique cedere proponat.

§. II. Et, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Amadei Cuſtodis domus ſanctæ Mariæ de Brixianoro, extra muros Caſtrileonis, Cremonen. diœceſis, petitio continebat, ſi domus ipſa de Burno ſibi, & ejuſdem Ordinis Minorum profeſſoribus perpetuo concederetur, ipſi in eo Altiſſimo perpetuo devotum redderent famulatum, idque ad ſalutem populi partium illarum ſuccederet. Quare pro parte eorumdem Petri & Amadei nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domum de Burno prædictam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis dicto Amadeo, pro uſu & habitatione ſua & ſociorum ſuorum Fratrum dicti Ordinis Minorum auctoritate Apoſtolica concedere & aſſignare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cultum Divinum, & Religionis augmentum noſtris potiſſime temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac votis ipſius Petri in hac parte favorabiliter annuentes, Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam dictus Petrus per ſe vel per procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, eamdem domum de Burno in tuis manibus ſponte & libere dimiſerit, illique ceſſerit, ut præfertur, domum de Burno prædictam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, præfato Amadeo, pro uſu & habitatione ſua & ſociorum ſuorum recipiendi, & apud eam Eccleſiam, cum cœmeterio, campanili, campana, clauſtro, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi & ædificandi, ſeu conſtrui & ædificari faciendi, alicujus alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, licentiam auctoritate noſtra concedere, abſque præjudicio parochialis Eccleſiæ, infra cujus juriſdictionem & limites dicta domus conſtrueretur: Et inſuper Fratribus pro tempore in eadem domo de Burno commoraturis, ut omnibus & ſingulis libertatibus, privilegiis, indulgentiis, exemptionibus & gratiis, prædictæ domui ſanctæ Mariæ de Brizianoro, & perſonis Fratrum Minorum per Sedem prædictam, vel alias in genere conceſſis, uti & gaudere libere & licite valeant, indulgeas auctoritate antedicta. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri anno V.

XI.

Ut provideat de Fratribus Cuſtodiæ Dublinen. in Hybernia. Ex lib. 4. de *Regular. & exibitis fol.* 40.

Venerabili Fratri Epiſcopo Dunenſi &c.

§. I. ILla quæ pro Divini cultus &c. Exhibita ſiquidem nobis pro parte dilectorum filiorum Cuſtodis & Fratrum Cuſtodiæ Dublinenſis, Provinciæ Hyberniæ Ordinis Minorum petitio continebat, quod nuper dilectus filius Zanettus de Utino, ſacræ Theologiæ profeſſor & totius Ordinis Generalis Miniſter, fide digna relatione intelligens, quod Cuſtodia prædicta carebat, & erat quaſi nuda Fratribus, ob quorum carentiam, Conventus & loca ipſius Cuſtodiæ, etiam quî Divino cultui inſiſterent, & aliis neceſſariis indigebant, & pro eorum conſervatione maxima diſcrimina, & incommoda patiebantur: ac volens ex ſuo officio Generalatus, Cuſtodiæ, Conventibus & locis prædictis conſulere, & ſalubriter providere, Cuſtodibus Cuſtodiæ prædictæ præſentibus & futuris, quod Fratres dicti Ordinis de alicujus Cuſtodiis ad Cuſtodiam prædictam venientes, in Conventibus & locis ipſius Cuſtodiæ, in quibus eſſent opportuni, ſimul cum illis, quos nunc haberent, dummodo non eſſent ſuis Prælatis rebelles, aut illorum correctionem fugientes, recipere & retinere valerent, licentiam conceſſit pariter & facultatem, prout in litteris ipſius Generalis deſuper confectis, & ejus ſigillo munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Cuſtodis & Fratrum Cuſtodiæ Dublinenſis prædictorum nobis ſuit humiliter ſupplicatum, ut conceſſioni & facultati præfatis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicæ confirmationis adjicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi & poſtquam tibi de præmiſſis hujuſmodi legitime conſtiterit, conceſſionem & facultatem hujuſmodi auctoritate noſtra approbes pariter & confirmes: non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXIX. XI. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri anno V.

Anno Christi 1470. Pauli II. anno 6.

XII.

Modificantur litteræ in illius favorem conceſſæ. Ex ipſo Autographo.

Dilecto filio Amadeo Hiſpano Ordinis Fratrum Minorum Regularis Obſervantiæ Profeſſori.

ADDITIO PATRIS LUCÆ WADDINGI.

„ INter cetera deſiderabilia cordis noſtris intentis deſideriis affectamus,
„ ut ubique Majeſtas Altiſſimi collaudetur in benedictionibus gratia-
„ rum, ſuique glorioſiſſimi nominis cultus amplietur, & ad horum promo-
„ tionem humilibus ſupplicum votis annuimus. Dudum ſiquidem venera-
„ bili Fratri noſtro Archiepiſcopo Mediolanenſi, & dilecto filio Abbati
„ Monaſterii ſancti Celſi extra muros Mediolanen. per alias noſtras litteras
„ dedimus in mandatis, quod tibi & ſociis tuis Fratribus Ordinis Fratrum

Mi-

„ Minorum Regularis Obſervantiæ, pro veſtris uſu & habitatione tria loca, „ ſeu domos jam fundata ſeu fundanda in Provincia Lombardiæ recipien- „ di, & illa cum humilibus campanilibus, campanis, clauſtris, refectoriis, „ dormitoriis, & aliis neceſſariis officinis reficiendi & ædificandi, ac in eis „ perpetuo commorandi licentiam concederent: ac voluimus, quod ſi vo- „ bis ejuſmodi licentiam per eos concedi contingeret, tu ad beneplacitum „ noſtrum, locorum ſeu domorum hujuſmodi Cuſtos exiſteres, & te defi- „ ciente, ſocii prædicti in ipſis locis & domibus pro tempore degentes, cu- „ ſtodem ipſorum locorum ſeu domorum poſtea in Capitulo Provinciæ „ Mediolanen. præfati Ordinis confirmandum, qui poſſet omnia & ſingula „ facere, quæ tu Cuſtos exiſtens pro regimine locorum & domorum hu- „ juſmodi facere potuiſſes, eligere poſſent; prout in ipſis litteris plenius „ continetur. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio „ continebat, venerabilis frater noſter Stephanus Archiepiſcopus Medio- „ lanen. vigore mandati noſtri prædicti, tibi & eiſdem ſociis tuis pro uſu „ & habitatione hujuſmodi locum unum in ſuburbio Mediolanen. extra- „ portam Toſam conceſſit, voſque illum recepiſtis. Cum autem, ſicut ea- „ dem petitio ſubjungebat, nonnulli Fratres Ordinis & Obſervantiæ præ- „ dictorum, qui alium locum habent diſtantem per duo milliaria vel „ circa a dicto loco per te recepto, per varias vias impediant, & faciant, „ quominus tu & ſocii tui dictum locum receptum pacifice poſſideatis, & „ imputant tibi de Cuſtodia prædicta; pro parte tua & ſociorum eorumdem „ (aſſerentium, quod intentionis veſtræ eſt vivere ſimpliciter, & cum „ omni puritate ſecundum Regulam ſancti Franciſci dicti Ordinis) nobis „ fuit humiliter ſupplicatum, quod de dictis litteris clauſulam illam *Cuſto-* „ *diæ* amovere ſeu caſſare, ac quod tu & ſocii, ac Fratres tui in dictis „ tribus & aliis veſtris locis quibuſcumque pro tempore exiſtentes, ſub „ obedientia & juriſdictione Generalis & aliorum Miniſtrorum dicti Or- „ dinis dumtaxat, juxta dictam Regulam ejuſdem ſancti Franciſci, & nul- „ lius alterius ſitis & eſſe intelligamini, decernere & ſtatuere, ac alias ſu- „ per his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos „ igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, clauſulam ipſam *Cuſtodiæ* „ de ipſis litteris, illis alias in ſuo robore permanſuris, auctoritate Apo- „ ſtolica, tenore præſentium amovemus & caſſamus: decernentes & ſta- „ tuentes, quod tu, ſocii & Fratres tui in dictis & aliis locis veſtris qui- „ buſcumque pro tempore exiſtentes, ſub obedientia & juriſdictione Ge- „ neralis & aliorum Miniſtrorum dicti Ordinis dumtaxat juxta dictam Re- „ gulam ejuſdem ſancti Franciſci, & nullius alterius ſitis, & eſſe intelliga- „ mini. Non obſtantibus omnibus, quæ in dictis litteris obſtare volui- „ mus, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c.

„ Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Domini- „ cæ MCCCCLXX. X. Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno VI.

SIX-

SIXTUS IV.

Electus v. *Idus Auguſti, & coronatus* viii. *Kalendas Septembris.*

Anno Christi 1471. Sixti IV. anno 1.

I.

Ut det licentiam fundandi domum Obſervantum in oppido Amersfordiæ. Ex Reg. Sixti IV. lib. 12. bullar. fol. 143.

Venerabili Fratri Epiſcopo Trajectien. &c.

§. I. Piis ſupplicum votis, illis præſertim quæ Religionis propagationem, & Divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Burgimagiſtrorum, Scabinorum, ac Conſulum & incolarum oppidi Amersfordien. tuæ diœceſis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod in dicto oppido nulla domus Ordinis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, fundata exiſtit; quodque Burgimagiſtri, Scabini, Conſules & incolæ prædicti ſingulari devotione ducti cupiunt in eodem oppido, in loco ad id convenienti, unam domum pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis, nuncupatorum de Obſervantia, cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, dormitorio, refectorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis ædificari facere, dummodo eis per Sedem Apoſtolicam licentia concedatur. Quare pro parte Burgimagiſtrorum, Scabinorum, ac Conſulum & incolarum prædictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis licentiam concedere, & ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. II. Nos igitur, qui cultum Divinum ubique vigere noſtris potiſſime temporibus affectamus, ipſorum Burgimagiſtrorum, Scabinorum, Conſulum & incolarum pium & laudabile propoſitum in hac parte in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi eſt ita, Burgimagiſtris, Scabinis, Conſulibus & incolis præfatis, abſque alicujus præjudicio, in dicto oppido, in loco ad id convenienti unam domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione perpetuis Fratrum prædictorum ædificari faciendi plenam & liberam auctoritate noſtra concedas licentiam. Nos enim univerſis Fratribus dicti Ordinis Regularis Obſervantiæ, in eadem domo pro tempore commoraturis, qui ſub cura, obedientia & regimine Vicarii Ultramontani, & in ejus abſentia, Vicarii Provinciæ Colonien. ejuſdem Ordinis, Religionis & Obſervantiæ ſubſint, quod omnibus & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, indulgentiis & indultis, aliis domibus, & Fratribus ejuſdem Ordinis & Obſervantiæ conceſſis & concedendis, uti, potiri & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus ſel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque: jure tamen parochialis Eccleſiæ, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. v. Idus Septembris, Pontificatus noſtri anno 1.

II. *Pro-*

II.

Prohibet tranſitum Obſervantum ad Conventuales. Ex ſpeculo Minorum & Firm. trium Ordin. tract. 2.

Dilecto filio Vicario Generali omnium Fratrum Minorum de Obſervantia Ultramontanorum.

FEciſti nobis humiliter ſupplicari, ut dignaremur paterna benignitate, opportuno tibi adeſſe remedio ad continendum in obedientia Fratres tuæ curæ ſubjectos, quorum aliqui plerumque vagantur, ex eo quod nonnulli dicti Ordinis Fratres tuæ curæ non ſubjecti litteras & indulta a nobis ſe habere aſſerunt recipiendi Fratres de Obſervantia, contra & præter formam litterarum ſel. record. Pauli Papæ II. noſtri prædeceſſoris ſuper concordia Obſervantum, & Conventualium Fratrum dicti Ordinis editarum. Quocirca recolentes, quod nos, dum in minoribus ageremus, ſuaſores ipſi Paulo prædeceſſori fuerimus edendi hujuſmodi litteras; quamquam nec fuit, nec eſt noſtræ intentionis prædictis litteris concordiæ, quas utiles & perneceſſarias eſſe cognoſcimus, in aliquo quoad hoc derogare: volumus, & tenore præſentium declaramus, quod quicumque frater tuæ curæ ſubjectus, abſque licentia tua, aut ſui Provincialis Vicarii præſumeret recedere, ipſo facto excommunicationis pœna ligatus ſit, quam pœnam ultra illas in litteris dicti prædeceſſoris contentas, receptores quoque illorum incurrant: quibuſcumque privilegiis, litteris & indultis, in genere vel in ſpecie, locis vel perſonis quibuslibet per nos, vel per Sedem Apoſtolicam conceſſis, aut in poſterum concedendis, etiamſi talia forent, quæ de eis eorumque totis tenoribus, præſentibus habenda eſſet expreſſa & ſpecifica, ac de verbo ad verbum mentio ſpecialis, quæ omnia harum ſerie revocamus, ceteriſque in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. Idibus Octobris, Pontificatus noſtri anno 1.

III.

Subjicit eorum regimini Fratres & Sorores Tertii Ordinis. Ex ſpeculo Minor. tract. 2. fol. 17.

Dilectis filiis Zaneto de Utino Generali, & univerſis Provincialibus Miniſtris Ordinis Fratrum Minorum, per univerſum orbem conſtitutis &c.

§. I. ROmani Pontificis providentia circumſpecta, perſonas ſub Religionis habitu Divinis vacantes beneplacitis ſtudio piæ vitæ, benigno favore proſequitur, & quæ pro ipſarum perſonarum ſtatus augmento provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare. Dudum ſiquidem per ſel. record. Innocentium Papam IV. prædeceſſorem noſtrum accepto, quod Miniſtri & Fratres Tertii Ordinis ſancti Franciſci de Pœnitentia, in Italia & Regno Siciliæ conſtituti, cupiebant ad illa devotionis augmenta procedere, per quæ felicitatis æternæ præmium eis poſſet felicius provenire; idem prædeceſſor eorum Miniſtrorum & Fratrum ſupplicationibus inclinatus, univerſis Miniſtris Provincialibus veſtri Ordinis Fratrum Minorum per Italiam & Regnum præfatum conſtitutis, ſuis

ſuis litteris mandavit, ut opportunis temporibus, per eos, aut dicti eorum Ordinis Fratres ad hoc idoneos, Miniſtros & Fratres dicti Tertii Ordinis in Italia & Regno prædicto conſiſtentes pro tempore viſitarent, & eos regularibus diſciplinis inſtruerent corrigerentque, & reformarent ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis & reformationis officio cognoſcerent indigere, prout in eiſdem litteris plenius continetur.

§. II. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos cupiatis prædictas, & quaſcumque alias Apoſtolicæ Sedis litteras vobis aliquam ſuperioritatem, poteſtatem & auctoritatem in eoſdem Miniſtros & Fratres Tertii Ordinis, de Pœnitentia nuncupatos, quomodolibet concedentes, & in illis contenta, pro ſubſiſtentia firmiori, noſtræ approbationis munimine roborari, & ad Miniſtros ac Fratres dicti Ordinis extra Italiam conſiſtentes extendi: Pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut prædictas litteras Innocentii prædeceſſoris præfati, necnon omnia & ſingula alia privilegia vobis in ipſos Miniſtros ac Fratres dicti Tertii Ordinis poteſtatem & auctoritatem aliquam quomodolibet concedentes, approbare, roburque perpetuæ firmitatis obtinere debere decernere, ac alias vobis, & eorumdem Fratrum Tertii Ordinis proſperiori ac feliciori regimini opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur.

§. III. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prædictas & quaſcumque litteras alias hujuſmodi, per quas vobis aliqua ſuperioritas, præeminentia & auctoritas in ejuſdem Tertii Ordinis Fratres & Sorores tribuitur, Apoſtolica auctoritate, præſentium tenore approbamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decernimus, & ad vos Miniſtros Generalem, & Provinciales, ac Vicarios Fratrum dicti Ordinis veſtri, de Obſervantia nuncupatorum, necnon Miniſtros, Fratres dicti Tertii Ordinis, etiam extra Italiam, & Regnum Siciliæ hujuſmodi, per univerſum orbem conſiſtentes, eadem auctoritate extendimus: necnon vobis & ſucceſſoribus veſtris pro tempore exiſtententibus, Generali, ac Provincialibus Miniſtris, & Vicariis prænominatis de Obſervantia dicti Ordinis Fratrum Minorum, ac eoſdem Miniſtros, Fratres & Sorores Tertii Ordinis ubilibet infra Provincias vobis & eiſdem ſucceſſoribus veſtris, Generali, & Provincialibus Miniſtris, & Vicarias commiſſas, conſiſtentes, caritative in capite & in membris viſitandi, & juxta Regularia inſtituta dicti Ordinis inſtruendi, reformatione & correctione indigentia, etiam per ablationem mantelli, & habitus Tertii Ordinis, ſi id qualitas exceſſus exegerit, corrigendi & reformandi; volenteſque ad ipſum tertium Ordinem, & illius vivendi modum aggregari, recipiendi, & habitum, ſive mantellum juxta morem dicti Ordinis, eis exhibendi; ac ipſis Miniſtris, Fratribus, ac Sororibus Tertii Ordinis, Viſitatorem ſive confeſſorem dicti Ordinis Fratrum Minorum Conventualium, vel de Obſervantia nuncupatorum, prout eis plus placuerit, ad id moribus, vitæ ſanctimonia & ætate idoneum, qui etiam illis omnia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare habeat, pro tempore in veſtris Provincialibus Capitulis, vel Congregationibus dictorum Fratrum de Obſervantia nuncupatorum, vel extra, prout opportunum videbitur, aſſignandi, eadem auctoritate licentiam concedimus & etiam facultatem: diſtrictius inhibentes locorum Ordinariis, & aliis quibuſcumque perſonis, cujuſvis ſtatus, gradus vel conditionis exiſtant, & quacumque auctoritate fungantur, ne prætextu quarumlibet litterarum & facultatum eiſdem forſan conceſſarum, & pro tempore concedendarum, de præmiſſis, quæ ad vos ſpectant, ſe quomodolibet impedire præſumant; ac decer-

cernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcumque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſcumque aliis forſan circa præmiſſa eis per Sedem Apoſtolicam conceſſis facultatibus, ac conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcumque.

Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MCCCCLXXI. XVIII. Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri anno I.

MONUMENTA POLONICA.

Dat facultatem ædificandi domum Obſervantum in Lituania prope flumen Vilnæ. Ex Monum. MSS. Provin. Poloniæ.

CASIMIRUS Dei gratia Rex Poloniæ, magnus Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſottiæ &c.

CUm miſericors Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſui non contentus, magnificentiſſima benignitate elegit delicias ſuæ immenſæ Divinitatis gloriam cum humano genere eſſe commanſuram, atque incarnatus præſentiæ ſuæ exhibens operoſam manſuetudinem, nedum ipſe viator factus & exemplar, plures etiam in ſui operis officium negotiatores operoſos ſategit deſignare mittereque. In extremis vero temporibus ſuæ ſanctæ Eccleſiæ providens, beatum Patrem Franciſcum, ſuæ legis verum imitatorem elegit, miſit deſignavitque prædicatorem: cujus in urbe prædicatio, nomen Jeſu clare prædicans & edocens, amplum diffuſa eſt in orbem, uſquequo ad oras Terrarum noſtrarum Lituaniæ, ſuæ ſanctæ diſciplinæ venit manſuetudo & doctrina. Nos ergo noſtræ, ac prædeceſſorum noſtrorum ſaluti ſalubriter conſulentes, & futurorum noſtrorum feliciter optantes, ac terrena pro cœleſtibus, caduca & tranſitoria pro æternis commutare cupientes, ſalutaribus petitionibus Fratrum de Obſervantia, ſub Regula prædicti Patris beati Franciſci degentium, competenter eis locum aſſignari, dari, donari, ut clauſtrum illic erigerent & ædificarent, ibique nomen Crucifixi attollerent, prædicarent, Neophytos in fide Chriſti confortarent & corroborarent, benigniter inclinati, aſſignavimus, deputavimus, donavimus, dedimus, & cum effectu aſſignamus, deputamus, donamus & damus locum & aream immediate contiguam molendino noſtro ſuper flumine Vilna; & ut illic clauſtrum, Eccleſiam, in honorem Omnipotentis Dei, & beatæ Virginis Mariæ, ſub nomine & titulo Sanctorum Franciſci, & Bernardini Confeſſorum, erigant, ædificent &c.

In quorum omnium fidem &c. Datum in Vilna, die ſabbatino, ipſo die ſancti Hieronymi, Doctoris egregii, anno Domini MCCCCLXIX.

INDEX
RERUM NOTABILIUM

Notæ Arabicæ paginam, Romanæ marginalem paragraphum denotant.

A

ABBATIÆ Conventus. 442. XXIII.
Aberdoniæ Conventus. 458. XIX.
Adernionis Conventus. 389. XI.
Adrianus Flander in Conventu Burgenſi floret. 182. V.
Adrianus Holſtadius eximius Concionator. 41. LXVIII.
Adrianus a Zutphania provinciæ Coloniæ Miniſter. 364. LI.
Ægidius Moyſin Domum pro Tertiariis Waltbornæ extruit. 146. LXXVII.
Æneas Silvius ad ſupremi Pontificatus apicem aſcendit. 59. X. V. *Pius II.*
Agatha Mediolanenſis Clariſſa ſanctitate illuſtris. 165. XXXI.
Agnes Enriquez de Meudoza de Monaſterio Palentino benemerita. 334. CXLVIII.
Agnes Gonzaga Monialis. 165. XXXI.
Alanus Cardinalis Avenionenſis Berardo Tremoſio Inquiſitori propitius. 62. XIV. contra Conventuales pro Obſervantibus judex inſtituitur. 63. XVII. etiam in controverſia de Sanguine Chriſti. 264. I.
Alanus Rohanenſium Vicecomes Conventum Pontiniaci ædificat. 77. XXXI.
Albertus de Brandeburg Capellam quamdam in Cœnobio Minorum Civitatis Novæ transfert. 143. LIX. pro Canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano efflagitat. 218. XXIII.
Albertus Gorski de eadem Canonizatione ſollicitus. 224. XXXII.
Albertus de Peruſio provinciæ ſancti Franciſci Vicarius. 75. XXV. & Commiſſarius Curiæ. 437. V. 476. XLIII.
Albinganenſis Conventus. 389. X.
Aldoncia Vidua Monaſterium de Bethleem Barcinonæ extruit. 256. XCVII.
Aldonſa Velaſci Tertiaria. 178. LXVIII.
Alexander Farneſius Cardinalis ſuper Canonizationem ſancti Didaci judex inſtituitur. 307. CX.
Alexander Vincentius ad Præſulatum ſacri Montis Sion promovetur. 280. XX.
Alexius Cracovienſis ab ingenti abſtinentia commendatus. 328. CXXV.
Alexius Hungarus pietate & miraculis celebris. 384. V.
Alphonſus Aragonum Rex Hoſpitalis Majoricæ fundator. 363. XLVIII. moritur 59. IX. Minorum habitu indutus tumulari decernit. ibidem.
Alphonſus Bolanus cum ſociis in Æthiopiam pergit. 129. XXI. Pontificis ad illum litteræ. 129. XXII. Præſes Capituli Canarienſium deſignatur. 129. XXI. Vicarium ibidem agens, ab officio amovetur. 356. XXVIII.
Alphonſus Boroxius obit. 438. X.
Alphonſus Gaza e Conventualibus ad Obſervantes tranſit. 182. V.
Alphonſus V. Luſitaniæ Rex Cœnobium Enxobregæ Minoritis largitur. 140. LII. Monaſterium Conceptionis Eborenſe extruit. 144. LXIV.
Alphonſus de Palenzuela ad Regem Caſtellæ Pontificius Orator. 23. XLII.
Alsbach Conventus. 143. LIX.
Alvarus de Mayal provinciæ ſancti Jacobi Miniſter, 197. XXXIV.
B. Amadeus Luſitanus floret. 356. XXX. ejus Parentes. 356. XXXI. nomen, & adoleſcentia. ibidem. ſubit ſancti Hieronymi inſtitutum. 357. XXXI. ad martyrium anhelat. 337. XXXII. jubetur ad Ordinem ſancti Franciſci tranſire. 357. XXXIII. multa ante ingreſſum patitur. 358. XXXIV. Diabolus ſtudet eum a pietate repellere. 359. XXXV. recipitur tamdem ad Ordinem. ibid. Adverſarios patitur. 359. XXXVII. Orationi & abſtinentiæ intendit. 360. XXXIX. Duci Mediolanenſi carus. 360. XL. hominum declinat conſortia. ibid. Mediolano recedit. ibid. Cœnobium unum, aut alterum reſtituit. ibidem, Sacerdos initiatur. 361. XLI. ei Conventus Caſtri Leonis conceditur. 361. XLIII. quidam eum criminantur. 427. XIV. jubetur e Statu Mediolanenſi recedere. 428. XV. ejus innocentia inde enitescit. ibidem. fuit Conventus Caſtruelis incola. 197. XXVII. aquam in vinum convertit. 357. XXXII. morbo tabeſcentem ſanat. 359. XXXV. etiam

herniosum. 359. XXXVI. mala futura prædicit. ibid. ægrotos alios curat. 360. XL. variaque alia miracula patrat. 361. XLI. 408. XVI. 428. XV.
Amandina Betii de Laude Tertii Ordinis. 143. LXII.
Ambrosius de Clodana vir pius in Conventu Califlienfi requiescit. 378. XVII.
Ameriæ Annunciationis Conv. 173. XLVI.
Ameriæ sancti Joannis Baptistæ Conventus. 442. XXIV.
Amersfordiæ Conventus. 475. XXXVIII.
Amsterodami Conventus. 355. XCIII. & Monasterium. 356. XCVI.
S. Anastasiæ Conventus. 443. XXV.
Anastasius Badina Conventus Opatoni Cœnaculum extruit. 459. XXIII.
S. Andcoli Conventus. 474. XXXIII.
Andrea Perusina pietate commendabilis moritur. 427. XII.
Andreas de Calviniaco valde Minoritis addictus Conventum Clofarum ædificat. 389. XIV.
Andreas de Cassia Augustinianus, qui sanctum Jacobum Picenum calumniavit, palinodiam cantat. 210. VIII.
Andreas de Cbib Apostolicus Concionator. 355. XXVIII.
Andreas Cortonienfis a Seraphica paupertate commendatus. 428. XVI. fuit sancti Bernardini socius. ibid.
Andreas de Lous Austriæ Vicarius. 402. VIII. 418. VII.
Andreas Odrovasus Russiæ Gubernator de Cœnobio Leopolicnfi optime meritus. 377. XV. pro Canonizatione sancti Joannis de Capistrano Pontifici scribit. 219. XXV.
Andreas Ravennas miraculis clarus. 150. VI.
Andreas de Salino Conv. Tarantasienfis fundator. 473. XXX.
Andreas a Soto Commissarius Generalis Belgicarum. 79. XL.
Andreas de Zutpbana Vicarius Corsicæ. 192. XIV.
S. Andreæ in Scotia Conventus. 81. XLIII. 381. I.
S. Angeli Conventus. 173. XLVIII.
Angelina Fabrianenfis Monasterium pro Clarissis Fabriani construit. 334. CL.
Angelus de Bulseno, sive de Vulsinio Procurator Generalis Cismontanæ familiæ. 46. LXXXVI. 63. XVI. 65. XIX. 82. LIII. apud Ducem Mediolani Nuncius. 122. X. a Pontifice impetrat facultatem, ut possit prædicatores mittere. 269. XI.
Angelus de Clavasio Petri Neapolitani in Apostolica commissione ad Polonos socius. 400. VI.
Angelus de Ostrono Vilnæ tumulatus. 431. XXIV.
Angelus de Petrignanis Conventum Amerinum ædificat. 173. XLVI.
Angelus Reatinus Episcopus Judex pro Observantibus a Pontifice institutus. 63. XV.
Angelus de Santia Conventum Rhodiorum a Jacobo Milio impetrat. 41. LXVII.
Anguillariæ Conventus. 429. XIX.
Anna de Cypro Ludovici Sabaudi uxor Minoritis apprime addicta. 139. XLVIII. extruit Conventus Niciæ. 198. XXXV. 263. VII. & sancti Thomæ Taurini. ibidem. facultatem impetrat pro extrucudo Monasterio Gebennenfi. 44. LXXX. & Monasterii Camberiaci reformationem exoptat. 446. XXXV. diem claudit extremum. 263. VII.
S. Aunæ Cranium ubi primum repositum. 142. LVII.
Annibal Anthiocus a pietate & doctrina commendatus. 473. XXIX.
Anonymus quidam Minorita Hibernus Martyr. 453. IV.
Antignati Conventus. 442. XXI.
Antonius Arboreæ Marchio Conv. pro Franciscanis ædificat. 141. LIV.
Antonius de Baxo Visitator Generalis Coletanearum. 83. LVI.
Antonius Benavilt vir eximius multa ab Hæreticis pro Christi fide perpessus. 80. XLII.
Antonius Bituntinus pietate & doctrina celebris obit in Domino. 130. XXIV. honorifice ad suos Consodales tumulatus. ibidem.
Antonius Boninus Mutinenfis Canonicus de Cœnobio Mutinenfi valde meritus. 443. XXVI.
Antonius Caraffa Cardinalis super causam Canonizationis sancti Didaci judex institutus. 307. CX.
Antonius Eremita Tertiarius virtutibus clarus. 453. IV.
Antonius Ferulanus Siciliæ Reginæ a sacris confessionibus miraculisque illustris. 389. XII.
Antonius Fiordibellius Episcopus Lavellenfis Conventum Mutinæ, ædificat. 443. XXVI.
Aotonius de Latiis Salodienfis Episcopus Ecclesiam Conventus Varisii consecrat. 441. XVIII.
Antonius Magotius Doctor celebris. 376. XIII.
Antonius de Mugnano quondam Hierosolymorum Guardianus. 280. XX.
Antonius Nicolai Episcopus Naturenfis. 440. XVI.

An-

Antonius Petri de Moucata Conventum Ferulæ extruit. 389. XII.
Antonius a Piſcina virtutibus inſignis. 442. XXI.
Antonius de Roſſilione Cœnaculum Conventus Camberiaci ædificat. 376. XIII.
Antonius de Monte Falcone Apoſtolicus Nuncius. 14. XXIV.
Antonius Sarmentus in Conventu Burgenſi tumulatus. 76. XXVIII.
Antonius Scozettus ſanctitate præclarus. 453. II.
B. Antonius de Stronconio floret. 467. XIII. Ejus parentes & patria. ibidem. dat nomen Minoritis. ibidem. Ejus virtutum primordia. 468. XIII. abſtinentia & patientia. 468. XIV. ſeq. Orationi ſemper addictus. 469. XVIII. ſpiritu prophetico claret. 469. XIX. obit in Domino. 470. XIX. miraculis poſt mortem fulget. 470. XX.
Antonius Thobianus Monaſterii Capuani fundator. 392. XXII.
Antonius de Vercellis Provinciæ Mediolanenſis Vicarius. 441. XVIII.
Aquenſis Conventus. 389. XIV.
Aquilæ ſancti Bernardini Conventus. 331. CXXXVI.
Arandæ Monaſterium. 333. CXLVII.
Arborenſis Conventus. 141. LIV.
Arelatenſe Monaſterium. 202. XLVI.
Ariani Conventus. 331. CXXXVI.
Arnehmii Domus Sororum Tertii Ordinis. 146. LXXIV.
Arnoldus ab Iſcha de Rotenſeu Dionyſienſis Epiſcopus. 375. IX.
Aruncæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 475. XLI.
Aſculi Monaſterium. 177. LXIII. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 392. XXIII.
Aſſiſii Eccleſia Conventualium oblationes Portiuoculæ præſignatas habet. 38. LXI.
Atbedarenſis Conventus. 364. LIII.
Atrebatenſe Monaſterium. 45. LXXXII.
Aveſnæ Conventus. 78. XXXVII.
Auguſtinus Cracovienſis celebris Concionator. 328. CXXV.
Auguſtinus Philionius Conventum Coſtenii conſtruit. 43. LXXIV.
Avileſii Conventus. 197. XXXIV.
Avenionenſis Conventus. 430. XXII.
Auſarenſis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 446. XXXVII.

B

Baarenſis Conventus. 390. XVII.
Baden Conventus. 143. LIX.
Balneoregii Monaſterium. 145. LXVII.
Bambergæ Conventus reformatur. 175. LVI.
Baptiſta Bigolinus Conventus Citadellæ fundator. 173. XLVII.
Baptiſta Cola Antouellus in Cœnobio Veliternenſi tumulatus. 172. XLIV.
Baptiſta de Levanto familiæ Ciſmontanæ iterato Vicarius Generalis. 58. V. 398. II. Ejus ad pleroſque Epiſtulæ V. *Epiſtola*.
Baptiſta de Salis Provinciæ Januenſis Vicarius. 456. XIII.
Baptiſta de Saxoferrato ſacræ Theologiæ profeſſor. 269. XI.
Baptiſta Tagliacarue V. *Baptiſta de Levanto*.
Barbara Laudenſis Clariſſa Chriſto colloquens Sorori ægrotæ occurrit. 144. LXII.
Barcinouæ de Bethleem Monaſterium. 256. XCVII.
Barenſis in Apulia Conventus. 331. CXXXIII.
Bareoſis in Germania Conventus. 175. LVII.
Bargæ Conventus. 472. XXVI. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 45. LXXXIII.
Barnabas Interamnenſis doctrina enitet. 193. XVII.
Barnabas Senenſis Conventum Maſſæ a Jacobo de Malaſpinis recipit. 195. XXIV.
Bartholomæus Catanius virtutibus, atque prodigiis celebris. 205. III. Ei Breve ſummus Pontifex dirigit. ibidem. extruit Conventum Sullerenſem. 76. XXX. & Couventum Mahonis. 140. LIII.
Bartholomæus de Colle prædicandi munus a ſummo Pontifice amandatum habet. 269. XI.
Bartholomæus Egreſſanus Gratianopolitanus Inquiſitor. 187. III.
Bartholomæus Elivetius Epiſcopus Nicænus Eccleſiam Conventus Bellicenſis conſecrat. 78. XXXIV.
Bartholomæus de Fulgineo diu in Oriente hæret. 26. XLVII. a Ludovico Bononienſi apud Pontificem commendatus. ibidem. ei Pontifex multos impertitur favores. ibidem. eique mittit Epiſtolas. 27. XLIX.
Bartholomæus a ſancta Marina Laicus eximiæ ſimplicitatis & abſtinentiæ vir. 175. LIII. 183. VI.
Bartholomæus Maripetrus Brixiæ Epiſcopus controverſiam de ſanguine Chriſti ad ſe revocat. 208. V.
Bartholomæus Martinez Laicus virtute præclarus. 76. XXVIII.

Bartholomæus a Midedlburgo Amſterodami contra hæreticos ut verbum Divinum prædicet amaudatus. 256. XCII.
Bartholomæus Vagnotius Aſſiſii Epiſcopus. 375. IX.
Bartholomæus de Urſinis variorum operum Auctor. 329. CXXVI.
Baſilicæ Minoris Monaſterium. 257. C.
Beauchor Domus Fratrum Tertii Ordinis. 433. XXX.
Beatiæ Monaſterium. 178. LXVI.
Beatiana Monialis ſanctitate conſpicua. 178. LXVI.
Beatrix de Lando Monaſterii Rexenſis cum quibuſdam aliis Monialibus fundatrix. 445. XXXI.
Beatrix de Luna Clariſſa ſanguine illuſtris. 467. XI.
Beatrix Maurique pietate celebris. 257. XCIX. Domum Sororum Tertii Inſtituti de Bremeſta fundat. 147. LXXX.
Beatrix Mediolanenſis inter Choros Angelorum obit. 475. XL.
Beatrix Pacheco Marchioniſſa Monaſterium Carmonæ ditat & auget. 178. LXV.
Beatrix de Salzedo Monaſterium Carmonæ ſuis ſumptibus extruit. 178. LXV.
Beſſelich Domus Tertiariarum. 476. XLII.
Bejæ SS. Conceptionis Monaſterium. 417. VI.
Belgicæ Domus plures Sororum Tertii Ordinis. 380. XXVI.
Bellicenſis Conventus. 78. XXXIV.
Bellimontis Conventus. 332. CXXXVIII.
Bellogardi Conventus. 253. LXXXII.
Belvæ Conventus reformatur. 42. LXXI.
Benavidenſis Conventus. 174. LII.
Benedictus Cinquanta Provinciæ Mediolanenſis Miniſter vir eximius. 388. IX.
Benedictus de Doctis ſimiliter. ibidem.
Benedictus de Monte Bello Ordinem Minorum ingreditur. 470. XXI. cum eo Divina Providentia admirabilis. ibidem.
Benevenuta S. Catarinæ Bononienſis Parens. 324. CXVI.
Benevenutus de Vanejo Vicarius Generalis Brixiæ ſancto Jacobo Piceno in controverſia de ſanguine Chriſti propitius. 209. VI. ſeq.
Benignus Ortanus Panormi tumulatus. 330. CXXIX.
Berardus de Erulis Cardinalis Spoletanus Obſervantibus Cœnobium apud Narniam extruit. 194. XXII.
Berardus Tremoſiuus Inquiſitor Lugdunenſis. 62. XIV.
Bergæ ad Zomam Conventus. 256. XCIV.
Bernardina Luxau Clariſſa. 445. XXXI.
Bernardinus de Buſtis in Conventu Leguani initiatus. 441. XVII.
Bernardinus Feltrenſis ſive Tomitanus prædicator inſtituitur. 439. XIV. Pie ſchariæ verbum Divinum diſſeminat. 467. XII. Ejus humilitas in Cœnobiorum regimine. ibidem. Prædicat etiam alibi. 440. XV.
Bernardinus a Foſſa Aquilanus Boſuæ & Dalmatiæ Vicarius. 345. XIII. Jaderam petit. 346. XV. Comiſſarius in Romana Curia inſtituitur. 398. II. 435. II.
Bernardinus Ingolſtadienſis Poloniæ Vicarius. 43. LXXVI.
Bernardinus Polonus Concionator celebris, & infenſus Dæmonibus. 43. LXXIV.
S. Bernardinus Senenſis mirabili ardore flagrat. 162. XX.
Bernardinus de Sutrio Conventum Nepeſinum extruit. 173. XLV.
Bernardinus Tomitanus. V. *Bernardinus Feltrenſis.*
Bernardus de Auſtria Tertiariorum Patriarchatus Veneti a ſancto Laurentio Juſtiniano Corrector & Viſitator inſtitutus. 433. XXX.
Bernardus Faventinus ſui Inſtituti obſervator. 165. XXVIII.
Bernardus de la Sega Veronenſis Friderici Gonzagæ Confeſſarius. 467. XI.
Berneii Domus Sororum Tertii Ordinis. 460. XXVII.
Bertheonis Conventus. 390. XVII.
Beſſarion Trapezuntius Cardinalis Ordinis protector. 63. XV. ſancto Jacobo Piceno ſcribit. 119. VI. Judex in controverſia de ſanguine Chriſti inſtituitur. 264. I.
Bethunæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 413. XXXV.
Bickenſe Monaſterium. 379. XXIII.
Bielveldiæ Conventus. 78. XXXVI.
Bituricenſe Monaſterium. 432. XXVII.
Bizinii Conventus. 443. XXV.
Blanca Franciſci Sfortiæ uxor Fratres laudat. 31. LVI. extruit Conventum Caſtri Leonis. 138. XLIV. & Conventum Caſtruelis. 196. XXVII. ut Monaſterium ſanctæ Urſulæ cum alio uniatur, Pontificem rogat. 333. CXLIII.
Blanca Maria Eſtenſis de Monaſterio Mirandulano benemerita. 177. LXIII.
Blancus Foretranus Tertii Inſtituti profeſſor virtutibus conſpicuus. 462. III.
Blaſius de Conto doctrina, & pietate celebris. 164. XXVI.
Bobienſe Monaſterium. 146. LXXV. & 380. XXVII.

Boe-

Boemis Fratribus Vicarius Generalis conceditur. 421. VI.
Bona de Baudercuria Vidua hoſpitale Trevirenſe ſuis ſumptibus reficit. 202. XLVII.
Bonaventura de Bavaria Auſtriæ Vicarius. 402. VIII.
Bonaventura Brixienſis inter Fratres Mediolanenſes & Brixienſes diſſenſionis auctor. 402. IX.
Bonaventura Cracovienſis ultimus a ſancto Joanne de Capiſtrano ad Ordinem ſuſpicitur. 390. XVI.
Bonaventura de Plantanidis Mediolanenſis Vicarius Clarenſe Cœnobium ædificari ſollicitat. 41. LXVI.
Bononiæ ſancti Pauli Conventus. 447. XLI.
Boſnam probati viri mittuntur. 250. LXXIII. & Vicarius Generalis. 251. LXXIV.
Boſnenſis Provinciæ Cuſtodes. ibidem. inter Fratres Boſnenſes & Dalmatas exoriuntur diſſidia. 251. LXXIV. laudabiliter contra Turcas ſe gerunt. 405. XI. cupiunt ad regimen Miniſtrorum tranſire. 30. LV.
Bremeſtæ Domus Sororum Tertii Ordinis 147. LXXX.
Bretoneræ Domus Sororum Tertii Ordinis. 179. LXX.
Brezenſis Conventus. 391. XIX.
De Brincis S. Michaelis Conventus. 331. CXXXV.
Brivieſcæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 179. LXX.
Brixienſium Fratrum cum Mediolanenſibus diſſidium. 402. IX.
Broiendali Conventus. 79. XL.
Bruevæ Conventus. 175. LIV.
Brugenſis Conventus. 79. XXXVIII. 390. XVIII. & Monaſterium. 365. LVI.
Bruxellenſis Conventus. 78. XXXV.
Bugellæ Conventus, 331. CXXXIV.
Burgenſe Monaſterium reformatur. 202. XLV.
Burgi S. Sepulchri Mouaſterium. 201. XLIII.
Burgi ſancti Stephani Conventus. 75. XXVIII.
Burni Conventus. 441. XX. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 366. LVIII.

C

CÆcilia Gonzaga Tertiilnſtituti profeſſa. 467. XI.
Cæſenæ Monaſterium. 245. LXVI.
Caſſæ Cœnobia Conventualibus traduntur. 58. VII. ſed ad Obſervantes redeunt. 420. V.
De Calignano S. Leonardi Monaſterium. 178. LXIV.
Caliſienſis Conventus. 378. XVII.
Calixtus III. ſummus Pontifex ſanctum Jacobum Picenum in Hungariam mittit. 2. IV. Eumdem Jacobum & Capiſtranum laudat. 3. VII. Nuncios Minoritas procreat. 8. XIII. Ejus Epiſtolæ. V. *Epiſtola.* moritur. 59. IX.
De Calabazanos Monaſterium. 147. LXXIX. 184. XI. 257. XCVIII.
Calpenſis Conventus. 474. XXXIV.
Camberiaci Conventus. 376. XIII. & Monaſterium. 459. XXIV.
Camerini ſanctæ Claræ Monaſterium. 144. LXIII.
Campidonenſis Conventus. 255. XE.
Capitula Generalia totius Ordinis. Aracœlitanum. 58. V. Divionenſe. 190. X. Florentinum. 397. I. Mediolauenſe. 30. LIV. Perufinum. 344. IX. Venetum. 435. I.
Capitula Generalia Obſervantum Ciſmontanorum. Aſſiſii. 345. XIII. Auximanum. 190. XI. In Biſuntina, ſive Vulſini Inſula. 435. II. Mantuanum. 398. II. Mediolanenſe. 30. LV.
Capitula Generalia Obſervantum Ultramontanorum. Foutiniaci. 29. LI. Maliniæ. 345. XIII. Montis Lucii. 398. II. Palentiolæ. 456. XII. Salamautinum. 193. XVI.
Capitulum Generale Tertii Ordinis. 440. XVI.
Capuanum Monaſterium. 391. XXII.
Carionis Conventus. 332. CXXXIX. & Monaſterium. 145. LXX.
Carmonæ Conventus. 197. XXXI. & Monaſterium. 178. LXV.
Carolus VII. Franciæ Rex moritur. 205. IV.
Carolus de Nepis Epiſcopus Aſſiſii. 74. XXV.
Carolus Pandonius Minoritis addictiſſimus. 173. XLVIII.
Carolus Philippi II. Hiſpaniarum Regis filius ſancti Didaci meritis e faucibus mortis ereptus. 286. XXXIX.
Carolus Sigonius acta ſanctæ Catarinæ de Bononia recenſet. 324. CXVI.
Caſalis Conventus. 330. CXXXI.
Caſimirus Poloniæ Rex Conventum Nieſchovæ ad alium locum transfert. 364. L.
Caſtellanetæ Conventus. 472. XXVIII.
Caſtri Leonis Conventus. 138. XLIV. 361. XLIII.
Caſtri Odonis Conventus. 332. CXLI.
Caſtri Rodulphi Conventus. 175. LVI. 182. IV.
Caſtrueli Conventus. 169. XXVII.

Catarioa Baçan Clariſſa. 445. XXXI,
S. Catarina Bononieuſis Clariſſa. 324. CXVI. Ejus Parentes & Patria. ibidem. ſanctitatis primordia. 325. CXVI. Ordinem Clariſſarum ingreditur. ibid. ejus regularia exercitia. 325. CXVII. humilitas. ibidem. aliæque virtutes. ibid. S. Thomæ Cantuarienſis apparitione reficitur. 325. CXVIII. aliiſque ſupernis viſionibus. 326. CXIX. multa a Deo orationibus obtinet. 326. CXX. Divino monitu Præſulatum accceptat. 326. CXXI. ægrotat. ibid. & in Domino obdormit. 327. CXXI. exhumatum corpus integrum conſpicitur. 327. CXXII. ſacratiſſimam Euchariſtiam colit. ibid. alia quoque prodigia patrat. ibid. ejus cultus ab Eccleſia iudicitur. 327. CXXIII. & inter Sanctos adſcribitur. ibid. liquor e corpore emanat. 328. CXXIV. in Cathedra mirabiliter incorrupta, atque flexibilis ſedet. ibid.
Catarina de Burbaſſis Monaſterii Viglevani fundatrix. 81. XLVII.
Catarina a ſancta Clara Monialis ſanctitate conſpicua. 178. LXVI.
Catarina Colonnenſis Monaſterii Attrebati prima Abbatiſſa. 45. LXXXII.
Catarina Emanuelis de Laudo Monaſterium Rexenſe cum ſuo conjuge ædificat. 444. XXXI.
Catarina de Jeſu ſanctitate celebris. 178. LXVI.
Catarina Nunneſia Monaſterii Matritenſis fundatrix. 178. LXVII.
Catarina Pacheco Conventum Populæ Moutis Albani ædificat. 139. L.
Catarioa Rodriguez pictate inſignis. 178. LXVI.
Caunæ Couventus. 458. XXII.
Caurienſis domus Sororum Tertii Ordinis. 447. XXXVIII.
Cervariæ Conventus. 411. XXV.
Cbarreriarum Conventus. 41. LXX.
B. Cherubinus de Spoleto Cruciatæ cooperatur. 22. XXXIX. eidem Papa ſcribit. ibidem. ubi & quando floruit. 195. XXIII.
Chriſtianus a ſancto Donato Laicus ſanctitate & miraculis celebris. 429. XVIII.
Chriſtophorus Benna Vicarius Generalis Dalmatiæ. 193. XVII.
Chriſtopborus Crivellus Mediolanenſis ſanguine clarus. 407. XIV. ejus recenſentur probitas & virtutes. ibid. multa patrat miracula. 408. XV.
Chriſtophorus Manſverus acta ſanctæ Catarinæ Bononienſis ſcribit. 324. CXVI.
Chriſtophorus Maurus Princeps Venetus corpus ſancti Luecæ ut Venetiis recondatur, dat operam. 271. XIII.
Chriſtophorus a Modoetia vir celebris & Conciouator eximius. 162. XX.
Cbriſtophorus a Variſio e Boſnia ad ſuam revocatur Proviuciam. 398. III.
Citadellæ Conventus. 173. XLVII.
Civitates plures Canonizationem ſancti Joannis de Capiſtrano efflagitant. 225. XXXIII. ſeqq. V. *Epiſtola*.
Civitellæ Conventus. 457. XV.
Civitatis Caſtelli Monaſterium. 333. CXLIV. & domus Sororum Tertii Ordinis. 82. LI.
Clara Gonzaga Clariſſa. 165. XXXI.
Clara de Rongeval Monaſterii Atrebatenſis ſenior Monialis. 45. LXXXII.
Claræ Conventus. 41. LXVI.
Claræuallis Monaſterium. 145. LXVIII.
Clariſſarum Monaſteria. V. *Monaſteria*. Et privilegia. V. in fine quorumlibet annorum.
Clariſſæ plures nobilitate conſpicuæ. 439. XIII.
Claudius Gerardus virtute celebris. 42. LXX.
Claudius Medulla Vicarius Generalis Ordinis. 388. IX.
Claudius Mocardet ab Hæreticis pro Fide necatus. 473. XXXI.
Claudius Muletus pietate inſignis. 78. XXXIII.
Clodianus Conventus. 139. XLVII.
Cloſarum Conventus. 389. XIV.
Cluſarum Conventus. 472. XXIX.
Cluſienſis Conventus. 138. XLI.
Colenſis Conventus. 389. XVI.
Coletanei ab Obſervantibus recedunt. 68. XXI.
Collalti Conventus. 197. XXX.
Collegium Fragenſe. V. *Pragenſe*.
Collegium Toloſanum legibus, & privilegiis magis, magiſque obfirmatum. 387. IV.
Comitia Generalia. V. *Capitula Generalia*.
Compoſtellæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 178. LXVIII.
Conradus Albus Dux Sleſiæ pro Canonizatione S. Joannis de Capiſtrano Pontifici ſcribit. 218. XXIV.
Conſtantia de Meliſſa Monaſterii Panormitani Præfecta. 81. XLV.
Conſtantia de Richardis virtute illuſtris. 144. LXII.
Conſtantius Sarnanus ſuper cauſam Canonizationis S. Didaci Judex inſtituitur. 307. CX.
Conventualium plerique recenſentur Viri doctiſſimi. 193. XVII. eorum Domos occupari interdictum. 402. X.

Con-

Conventus Fratrum primi Ordinis.
Conventus Abbiatæ. 442. xxiii. Aberdoniæ. 458. xix. Adernionis. 389. xi. Albinganenſis. 389. x. Alsbach. 143. lxi. Ameriæ Annunciationis. 173. xlvi. Ameriæ S. Joannis Baptiſtæ. 442. xxiv. Amersfodiæ. 475. xxxviii. Amſterodami. 255. xciii. S. Anaſtaſiæ. 443. xxv. S. Andeoli. 474. xxxiii. S. Andreæ in Scotia. 81. xliii. 381. i. Sancti Angeli. 173. xlviii. Anguillariæ. 429. xix. Antiguati. 442. xxi. Aquenſis. 389. xiv. Aquilæ S. Bernardini. 331. cxxxvi. Arborenſis. 141. liv. Ariani. 331. cxxxvi. Athderenſis. 364. lvii. Aveſnæ. 78. xxxvii. Avileſii. 197. xxxiv. Avenionen. 430. xxii. Baarenſis. 390. xvii. Baden. 143. lix. Bambergæ. 175. lvi. Baren. in Germauia. 175. lvii. Baren. in Apulia. 331. cxxxiii. Bargæ. 472. xxvi. Bellicenſis. 78. xxxiv. Bellegardæ. 253. lxxxii. Bellimontis. 332. cxxxviii. 253. lxxxii. Belvæ reformatur. 42. lxxi. Benavidenſis. 174. lii. Bargæ ad Zomam 256. xciv. Bertheonis. 390. xvii. Bielveldiæ. 78. xxxvi. Biziniі. 443. xxv. Bononiæ S. Pauli. 447. xli. Brezenſis. 391. xix. de Brincis S. Michaelis. 331. cxxxv. Brotendali. 79. xl. Bruevæ. 175. liv. Brugenſis. 79. xxxviii. 390. xviii. Bruxellenſis. 78. xxxv. Bugellæ. 331. cxxxiv. Burgi S. Stephani. 75. xxviii. Burni. 441. xx. Caſſæ duo Conventualibus dantur. 58. vii. Caliſienſis. 378. xvii. Calpenſis. 474. xxxiv. Camberiaci. 376. xiii. Campidonenſis. 255. xc. Carmonæ. 197. xxxi. Carrionis. 332. cxxxix. Caſalis. 330. cxxxi. Caſtellanetæ. 472. xxviii. Caſtri Leonis. 138. xliv. 361. xliii. Caſtri Odonis. 332. cxli. Caſtri Rodulphi. 175. lvi. 182. iv. Caſtrueli. 196. xxvii. Caunæ. 458. xxii. Cervariæ. 411. xxv. Charreriarum Conventus. 41. lxx. Citadellæ. 173. xlvii. Civitellæ. 457. xv. Claræ. 41. lxvi. Clodianus. 139. xlvii. Cloſarum. 389. xiv. Cluſarum. 472. xxix. Cluſienſis. 138. xli. Colenſis. 389. xvi. Collalti. 197. xxx. Collegium Hiberniæ Pragenſe. V. *Pragenſe*. Converſani. 253. lxxx. Corſolarum. 457. xvi. Cortracenſis. 80. xlii. Coſtenii. 43. lxxiv. Deſerti. 174. l. Donadei. 471. xxiii. Enxobregæ. 140. lii. Fabriani. 44. lxxviii. Ferentini. 48. ii. Ferulæ. 389. xii. Francavillæ. 471. xxv. S. Gadeæ. 474. xxxv. Galbaillii. 475. xxxix. Garani. 44. lxxvii. Gardiæ. 430. xxi. Gardoui. 441. xix. Gavarini. 203. li. Genezani. 137. xxxix. Glogaviæ. 383. iii. Gorau. 255. xci. Gottingenſis reformatur. 255. lxxxix. Gretzii. 389. xiii. Gualdafagiarę reformatur. 76. xxix. Gyrorgii. 143. lx. Helhoim. 142. lviii. Helprinenſis. 378. xviii. Horduniæ. 474. xxxvi. Hulſten. 79. xxxix. In Huugaria. 199. xxxvii. Huniadæ. 383. iii. Januæ Montis. 443. xxv. Jayczæ. 78. xxxv. Ilerdenſis. 363. xlvii. Iniſchorti. 177. lxi. Inſulæ Arcani. 254. lxxxvii. Inſulæ. 473. xxxi. Inſulæ prope Caneam. 174. li. Inſulæ in Hibernia. 458. xx. Inſulæ S. Mariæ de Remediis. 253. lxxxii. Interamnenſis S. Mariæ Aureæ. 75. xxvi. S. Joannis in Scotia. 177. lxii. Johiæ. 388. x. Irialacenſis. 432. xxvi. Iſei, aut Iſchiæ. 375. xi. Keyſersberg. 390. xvii. Kelheim. 378. xviii. 444. xxx. Kilconelienſis. 412. xxxii. Kilcreanus. 378. xix. Koupheuæ reformatur. 149. ii. Lamegi. 175. lvii. Landedenſis. 77. xxxi. Landerienſis. 77. xxxi. Landſutenſis. 391. xix. Laugtvicz. 444. xxix. Legnani. 441. xvii. Leopolis. 377. xv. Leovardiæ. 41. lxix. Leumberg. 143. lix. Livoniæ. 390. xvii. Lorcæ. 411. xxviii. Lovitii. 431. xxv. Lublinenſis. 376. xiv. Lympurgi. 364. lii. Magduui. 141. lv. Mahonæ. 140. liii. Marcoduræ. 142. lvii. S. Mariæ de Campo. 75. xxvii. Martinengi. 472. xxvii. Maſſæ. 195. xxiv. Mediolani Pacis. 387. vi. Meingerbergh. 143. lix. Miaui. 77. xxxii. S. Michaelis de Brincis. 331. cxxxv. Modoetiæ. 196. xxv. Moguntinus reformatur. 444. xxix. Molghini. 176. lx. Mongiæ. 197. xxxi. Montis Calvariæ. 364. li. Montis Januæ. 443. xxv. Montis Lucis. 80. xli. Montis Luponi. 471. xxiv. Montis Relaxi. 77. xxxi. Montis Sancti. 330. cxxxii. Moſæ Trajectenſis. 41. lxviii. Mozoreti. 254. lxxxiii. Muineachaui. 254. lxxxviii. Muſumelli. 472. xxviii. Mutinæ S. Cæciliæ. 443. xxvi. Narniæ. 381. i. Nepeſinus. 173. xlv. Niciæ. 198. xxxv. Nicoteræ. 139. xlvi. Nieſchoviæ. 364. l. Novæ Civitatis. 143. lix. Noviplenæ. 176. lix. Opatoni. 459. xxiii. Oppenheim reformatur. 444. xxix. Oriolæ. 174. liii. Ortæ. 330. cxxix. Pacienſis reformatur. 254. lxxxv. Palumbariæ. 138. xl. Pampilonenſis reficitur. 139. xlix. Pedis montis. 410. xxiii. Pennæ S. Joannis. 411. xxiv. Peronæ reformatur. 41. lxxi. Perpiniaui. 362. xlv. Phariæ.

riæ. 197. XXVIII. Pilſnenſis. 148. I. Pontiniaci S. Valentini. 77. XXXI. Pontis Tremuli. 457. XIV. Pontis Vallium. 473. XXXII. Populæ Montalbani. 139. L. Portus S. Mauritii. 457. XIV. Poſnanienſis. 42. LXXII. Pragenſis. 176. LVIII. Prati. 173. XLVIII. Prevorſci. 378. XVI. Quenſnenſis. 412. XXIX. Quiutiani. 410. XXII. S. Quirici. 174. L. Radomiæ. 443. XXVIII. Retii. 138. XLII. Rhodiorum. 41. LXVII. Rigenſis. 332. CXLII. Rimicmez. 412. XXXII. Romæ SS. Apoſtolorum. 329. CXXVII. Ros-Irialay. 458. XXI. Rupellæ. 175. LV. Sambræ. 475. XXXVII. Saonenſis S. Jacobi. 456. XIII. Sartiani reformatur. 330. CXXX. Saſſaris. 411. XXVII. Sergiani reformatur. 253. LXXXI. Spediani. 75. XXVII. Spoleti S. Pauli. 195. XXIII. Squilatii. 138. XLV. Stalborg. 444. XXX. S. Stephani prope Burgum. 75. XXVIII. Sullerenſis. 76. XXX. de Sylva. 363. XLIX. Taccòviæ. 389. XV. Taſſaliæ. 429. XX. Tarantaſienſis. 473. XXX. Tauriuenſis. 252. LXXIX. Tarraconenſis. 474. XXXV. Tbeſſagii. 254. LXXXVI. Tocci. 457. XV. Toletanus reformatur. 254. LXXXV. Tornaviæ. 143. LXI. Turrium veterum. 458. XVIII. 462. III. Tyburtinus reformatur. 201. XLI. Vallemari. 443. XXVII. Vallis Jeſu Valentinus. 140. LI. Varagliæ. 177. LXII. Variſii. 441. XVIII. Vartæ. 430. XXIII. Veglenſis. 197. XXIX. Veliternus. 172. XLIV. Venetiarium S. Franciſci. 335. CLI. de Veratojo. 462. III. Vicarii. 439. XVIII. Viebacenſis. 390. XVII. Vigheriæ. 138. XLIII. Villædiego. 411. XXVI. Villæ novæ Equitum. 254. LXXXIV. Villaloni. 457. XVII. Vilnæ. 431. XXIV. Umbergenſis. 391. XIX. Urſcbovii. 43. LXXV. Werteuſis. 199. XXXVIII. Wiſeremburgenſis. 143. LIX. Wulturis. 457. XIV. Yporegiæ. 50. IV. Zakolcba. 417. V. Zechenſis. 412. XXXI.

Conventus Monialium Clariſſarum. V. *Monaſteria*.

Conventus Fratrum Tertii Ordinis. V. *Domus Fratrum*.

Conventus Sororum Tertii Ordinis. V. *Domus Sororum*.

Converſani Conventus. 253. LXXX.

Cordubenſe ſanctæ Crucis Monaſterium. 379. XXI. & Domus Fratrum Tertii Ordinis. 334. CXLIX.

Corneliani Monaſterium. 365. LIV

Cornelius Clonfertenſis Epiſcopus. 440. XVI.

Cornelius Oſullivan Turrim Campanariam Cœnobii Athderenſis extruit. 365. LIII.

Cornelius a Ziricbzea pietate illuſtris. 177. LXII.

Corneti Domus Sororum Tertii Ordiuis. 45. LXXXIII.

Corſolarum Conventus. 457. XVI.

Cortracenſis Conventus. 80. XLII.

Coſmas de Medicis Monaſterium Florentinum condit. 365. LV.

Coſtenii Conventus. 43. LXXIV.

Cracovienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 380. XXV.

Culmiuum Monaſterium. 391. XX.

Cumana Domus Fratrum Tertii Ordinis. 81. XLVIII.

Curca Laicus pietate illuſtris. 365. LIII.

Curtiaci Domus Sororum Tertii Ordinis. 392. XXIII.

D

DAclem Domus Sororum Tertii Ordinis. 334 CL.

Damiatæ. V. *Clariſſæ*.

Damianus de Padua Concionator celebris, & ſanctitate conſpicuus. 196. XXV. & ſeq.

Daniel a Nimbro ſanctiſſimam vitam in Conventu Bergomenſi duxit. 162. XX.

David de Forolivio Epiſcopus Caſtrenſis. 410. XXI.

Delfi Domus Sororum Tertii Ordinis. 433. XXIX.

In Delft ſanctæ Agathæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 447. XL.

Demetrius Albanus virtutibus illuſtris. 133. XXXI.

Demetrius Inſuber qua methodo cœlitus converſus. 132. XXXI.

Deſerti Conventus. 174. L.

S. Didacus Compluteuſis ubinam duxit ortum. 309. CXI. vitam in adoleſcentia ſolitariam duxit. ibidem. dat Minoritis de Obſervantia nomen. ibid. Romam venit anno Jubilæi. 310. CXI. ad Canarias Inſulas amandatur. 311. CXI. ibi multos ad Chriſti fidem perduxit. ibid. ægrotat ad mortem. 281. XXIV. 312. CXI. exoptat in veſte detrita mori. ibid. Crucem amplexus animam Deo reddit. ibid. 282. XXV. iugens erga eum populi reverentia. 282. XXVI. omnes ad inviſendum ſacrum corpus accurrunt. 283. XXVII. 312. CXI. præcipue Rex Henricus. 283. XXVIII. & Toletanus Antiſtes. 283. XXIX. quale poſt mortem ejus corpus inventum. 282. XXV. exbumatur illæſum. 282. XXVI. flexile, & ſuavem odorem ſpirans. 313. CXI. ad ipſum ſervaudum Rex ſacellum extrult. ibid. illud intuentes, etiam

etiam infideles mirantur. 283. XXIX. Hiſpaniarum Rex una cum filio Canonizationem exoptat. 315. CXI. ob eamdem Canonizationem acta omnia examinantur. ibid. & Conſiſtorium publicum omnium Prælatorum indicitur. 316. CXI. eam Pontifex decernit. ibid. & 307. CX. dies pro ſolemnitate præſcribitur. 317. CXI. & in Baſilica Vaticana peragitur. 307. CX. fit publica ob eam rem ſupplicatio. 317. CXI. ejuſque Imago ritu ſolemni expoſitur. ibid. feſtum celebrandum quotannis indicitur. 318. CXI. 323. CXIV. Altare Canonizationis ad Regem Hiſpaniarum miſſum. 321. CXII.

S. Didaci virtutes.

Humilitas ei fundamentum virtutis. 481. XXII. 309. CXI. ejus pœnitentia, 291. XXII. 310. CXI. meditationi & orationi continuo addictus. ibid. erga ſanctiſſimam Euchariſtiam, Virginemque Matrem quanto devotus extitit. 281. XXIII. 310. CXI. prudentia ejus, caritas, & compaſſio. 381. XXIII. Pauperibus ægris quanto obſequioſus. 310. CXI. purulentas plagas lambet. ibid. Divinis officiis flagranti animo intendit. 281. XXIII.

Sancti Didaci Gratiarum dona, & Miracula.

Extaſi raptus corpus ſurſum defertur. 281. XXII. & ſuaviſſimum ſpirat odorem. 281. XXIII. perfecti amoris ardore flagrat. 311. CXI. cibos invenit cœlitus in deſerto paratos. ibid. gratia curationum ditatus. ibid. ſigno Crucis & oleo lampadis ante Imaginem Virginis lucentis omnes morbos repellit. 281. XXIV. Puerum ex ardenti furno matri incolumem reddit. 312. CXI.

Sancti Didaci miracula poſt mortem.

Carolum Hiſpaniarum Principem ab imminenti morte liberat. 286. XXXIX. 314. CXI. alioſque ſanat morti appropinquantes. 285. XXXV. ſeq. plures defunctos ad vitam revocat. 284. XXXI. & ſeq. reddit incolumes febri correptos. 288. XLII. ſeqq. membris contractos. 289. XLVIII. cruribus pedibuſque male affectos. 290. LII. confractos brachiis. 291. LVIII. dolores repelluntur. 292. LXI. 294. LXXVIII. 297. XCIV. cæcis lumen redditur. 293. LXVII. loquela mutis. 294. LXXIII. claudis greſſus. 294. LXXVI. 313. CXI. parturiens in vitæ diſcrimine facile parit. 295. LXXXV. 313. CXI. leproſi, & ulcerati curantur. 296. LXXXVII. ab obſeſſis corporibus expelluntur dæmones. 300. XCVIII. 313. CXI. peccatores convertit, & etiam beſtias ſanat. 301. C. ii corripiuntur, qui talia negant miracula. 302. CII.

Didacus Fernandez Quinnonius Conventum de Benavides extruit. 174. LII.

Didacus Guzmanius ubi deceſſit. 474. XXXIV.

Didacus Rubicenſis Epiſcopus. 410. XXI.

Didacus a Solorzano virtutibus illuſtris. 454. III.

Didacus Villalonius ubi tumulatus. 457. XVII.

Dignenſe Monaſterium. 446. XXXVI.

Dionyſius O Mulrvony ab hæreticis pro fide occiſus. 475. XXXIX.

Dominicus de Capranica Cardinalis Capituli Generalis Aracœlitani Præſes. 58. v. moritur. 63. XV.

Dominicus Caſtilionus Laicus decedit. 164. XXV.

Dominicus Cavalerius ſanctitate celebris. 76. XXVIII.

Dominicus de Dominicis Epiſcopus Torcellanus de Sanguine Chriſti diſſerit. 340. II.

Dominicus a Foſſa vir integerrimus. 198. XXXV.

Dominicus a Lagouiſſa provinciæ Marchiæ Vicarius. 75. XXV. 398. III.

Dominicus Maria Mutiatus acta ſanctæ Catarinæ de Bononia recenſet. 324. CXVI.

Dominicus Sanctius Conventum Ortæ reſtaurat. 330. CXIX.

Domitilla Columna Clariſſa. 439. XII.

Donadei Conventus. 471. XXIII.

Donatus Hinrecan ab Hæreticis necatus. 418. XX.

Domus Fratrum Tertii Ordinis. Auſareuſis. 446. XXXVII. Beanchor. 433. XXX. de Bruno. 366. LVIII. Cordubenſis. 334. CXLIX. Cumana. 81. XLVIII. Glenderma. 379. XXIV. de Ladrocria ſancti Michaelis. 334. CXLIX. Mediolani. 45. LXXXIV. 392. XXIII. de Monte ſancti Michaelis. 334. CXLIX. Montis Politiani. 82. XLVIII. Panormi. 203. L. Viterbii. 334. CXLIX. Waltbornæ. 146. LXXVII.

Domus Sororum Tertii Ordinis. Arnebmii. 146. LXXIV. Aruncæ. 475. XLI. Aſculi. 392. XXIII. Bargæ. 45. LXXXIII. Befelich. 476. XLII. Belgicæ. 380. XXVI. Berneii. 460. XXVII. Bethunæ. 413. XXV. Bobienſis. 146. LXXV. Bremeſtæ. 147. LXXX. Bretoneræ. 179. LXX. Brivieſcæ. 169. LXX. Caurienſis. 447. XXXVIII. Civitatis Caſtelli. 82. LI. Compoſtellæ. 178. LXVIII. Corneti. 45. LXXXIII. Cracovienſis

ſanctæ Agnetis. 380. xxv. Curtiaci. 392. xxiii. Daclem. 334. cl. Delfi. 433. xxix. In Delft ſanctæ Agathæ. 447. xl. Duriana. 178. lxix. Eimbeck. 392. xxiii. Fabriani. 334. cl. Forolivienſis. 246. lxxv. Fulginatenſis ſanctæ Agnetis. 366. lx. Gandeuſis. 447. xl. Haſellæ. 146. lxxiii. 203. l. Leyden. 179. lxxii. Lucana. 146. lxxvi. Lugnani. 459. xxv. Mervici. 334. cl. Metenſis. 82. l. Monſterolis. 82. xlix. Montiſpolitiani. 82. li. 179. lxxi. Novi Caſtri. 460. xxvii. Noviomagi. 179. lxxiii. Pincianæ. 258. ci. Salcæ. 392. xxiii. Sarzanæ. 476. xlii. Scheydam. 433. xxix. 447. xl. Senenſes. 258. cii. 334. cl. ſancti Severini. 447. xl. Spineti. 447. xxxix. Tyburtina ſanctæ Eliſabeth. 366. lix. & nova S. Mariæ Angelorum. ibidem. Veſalienſis. 145. lxxii. Viterbii ſancti Bernardini. 146. lxxv. Ulyſſiponæ. 392. xxiii.

Drepani Monaſterium. 201. xlii.

Duriana Domus Sororum Tertii Ordinis. 178. lxix.

E

EBerhardus Comes de Wirtemberg Cœnobium Leumberg extruit. 143. lix.

Eborenſe Monaſterium. 144. lxiv. 333. cxlvi.

Eccleſiam ſuam Deus mirabili providentia ædificat. 408. cxi.

Eimbeck. Domus Sororum Tertii Ordinis. 392. xxiii.

Elias de Vicecomitibus ab Epiſcopatu Petragoricenſi ad Archiepiſcopatum Turonenſem transfertur. 387. v.

Eliſabetha Gondiſalvi de ſancto Paulo Tertiaria. 447. xxxviii.

Eliſabetha Suvilden Conventum Hulſti condit. 79. xxxix.

Elvira Gonzalez Monaſterii Rexenſis cum quibuſdam aliis Monialibus fundatrix. 445. xxxi.

Emerentiaua de Mutis Clariſſa. 439. xii.

Euxobregæ Conventus. 140. lii.

Epiſtola Calixti III. ſummi Pontificis.
Sancto Jacobo de Marchia. 2. v. 3. vi. 3. vii. 5. xi. 45. lxxv. 64. xviii. 74. xxiii.
Cardinali ſancti Angeli 4. ix.
Epiſcopis Hungariæ, & Boemiæ. 4. viii.
Stephano Regi Boſnæ. 11. xix. 25. xlv.
Generali, & Provincialibus Obſervantum & Conventualium. 65. xx.
Baptiſtæ de Levanto, 54. ii. 58. vi. 60. xii.
Mariano de Senis. 8. xiv. 9. xv. 10. xvi. 10. xviii. 120. viii. 121. ix.
Joanni de Alhauia. 11. xx.
Eugenio de Alhania. 12. xxi.
Roberto de Licio & ceteris. 13. xxii. 13. xxiii.
Franciſco de Viterbio. 14. xxv. 14. xxvi.
Franciſco de Carbonibus. 15. xxvii. 16. xxviii. 17. xxix. 17. xxx. 18. xxxi. 19. xxxii. 19. xxxiii. 52. i.
Angelo de Bolſeno. 20. xxxiv. 20. xxxv. 20. xxxvi. 21. xxxvii. 21. xxxviii.
Cherubino de Spoleto. 22. xxxix. 22. xl. 23. xli.
Antonio de Monte Falcone. 22. xl.
Alphonſo de Palenzuela. 23. xlii.
Laurentio de Panormo. 24. xliii. 24. xliv.
Philippo de Raguſio. 25. xlvi.
Ludovico de Bononia. 26. xlvii. 60. xi.
Bartholomæo de Fulgineo. 27. xlix.
Jacobo de Mozanica. 28. l.
Jacobo Sarznela. 31. lviii.
Guardiano & Fratribus Montis Sion. 57. iv.
Pro Mendicantibus, ut poſſint Confeſſiones audire. 33. lx.
Pro Eleemoſynis Conventus Portiunculæ. 38. lxi.
Pro Vicaria Hungariæ. 55. iii.
Pro Miniſtro Burgundiæ, ut poſſit Inquiſitores inſtituere. 61. xiii.
Pro Coletaneis. 68. xxi.
Pro Conventualibus. 71. xxii.
Omnibus Chriſtianis, qui Franchi appellantur. 27. xlviii.
Univerſis Chriſtifidelibus. 29. liii.
Pii II ſummi Pontificis.
S. Jacobo de Marchia. 117. iv. 118. v. 119. vi. 216. xvii. 264. ii. 267. vii. 267. viii. 268. ix. 343. vii. 353. xxiv.
Archiepiſcopis & Epiſcopis ultra Montes exiſtentibus. 336. i. 351. xxii.
Regi Galliarum. 349. xix.
Mariano de Senis. 120. viii. 121. ix.
Alphonſo de Bolauo. 129. xxii.
Joanni Mongini. 133. xxxiv. 260. iv.
Decano Eccleſiæ Pragenſis. 148. i.
Philippo Duci Burgundo. 155. xii.
Ludovico de Bouonia. 156. xiii. 157. xiv.
Gabrieli de Verona. 185. i. 187. ii.
Bartholomæo Catanio. 205. iii.
Vicario Generali Lombardiæ. 213. xiii.
Ludovico de Vincentia. 251. lxxv.
Jacobo de Brixia. 266. v.

An-

Angelo de Bulſeno. 269. XII.
Vicario Generali Obſervantum ultra Montes. 338. III.
Baptiſtæ de Saxoferrato. 343. VII.
Marco de Bononia. 346. XIV.
Vicariis, & Provincialibus de Obſervantia. 194. XX. 198. XXVI. 214. XV. 337. II. 347. XVI. 348. XVIII. 350. XX. XXI.
Vocalibus Capituli Auximi. 191. XII.
Pro Fratribus Caſſæ. 169. XLII.
Pro Ordine ſancti Hieronymi. 171. XLIII.
Pro ſedanda controverſia de ſanguine Chriſti. 341. V.
Univerſis Chriſtifidelibus. 187. V.
Sixti V. ſummi Pontificis.
Pro Canonizatione beati Didaci ejuſque feſto celebrando. 308. CXI. 321. CXIII. 323. CXIV.
Clementis VIII.
Pro feſto ejuſdem ſancti Didaci. 123. CXV.
Sixti IV. ſummi Pontificis.
Pro confirmatione privilegiorum Tertii Inſtituti. 477. II.
Pro confirmatione privilegiorum primi Ordinis. 478. III.
Pauli II. ſummi Pontificis.
Archiepiſcopo Compoſtellano, Epiſcopo Salamantino &c. 448. I.
Epiſcopo Wratislavienſi. 421. VI.
Marco de Bononia. 369. III.
Vicario Epiſcopi Raguſini. 370. IV.
Abbatiſſæ, & Monaſterio Papienſi. 393. I.
Capitulo convocato Mantuæ. 400. V.
Vicario & Fratribus Provinciæ Boſnæ. 406. XI.
Baptiſtæ de Levanto. 414. II. 419. II. 420. V.
Guardianis & Fratribus Raguſinis. 419. III. 420. IV.
Capitulo Inſulæ Vulſinii. 435. III.
Gabrieli de Verona. 450. II.
Fortunato de Peruſio. 466. X.
Pro Congregatione ſancti Hieronymi. 373. VIII.
Pro confirmatione privilegiorum Ordinis. 382. II.
Sancti Jacobi de Marchia.
Civibus Aſculanis. 7. XII.
Antonii Cardinalis Reatini.
S. Jacobo de Marchia. 354. XXV.
Cardinalis Papienſis.
Eidem. 368. X.
B. Maripetri Epiſcopi Brixiæ.
Eidem. 215. XVI.
Plurimum Cardinalium.
Epiſcopis Segobien. Seguntin. &c. pro canonizatione beati Didaci. 304. CVIII.
Georgii Regis Boemiæ.
Pro transferenda Domo Piſnenſi ad Obſervantes. 180. I.
Pro Clariſſis Znoymæ. 259. II.
Amadei Ducis Sabaudiæ.
Poteſtatibus locorum ſuæ Ditionis. 396. IV.
Jacobi de Sarzuelo Miniſtri Generalis.
Ludovico Vincentino. 192. XV.
Epiſcopi Vincentini.
S. Jacobo de Marchia. 368. I.
Baptiſtæ de Levanto.
Fratribus Provinciæ Auſtriæ. 424. VIII.
Fratribus Raguſinis. 420. IV.
Michaeli de Mediolano. 425. IX.
Omnibus Vicariis Provincialibus. I. II.
Chriſtophori de Variſio.
Ad ſuos Fratres. 398. IV.
Fratrum Provinciæ Auſtriæ.
Baptiſtæ de Levanto. 423. VII.
Capitali Generalis Inſulæ Vulſinii.
Joanni de Frangipanibus. 437. VII.
Zegerii Vicarii Generalis.
Fratribus ſibi ſubjectis. 135. XXXV.
Pro Indulgeutia ſtatiouum. 262. VI.
Ludovici Vincentini.
Danieli de Bergomo. 214. XIV.
Miniſtro Generali. 192. XIV.
Communitatis Brixiæ.
Civibus Cremæ. 212. IX. 212. X.
Plurium Urbium, Prælatorum & Principum.
Pro Canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano. 123. XII. 124. XIII. 125. XIV. 125. XV. 126. XVI. 126. XVII. 127. XIX. 157. XVI. 159. XVII. 161. XVIII. 188. VI. 189. VII. 217 XX. 217. XXI. 217. XXII. 218. XXIII. 218. XXIV. 219. XXV. 219. XXVI. 220. XXVII. 221. XXVIII. 222. XXIX. 222. XXX. 223. XXXI. 224. XXXII. 225. XXXIII. 226. XXXIV. 227. XXXV. 227. XXXVI. 228. XXXVII. 228. XXXVIII 228. XXXIX. 230. XL. 230. XLI. 231. XLII. 232. XLIII. 233. XLIV. 233. XLV. 234. XLVI. 234. XLVII. 235, XLVIII. 236. XLIX. 236. L. 236. LI. 237. LII. 238. LIII. 238. LIV. 239. LV. 239. LVI. 241. LVII. 241. LVIII. 242. LIX. 242. LX. 243. LXI. 243. LXII. 244. LXIII. 245. LXIV. 245. LXV. 246. LXVI. 247. LXVII. 247. LXVIII.
Erneſtus Adalbertus Cardinalis de Harach Collegii Pragenſis fundator. 176. LVIII.
Evangeliſta Gabbianus Vicarius Generalis. 388. IX.
Evangeliſta de Lince Provinciæ Poloniæ Commiſſarius. 386. II.

F

FAbriani Conventus. 44. LXXVIII. & Monaſterium. 334. CL.
Felix de Onuphriis pietate clara. 462. III.
Fenicola Columna Clariſſa ſanguine illuſtris. 439. XII.
Ferallus Eganus egregius Concionator. 458. XXI.
Ferdinandus Mediceus ſuper cauſam canonizationis ſancti Didaci Judex inſtituitur. 307. CX.
Ferdioandus Vexeranus Canonicus Eccleſiæ Hiſpalenſis Monaſterii Culmioum fundator. 391. XX.
Fereutini Conventus. 48. II.
Fernandus de Salamanca Petro de Marcheua in Inſulis Canariæ reſiſtit. 129. XX.
Ferrariæ Monaſterium. 380. XXVII.
Ferulæ Conventus. 389. XII.
Florentinum Monaſterium. 365. LV.
Forolivii Domus Sororum Tertii Ordinis. 146. LXXV.
Fortunatus de Perufio celeberrimus Concionator Sixto IV. acceptiſſimus. 466. X.
Francavillæ Conventus. 471. XXV.
Franciſca Andrea Peruſina. 434. V. V. *Andrea Peruſina.*
Franciſca a Contrera humilitate ſublimis. 150. VI.
Frauciſca de Peralta ſanctitate celebris. 178. LXVI.
Franciſca de Vintimiliis Monaſterii Panormitani Abbatiſſa. 81. XLV.
Franciſcbina de Bellaciis Monaſterli Viglevani fundatrix. 81. XLVII.
Franciſcus Aquilanus conſtructioni Templi ſancti Bernardini præficitur. 137. XXXVIII.
Frauciſcus Aretinus Apoſtolicus Concionator Romaniæ Vicarius. 398. II.
Franciſcus Bargenſis ubi ſepultus. 472. XXVI.
Franciſcus a Biumio Variſii tumulatus. 441. XVIII.
Franciſcus Blonde Vicarius Generalis. 456. XII. moritur. 471. XXII.
Franciſco Bononienſi in itinere Divina Providentia auxiliatur. 470. XXI.
Franciſcus de Budiffin Vicarius Provincialis Sileſiæ. 383. III.
Franciſcus deCarbonibus Nuncius Apoſtolicus. 14. XXVII. eidem Pontifex plures mittit Epiſtolas. 15. XXVII. ſeq. V. *Epiſtola.*
Franciſcus de Caſali doctrina inſignis. 133. XXXIII.
Franciſcus de Caſtro Emilio orationi & contemplationi addictus moritur. 426. XI.
Franciſcus Craſſus Cardinalis apud Minores Mediolani ſepultus. 387. VI.
Franciſcus Cremoueuſis Sedis Apoſtolicæ quoſdam rebelles abſoluit. 386. I.
Frauciſcus Gonzaga corrigitur. 75. XXVI. 78. XXIV. 140. LI. 256. XCV. 331. CXXXIII. 391. XXI. 413. I. 441. XX. 457. XVI.
Franciſcus a ſancto Homero ſanctitate præclarus. 150. V.
Franciſcus de Linari Senis floret. 165. XXIX.
Franciſcus a ſancta Maria Monaſterii ſanctæ Agnetis Hiſpalenſis Viſitator. 445. XXXII.
Franciſcus Ovarius horam obitus prædicit. 173. XLVI. Corpus integrum ſuavem emittit odorem. ibidem.
Franciſcus Parrodi ab hæreticis pro fide necatus. 473. XXXI.
Franciſcus de Philocaſtro Romaniæ Commiſſarius. 423. VII.
Franciſcus Placentinus Hieroſolymorum Guardianus. 398. II. 429. XVII. 437. V.
Franciſcus de Raguſio Conventum Inſulæ prope Caneam ædificat. 174. LI.
Franciſcus Savouenſis totius Ordinis renunciatus Generalis Miniſter. 345. XI. Ejus præclaræ dotes. 345. XII. ad Cardinalitiam purpuram promovetur. 427. XIII. ad diſſerendum ſuper cauſam de ſanguine Chriſti a Pontifice eligitur. 340. I. ad ſummi Pontificatus apicem aſceudit. 463. I. varia hominum de eo judicia. 463. II. ejus Pontificatus initia. 463. III. magna adverſus Turcas molitur. ibidem. V. *Sixtus IV*
Franciſcus Sarmentus Epiſcopus Gienuenſis Conveotus Burgi Patronus. 76. XXVIII.
Franciſcus de Seminaria doctrina floret. 193. XVII.
Franciſcus de Senis iterato Commiſſarius Generalis iu Conventu Variſii tumulatus. 441. XVIII.
Franciſcus de ſancto Severo Laicus perfectus ſui ſtatus obſervator. 165. XXVIII.
Franciſcus Sforcia Dux Mediolanenſis corpus ſancti Franciſci iuviſit. 30. LVI. fuit Fratribus addictiſſimus. ibidem. obit. 393. I.
Franciſcus Spada vir prudens Hieroſolymis Procurator. 40. LXIV.
Franciſcus Sperancich Epiſcopus Tinieuſis. 133. XXXIII.
Franciſcus de Viterbio Nuncius Apoſtolicus. 14. XXIV.
Fridericus III. Imperator de Canoniza-tio-

tione S. Joannis de Capiſtrano ſollicitus. 188. VI. 217. XX. ſeq.
Fridericus Magdeburgenſis Archiepiſcopus Ordinis reformator in Germania. 200. XXXIX.
Fulginei S. Agnetis Domus Sororum Tertii Ordinis. 366. IX.

G

GAbriel de Bonnnia Hieroſolymorum Præſes. 191. XIII. moritur. 380. XX.
Gabriel Catalanus de ſanguine Chriſti coram Pontifice diſſerit. 340. I.
Gabriel Czernievien virtutibus illuſtris. 43. LXXIII.
Gabriel Julianus Conventus Tarantaſienſis incola. 473. XXX.
Gabriel de Licio Provinciæ Januæ Miniſter. 30. LVI.
Gabriel de Malvetiis inter Fratres Mediolanenſes & Brixienſes diſſenſionis auctor. 402. IX.
Gabriel Venetus Vicarius Candiæ. 345. XIII.
Gabriel Veronenſis in Boemia contra hæreticos inquirit. 185. I. jubetur in Germaniam reverti. 400. V. cedit officio Vicariatus Poloniæ. 43. LXXVI. ibi Ordinem auget. 42. LXXII. Vicarius Auſtriæ. 65. XIX. tertio eligitur Vicarius Poloniæ. 148. LXXXII. Cœnobium Lublini conſtruit. 376. XIV. & Cœnobium Leopolis. 376. XV. ut Conventus Znoimæ extruatur facultatem obtinet. 450. II. Commiſſarius inſtituitur Romanæ Curiæ. 345. XIII. inde ad Cardinalatum promovetur. ibidem.
Gadeæ Conventus. 474. XXXV.
Galbailii Conventus. 475. XXXIX.
Galeatius Maria Sfortia Conventum Abbiatæ extruit. 442. XXIII.
Gandienſe Monaſterium. 256. XCV. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 447. XL.
Garani Conventus. 44. LXXVII.
Gardiæ Conventus. 430. XXI.
Garcias de Ayla Conventui Horduniæ initia præbet. 474. XXXVI.
Gardoui Conventus. 441. XIX.
Gaſco Fuxius Sacellum in Eccleſia Minorum de Morlauis erigit. 147. LXXVIII.
Gaſpar Miſnenſis Epiſcopus pro canonizatione S. Joannis de Capiſtrano ſcribit. 222. XXIX.
Gavarini Conventus. 203. LI.
Gebennenſe Monaſterium. 44. LXXX.
Geldriæ Monaſterium. 367. TT.
S. Geminiani Monaſterium. 203. LI.
Generales Miniſtri. V. *Miniſtri Generales*.
Genezani Conventus. 137. XXXIX.
Genuæ Magiſtratus ſancti Georgii inſtituitur. 40. LXIII. qui Reipublicæ labenti ſuccurrit. ibidem. petit mitti probos Minoritas in Corſicam. ibidem.
Georgius Caſtriotus ſive Scanderbegh obit. 413. I.
Georgius Chuper Miles Zagabrienſis Couventum Varalgliæ condit. 177. LXII.
Georgius Laovicenſis Epiſcopus. 166. XXXIV.
Georgius Podiebrazius Rex Boemiæ Minoritas in Urbe Pragenſi excipit. 176. LVIII. Domum Pilſnenſem Obſervantibus largitur. 180. I. Privilegia Clariſſis Znoimæ confirmat. 259. II.
Georgius Sebaſtenſis Epiſcopus. 133. XXXIII.
Georgius Vodo Baro Cœnobium Gyrorgii conſtruit. 143. LX.
Gerardus de Eych Abbas Conventum Sambræ extruit. 475. XXXVII.
S. Gerii Corpus ubi requieſcit. 331. CXXXII.
Gironius de Acunia Archidiaconus Valpoſtanus erga Minoritas pientiſſimus. 75. XXVIII. in Conventu ſancti Stephani Burgenſi tumulatus. ibidem.
Giſberta de Huiſſen ſolum pro extruendo Clariſſarum Monaſterio Harlemi largitur. 81. XLIV.
De Glenderma Domus Fratrum Tertii Ordinis. 379. XXIV.
Glogaviæ Conventus. 383. III.
Gondiſalvus de Tranſmera vitam ſanctiſſimam in Inſula de Taulo tranſegit. 197. XXXIII.
Gorau Conventus. 255. XCI.
Gottingenſis Convenius. 255. LXXXIX.
Gratianopolitanum Monaſterium. 445. XXXIII.
Gregorius Faventinus Laicus vir optimus. 165. XVIII.
Gregorius IX. ſummus Pontifex Eccleſiam ſancti Pauli Spoleti conſecrat. 195. XXIII.
Gregorius Rocca in Conventu Oriolæ Eccleſiam extruit. 174. LIII.
Gregorius a Saudecia a Religione & pietate memorabilis. 378. XVI.
Gretzii Conventus. 389. XIII.
Gualdafagiaræ Conventus. 76. XXIX.
Guido de Calviniaco Cœnobium Caſtri Rodulphi reſtaurat. 175. LVI.
Guillelmus de Beawocin Conventus Queſnenſis fundator. 412. XXIX.

Guil-

Guillelmus de Burgo Cœnobium Moighini exiruit. 176. LX.
Guillelmus de Calviniaco Conventum Caſtri Rodulphi condit. 182. IV.
Guillelmus a Forleo doctrioa præclarus. 456. X.
Guillelmus Iragilich Vicarius Hiberniæ. 576. LX.
Guillelmus Raymundus de Moncata Conventus Adernionis fundator. 389. XI.
Guillelmus Riveti Rector Univerſitatis Pariſienſis contra Meodicantes turbas excitat. 33. LX.
Guillelmus Rothomagenſis Cardinalis a Pootifice Judex coutra Conveotuales pro Obſervantibus ioſtituitur. 63. XV.
Guillelmus Vorilongus a doctrina commeudatus Cœnobium de Silva ædificari impetrat. 363. XLIX. Romæ moritur. 340. I.
Guiomora de Bexar Clariſſa. 445. XXXI.
Guterius de Quexada Conventum Villæ novæ ædificat. 254. LXXXIV.
Gyrorgii Conventus, 143. LX.

H

HArlemi Monaſterium. 81. XLIV.
Haſtelenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 146. LXXIII. 203. L.
Helhoim Conventus. 142. LVIII.
Helias Bourdeille Epiſcopus Petragoricenſis ad Epiſcopatum Turouenſem translatus. 455. VIII.
Helpinenſis Conventus. 378. XVIII.
Heoricus Caſtellæ Rex Obſervantibus propitius. 168. XXXVII. omnes curat uniri. ibid. Fratribus Hieroſolymitanis injurias latas ulciſcitur. 168. XXXVIII. corpus ſancti Didaci ioviſit. 283. XXVIII. erectionem Monaſterii Segobienſis procurat. 145. LXIX.
Henricus Herpius in Divinis litteris valde eruditus. 166. XXXII. hujus familiæ dicitur Heoricus Herpius Myſticæ Theologiæ ſcrutator. 142. LVII.
Henricus Hinkart ſolum largitur, ut Conventus Brotendali conſtruatur. 79. XL.
Henricus de Stalborg Comes domum Minoritis ædificat. 444. XXX.
Henricus Venecopieuſis Archiepiſcopi Colonienſis ſuffraganeus Eccleſiam Conventus Marcoduræ extruit. 142. LVII.
Hieronyma Sicula Tertiaria virtutibus celebris. 386. VIII.
S. Hieronymi Ordo a Tertiariis ſancti Franciſci inſtitutus. 170. XLIII.
Hierooymus de Camulio Epiſcopus Chienſis. 455. VIII.
Hieronymus a Florentia meritis atque virtutibus clarus. 384. V.
Hierouymus Lindſayus virtutibus celebris. 177. LXII.
Hierooymus Matthæjus Cardinalis ſuper cauſam Canonizationis ſancti Didaci judex iuſtituitur. 307. CX.
Hierooymus Przybinus doctrina clarus. 43. LXXIII.
Hierooymus Sandomirienſis de Conventu Opatoui benemeritus. 459. XXIII.
Hieronymus Stropious ubi initiatus. 442. XXIII.
Hiſpalenſe ſanctæ Agnetis Monaſterium. 445. XXXII.
Horduniæ Conventus. 474. XXXVI.
Hoſpitale Majoriceoſe curæ Fratrum commeodatur. 363. XLVIII.
Hoſpitale Scalabitanum ſimiliter. ibid.
Hugo Placentinus Generalis Tertii Ordinis. 83. LV.
Hulſten Conventus. 79. XXXIX.
In Hungaria Cooventus. 199. XXXVII.
Huniadæ Conventus. 383. III.

I

JAcobus Abbas Monaſterii ſancti Juliani Eremitorium pro extrueuda domo Cumæ Fratribus largitur. 81. XLVIII.
Jacobus ſancti Andreæ Archiepiſcopus, & Primas Scotiæ Conventum Minoritis coudit. 81. XLIII.
Jacobus a Bagnacaballo Conventualium Generalis. 329. CXXVII.
Jacobus Bigneti de Cataro Conventum Ioſulæ prope Caneam ædificat. 574. LI.
Jacobus Brenter Guardianus Conventus Vallis Joſaphat Colooienſis. 179. LXXIII.
Jacobus Brixienſis Ordinis Prædicatorum loquiſitor ſancto Jacobo Piceno reſiſtit. 206. I. ſeq.
Jacobus de Callio Picenus celebris Eccleſiaſtes. 397. I.
Jacobus a Caniana laicus eximiæ ſanctitatis. 183. VIII.
Jacobus a Caſtro Leone cum opinione ſanctitatis moritur. 442. XXIII.
Jacobus Cornetanus Romanæ Provinciæ Vicarius. 65. XIX. 435. II.
Jacobus Cracovienſis Epiſcopus pro Caoonizatiooe ſaocti Joannis de Capiſtrano ſcribit. 220. XXVII.
Jacobus de Flumine frigido Commiſſarius

rius Obſervantum Sardiniæ. 423. VII.
Jacobus Hornenſis Comes Conventum Wertenſem ædificat. 199. XXXVIII. in Conventu Hulſtenſi dat Franciſcanis nomen. 200. XXXVIII. quando mortuus. ibidem.
Jacobus de Horn ejuſdem Jacobi filius Epiſcopus Leodienſis Minorita. 80. XLI. 200. XXXVIII.
Jacobus Lucenſis Papienſis Epiſcopus. 122. X.
Jacobus Magnavacca Hieroſolymorum Guardianus. 429. XVII.
S. Jacobus de Marchia. V. *S. Jacobus Picenus*. infra.
Jacobus Mantuanus Seraphini Mantuani ſocius. 165. XXXI.
Jacobus a Matelica Guardianus & Commiſſarius Sardiniæ. 437. V.
Jacobus Milius Militiæ ſancti Joannis Magiſter habitaculum Fratribus largitur. 41. LXVII.
Jacobus de Mozanica Nuncius Apoſtolicus. 13. XXII. a munere Cruciatæ abſolvitur. 28. L. decedit. 31. LVII.
Jacobus Occantius pietate celebris. 78. XXXIII.
Jacobus de Padula Carthaginenſis Epiſcopus. 193. XVIII.
Jacobus Patavinus Provinciæ Romanæ Vicarius. 437. V.
S. Jacobus Picenus amandatur in Hungariam. 2. IV. laudibus a Pontifice celebratur. 3. VII. 45. LXXV. commendatur Regi. ibid. Epiſcopis Hungariæ & Boemiæ. 4. VIII. & Cardinali ſancti Angeli. 4. IX. honorifice in Hungaria exceptus mirabilia operatur. 5. X. gloriam Capiſtrani promovet. ibid. in Italiam revertitur. ibid. per Epiſtolam Pontifex ei graves curas committit. 5. XI. conſulit bellum in Turcas. 6. XI. civibus Aſculanis Epiſtolam dirigit. 7. XII. Firmum ad Verbum Dei diſſeminandum mittitur. 74. XXIII. Milites cruce ſignat & hortatur contra Infideles. 117. III. ejus ſententia de Sanguine Chriſti a fratre Baptiſta Ordinis Prædicatorum impugnatur. 206. I. Inquiſitor Brixienſis eum præſumpti erroris monet. 206. II. ſuæ doctrinæ palam rationem reddit. 207. III. ab Inquiſitore peremptorie citatur. 208. IV. ortam hanc turbam conatur ſedare Epiſcopus 208. V. reconciliationis factæ primum teſtimonium adfertur. 209. VI. item ſecundum. 209. VII. ejus derogatum honori. 210. VIII. injuſte traductum teſtificantur Brixienſes. ibid. Inquiſitor eum ad diſputandum provocat. 212. XI. immerito cum ſociis falſi dogmatis notatus. 213. XII. Pontifex jubet ab hujuſmodi diſſidio abſtinere. ibid. Vicarius Generalis Pontificio præcepto obtemperat. 214. XIV. Pontificem Jacobus de ſua innocentia monet. 214. XV. ſuas priores litteras Pius revocat. 215. XV. aliaſpargitur in Jacobum calumnia. 215. XVI. eum Pontifex per epiſtolam conſolatur. 215. XVII. examinandæ veritati convocat viros doctiſſimos. 216. XVIII. magis magiſque controverſia protrahitur. 264. I. Duces diſſidii pacem inter ſeſe ineunt. 264. II. unde turbarum occaſio exorta. 265. III. in Curia tranſcribitur, & examinatur Barcinonenſis proceſſus. 265. IV. ipſe Commiſſarius Cruciatæ inſtituitur. 267. VI. iterato fit de Sanguine Chriſti ſolemnis diſputatio. 340. I. nil tamen in diſſidio definitum. 343. VI. ipſe Cruciatæ ſubſidium affert. 343. VII. jubetur hærere Venetiis. 353. XXIV. & Fulginei prædicare. 354. XXV. præſumitur mortuus, & ægrotum liberat. 354. XXVI. ejus imbecillitati Pontifex indulget. 354. XXVII. Aſculanam Civitatem civilibus diſſidiis æſtuantem ad ſummam reducit concordiam. 453. I.
Jacobus de Romaneſiis Epiſcopus Caſtrenſis. 428. XVI.
Jacobus Sabellus proprio ære Conventum Palumbariæ conſtruit. 138. XL.
Jacobus de Sarzuela Vicarius Generalis inſtituitur. 31. LVIII. ad eum Breve Apoſtolicum directum. ibidem. Miniſter Generalis eligitur. 58. V. ſuo muneri renunciat. 344. IX.
Jacobus a Turre bona Regularis Obſervantiæ zelator. 173. XLIX.
Januæ Montis Conventus. 443. XXV.
Janus de Valle Iſara Conventus Camberiaci benefactor. 376. XIII.
Jayczæ Conventus. 78. XXXV.
Ilerdenſis Conventus. 363. XLVII.
Illuminata Bembo ſanctæ Catarinæ Bononienſis ſocia ejuſdem acta recenſet. 324. CXVI.
Imagines quædam reformantur. 373. XII.
Indulgentiæ pro celebratione Capituli Generalis conceduntur. 29. LII.
Iniſcotti Conventus. 177. LXI.
Innicus Velaſco Clauſtrum Paeis Mediolani egregiis picturis exornat. 388. VIII.
Inquiſitores inſtituendi facultas Miniſtro Burgundiæ conceditur. 61. XIII.
Inſulæ Conventus. 473. XXXI.
Inſulæ Arcani Conventus. 254. LXXVII.
Inſulæ prope Caneam Conventus. 174. LI.

Inſulæ in Hibernia Conventus. 458. xx.
Inſulæ ſanctæ Mariæ de Remediis Conventus. 253. lxxxii.
Interamnæ ſanctæ Mariæ Aureæ Conventus. 75. xxvi. & Monaſterium. 144. lxv.
Interdictum qualiter obſervandum. 350. xx.
Joanna Bella Clariſſa. 445. xxxiii.
Joanna Caſtellæ Regina Monaſterium Arandæ ædificat. 333. cxlvii.
Joanna Comitiſſa ſancti Stephani conſtruendi Monaſterium Populæ facultatem impetrat. 139. l.
Joanna de Durve Monaſterii Camberiaci prima Abbatiſſa. 459. xxiv.
Joanna Enriquez Cœnobium de Benavides condit. 174. lii.
Joanna a Guevara floret. 185. xii.
Joanna Hermoſilla Domus Tertii Ordiuis Pincianæ Præfecta & Fundatrix. 258. ci.
Joanna de Medulione Abbatiſſa Monaſterii Siſtaricenſis. 333. cxlv.
Joanna Muerſæ Comitiſſa Conventum Wertenſem conſtruit. 199. xxxviii.
Joanna Romana genere & virtute ſpectabilis. 434. vi.
Joannes de Albania ad Scanderbech mittitur. 11. xx.
Joannes Amor de Tornavia Conventum Franciſcanis ædificat. 143. lxi.
Joannes de Ancona ingeutibus ditatus virtutibus. 385. v.
Joannes Antonius Aquaviva Urſinus Cœnobium Converſani extruit. 253. lxxx.
Joannes Antonius Flaminius acta ſanctæ Catarinæ Bononienſis refert. 324. cxvi.
Joannes Antonius de Crema doctrina inſignis. 193. xvii.
Joannes Antonius Scardameti Epiſcopus Cephalienſis. 329. cxxvi.
Joannes Aragoniæ Rex pro Conventu Tarraconenſi extruendo poſtulat facultatem. 474. xxxv.
Joannes de Baeuſt domum largitur pro Cœnobio Burgenſi. 79. xxxviii.
Joannes Baptiſta Bagerotus Epiſcopus Bobienſis apud Minores Mediolani tumulatus. 387. vi.
Joannes Baptiſta Larinenſis Conventualium Generalis. 329. cxxvii.
Joannes Baptiſta de Molis pietate atque doctrina inſignis. 78. xxxiii.
Joannes Baptiſta de Porcariis pietate illuſtris. 441. xviii.
Joannes Barcinonenſis Epiſcopus in quadam cauſa a Pontifice Judex inſtituitur. 63. xv.
Joannes de la Biche, ſive Bichot, doctrina & religione pollens. 462. iii.
Joannes Bituntinus Epiſcopus Eccleſiam Conventus Palumbariæ ædificat. 138. xl.
Joannes de Bizzis Florentinus virtutibus illuſtris obit. 453. iv.
Joannes de Brandeburg capellam quamdam in Conventu Civitatis Novæ transfert. 143. lix.
Joannes Burgenſis in Conventu Camberiaci Lector. 376. xiii. doctrina celebris, & Apoſtolicus Concionator. 472. xxix. de provincia ſancti Bonaventuræ optime meritus. 474. xxxii. & de Cœnobio Cluſarum. 472. xxix.
Joannes de Burgundia Comes de Stampis reformationem in quibuſdam Cœnobiis admittit. 42. lxxi.
Joannes Calabriæ, & Lotharingiæ Dux Fratribus Conventus Spediani addictiſſimus. 75. xxvii.
Joannes Camba Hoſpitalis de Inſula fundator. 203. xlix.
S. Joannes de Capiſtrano inſigne patrat miraculum. 5. x. pro ejus Canonizatione multi ſcribunt Epiſtolas. 123. xi. ſeqq. 216. xix. ſeqq. Vide *Epiſtola.* ad ejus cultum Huogari excitant Italos. 157. xv. obitus ejus encyclicis denuntiatur litteris. 1. i. ejus ſupellectilem jubet Pontifex Fratribus ſancti Bernardini reſtitui. 2 iii. laudatur a Pontifice. 3. vii. ejus gloria promovetur. 5. x.
Joannes Carolus Sauli Tertiarius duo Eremitoria pro extruendis ſui Inſtituti domibus recipit. 82. xlviii.
Joannes Cardinalis ſancti Angeli Legatus Apoſtolicus Stephanum de Baſſan encomiis celebrat. 40. lxiv.
Joannes de Carreto Eccleſiam Conventus Retii Minoritis largitur. 138. xlii.
Joannes Cavagnet Guardianus Conventus Camberiaci. 376. xiii.
Joannes Cornarius Conventus Tarviſii benefactor. 83. liv.
Joannes Cordis Archiepiſcopus Biturieenſis Monaſterio Bituricenſi dat initia. 432. xxvii.
Joannes Cremenſis Generalis Tertii Inſtituti. 440. xvi.
Joannes de Dertherem Epiſcopus Libarien. 40. lxv.
Joannes de Deo Archiepiſcopus Tavenſis Eccleſiam Conventus Sullereuſis conſecrat. 76. xxx.
Joannes Deſmoniæ de Conventu Athderenſi valde meritus. 365. liii.
B. Joannes Duklenſis Leopoli tumulatus.

tus. 377. XV. ejus Officium & Miſſam recitari Sedes Apoſtolica annuit. ibid.
Joannes Duren Germanus a pietate literiſque commendatus. 434. IV.
Joannes Eyſtetenſis Epiſcopus pro Canonizatione ſancti Joanuis de Capiſtrano præces iuterpouit. 22a. XXX.
Joannes de Exerto pietate celebris. 376. XIII.
Joannes de ſancto Facundo Monaſterii Segobienſis Vicarius. 145. LXIX.
Joannes Ferus Eccleſiaſtes celebris ubi tumulatus. 444. XXIX.
Joannes Fontana Vicarius Obſervantum. 376. XII.
Joannes Ferrarienſis ſanctæ Catarinæ de Bononia Parens. 324. CXVI.
Joannes de Finau petit facultatem pro fundando Conventu Rupellæ. 175. LV.
Joannes de Frangipanis Obſervantibus addictus. 197. XXIX.
Joannes Freyn Epiſcopus Salonenſis. 40. LXV.
Joannes Gacheus provinciæ ſancti Bonaventuræ iterato ex Miniſter. 473. XXIX.
Joannes Gobellinus ſancto Jacobo Piceno luſenſus. 341. III.
Joannes Goropius Becanus in Divinis humaniſque litteris peritus. 41. LXVIII.
Joannes Grangerius ab auſteritate, & pœnitentia commendatus. 78. XXXIV.
Joannes Gruſcinius Archiepiſcopus Gneſnenſis aream Fratribus pro Cœnobio Callificuſi extruendo largitur. 378. XVII.
Joannes Guazza in Conventu Villalonii ſepultus. 457. XVII.
Joannes Hayus provinciæ Coloniæ Miniſter ubi tumulatus. 364. LI. Sedis Apoſtolicæ & Miniſtri Generalis Commiſſarius extitit. 364. LII.
Joannes Hincza de Ragono Conventus Colenſis fundamenta ponit. 389. XVI.
Joannes Hoyanus virtute illuſtris. 76. XXVIII.
Joannes de Jampis miles fundationem Conventus Rupellæ exoptat. 175. LV.
Joannes ab Iſchitella oratione & abſtinentia præclarus. 429. XVIII.
Joannes Kaaneman in ſecularibus & divinis litteris eruditus. 166. XXXII.
Joannes Keminer Epiſcopus Moldavienſis. 40. LXV.
Joannes Laer provinciæ Colonienſis Vicarius Conventum Bambergæ reformat. 175. LVI.
Joannes Landener Vicarius provinciæ Argentinæ Conventum Landſutenſem ad meliorem frugem reducit. 391. XIX.
Joannes Leodienſis Epiſcopus facultatem concedit, ut Conventus Moſæ extruatur. 41. LXVIII.
Joannes Libarienſis Epiſcopus. 375. IX.
Joannes Lilius provinciæ Caſtellæ Miniſter. 140. L.
Joannes de Lippia Epiſcopus Monaſterienſis de Conventu Barenſi meritus. 175. LVII.
Joannes Logronnus Petro de Marchena in inſulis Canariæ reſiſtit. 129. XX.
Joannes de Macrifortis Vicarius Generalis Ultramontanus. 345. XIII.
Joannes le Marchier Domum Metenſem Tertii Ordinis ædificare cogitat. 82. L.
Joannes de ſancta Marina primus provinciæ ſancti Jacobi Vicarius virtutibus celebris. 183. VII.
Joannes Merlcon Regis Gallorum Conſiliarius pro conſtruendo Conventu Rupellæ facultatem petit. 175. LV.
Joannes de Miſna Boemiæ Commiſſarius. 402. VIII.
Joannes Mogin Vicarius Ultramontanus. 58. V. munus abſolvit. 193. XVI. moritur. 328. CXXV.
Joannes Molembeck Conventum Barenſem abſolvi procurat. 176. LVII.
Joannes Monaſterienſis Epiſcopus Ordinis reformator in Germania. 200. XL.
Joannes de Monte Canuto Conventus Charreriarum benefactor. 42 LXX.
Joannes de Naſſaw Comes Obſervantibus addictus, & reformationis amator. 81. XLV. 145. LXVIII.
Joannes Neyen Commiſſarius Generalis Provinciarum Belgicarum. 79. XL.
Joannes Nouczbac Canonicus Cracovienſis præcipuus Monaſterii Cracoviæ Tertii Ordinis benefactor. 380. XXV.
Joannes Nudi pollicem ſibi amputat. 355. XXVIII.
Joannes Nurſinus ſanguine, & ſanctitate illuſtris moritur. 133. XXXII.
Joannes Oconochor Kiaray Conventus Inſulæ in Hibernia fundamenta ponit. 458. IX.
Joannes Ortanus in Cœnobio Aracœlitano tumulatus. 330. CXXIX.
Joannes Pacechus Domum Bellomontis extruit. 332, CXXXVIII.
Joannes Palatinus pro canonizatione S. Joannis de Capiſtrano Pontifici ſcribit. 217. XXI.
Joannes de Parcu Prophetico ſpiritu clarus. 473. XXIX.
Joannes de Parella Epiſcopus Yporegiæ

giæ Eccleſiam conſecrat. 383. III.
Joannes Paulus Veronenſis Tertiariorum in Provincia Bononiæ Vicarius. 476. XLIII.
Joannes Penalverius S. Didaco Complutenſi apprime addictus. 282. XXVI.
Joannes Petri de Monte Ilcino Tuſciæ Inquiſitor. 428. XVI.
Joannes Philippi Vicarius Geueralis Ultramontanus. 398. II.
Joannes de Porta Eccleſiæ ſancti Pauli præficitur. 204. II.
Joannes Pugeti Epiſcopus Tyberiadis. 166. XXXIV.
Joannes Quieſdeber Vicarius Generalis familiæ Ultramontanæ. 48. III.
Joannes de Remis Domum Metenſem Tertii Ordinis ædificare cogitat. 82. I.
Joannes Reſſovius Epiſcopus Cracoviæ Eccleſiam Parochialem Opatoni Fratribus concedit. 459. XXIII.
Joannes Rochizana Minoritis infenſus. 252. LXVIII.
Joannes Rodulphus Vicemara de Conventu Legnani valde merituş. 441. XVII.
Joannes de ſancta Ruffina Tertio Inſtituto addictiſſimus. 82. I.
Joannes de Sagano Dux Conventus Glogaviæ fundator. 383. III.
Joannes de Salmis Epiſcopus Ottanenſis. 166. XXXIV.
Joannes Salonenſis Epiſcopus. 193. XVIII.
Joannes a Sartorio Epiſcopus Berſabienſis. 133. XXXIII.
Joannes de Segura Miniſtri Generalis Commiſſarius. 193. XVII. de fundatione Conventus Tarraconenſis ſollicitus. 474. XXXV.
Joannes Sicova Optatoniæ Couventui addictus. 459. XXIII.
Joannes Smolia in Templo Lovitii tumulatus. 432. XXV.
Joannes de Taliacotio ſancto Jacobo Piceno ſubſtitnitur in Hungaria. 5. X.
Joannes Tarlo ſanguine clarus dat Franciſcanis nomen. 459. XXIII.
Joannes de Tellio Guardiauus Conventus Charreriarum ab Hæreticis necatus. 42. LXX.
Joannes Thanezin Epiſcopus Caſtellanus canonizationem ſancti Joannis de Capiſtrano exoptat. 224. XXXI.
Joannes Thomacellus Guardianus Montis Sion. 439. XVII.
Joannes Thomaſius de Moncata Comes Conventum Adernionis abſoluit. 389. XI.
Joannes Thomaſius Minellus Tertiarius Hoſpitale ſanctæ Crucis in Hieruſalem Senis extruit. 180. LXXIV.
Joannes Tiſſerandus vir doctiſſimus Pariſiis advocatus. 428. XVI.
Joannes a Toleto Concionator celebris. 355. XXVIII.
Joannes de Touſis de Fano Epiſcopus. 455, VIII.
Joannes Tuedriqui eximius Concionator ab hæreticis pro fide occiſus. 141. LV.
Joannes Veronenſis Tertii Inſtituti Generalis Miniſter. 392. XXIII.
Joannes Vilandi Conventus Camberiaci Guardianus. 376. XIII.
Joanues de Voynicia Diaconus humilitate præclarus. 378. XVII.
Joannes Utinenſis Miniſter Generalis. 435. I. V. *Zanettus*.
Joannes Zagabriæ Comes Conventum Rimichmez extruit. 412. XXII.
S. Joannis in Scotia Conventus. 177. LXII.
Johiæ Conventus. 388. X.
Joſeph Eugubinus floruit Spoleti. 195. XXIII.
Irialacenſis Conventus. 432. XXVI.
Iſabella Burgunda erga Minoritas pientiſſima. 147. LXXXI. 142. LVI. obtinet facultatem ut Monaſterium Tornacenſe extruatur. 432. XXVIII.
Iſabella de Charoloys Conventum Avenſnæ conſtruit. 78. XXXVII.
Iſabella Godinez Monaſterii Rexenſis, cum quibuſdam aliis fundatrix. 445. XXXI.
Iſabella de Guadalupe Clariſſa. 445. XXXI.
Iſabella de Guzman probata Monialis. 445. XXXII.
Iſabella Manriquez Monaſterio de Calabaſanos multa bona relinquit. 147. LXXIX.
Iſabella Philippi Boui Ducis Vidua de Conventu Brotendali benemerita. 79. XL.
Iſabella de Torres Monialis. 445. XXXI.
Iſei, aut Iſchii Conventus. 375. XI.
Judocus de Crucumghem Conventus Hulſtendenſis fundator. 79. XXXIX.
Julia Mediolanenſis Clariſſa Divinis apparitionibus refecta. 333. CXLIII.
Julianus de Jordanis Hoſpitale Aſcenſionis Meſſanæ condit. 45. LXXXI.
Julius Antonius Sanctorius Cardinalis ſuper cauſam canonizationis ſancti Didaci judex inſtituitur. 307. CX.
Julius Antonius de Urſinis de Aquaviva Conventus Converſaui fundator. 253. LXXX.
Julius Cæſar de Varanis erga Clariſſas pientiſſimus. 144. LXIII.
Junius deGradis miles Raguſinus ad Regem Boſnæ a Pontifice miſſus. 25. XLVI.

re-

rebus omnibus ſpoliatus, in vinculis a quodam conjicitur. ibidem.

K

Keilhemenſis Conventus. 378. XVIII.
Kilconelienſis Conventus. 412. XXXII.
Kilcreanus Conventus. 378. XIX.
Keyſersberg Conventus. 390. XVII.
Kouphenæ Conventus. 149. II.

L

Ladislaus a Gelnono Hungarus doctrina & virtute præditus. 249. LXIX.
De Ladocria ſancti Michaelis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 334. CXLIX.
Lamegi Couventus. 175. LVII.
Landedenſis Conventus. 77. XXXI.
Landerienſis Conventus. 77. XXXI.
Landsbutenſis Conventus. 391. XIX.
Langtvicz Conventus. 444. XXIX.
Laudæ Monaſterium. 143. LXII.
Laurentius Juſti pietate & doctrina inſignis. 471. XXII.
Laurentius de Moncada Epiſcopus Caſtrenſis. 375. IX.
Laurentius de Monte Vicarius Provinciæ Provinciæ, 362. XLV.
Laurentius Panormitanus Claſſi Pontificiæ ſubſidium affert. 24. XLIII.
Laurentius Rovarella Epiſcopus Ferraricnſis de ſanguine Chriſti differit. 340. II.
Laurentius Senarum & Piſarum Inquiſitor. 467. XI.
Legerus de Huntslaere Conventus Brugenſis fundator. 79. XXXVIII.
Legnani Conventus. 441. XVII.
Leo Scytbienſis Epiſcopus. 410. XXI.
Leonardus Cracovienſis Artium Baccalaureus genere virtutibuſque præclarus. 328. CXXV.
Leonardus Fabczinins Conventus Coſtenii benefactor. 43. LXXIV.
Leonora a Caſtella Clariſſarum Monaſterium apud Calabazanos ædificat. 184. XI.
Leonora Manrique in eodem Mouaſterio Monialis. 147. LXXIX. 257. XCVIII.
Leonora de Velaſco Mouaſterii Metymnæ Pomerii Præfecta. 380. XXVII.
Leopolis Conventus. 377. XV.
Leovardiæ Conventus. 41. LXIX.
Leumberg Conventus. 143. LIX.
Leydenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 279. LXXII.
Liberatus de Civitella Laicis pietate inſignis. 457. XV.
Libertus de Broehun Bericenſis Epiſcopus. 455. VIII.
Ligerus de Nuſtaer Vicarius Franciæ Iſabellæ Burgundæ carus. 142. LVI.
Livoniæ Conventus. 390. XVII.
Lopetius de Salinis Conventum S. Stephani prope Burgum conſtruit. 75. XXVIII. ſui Inſtituti valde zelator. 86. v. ſpirituale Teſtamentum condit. ibidem. ſeqq. V. *Lupus de Salinis* infra.
Lorcæ Conventus. 411. XXVIII.
Lovitii Conventus. 431. XXV.
Lubliuenſis Conventus. 376. XIV.
S. Lucæ corpus Venetias defertur. 271. XIII. exoritur de identitate diſſidium. 271. XIV. decernitur eſſe verum. 271. XV. Patavini contra hanc ſententiam ad Sedem Apoſtolicam appellant. 278. XVI. eorum tamen potiſſima ratio refellitur. 278. XVII.
Lucæ ſancti Michaelis Monaſterium. 177. LXXIII. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 146. LXXVI.
Lucas de Aſculo virtute & doctrina illuſtris. 150. IV.
Luchina de Verine Conventum Vigberiæ ædificat. 138. XLIII.
Ludovica Maraconia Domum Tertii Ordinis Tyburis conſtruit. 366. LIX.
Ludovica de Peruſio Clariſſa. 439. XII.
Ludovicus de Allibreto Cardinalis ante obitum Minorum habitu induitur. 375. X.
Ludovicus Bajaſſon Modoetiæ Montem Pietatis erigit. 196. XXVI.
Ludovicus Bargenſis ubi tumulatus. 472. XXVI.
Ludovicus Bononienſis in Æthiopiam amandatus. 26. XLVII. & ad Principes Nuncius. 60. X. ad pedes Pontificis ducit Orientales Nuncios. 153. VII. qui ſibi dari in Patriarcham Ludovicum poſcunt. 153. VIII. quod abutatur Pontificio indulto traducitur. 154. X. Pontifex ei Epiſtolam dirigit. 156. XIII. apud Reges Tartariæ & Poloniæ legatione fungitur. 369. II.
Ludovicus de Borbonio Conventum Cloſſarum reſtaurat. 389. XIV.
Ludovicus a Chalonio Conventum Mozoreti ædificat. 254. LXXXIII.
Ludovicus Columbus Concionator celebris. 430. XIII.
Ludovicus a ſancta Cruce Epiſcopus Biſacienſis. 387. V.
Ludovicus Fiordibellus Conventus Mutinæ fundator. 443. XXVI.
Ludovicus XI. Franciæ Rex Carolo VII. in Regno ſuccedit. 205. IV. Ordinem Equeſtrem ſancti Michaelis inſtituit.

tuit 448. duas Domos Tertii Inſtituti ædificat. 460. XXVII.
Ludovicus Gonzaga Nivernienſium Dux pietate erga Franciſcanos enitet. 141. LV.
Ludovicus de Grunthuyſe Monaſterium Brugenſe condit. 365. LVII.
Ludovicus de Monte Falcoue virtutibus illuſtris. 385. V.
Ludovicus a Neapoll Conventus S. Anaſtaſiæ Nolani fundator. 443. XXV.
Ludovicus de Padula Epiſcopus Cartaginenſis. 280. XXI.
Ludovicus Petri Latini moritur. 425. X. Ejus virtutes. ibidem. ſeq.
Ludovicus Sabaudus erga Minoritas pientiſſimus. 77. XXXII. apud eoſdem tumulatus. 385. VI.
Ludovicus de Saja Monaſterii de Calabazanos Cuſtos. 147. LXXIX.
Ludovicus de Senis Conventum Sartiani reformat. 330. CXXX.
Ludovicus a Varta in Polonia enitet. 454. IV.
Ludovicus de Vico Miles Valentinus Monaſterium Gandienſe reſtaurat, & facultatibus auget. 256. XCV.
Ludovicus Vincentinus Vicarius Generalis. 191. XIII. item Commiſſarius Auſtriæ & Poloniæ. 437. V.
Lugnani Domus Sororum Tertii Ordinis. 459. XXV.
Lupus de Salinis apud Comites Harenſes traductus. 136. XXXVI. deturbatur ab officio. 137. XXXVII. ſecedit in ſolitudinem. ibidem. Domum Sororum Tertii Ordinis Bremeſtæ conſtruit. 147. LXXX. pie moritur. 137. XXXVII. 149. III. V. *Lopetius de Salinis*.
Lympurgi Conventus. 364. LII.

M

MAcauda de Calafatis Monaſterii Meſſanenſis fundatrix. 44. LXXXI.
Madritenſe ſanctæ Mariæ Conſtantinopolitanæ Monaſterium. 445. XXXI.
Madritenſe ſanctæ Mariæ Viſitationis Monaſterium. 178. LXVII.
Magdalena Borgia Candiæ Ducis filia apud Minores Mediolani tumulata. 387. VI.
Magduni Conventus. 141. LV.
Mahonæ Conventus. 140. LIII.
Malateſta de Malateſtis Monaſterium Cæſenæ ædificare deſiderat. 145. LXVI.
Manſucta Clariſſa in Monaſterio Laudæ floret. 144. LXII.
Marcoduræ Conventus. 142. LVII.
Marcus Antonius Columna Cardinalis ſuper cauſam canonizationis ſancti Didaci judex inſtitutus. 307. CX.
Marcus Bouonieuſis Hieroſolymorum Commiſſarius. 280. XX. & plurium Provinciarum in Oriente Viſitator. 280. XXI. Vicarius Generalis eligitur. 345. XIII. ampla poteſtate a Pontifice præmunitur. 346. XIV. iterum Vicarii Generalis ſubit onus. 435. II.
Marcus de ſancta Maria in Gallo Montium Pietatis auctor. 456. XI.
Marcus Ulyſſiponenſis acta ſanctæ Catarinæ de Bononia recenſet. 324. CXVI. ejus menda corriguntur. 31. LVIII. 58. V. 190. X.
Margarita Badeni Marchionis filia Clariſſa. 439. XIII.
Margarita Brandeburcici Marchionis filia ſimiliter. ibidem.
Margarita Gibbuna majus Sacellum in Templo Conventus Athderenſis erigit. 365. LIII.
Margarita de Motta Monaſterii Panormitani olim Abbatiſſa. 81. XLV.
Margarita Sulmonenſis Monaſterii ſanctorum Coſmæ & Damiani Romæ fundatrix. 439. XII.
B. Mariæ Virginis Imago miraculis coruſcat. 253. LXXX.
S. Mariæ de Campo Conventus. 75. XXVII.
Maria de Alcazario pietate & religione ſpectabilis. 453. V.
Maria Aragonum Regina Monaſterii Clariſſarum Valentiæ fundatrix. 44. LXXIX.
Maria Chevaleria Monaſterii Camberiaci Abbatiſſa. 459. XXIV.
Maria Emanuelis de Acunia in Conventu ſancti Stephani prope Burgum tumulata. 76. XXVIII.
Maria Franciæ Regina erga Clariſſas pientiſſima. 178. LXIV.
Maria de Lando Monaſterii Rexenſis cum quibuſdam aliis fundatrix. 444. XXXI.
Maria Ludovica Caſtella miræ pœnitentiæ & orationis. 475. XL.
Maria de Lully Monaſterii Clariſſarum Attrebati fundatrix. 45. LXXXII.
Maria Magdalena Mediolanenſis orationi dedita. 475. XL.
Maria de Pontieure Conventum Aveſnæ conſtruit. 78. XXXVII.
Maria Sabauda dat Clariſſis nomen. 115. VI.
Maria de Soria Monaſterium Rexenſe cum quibuſdam aliis fundat. 445. XXXI.
Maria a Velaſco Monaſterium Conchæ Camporum condit. 185. XII.

Marianus de Ciſterna Concionator eximius. 75. XXV. ad diſſerendum ſuper cauſam de ſanguine Chriſti a Pontifice ſeligitur. 340. I.
Marianus Florentiuus Hiſtoriam S. Catarinæ Bononienſis narrat. 324. CXVI. ejus menda corriguntur. 31. LVIII. 190. X.
Marianus Jezioreovius Poloniæ Vicarius 402. VIII. Conventui Vartæ dat initia. 430. XXIII. Viluæ tumulatus. 431. XXIV.
Marianus de Senis Nuncius ad Dalmatas. 8. XIII. ſolertem operarium ſe exhibet. 10. XVII. ad alias etiam amandatur Provincias. 10. XVIII. etiam ad Regem Boſniæ deſtinatur Orator. 120. VII. mittitur quoque in Sardiniam. 355. XXVIII. Pontifex ei plures Epiſtolas dirigit. 8. XIV. 9. XV. 10. XVI. & 18.
Marinus de Barbo Provinciæ ſancti Antonii Vicarius. 75. XXV.
Marinus Simonis de Areſtis genere clarus. 329. CXXVI.
Martinengi Conventus. 472. XXVII.
Martinus Petri orationi & meditationi apprime addictus. 78. XXXIV.
Martinus de Rotemburga ad liberaudum Cardinalem Cuſanum amandatus. 187. IV.
Maſſæ Conventus. 195. XXIV.
Matthæa de Caldanis Clariſſa floret. 453. V.
MatthæusCracovienſis Aeeademiæ Magiſter. 328. CXXV.
Matthæus Ferulanus miraculis clarus. 389. XII.
Matthæus Jaderenſis Tertii Inſtituti profeſſus. 446. XXXVII.
Matthæus Oleyo Martyr. 378. XIX.
Matthæus de Sarracenis Archiepiſcopus Roſſanenſis. 167. XXXVI.
Matthæus Tertiarius in Cœnobio Gulioniſii miraculoſe tumulatus. 173. XLIX.
Matthæus a Valentia a pietate & doctrina commendatus. 174. LIII.
Matthias Czarnius ſolum pro Cœnobio extruendo Minoritis largitur. 42. LXXII.
Matthias Huniadis Ducis filius ad Regnum Hungariæ promovetur. 157. XV.
Matthias de Monte Regio Provincialis Regnorum Caſtellæ, Portugalliæ &c. 198. XXXIV.
Mazariæ Monaſterium. 205. IV.
Mediolanenſe S. Apollinaris Monaſterium. 447. XLII. 475. XL. & ſanctæ Urſulæ. 333. CXLIII. & Domus Fratrum Tertii Ordinis. 45. LXXXIV. 392. XXIII.
Mediolani Pacis Conventus. 387. VI.
Meingerberg. Conventus 143. LIX.
Melchiſedech Polonus puritatis & paupertatis amator. 249. LXX.
Mendicantes Pariſiis vexati. 33. LX.
Mençia Luçon Clariſſa. 445. XXXI.
Mentia Martinez Contreras Vidua Domui Tertii Ordinis Duriæ valde addicta. 179. LXIX.
Mervici Domus Sororum Tertii Ordinis. 334. CL.
Meſſanenſe Monaſterium. 44. LXXXI.
Metenſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 82. L.
Methimnæ Monaſterium. 257. XCIX. 380. XXVII.
Miani Conventus. 77. XXXII.
Michael de Axeretis Conventum Retii extruit. 138. XLII.
Michael Bonellus Cardinalis ſuper cauſam Canonizationis beati Didaci judex electus. 307. ex.
Michael Cantor ſui obitus diem prædicit. 43. LXXIII.
Miebael Chriſtopolitanus Epiſcopus. 167. XXXV.
Michael Laubepinus Cœnobium Charreriarum reſtaurat. 42. LXX.
Micbael de Lira provineiæ Colouiæ Vicarius. 199. XXXVIII.
Michael de Mediolano laudatur. 424. VIII. 425. IX.
Michael Orzach Obſervantibus Conventum Zechen tradi curat. 412. XXXI.
Michael Treperius Theologus inſignis. 376. XIII.
S. Michaelis de Brincis Couventus. 331. CXXXV.
Miniſtri Generales Franciſcus Saonenſis. 345. XI. Jacobus de Sarzuela. 58. V. Zanettus Utinenſis. 435. I.
Minores inter ſeſe diſſident. 169. XXXIX. ex tractu Ariminenſi interdicti cauſa receedunt. 252. LXXVI. e Provincia Boſuenſi profligantur. 271. XIII. Venetias corpus ſancti Lueæ ſecum deſerunt. 271. XIII. ad Concilium Mantuanum Oratores mittuntur. 116. II. Inſtituuntur Inquiſitores. 187. III. 428. XVI. 467. XI.
Nuncii Apoſtolici. 8. XIII. 23. XLII. 122. X. 187. III. 14. XXVII. 120. VII. 12. XXII.
In Paleſtina degentibus varia privilegia conceduntur. 56. IV. Stationes, atque Indulgentiæ Urbis. 133. XXXIV. aliæ gratiæ. V. in fine quorumlibet annorum.
Eorum Conventus. V. *Conventus*. V. *Obſervantes*.

Minoris Baſilicæ Monaſterium. 257. c.
Mirandulæ Monaſterium. 177. LXIII.
Modoetiæ Conventus. 196. XXV.
Moguntinus Conventus. 444. XXIX.
Moighini Conventus. 176. LX.
Monaſteria Clariſſarum. Amſterodami. 256. XCVI. Arandæ. 333. CXLVII. Arelatenſe. 202. XLVI. Aſculanum. 177. LXIII. Atrebatenſe. 45. LXXXII. Balneoregii. 145. LXVI. Barcinonenſe de Bethleem. 256. XCVII. Baſilicæ minoris reformatur. 257. c. Beatiæ. 178. LXVI. Bejæ SS. Conceptionis. 417. VI. Bichenſe. 379. XXIII. Bituricenſe. 432. XXVII. Bobienſe. 380. XXVII. Brugenſe. 365. LVI. Burgenſe. 202. XLV. Burgi ſancti Sepulcri. 201. XLIII. Cæſenæ. 145. LXVI. de Calabazanos. 147. LXXIX. 184. XI. 257. XCVIII. de Calignano ſancti Leonardi. 178. LXIV. Camberiaci. 459. XXIV. Camerini. 144. LXIII. Capuanum. 391. XXII. Carionis. 145. LXX. Carmonæ. 178. LXV. Civitatis Caſtelli. 333. CXLIV. Claræ vallis. 145. LXVIII. Cordubenſe ſanctæ Crucis. 379. XXI. Corneliani. 365. LIV. Culminum. 391. XX. Dignenſe. 446. XXXVI. Drepaoi. 201. XLII. Eborenſe. 144. LXIV. 333. CXLVI. Fabriani. 334. CL. Ferrariæ. 380. XXVII. Florentiuum. 365. LV. Gandienſe. 256. XCV. Gebeunenſe. 44. LXXX. Geldriæ. 367. II. S. Geminiani. 203. LI. Gratianopolitanum. 445. XXXIII. Harlemi. 81. XLIV. Hiſpalenſe ſanctæ Agnetis. 445. XXXII. Interamnæ reformatur. 144. LXV. Laudæ. 143. LXII. Lucæ ſancti Michaelis. 177. LXIII. Madritenſe Viſitationis. 178. LXVII. Madritenſe ſanctæ Mariæ Conſtantinopolis. 445. XXXI. Mazariæ. 205. IV. Mediolanenſe ſancti Apollinaris. 447. XLII. 475. XL. Obſervantes ejus regimen abdicaut, & quare. 448. XLII. & nonnullæ Moniales ad aliud Monaſterium Ordini ſubjectum transferuntur. ibidem. Mediolanenſe ſanctæ Urſulæ. 333. CXLIII. Meſſanenſe. 44. LXXX. Metbymnæ. 257. XCIX. 380. XXVII. Minoris Baſilicæ. 257. c. Mirandulæ. 177. LXIII. Nogenti. 332. CXL. Novi Clauſtri. 446. XXXVI. Nurembergæ. 413. XXXVI. Pacis Juliæ. 144. LXIV. Palentinum. 334. CXLVIII. Panormitanum reformatur. 81. XLV. Perpinianenſe. 202. XLV. Phullingenſe. 147. LXXIX. Potentiæ. 391. XXI. Regienſe. 412. XXXIV. Rexenſe. 444. XXXI. Sarzanæ. 204. II. Siſtaricenſe. 333. CXLV. Ticinenſe. 379. XXII. Toloſanum. 365. LVI. Tornacenſe. 432. XXVIII. Valentinum. 44. LXXIX. Vallis Oſſanæ in Sardinia. 258. c. Vanielis. 201. XLIV. Valliſoleti. 339. IV. Veroladi. 85. IV. Viesbaden. 81. XLV. Viglevani. 81. XLVII. Yporegiæ. 383. III.
Monaſteria Tertii Ordiuis. V. *Domus Tertii Ordiuis*.
Mongiæ Conventus. 197. XXXII.
Monſterolii Domus Sororum Tertii Ordinis. 82. XLIX.
Montanina Joannis Firmani conjux Montem Pietatis Fabriani erigit. 456. XI.
De Monte ſancti Michaelis Domus Fratrum Tertii Ordinis. 334. CXLIX.
Montis Calvariæ Conventus. 374. LI.
Montis Januæ Conventus. 443. XXV.
Montis Lucis Conventus. 80. XLI.
Montis Luponi Conventus. 471. XXIV.
Montis Politiani Domus Fratrum Tertii Ordiuis. 82. XLVIII. & Sororum. 82. LI. 179. LXXI.
Montis Relaxi Conventus. 77. XXXI.
Montis ſancti Conventus. 330. CXXXII.
Moſæ Trajectenſis Conventus 41. LXVIII.
Mozoreti Conventus. 254. LXXXIII.
Muineachani Conventus. 254. LXXXVIII.
Muſumelli Conventus. 472. XXVIII.
Mutinæ ſanctæ Cæciliæ Conventus. 443. XXVI.

N

NArniæ Conventus. 381. I.
Nepeſinus Conventus. 173. XLV.
Nicaſius Mercorii Theologus inſignis. 250. LXXII.
Niciæ Conventus. 198. XXXV.
Nicolaus de Apulia a Pontifice Epiſtolas recipit. 25. XLVI.
Nicolaus a Coſtie diſertiſſimus prædicator, & miraculis clarus. 43. LXXIII.
Nicolaus Erizus Conventum Deſerti Torcellanum reſtaurat. 174. L.
Nicolaus Franciſci Cœnobium Aveſinæ ædificat. 78. XXXVII.
Nicolaus de Gueſingben. domum largitur pro Conventu Campidunenſi. 255. XC.
Nicolaus Harlaerus Miles Franciſcano habitu induitur. 41. LXVIII.
Nicolaus de Jadera Dumnenſis Epiſcopus. 166. XXXIV.
Nicolaus de Iſtria Conventum Inſulæ prope Caneam ædificat. 174. LI.
Nicolaus Opatonienſis Præpoſitus Fratribus addictus. 459. XXIII.
Nicolaus de Orbellis in Divinis Scripturis eruditus. 166. XXXII.
Nicolaus Paſſer ſanctitate & miraculis celebris. 454. IV.

Nicolaus ſancti Petri ad Vincula Cardinalis Cœnobium Gottingenſe reformat. 355. LXXXIX.
Nicolaus a Sibenico Regem Boſnæ contra Turcas provocat. 24. XLV.
Nicolaus Vayvoda Tranſilvanus Canonizationem Capiſtrani exoptat. 157. XV.
Nicoteræ Conventus. 139. XLVI.
Nieſcoviæ Conventua. 364. L.
Nogcutis Monaſterium. 332. CXL.
Novæ Civitatis Conventus. 143. LIX.
Novi Caſtri Domus Sororum Tertii Ordinis. 460. XXVII.
Novi Clauſtri Monaſterium. 446. XXXVI.
Noviomagi Domus Sororum Tertii Ordinis. 179. LXXIII.
Novipleuæ Conventus. 176. LIX,
Nurembergæ Monaſterium. 413. XXXVI.

O

OBſervantes ægre curam Monialium admittunt. 145. LXXI. domos Caſſæ, aliaſque tranſmarinas in cuſtodiam recipiunt. 169. XLI. de dimittendo regimine Sororum Tertii Inſtituti agunt. 193. XIX. ſub unum caput rediguntur. 280. XXI. veros eſſe ſancti Franciſci filios Pius II. declarat. 348. XVIII. V. *Minores*.
Opatani Conventus. 459. XXIII.
Oppenheimenſis Conventus. 444. XXIX.
Ordo ſancti Hieronymi a Tertiariis Franciſcanis inſtitutus. 170. XLIII. ejus explicatur origo. 373. VIII.
Ordo Minorum reformatur in Germania 200. XXIX. & ſeq. V. *Minores Mendicantes*.
Oriolæ Conventus. 174. LIII.
Oriſanda Luſitana Tertii Inſtituti in Monaſterio Eborenſi profeſſa. 144. LXIV.
Ortæ Conventus. 330. CXXIX.

P

PAcienſis Conventus. 354. LXXXV.
Pacifica Gonzaga Clariſſa. 165. XXXI.
Pacis Juliæ Monaſterium. 144. LXIV.
Paleutinum Monaſterium. 334. CXLVIII.
Palumbariæ Couventus. 138. XL.
Pampilonenſis Conventus. 139. XLIX.
Pancratius Coſinius Concionator eximius. 431. XXV.
Panormitanum Monaſterium. 81. XLV. & Domus Fratrum Tertii Ordinis. 203. L.
Paula Fulginas virtute & genere præclara. 454. V.
Paula Montalda ſanctitate celebris. 165. XXXI.
Paulus de Albenga Guardianus Montis Sion. 345. XIII.
Paulus de Boſna Signienſis Epiſcopus. 375. IX.
Paulus Brixienſis Variſii tumulatus. 441. XVIII.
Paulus Capetonius ab abſtinentia commendabilis. 173. XLVI.
Paulus Fregoſius Januenſis Archiepiſcopus Eccleſiam Conventus Portus Mauritii conſecrat. 457. XIV.
Paulus Lucenſis provinciæ Tuſciæ Vicarius. 194. XIX. ad diſſerendum ſuper cauſam de Sanguine Chriſti a Pontifice ſelectus. 340. I.
Paulus Perpinianenſis ſingulari pietate & doctrina Eccleſiaſtes. 74. XXIV.
Paulus II. Summus Pontifex renunciatus. 353. XXIII. pro expeditione Cruciatæ opera Minorum utitur. 353. XXIV. decedit. 463. I.
Paulus III. Summus Pontifex Conventus Niciæ hoſpes. 198. XXXV.
Paulus de Saxo-ferrato de Sanguine Chriſti diſputat. 340. I.
Paulus Shaſtevius beati Simonis Lypnici ſocius. 377. XIV.
Paulus Sinopolitanus Cœnobium Nicoteræ ædificat. 139. XLVI.
Paulus Sonciuas Generalis Miniſter Avenione tumulatus. 430. XXII.
Paulus Veroneuſis doctrina & virtutibus præclarus. 375. IX.
Paulus Vertenſis pietate conſpicuus. 431. XXIII.
Pedis Montis Conventus. 410. XXIII.
Pennæ ſancti Joannis Conventus. 411. XXIV.
Peregrinus Polonus humilitate & patientia illuſtris. 377. XIV.
Peronæ Conventus. 42. LXXI.
Perpiniani Conventus. 362. XLV. & Monaſterium. 202. XLV.
Petrus de Anguillaria Conventus Aracœlitani Guardianus. 65. XIX.
Petrus Aretinus abſtinentia & pœnitentia celebris. 356. XXIX.
Petrus Auguſtenſis Cardinalis pro Canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano Pontificem præcatur. 219. XXVI.
Petrus Barbus Cardinalis ad ſummum Pontificatum evehitur. 353. XXIII.
Petrus Bonifer ab Infidelibus pro fide necatus. 473. XXII.
Petrus Bonis Conventus Rupellæ conſtructionem petit a Pontifice. 175. LV.
Petrus Caprioins inter Fratres Mediolanenſes & Brixienſes diſſidia excitat. 402. IX.

Petrus de Chaloca Sacellanus Pontificius. 329. CXXVI.
Petrus Doriolla ut Cœnobium Rupellæ extruatur Pontificem rogat. 175. LV.
Petrus Fernandus de Velaſco Domum de Bremeſta ædificat. 147. LXXX.
Petrus Fulginas ſacræ Theologiæ Magiſter floret. 193. XVII.
Petrus de Fuxo inſigne ſacellum in Eccleſia Conventus Valriacl erigit. 146. LXXVIII. decedit. 356. XXIX. 387. IV.
Petrus Gironius Franciſcanis addictiſſimus. 175. LIV. 75. XXVIII.
Petrus Latiuus miraculorum gloria inſignitus. 481. IV.
Petrus Mantuanus Vicarius Candiæ 345. XIII.
Petrus de Marchena Vicarius Provincialis Inſularum Canarienſium inſtituitur. 129. XX.
Petrus Mauruccnus doctrina floret. 193. XVII.
Petrus Mili ad reſiſtendum hæreticis in Boſnam deſtinatus. 250. LXXIII.
Petrus de Neapoli Commiſſarius Auſtriæ, Poloniæ &c. 398. II. 400. VI. & Romanæ Curiæ. 345. XIII.
Petrus Paulus de ſancta Anatolia Cardinalis conſtructioni Monaſterii Fabrianenſis aſſentitur. 334. CL.
Petrus a Pegna Regularis Obſervantiæ propagator. 384. V.
Petrus de Petra eximius Concionator quando floruit. 78. XXXIV.
Petrus Pondruelly eruditione præclarus. 473. XXX.
Petrus Riarius ad Cardinalatum aſſumitur. 464. VI. Atavi Pontificis gratiis abutitur. 471. XXII.
Petrus Rodericus de Sarria Monaſterium Beatiæ conſtruit. 178. LXVI.
Petrus Rodulphus corrigitur. 554. XI.
Petrus Filicius Epiſcopus Cracovienſis Hieronymo Przybino addictus. 43. LXXIII.
Petrus de Trano neutralium quorumdam Coriphæus. 280. XXI.
Petrus Zapata Comendatarius Monaſterium Rexenſe cum ſua conjuge ædificat. 445. XXXI.
Phariæ Conventus. 597. XXVIII.
Phælimæus Mac-Carta ab hæreticis martyrium ſubit. 378. XIX.
Philippus Aſculanus laicus caritate & humilitate præditus. 132. XXX.
Philippus Burgundiæ Dux erga Franciſcanos pientiſſimus. 407. XII. moritur. 406. XII.
Philippus Calandrinus Cardinalis dat operam ut Sarzanæ Cœnobium Obſervantibus tradatur. 253. LXXXI
Philippus de Maſſa inconſtantia laborat. 137. XXXIX. Neutralium quorumdam Princeps. 280. XXI. Cœnobium Palumbariæ extruit. 138. XL. & Genezani. 137. XXXIX.
Philippus Oſeus Martyr. 458. XX.
Phullingenſe Monaſterium. 147. LXXIX.
Pilſnenſis Conventus. 548. I.
Piucianæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 258. CI.
Pius II. ad ſupremi Pontificatus apicem aſſumitur. 59. X. adhibet remedium Franciſcanis diſcordiis. 63. XVII. Concilium Generale Mantuæ indicit. 116. I. illuc proficiſcitur. ibid. duos Oratores ibi Minoritas mittit. 116. II. erga Franciſcanos pientiſſimum ſe exhibet. 555. I. apud Fratres Mantuanos ingens ejus memoria, ibid. Senis eorum hoſpes. 152. VI. Cœnobium Capriolæ inviſit. 152. V. S. Bernardinum Senenſem laudibus celebrat. 189. VIII. Obſervantibus multa concedit. 598. XXXVI. controverſiæ de Sanguine Chriſti apud ipſum devolvitur. 213. XII. jubet ab ea utramque partem abſtinere. ibid. quaſdam revocat priores ſuas litteras. 215. XV. S. Jacobo litteras conſolatorias mittit. 215. XVII. examinandæ veritati convocat viros doctiſſimos. 216. XVIII. ſtatuit contra Turcas proficiſci. 266. VI. S. Jacobum Picenum Commiſſarium Cruciatæ inſtituit. 267. VI. alioſque Minores etiam. 269. XI. ad Franciſcanos Stronconii pernoctat. 335. CLII. obit. 353. XXIII.
Polonis Fratribus peculiaris Commiſſarius datur. 386. II.
Pontiniaci S. Valentini Conventus. 77. XXXI.
Pontis Tremuli Conventus. 457. XIV.
Pontis Vallium Conventus. 473. XXXII.
Populæ Montalbani Conventus. 139. L.
Portus S. Mauritii Conventus. 457. XIV.
Poſnanienſis Conventus. 42. LXXII.
Poteutiæ Monaſterium. 391. XXI.
Pragenſis Conventus. 576. LVIII.
Prati Conventus. 173. XLVIII.
Prevorſci Conventus. 378. XVI.
Privilegia Minorum, & Clariſſarum. V. in fine quorumlibet annorum.
Proſper Columna ſummum Pontificem Pium II. coronat. 59. X.
Prothaſius Epiſcopus Olomucenſis pro Canonizatione ſancti Joannis de Capiſtrano efflagitat. 221. XXVIII.
Providentiæ Divinæ duo ingentia miracula enarrantur. 470. XXI.
Provincia Saxoniæ reformatur. 335. CLI.

Que-

Q

QUeſnenſis Conventus. 412. XXIX.
Quintiani Conventus. 410. XXII.
S. Quirici Conventus. 174. L.

R

RAdomiæ Conventus. 443. XXVIII
Raguſini cum Boſnenſibus componuntur. 346. XV. eorum curam jubetur Vicarius Generalis aſſumere. 418. I.
Raphael de Griffis Theologus, & Concionator inſignis. 441. XVIII.
Raphael de Proſtovice in Conventu Vartæ moritur. 431. XXIII. 434. IV.
Raymundus de Burgo Epiſcopus Imolaceuſis. 365. LIII.
Raymundus Venetus Candiæ, & locorum Orientalium Vicarius. 191. XIII.
Regienſe Monaſterium. 412. XXXIV.
Retii Conventus. 138. XLII.
Rexenſe Monaſterium. 444. XXXI.
Rdodiorum Conventus. 41. LXVII.
Richardus Fitz-Joannis apprime eruditus. 250. LXXII.
Rigenſis Conventus. 332. CXLII.
Rimicmez Conventus 412. XXXII.
Ritta de Munte Prandone virtute conſpicua. 52. VII.
Robertus Finimgamus vir doctiſſimus. 166. XXXIII.
Robertus Biſled locum Fratribus Tertii Inſtituti donat ut domum ſibi extruant. 379. XXIV.
Robertus Creythius virtute & ſanguine illuſtris. 380. I. de Cooventu ſancti Andreæ benemeritus. 81. XLIII.
Robertus Licienſis Apoſtolicus Nuncius, 12. XXII. Franciſco Sfortiæ cariſſimus. 30. LVI.
Robertus de Rodio perfectus ſanctitatis æmulator. 165. XXVIII.
Rodericus Borgia Cardinalis Capituli Aracœlitani Præſes a Pontifice delectus. 58. V. Petrum Barbum Pontificali diademate coronat. 353. XXIII.
Rodericus Demitriadenſis Epiſcopus. 193. XVIII.
Rodericus Malacitanus Epiſcopus. 339. XVIII.
Rodericus Lamacenſis Epiſcopus. 329. CXXVI.
Rodericus Martini de Pineda Domum quamdam Minoritis largitur. 334. CXLIX.
Rodericus Pimentelius Cœnobium Villaloni condit. 457. XVII.
Rodericus de Seſſa Civitatenſis Epiſcopus. 166. XXXIV.
Rodulphus Civitatis Caſtelli Epiſcopus Sororibus Tertii Ordinis addictus. 82. LI.
Rodulphus de Hutfalize Tertio Inſtituto dat nomen. 430. XXI. Conventum Gardiæ fundat. ibidem.
Rogerius de Arella Epiſcopus Solubrienſis. 193. XVIII.
Romanus SS. Apoſtolorum Conventus. 329. CXXVII.
Roſ-Irialay Conventus. 458. XXI.
Rufinus de Ferezano oratione fervidus. 165. XXVIII.
Rupellæ Conventus. 175. LV.
Rupertus Palatinus Bavariæ Dux canonizationem S. Joannis de Capiſtrano exoptat. 217. XXII.

S

SAlezæ Domus Sororum Tertii Ordinis. 392. XXIII.
Sambræ Conventus. 475. XXXVII.
Sancius de Cauales Viſitator Generalis Monaſteriorum Hiſpaniæ. 202. XLV.
De ſanguine Chriſti controverſia exoritur. 206. I. V. *S Jacobus Piceuus*.
Saonenſis S. Jacobi Conventus. 456. XIII.
Sartiani Conventus. 330. CXXX.
Sarzanæ Monaſterium. 204. II. & Domus Sororum Tertii Ordinis. 476. XLII.
Saſſaris Conventus. 411. XXVII.
Scheydam Domus Sororum Tertii Ordinis. 433. XXIX. 447. XL.
Senenſes Domus Sororum Tertii Ordinis. 258. CII. 334. CL.
Seraphina Clariſſa virtutibus celebris obit in Domino. 39. LXII.
Seraphinus Mantuanus celebris verbi Dei Prædicator. 165. XXX.
Seraphiuus Theatinus inſignis Eccleſiaſtes. 173. XLVIII.
Sergiani Conventus. 253. LXXXI.
S. Severini Domus Sororum Tertii Ordinis. 447. XL.
Sigiſmundus Auſtriæ Dux Cardinali Cuſano infenſus eumdem captivum ducit. 187. IV.
Sigiſmundus Malateſta Pontificio interdicto afficitur. 252. LXXVI.
Sigiſmundus Palatinus canonizationem Capiſtrani poſtulat. 217. XXI.
Sigiſmundus III. Poloniæ Rex Franciſcanis addictiſſimus. 377. XV.
Simon Maſſei Burgundus Vicarius Generalis Ultramontanus eligitur. 471. XXII.
Simon de Slavis laicus virtutibus ſublimis. 173. XLIX.

Simonetta Clariſſa in Monaſterio Balneoregii ultima 145. LXVII.
Siſtaricenſe Monaſterium. 333. CXLV.
Sixtus IV. ſummus Pontifex. 463. I. Varia de eo hominum judicia. 463. II. ejus Pontificatus primordia, 463. III. magna adverſus Turcas molitur. ibid. Reguo Boemiæ nutanti ſuccurrit. 464. V. Cum conſanguineis indulgens. 465. VII. multa Obſervantibus largitur. 465. VIII. Ejus Epiſtolæ. V. *Epiſtola*.
Spediani Conventus. 75. XXVII.
Spineti Domus Sororum Tertii Ordinis. 447. XXXIX.
Spoleti S. Pauli Conventus. 195. XXIII.
Squillatii Conventus. 138. XLV.
Stalborg Conventus. 444. XXX.
Stanislaus Carncovius Epiſcopus Gneſnenſis de Conventu Colenſi valde meritus. 390. XVI.
Stanislaus de Huyma caritate erga ægrotos ſingularis. 249. LXX. 431. XXIV.
Stephanus Aveuionenſis Inquiſitor. 162. XIX.
Stephanus de Baſſan a doctrina & induſtria commendatus. 40. LXIV.
Stephanus Hungariæ Rex a Mauris necatus. 271. XIII.
Stephanus Pillerandus Bethleemitanus Epiſcopus. 40. LXV.
Stephanus de Roucetto Cœnobium Camberiaci extruit. 376. XIII.
Stephanus Tuchonus ſacræ Theologiæ Doctor. 473. XXIX.
Stephanus de Waſſan Provinciæ Hungariæ Vicarius Generalis Comitiſſæ de Celano pro canonizatione Capiſtrani ſcribit. 127. XIX.
Sullerenſis Conventus. 76. XXX.
Suſanna Gonzaga Clariſſa. 165. XXXI. 439. XIII.
De Sylva Conventus. 363. XLIX.

T

TAcoviæ Conventus. 389. XV.
Taffaliæ Conventus. 429. XX.
Tarantaſienſis Conventus. 473. XXX.
Taurinenſis Conventus. 352. LXXIX.
Tereſia de Cardenas Clariſſa, 445. XXXI.
Tereſia de ſancta Marta Monaſterium Valliſoleti fundat. 412. XXXIII.
Tereſia de Texeda Monaſterii Segobienſis Abbatiſſa. 145. LXIX.
Tereſia a Zurita Monaſterii Cordubenſis fundatrix. 379. XXI.
Terraconenſis Conventus. 474. XXXV.
Thaddæa de Malaſpinis pro ædificando Franciſcanis Cœnobio facultatem obtinet. 195. XXIV.
Thaddæus Sulivanus magnam Hiberniæ partem prædicando peragrat. 379. XX.
Theobaldus de Aſſigny Epiſcopus Aurelianenſis Minoritis apprime addictus. 141. LV.
Theodora Anuibaldenſis virtute & ſanguine clara dat Clariſſis nomen. 438. XI.
Theodoricus Aurigæ Vicarius Generalis Ciſmontanus. 30. LV.
Theodoricus Lionenſis Epiſcopus Conventum Marcoduræ conſecrat. 142. LVII.
Theodoſius Romanus Conventus Tyburis Guardianus. 201. XLI.
Thereſia. V. *Tereſia*.
Theſſagii Conventus. 254. LXXXVI.
Thomas Aprutinus ſanctitate celebris moritur. 163. XXI.
Thomas Buelduer Epiſcopus Agathopolitanus. 329. CXXVI.
S. Thomas Cantuarienſis ſanctæ Catarinæ de Bononia apparet. 325. CXVIII.
Thomas Hieralajus Epiſcopus Roſſenſis, 379. XX.
Thomas Iugilby Epiſcopus Rachlurenſis. 471. XXII.
Thomas de Monte Plano Aprutinus virtute conſpicuus. 368. II.
Thomas Ornayn Viſitator Generalis Tertii Ordinis. 45. LXXXIII.
Thomas Rildariæ Comes Cœnobium Athderenſe extruit. 364. LIII.
Thomas a Suſa Archiepiſcopus Tarantaſienſis. 455. VIII. 473. XXX.
Thomas Theutonicus. 407. XIII.
Ticinenſe Monaſterium. 379. XXII.
Tocci Conventus. 457. XV.
Toletanus Conventus. 254. LXXXV.
Tolnſanum Monaſterium. 365. LVI.
Torella de Caſſeutino virtutibus conſpicua moritur. 418. VIII.
Tornacenſe Monaſterium. 432. XXVIII.
Tornaviæ Conventus. 143. LXI.
Tùbatius Mariottus egregius Concionator. 411. XXIV.
Turrium Veterum Conventus. 458. XVIII. 461. III.
Tyburtinus Conventus. 201. XLI. & Domus Sororum S. Eliſabeth. 366. LIX.
Tyburtius de Sroda Sacerdos abſtinentiæ & contemplationi aſſiduus. 377. XIV.

V

VAlentinum Monaſterium. 44. LXXIX.
Valentinus de Tarviſio neutralium quorumdam coriphæus. 280. XXI.

Va-

Valerius Jofredus pietate celebris. 78. XXXIII.
Vallemari Conventus. 443. XXVII.
Vallis Jeſu Valentinus Conventus. 140. LI.
Vallis Oſſanæ Monaſterium. 258. c.
Valliſoleti Monaſterium. 339. IV.
Vanielis Monaſterium. 201. XLIV.
Varagliæ Conventus. 177. LXII.
Variſii Conventus. 441. XVIII.
Vartæ Conventus. 430. XXIII.
Vaſcus Eboreuſis Antiſtes Monaſterium ejuſdem urbis propriis ſumptibus ædificat. 144. LXIII.
Ubertinus a Monte Caleſio Epiſcopus Tharſenſis. 166. XXXIV.
Vegleuſis Conventus. 197. XXIX.
Velitemus Conventus. 172. XLIV.
Venetiarum S. Franciſci Conventus. 335. CLI.
De Veratojo Conventus. 462. III.
Veroladi Monaſterium. 85. IV.
Veronica Somariva Monialis Chriſto ſponſo in Monaſterio Laudæ colloquitur. 144. LXII.
Veſſalienſis Domus Sororum Tertii Ordinis. 145. LXXII.
Vicarii Generales Obſervantum Ultramontani Franciſcus Blonde. 456. XII.
Joannes de Macrifortis. 345. XIII.
Joannes Mogini. 58. V.
Joannes Philippi. 398. II.
Theodoricus Aurigæ. 30. LV.
Vicarii Generales Ciſmontani Antonius de Monte Falco. 30. LV.
Baptiſta de Levanto. 58. V. 398. II.
Ludovicus Vincentinus. 191. XIII.
Marcus de Bononia. 345. XIII. 435. II.
Vicarii Generales facultatem habent coercendi Nuncios Cruciatæ. 54. II.
in ſuos Fratres de rebus Fidei inquirunt. 350. XXI.
Vicarii Conventus. 429. XVIII.
Victorinus Melſticius Diaconus perfectione ſpectabilis in Conventu Tarnoviæ moritur. 143. LXI. 390. XVI.
Viebaceuſis Conventus. 390. XVII.
Viesbadenſe Monaſterium. 81. XLV.
Vigheriæ Conventus. 138. XLIII.
Viglevani Monaſterium. 81. XLVII.
Villæ-Diego Conventus. 411. XXVI.
Villæ novæ Equitum Conventus. 254. LXXXIV.
Villaloni Conventus. 457. XVII.
Vilnæ Conventus. 431 XXIV.
Vincentius Lunellus ubi Generalis Miniſter electus. 198. XXXV. fuit Conventus Lorcæ incola. 412. XXVIII.
Viſcovii Conventus. 43. LXXV.
Viterbii ſancti Bernardini Domus Sororum Tertii Ordinis. 146. LXXV. & Fratrum. 334. CXLIX.
Uladislaus Dux Sileſiæ de Conventu Garani meritus. 44. LXXVII. 255. XCI.
Uliſſypone Domus Sororum Tertii Ordinis. 392. XXIII.
Umbergenſis Conventus. 391. XIX.
B. Ungarellus Apoſtolicus Concionator. 330. CXXIX.
Urſchovii Conventus. 43. LXXV.
Waltbornæ Domus Fratrum Tertii Ordinis. 146. LXXVII.
Werboldus de Heys Lariſſæ Epiſcopus. 455. VIII.
Wertenſis Conventus, 199. XXXVIII.
Wiſeremburgenſis Conventus. 143. LIX.
Wlturis Conventus. 457. XIV.

Y

Yporegiæ Conventus. 50. IV. & Monaſterium. 383. III.

Z

Zakolcha Conventus. 417. V.
Zechenſis Conventus. 412. XXXI.
Zanettus Utinenſis Procurator Generalis io Romana Curia. 330. CXXVIII. & Generalis Miniſter. 435. I.
Zegerii Vicarii Generalis caritas. 348. XVII. Domum Noviomagi admittit. 179. LXXIII. ad regimen Ultramontanorum aſſumitur. 193. XVI. Indulgentiam ſtationum a Pontifice pro Ultramontanis impetrat. 261. V. de hac re Epiſtolam mittit. 262. VI. Coogregationem in Conventu Collarenſi celebat. 339. IV.

INDEX BULLARUM

Quæ in hujus Decimitertii Tomi Regeſto continentur.

Numerus Arabicus indicat paginam, Romanus per ordinem poſitas Bullas.

ADmonet nos. *Pii II.* XXIV. 535.
Ad uberiores. *Ejuſdem.* XV. 524.
Apoſtolicæ ſervitutis. *Ejuſdem.* XXVII. 538.
Cum dilectus. *Ejuſdem.* XX. 532.
Cum miſericors. *Monumenta Polonica.* 569.
Devotionis & ſinceritatis. *Pauli II.* II. 552.
Devotionis veſtræ. *Pii II.* XIII. 521.
Dudum ſiquidem. *Ejuſdem.* XIX. 530.
Dum fidem ſinceram. *Ejuſdem.* XII. 520.
Ejus vices in terris. *Ejuſdem.* XXX. 544.
Ex debito paſtoralis officii. *Calixti III.* IX. 502.
Exigit ſacræ Religionis. *Pii II.* XXIII. 534.
Exigit ſinceræ devotionis. *Ejuſdem.* XVI. 526.
Eximiæ devotionis. *Pauli II.* IX. 561.
Feciſti nobis. *Sixti IV.* II. 567.
Humilibus ſupplicationibus. *Calixti III.* XII. 506.
Illa quæ pro. *Pauli II.* XI. 564.
In domo Domini. *Calixti III.* III. 487.
In eminentis. *Pii II.* XI. 519.
Injunctum nobis. *Calixti III.* VII. 499.
Injunctum nobis. *Pii II.* VIII. 517.
Injunctum nobis. *Ejuſdem.* XVII. 528.
Inter cetera. *Ejuſdem.* XXVI. 536.
Inter cetera. *Pauli II.* VIII. 560.
Inter cetera. *Ejuſdem.* XII. 564.
Inter univerſa. *Ejuſdem.* VII. 559.
Licet is. *Calixti III.* IV. 496.
Ordinis Fratrum Minorum. *Pii II.* IV. 512.
Paſtoris æterni. *Pauli II.* VI. 558.
Pia conſideratione. *Pii II.* XIV. 522.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Calixti III.* X. 504.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Pii II.* XXI. 532.
Pia Deo & Eccleſiæ. *Ejuſdem.* XXIX. 541.
Piis Chriſtifidelium. *Calixti III.* V. 497
Piis Chriſtifidelium. *Pii II.* V. 513.
Piis fidelium deſideriis. *Calixti III.* XI. 505.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem.* I. 485.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem.* VI. 498.
Piis fidelium votis. *Pii II.* IX. 517.
Piis fidelium votis. *Ejuſdem.* XXXI. 546.
Piis fidelium votis. *Pauli II.* IV. 556.
Piis ſupplicum votis. *Pii II.* II. 509.
Piis ſupplicum votis. *Sixti IV.* I. 566.
Piis votis fidelium. *Calixti III.* VIII. 500.
Præclaram. *Pii II.* XXXII. 549.

Re-

Regimini univerſâlis Eccleſiæ. *Pauli II.* III. 555.
Regularem vitam. *Ejuſdem*. V. 557.
Religioſorum exceſſus. *Pii II.* III. 510.
Romani Pontificis. *Sixti IV.* III. 567.
Sacræ Religionis. *Pii II.* VI. 114.
Sacræ Religionis. *Ejuſdem*. XVIII. 529.
Sacræ Religionis. *Pauli II.* X. 563.
Scribimus dilecto filio. *Pii II.* XXV. 536.
Scripſimus Superioribus diebus. *Ejuſdem*. XXII. 533.
Sub Religionis habitu. *Ejuſdem*. VII. 515.
Super gregem Dominicum. *Ejuſdem*. X. 518.
Super gregem Dominicum. *Ejuſdem*. XXVIII. 539.
Tuæ devotionis. *Calixti III.* II. 486.
Votis fidelium. *Pii II.* I. 508.
Ut quælibet ſacra Religio. *Pauli II.* I. 550.

FINIS TOMI DECIMITERTII.

Menda, quæ in decimitertii Tomi editione irrepserunt, benevole Lector ita corriges.

Pag. 44.	§. LXXVII.	*lin.* 1°	Gleſiæ	Sileſiæ
38.	§. XL.	*lin.* 3.	diſtriſte	diſtricte
56.	§. III.	*lin.* 5.	denigritate	benignitate
88.	§. VI.	*lin.* 13.	hamanetur	hamanitur
106.		*lin.* 2.	expederetur	expediretur
106.		*lin.* 12.	non poſſis	non poſſis
138.	§. XLI.	*lin.* 8.	Veiarii	Vicarii
140.	§. LI.	*lin.* 12.	marcatorem	mercatorem
143.	§. LXII.	*lin.* 1.	teſtamanto	teſtamento
214.	§. XV.	*lin.* 2.	Divitatis	Divinitatis
216.	§. XIX.	*lin.* 20.	habitaturas.	habituras
240.	§. LVI.	*lin.* 41.	ſide digni	ſide digna
369.	§. I.	*lin.* 1.	caritatis.	caritas
391.	§. XX.	*lin.* 8.	fidelium	fidelium
398.	§. IV.	*lin.* 4.	Juvenuli	Juvenili
431.	§. XXV.	*lin.* 14.	diœceſis	diœceſis
432.	§. XXXI.	*lin.* 8.	pinquaginta	quinquaginta
441.	§. XVIII.	*lin.* 1.	Variſianus	Variſianus
466.	§. X.	*lin.* 10.	Dilecte ſilii	Dilecte ſili

A01 147 1249